R. P. D. JOAN. ANGELI

BOSSII,

EX CLERICIS REGULAR. BARNABITIS,

TRACTATUS DE EFFECTIBUS CONTRACTUS MATRIMONII,

JUXTA UTRUMQUE FORUM.

PARS SECUNDA,

COMPLECTENS TRACTATIONEM DE PARENTUM obligatione præstandi alimenta filiis; & in universum de alimentorum materia, quæ exactè enucleatur, diligenter examinatis & discussis communibus, & peculiaribus opinionibus Theologorum, Summistarum, & utriusque Juris peritorum, præsertim recentiorum: in qua etiam plura de dote filiabus legitimis, & illegitimis, naturalibus & spuriis debita, alimentorum occasione pertractantur.

EDITIO POSTERIOR, ET EMENDATIOR.



LUGDUNI,
Sumptibus PETRI BORDE, JOAN. & PETRI ARNAUD.

M. DC. LXXXXXIV.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

AD LECTOREM
AUCTORIS PRÆMONITIO.

PARS hæc secunda Tractatus de Effectibus Contractus Matrimonii, juxta distributionem ejusdem Tractatus in præcedenti Parte traditam, deberet continere triplicem tractationem, de Alimentis, de Dote, & de Legitima filiorum. Verùm cur editur restricta ad materiam alimentorum, audi BENEVOLE LECTOR, rationem. Præter intentionem in Comitiis Generalibus Religionis meæ anno millesimo sexcentesimo & ultra quinquagesimum tertio habitis, ad Generalatum indignus promotus, toto triennio muneris mei occupationes regiminis non dederunt tempus opportunum vacandi consuetis meis studiis. Quapropter licèt præsentem tractationem de Alimentis absolvissem, oportuit tamen aliis duabus tractationibus supersedere. Interim gravior ætas, & morbi utplurimùm senectutis comites, hominem laboribus continui studii scientiarum, & bonarum artium minùs habilem reddentes supervenere. Et tametsi adhuc supersit aliquid virium ad elucubrationes haud ita diuturnas, & paulò minùs intensas, tu tamen scis illud, *Quod senescit propè interitum est.* Ne itaque, fortè me morte præter spem maturiùs præoccupato, omnis laborum, quos in hac eadem alimentorum tractatione perficienda insumpsi, pereat fructus; satius, maximè peritorum ex mea Religione accedente consilio, & hortatu duxi, si imprimeretur sola, & singularis, sejuncta ab aliis duabus Tractationibus de Dote, & de Legitima. Nec fortè, ut spero, sine fructu prodibit hic singularis, & sine comitibus Tractatus; à peritis enim qui eum ante impressionem legere, dignus qui Confessariorum manibus teratur, necnon Judicibus, causarum Patronis in externo foro, tam Ecclesiastico quàm Sæculari versantibus, & quibuscumque Theologiæ Moralis, & Juris studiosis valde utilis habitus est. VALE.

D. JOANNES ANGELUS BOSSIUS.

Approbatio M. R. Patris Generalis.

Don Joan. Augustinus Gallicius, Præpositus Generalis Congregationis Clericorum Regularium sancti Pauli.

CUm Opus R.P. Don Joan. Angeli Bossii, Assistentis, cujus titulus est, *de Effectibus contractus Matrimonii Tractatus, Pars secunda, complectens tractationem de Parentum obligatione præstandi alimenta filiis, &c.* duo, quibus id commisimus, ejusdem Congregationis Patres Theologi, & eruditi viri recognoverint, & probaverint; Facultatem facimus, ut typis mandetur, si & aliis, ad quos spectat, ita videbitur. In quorum fidem, &c. Datum Mediolani in Collegio nostro Sanctorum Apostolorum Pauli, & Barnabæ, die 10. Novembris 1656.

D. JOAN. AUGUSTINUS GALLICIUS,
Præpositus Generalis.

APPROBATIONES DOCTORUM.

QUæ profundissimè Reverendiss. Pater Don Joannes Angelus Bossius, Generalis meritissimus Barnabitarum concepit, *de Effectibus contractus Matrimonii*, Partu publico dignissima sunt. Sic judicavimus Lugduni 2. Novembris 1654.

Fr. Paulus Lombard, Doctor Parisiensis, ac Provincialis Carmelitarum Provinciæ Narbonæ.

Fr. Cyrillus Morel, ejusdem Facultatis Doctor, humilisque Prior Carmeli Lugdunensis.

Consensus Procuratoris Regii.

VIsa Doctorum approbatione, Ego infrà scriptus Regio nomine non impedio quin hic liber à Philippo Borde, Laurentio Arnaud, & Claudio Rigaud, Bibliopolis Lugdunensibus excusus in lucem prodeat, cum defensione tali casu requisita & solita. Actum Lugduni die 11. Novembris 1654.

VINCENT. DE PANETTES.

PERMISSIO.

ITa & me non dissentiente fiat. Lugduni die decima Novembris 1654.

CHARRIER.

SERIES

SERIES CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM, præcipuarumque difficultatum quæ in hac Tractatione continentur.

CAPUT I.

An parentes teneantur præstare alimenta filiis legitimis, & naturalibus. pag. 1

CAPUT II.

Alimentorum nomine quæ contineantur.

CAPUT III.

Filiis legitimis an ex Juris Civilis dispositione alimenta sint præstanda & taxanda secundùm eorum qualitatem & dignitatem, ac quantitatem paterni patrimonii. Ubi in universum, an alimenta debita jure naturæ, & sanguinis conjunctione, & etiam debita ex legato alimentorum, sint præstanda juxta qualitatem, & dignitatem personarum, & facultates illius, qui alere tenetur. p. 21

ã 3 5 Nobili,

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

C A P U T XIV.

C A P U T XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

causa

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

CAPUT XXIII.

Parens, filius, frater an possint licitè ingredi religionem, si alii ab ipsis alimentandi sint in egestate, seu necessitate alimentorum, & subsidii temporalis; an verò teneantur abstinere ab ingressu, si prævideant se in religione existentes non posse illis succurrere, possint verò manentes in sæculo. 316

CAPUT XXIV.

An filii teneantur ex mutuo per patrem ad ipsos alendos recepto, seu ab alienum, aut debita à patre ad ipsos alendos contracta teneantur solvere ex propriis bonis, quando pater non est solvendo, vel decessit nullis relictis bonis, aut sufficientibus ad solvenda debita. Ubi etiam an uxor teneatur de suo solvere debita à marito contracta pro alenda ipsa, & familia, ipso impotente. 338

JO. ANGE

R. P. D.

JO. ANGELI BOSSII

TRACTATIO

DE

OBLIGATIONE PARENTVM

ERGA FILIOS, QVOAD ALIMENTA ILLIS præstanda Déque aliis ad materiam alimentorum spectantibus.

DE hac materia Sylvester, & alii Summistæ *verbo Alimenta*, & *verbo Filiis* Navarrus *in Man. cap.14. num.17.* Graffius *part.1. decis. aur. lib.2 cap.58.* Tol. *lib.5. cap.1. n.1.* Molina *de iustitia, tom.1. disp.168. & disput. 228. §. Quintus effectus, & tom.3. disp. 578.* Azorius *part.2. lib 2. cap.4. & 5. & p.3. lib.1, cap.2. quæst.3.* Vasquez *opusc. de testament. cap.5. § 7.* Sayr. *lib.7. Clavis, cap.1.* Henriquez *lib.11. cap.19. §.1. & 2.* Homobon. *de statibus, cap.20. n.1.* Rebellus *de oblig. iustit. part.2. lib.5. quæst.8.* Joannes Valerus *de diff. int. utrumque forum, verbo Alimenta,* Reginaldus *in praxi fori, lib. 20. à num. 29.* Villalobos *part.2. tract.41. diffic. 7.* Bonacina *de præceptis, disp 6. q. unica, p.6. §.1.* Sanchez *in consiliis mor. lib.4. c.3.* Fagundez *in Decalogum, lib.4. cap.1.* Sayrus *lib.5. tract.10. part. 3. cap.5.* Filliucius *tom.2. tract.28. part.2. cap.2.* Trullench *in Decalogum, lib.4. cap.1. dub.3.* & Megalà *in sum p.2. lib.2. cap.23. quæst.1. & 2. & cap.24. q.1. & seq.* ex Iurisperitis, & Canonistis scribentes, tum *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium*; tum *in l. si quis à liberis, ff. de agnoscendis liberis,* ubi præsertim Corduba à Lara, Ioannes Baptista Pontanus *tractatu de alimentis*, Ant. Gabr. *com. opin. lib.6. tit. de alimentis.* Covarruvias *de sponsalibus, part.2. cap.8. §.6.* Matthæus Vvesembechius *in Pandectis, lib.25. tit.3. num.4.* Ioannes Garzias *de expensis, cap.3.* Antonius Gomez *in l.10. 11. & 12. Tauri, n.36. & in l.40. à n.75.* Paleotus *de nothis cap. 46. 47. & 48.* Lodov. Molina *de primogeniis, lib.2. cap.15. & 16.* Spino *in speculo testament. glossa 16. in principio, à n.96.* Gamma *decis. 225. & 304.* P. Barbosa *in l.1. p 4 à n.56. ff. solut. matr.* Hercules Marescotus *var. resol. lib.2. cap.8.* Surdus *in tract. de alimentis*, Ioannes Lupi *de illegitimis, commentario 2. §.1.* Marius Giurba *decis.5. & 6.* Molfesius *in consuet. Neapol. tom.1. part 5.* Marta *de success. part. 4. quæst.18. art.7.* Iacobus Cancerius *var. resol. tom.1. cap.16.* Merlinus *de legitima, lib.1. tit.2. quæst.5.* Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.18.* Carpanus *ad statuta Mediol. cap.312. 313. & 314. & c.485. à num.110.* Menochius *de arbitr. num.169. & 170.* Roja *part.4 divers. decis.431. 688. & 747.* Riccius *in collect. decis. p.4. collectaneo 2435.* Pascalis *de patria potestate, part.2. cap.3.* Io. Baptista de Barbobus *de filiisfamil. quæst.1. à num.69. quæst.16. num.55. & quæst.30. à num.89.* August. Barbosa *collect. ad cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matr. & collect. in Authent. ex complexu, C. de incestis nuptiis*, & alii à suprà citatis Doctoribus relati.

SVMMARIVM Capitis Primi.

Referuntur Doctores agentes de Parentum obligatione præstandi alimenta filiis, num.1.

Nomine Parentum in præsenti intelliguntur præcipuè Patres, numero 2.

Iure positivo citra omne dubium Pater tenetur alere filios legitimos, & naturales, num.3.

Parentibus, sicut & cæteris animantibus, & belluis quantumcumque sævis inest innatus instinctus, & appetitus educandi, & alendi filios à se genitos, n.4.

Ideo juxta omnes educatio Filiorum dicitur esse juris naturalis, ibid.

Qui senserint educationem filiorum etiam legitimorum esse tantum de jure natura inclinante, non verò de jure nature scripto obligante, & cogente in conscientia, num. 5.

Vera & communis sententia est alimenta filiis esse debita à parentibus ex jure naturali proprio, & stricto, & obligante ex vi quarti pracepti Decalogi, numero 6. & 7.

Quid requiratur, & sufficiat, ut aliquid inter homines dicatur esse de jure naturali stricto, & proprio, numero 8. & 9.

Non omnis ratio naturalis facit in homine jus naturale, ibid.

Lex civilis de alimentis prastandis per patrem filiis, non tollit jus naturale, ibid. n. 10. & 11.

Regula quod quando per jus civile additur, vel detrahitur juri naturali, illud quod deponitur, efficitur jus civile, & naturale supprimitur, quomodo intelligenda, num. 11.

Matrimonium, & procreatio filiorum qua ratione dicitur esse juris naturalis, num. 12.

Vis, seu obligatio quarti pracepti non fundatur primariò in virtute gratitudinis, sed in virtute pietatis naturalis, qua per se primò intenditur, n. 13.

Onus alendi liberos causatur à natura, & à legibus, ibid.

Pater licèt habeat usumfructum in bonis adventitiis filii, non tamen illum ex hoc tenetur alere, sed ratione sanguinis, ibid.

Usufructus adventitiorum filii acceptatus per patrem non potest remitti filio ad effectum se liberandi ab onere alendi, n. 13.

Jure naturali inspecto, an satis sit, si parentes prastent filiis indigentibus alimenta simpliciter necessaria, sine quibus vitam amitterent; an verò competentia, & congrua conditioni, vel saltem quibus commodè, & honestè vivere possint? num 14. & 15.

Parentes etiam de non superfluis ad statum debent filiis graviter egentibus succurrere, numero 15. circa finem.

Etiam filiis illegitimis, naturalibus, & spuriis indigentibus ex jure naturali stricto tenentur parentes prastare alimenta, n. 16. & 17.

Respondetur objectis, n. 18. & 19.

Parentes jure natura an teneantur alere filios, solùm dum sunt pueri, non verò postquam facti sunt adulti, vel pervenerunt ad pubertatem, si possent suis operis, etiam serviendo, aut mendicando victum quarere. Sententia absolutè asserens jus naturale non obligare, postquam facti sunt adulti, vel puberes, numero 10. 21. & 22. Contraria si commodè, & honestè victum non possint quarere, numero 23. cum sequent.

Aliqua sunt de jure naturali quoad homines, qua talia non sunt quoad catera animantia, n. 25.

Pater non tenetur alere filium, sive legitimum, sive illegitimum, qui ex bonis suis, vel ex aliquo honesto artificio, & conditioni persona congruo potest se alere, vel victum sufficientem, & honestum quarere, numero 27. & 28.

Filius ut dicatur posse seipsum alere ex bonis suis, attendendi sunt redditus, non proprietas, quam non tenetur vendere ut se alat, n. 29.

Dicitur posse se sufficienter alere, si ex redditibus, & ex arte simul potest ali, n. 30.

Filius artifex, si ars non sufficit ad alimenta, vel bona & ars simul non sufficiant, debet à patre habere supplementum, ibid.

Filius quando videatur se ipsum ex bonis, vel ex arte alere, arbitrio Iudicis committitur, n. 31.

Si non posset, artem, vel operas exercere nisi cum periculo valetudinis, vel nisi cum notabili incommodo, est alendus à patre, n. 32.

Morbus excusat, ne filius cogatur vivere ex arte, ibid.

Doctrina Generalis, quod filii non sint alendi à patre, quando ex aliqua honesta arte possunt victum quarere, an bene applicetur filia, ut & ipsam callentem artem, ex qua possit vivere; pater non teneatur alere, & si sit spuria, non sit à patre dotanda, ibidem.

Filius, vel filia, qua artes, vel operas non possunt in sua conditione absque dedecore exercere, sive legitimus sit, sive illegitimus, est alendus à Patre, numero 32.

Id dicimur non posse facere, quod commodè, vel honestè non possumus, ibid.

Aliquid operari, potest esse turpe in legitimo filio, quod tale non erit in illegitimo, prasertim spurio, ibid.

Filia spuria, vel naturali minor dos datur, quàm legitima, ibid. in fine.

Pater qui filium, & quicumque alius qui aliquem alere tenetur, an satisfaciat si eum in Hospitali alendum reposuerit, si possit ibi esse sine dedecore; & quid si Hospitale sit publicum, in quo publicè pauperes aluntur, num. 34.

Filius nobilis, qui jam cœpit mendicare, potest etiam sine dedecore servire, & arare terram, n. 35.

Filio Artifici, qui non potest ampliùs artificium facere, prastanda sunt alimenta, ibid.

Filius robustus, & quivis alimentarius carens bonis, & arte, qui ejus honore servato, potest ex servitio prastito nobili, vel Principi in ejus domo, vel in bello, vel ex Doctoratu, vel persona servitio victum sibi comparare, an sit alendus à patre, vel ab eo, cui alendi onus incumbit. Affirmativè num. 36. Negativè numero 37.

Iudicium Auctoris, n. 38.

Pauper, & inops quis dicatur, n. 37.

Non est danda occasio otiositatis, ibid.

Alimentarius non debet esse otiosus in domo eius, qui eum alere debet, ibid.

Pater an possit filio spurio aliquid nomine Alimentorum, seu alimenta relinquere, seu legare, quamvis ex arte, & operis suis posset se honestè alere. Referuntur dua sententia opposita, & approbatur affirmativa, numero 39. ad n. 44.

Quintum bonorum, quod l. 10. Tauri *permittitur à patre dari filio spurio, an pater possit eidem dare, & relinquere, si idem filius spurius sit dives, vel ex aliquo artificio honesto possit se alere, n. 42. & 44.*

Filio spurio, qui aliunde habet partem alimentorum, non tamen alimenta sufficientia, an pater juxta dict. l. Tauri 10. *possit relinquere prafatum quintum integrum ad alimenta; an verò relictum sit minuendum quoad excessum alimentorum, numero 43. & 44.*

Si quinta pars paterna substantia non sufficiat alendo spurium, an pater teneatur augere, seu maiorem partem assignare num. 43.

Alimenta ex consuetudine, vel dispositione legis, aut hominis, & iure actionis debita, etiam diviti, & habenti aliunde, unde se alat, sunt prastanda, numero 45.

Alimenta à primogenito in lege, vel consuetudine secundogenito, & aliis fratribus debita, eisdem licèt divitibus prastari debent, & ad illa etiam praterita datur actio, ibid.

CAPUT PRIMUM.

An parentes teneantur præstare alimenta filiis legitimis, & naturalibus.

NOmine parentum licèt comprehendantur tam mater, quàm pater, avi paterni, & materni, hîc tamen intel

intelligimus solos patres, de matris verò & ascendentium obligatione alendi filios, singillatim infra agitur, etsi rationes, quæ infra afferuntur, sumptæ ex ipsa rei natura probent etiam matrem in subsidium, & ubi pater nequit, vel injustè negat filiis alimenta, teneri eis illa præstare, si possit.

3 Certum est patrem ex jure positivo teneri alere filios legitimos, & naturales, *l. si quis à liberis, ff. de agnoscendis liberis, l. 3. & 4. Cod. de alendis liberis*: sicut & filii eodem jure tenentur alere parentes, eisdem legibus, *& l. 1. & 2. C. de alendis liberis.* Hoc idem tradunt omnes prællegati Doctores, Summistæ, Theologi, & Jurisperiti. Ita Molina *d. disp. 22 S. §. 5. effectus*, Pontanus *d. tract. de alimentis, num. 1.* Surdus *d. tract. de alimentis, tit. 1. q. 1.* Pascalis *d cap. 1. n. 1.* Joan. Garzias *d. cap. 1 i. n. 2.* & in terminis alii Doctores *n. 1.* relati, & omnes scribentes in prællegatas leges.

§. I.

An pater jure naturali propriè obligetur ad præstanda filiis suis alimenta.

4 DIfficultas ergo est, an parentes, seu patres jure naturali propriè obligentur ad præstanda eisdem filiis suis alimenta.

Et conveniunt omnes, sicut procreatio filiorum est de jure naturali, quatenus jus naturale importat instinctum, inclinationem, & propensionem naturalem, ita etiam educationem filiorum, quoad alimenta, eorumque conservationem esse de jure naturali, quia instinctu, & inclinatione naturæ impelluntur parentes ad educandam, & alendam prolem, quam procrearunt: quod est commune omnibus animantibus, belluis, & feris, quæ quantuvis sævæ, & immanes ex ipsa naturæ propensione impelluntur ad filios alendos, illosque procreatos nutriunt. Unde Cic. *lib. 1. de fin. A natura* (inquit) *ipsa impellimur, ut eos, quos genuimus, nutriamus, & amemus.* Et *lib. 1. offic. Commune* (ait) *omnium animantium est conjunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt.* Et educationem esse de jure naturali hoc pacto sumptâ indubitatum est: & id ad minimum probat textus *in §. 1. instituta, de jure nat. gent. & civili; & in l. 1. §. jus naturale, & in can. jus naturale d. 1.* quibus in textibus expressè dicitur, educationē filiorū esse juris naturalis. Etsi enim à natura ipsa cætera animantia impelluntur ad nutriendos, & educandos filios; multò magis oportuit à natura homini imprimi instinctum, inclinationem, & propensionem ad proprios filios educandos, cùm homo præ cæteris animantibus nascatur indigentissimus aliena ope; nam animalibus cūctis statim cum nascuntur, maxima præsidia, plurima ornamenta, quibus cooperirētur, natura tribuit, victum sibi ipsis, non alieno auxilio statim quærunt. At homines his omnibus nudi in lucē prodeunt, ita ut nisi alieno præsidio fruantur, vitam servare non possent. Quod elegantissimè Plinius *lib. 7. historiæ naturalis, in proœmio descripsit, ubi unum animantium,* inquit, *cunctorum alienis natura velat opibus, cæteris varia tegumenta præbuit, testas, cortices, coria, spinas, pilos, plumam, pennas squamas, vellera, truncos etiam, arboresque cortice, interdum gemino à frigoribus, & calore tutata est: hominem tantum nudum, & in nuda humo natali die abjicit, ad vagitus statim, & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio; at hercle visus præcox, & celerrimus ante quadragesimum diem nulli datur ab lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus. Itaque feliciter natus jacet manibus, pedibusque devinctis, flens animal cæteris imperaturum; & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantùm ob culpam, quia natum est. Heu dementiam ab iis initiis æstimantium ad superbiam se genitos: prima arboris spes, primumque temporis munus quadrupedi similem facit. Quando homini incessus? quando vox? quando firmum cibis os? quandiu palpitans vertex, summa inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? jam morbi, totque medicinæ contra mala excogitatæ, & hæ quoque subinde novitatibus victæ. Cætera sentire naturam suam, alia pernicitatem usurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare; hominem scire nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breviterque non aliud naturæ sponte, quàm flere.* Ita Plinius, *& prius* Aristoteles (*ex quo fonte* Plinius desumpsit) de gener. animal. lib. 5. c. 1. ad medium, ibi: *Imperfectissimum enim omnium perfectorum partuum nascuntur.* Et problematum sect. 10. problemat. 45. ibi: *Indicium verò, cætera perfecta, hominem imperfectum produci, quod illa statim inde ab ortu natura vivere sua opera queunt; pueri curam desiderant, nec servari nisi alieno beneficio possunt.* Plinio, & Aristot. addo Senecam, qui lib. 4. de beneficiis, cap. 18. *Illud igitur,* inquit, *naturam movit post creationem, ut educationem institueret, ne humana proles alieno auxilio, quo maximè eget, destituta periret, id quod ut efficacius fieret, amorem indidit, quo animantium genus omnes fœtus suos prosequitur. Unde fit, ut ipse amor, quo nos ipsos tuemur, liberos quoque nostros tueatur, quorum namque conservatione conservamur, & quorum propagatione propagamur.*

Illud ergo, quod alii verterunt in controversiam 5 est, an educatio filiorum sit non solùm de jure naturæ inclinante, & impellente, sed etiam de obligante, & cogente, ita ut alimenta filiis à parente, seu patre sint simpliciter debita ex jure naturali in conscientia obligante ad illorum præstationem; ita & patri sit imposita naturaliter necessitas dandi, vel relinquendi filiis alimenta; an verò hæc necessitas liberos alendi sit inducta tantùm à jure civili, non verò à jure naturali.

Et ex jure naturali non oriri obligationem præci- 6 sam, seu coactivam, aut compulsivam alendi liberos, sed solùm ex jure civili, tradidere Alexander *in l. quod de bonis, §. fin. n. 3. ff. ad l. falcid.* Dynus *in c. indultus, de reg. jur. in 6. num. 15.* Decius *in l. jure sanguinis, ff. de reg. juris, num. 3. & cons. 19. num. 5.* Alciatus *alios allegans de præsumpt. reg. 1. præsumpt.* 8. Franciscus Piscina *de statut. exclud. fœm. num. 133.* Tellus Fernandez *num. 113.* & Ferdinandus Vasquius *lib. 2. de succession. creat. §. 20. num. 305. & duobus sequent. in repet. auth. novissima, num. 256. C. de inoffic. testam. & in quæst. illustr. lib. 1. c. 35. num. 15.* quos referunt Joannes Garzias *d. cap. 11. à num. 10.* & Ludovic. Molina *de primogen. lib. 2. cap. 1. num. 15.* ubi *num. 16.* addit à pluribus hanc opinionem appellari communem. Et idem docet Antonius Gomez *in l. 9. 10. 11. & 12. tauri, n. 36. versic. de jure tamen Canonico.* Idem etiam statuunt Doctores asserentes statuto posse legitimam in totum filiis auferri, etiamsi non habeant aliunde unde vivere possint, qui fundantur in eo, quod jure tantùm civili legitima sit debita, quos Doctores latè referunt Mangilius *de imput. quæst. 51. num. 37.* & Ludov. Molina *de primog. lib. 2. cap. 1. num. 15.* & Merlinus *loco infrà, num. seq. allegato.* Probat Vasquius, quia ex eo quod educatio filiorum, & illorum alimenta dicantur debita de jure naturali, non infertur obligatio præcisa, & coacta educandi, & alendi liberos, quacumque alia lege positiva seclusa; nam jus naturale, inquit, *de quo in juribus num. præcedenti prællegatis*, non est aliud, quàm quoddam naturale votum, desiderium, inclinatio, & instinctus, seu propensio naturalis, quibus homines, & cætera animantia ducuntur, ut explicatur in dictis legibus & canone, & habetur *l. scripto, ff. unde liberi*, ibi, *& parentum commune votum*, quare ut instinctus procreandi liberos, & appetitus conjugii maris, & fœminæ (inquit Vasquius *d. num. 15.*)

etsi sit juris naturæ, ut in prædictis textibus dieitur, tamen non inducit præcisam obligationem, oec exequitur ab inviro; ita instioctus, appetitus, & votum, seu propensio alendi liberos, etsi sit juris naturæ, nihilominus noo obligat præcisè, nec exeqneretur ab invito, inspecto eo jure; sicque necessitas à mero jure positivo descendit. Confirmatur ratione, quia si alimenta deberentur de jure naturæ præcisè obligante, seu ex obligatiooe juris naturalis coactiva, cùm jura naturalia perpetua sint, tolli non possent ullo in casu; sæpè autem à jure, vel statuto tolluotur alimenta, ut ex infra dicendis constabit, ubi de causis excusantibus à præstatione alimentorum. Hanc eandem opinionem approbavit Surdus (licèt contrarium videatur sentire, *tit.1. quæst.1. initio*) *de alim. tit.1. q.3. num.10. & dub. sequentibus*, ubi cur alimenta à patre debita filio, & à filio patri debita non petantur jure actionis, sed solùm officio judicis, rationem, & vetam esse ait, quia pro alimentis à lege debitis nulla datur obligatio, quia nullus contractus, vel quasi, nullum maleficium, vel quasi intercedit, sine quibus non oritur obligatio, *§. namque agit. Instit. de actionib.* deficiente autem obligatione, deficit actio, cujus ipsa est mater, *l. licèt, §.11. ff. de procuratoribus*, & licèt (subdit Surdus) dicamus patrem obligari ad alimenta filii naturali ratione, non tamen intelligimus de naturali obligatione, sed de naturali ratione, id est æquitate à natura insita. Quare juxta hanc sententiam alimenta, & legitima, etiam quoad quantitatem alimentorum possunt lege positiva, vel statuto tolli, ut Vasquius ait *d. num.305.*

6 Verùm alimenta à patre filio, & à filio parentibus esse debita de jure naturali verè, & propriè obligante io conscientia, seclusa quacumque lege positiva, asserunt in primis Summistæ, & Theologi communiter; proinde patrem negantem alimenta filio peccare mortaliter, nisi aliqua legitima causa excusetur, prout infra explicatur. Ita S. Thom. 2.2. *quæst. ult. art.6. in corpore*, ex præallegatis *num.1.* Sylvester *d. verbo filii, q.4. versiculo secundò generaliter*, Toletus, Navarrus, Grassius, Homobonus *locis ibidem allegatis*, Molina *de justitia, dicta disp.168. initio, d. disp.578. n.6. per totum*, & præsertim versic. *Quartum*, Joannes Valerius *d. v. alimenta, diff.1. n.2.* Azor. *d. cap.4. q.1. & q.7. & p.3. lib.1. c.2. q.3.* versic. *Tertium*, Vasquez *opusc. de testam. c.5. §.7. dub.9. initio*, Rebellus *d. q.8. sect.2. n.4.* Sayrus, Reginaldus, Bonacina, Filliucius, Trullench, Fagundex *locis eodem n.1. citatis*, & Megala *d. p.2. lib.2. c.8. q.2. n.2. & c.23. q.1. n.3. & 4. & c.24. q.1. n.1.* Layman *d. c.5. n.8.* Ex Jurisperitis præter alios à Garxia *d. c.1. n.6. & 7.* relatos, ita ex relatis *suprà n.1.* sentiunt Ludovicus Molina *de primogen. d. lib.2. cap.1. num.14.17.18. ad 23.* Covarruvias *d. §.9. num.1.* Spin. *d. glossa ibi, num.98.* Garxias *d. cap.11. num.6. ad 25.* (ubi tamen id probat solùm quoad alimenta debita filiis legitimis, & naturalibus, ex legitima, & matrimoniali conjunctione procreatis: de illegitimis verò quibuscumque negat deberi à parentibus alimenta de jure naturali obligante, eo quòd, inquit, sola procreatio filiorum ex conjunctione legitima matrimoniali sit secundùm naturam; procreatio verò filiorum ex illicito, & damnato coitu sit contra naturam, utpote contra legem naturæ prohibentem omnem carnalem maris, & fœminæ commistionem, quam matrimonium non honestat,) Paleotus *d. c.46. n.3.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, in principio, n.6. ff. de lib. agnoscend.* Mangilius *de imput. d. quæst.149. & q.51. num.62.* Mantica *de tacitis, & ambiguis convent. p.1. lib.13. tit.12. n.2.* Pontanus *d. tract. de alimentis, cap.1.* Joan. Lupi *d. com.1. §.1. num.5.* Carpanus *ad stat. Med. c.313. n.9.* Marta *de successionibus, part.1. quæst.25. art.5. n.7. & 10.* Franchus *decis.576. num.23. & seq.* Gamma *decis.225. num.1. fine*, Rota *part.4. diversorum, d. decis.742. num.16.* apud *Seraphinum decis.45. p.1. recentiorum, & decisione 31. part.5. divers.* apud Rubeum, *decis.62. num.24.* ita etiam Menochius *in additionibus de arbitr. cent.6. casu 501. num.2.* Andreas Gayllus *pract. observ. lib.2. observat.122. num.4.* Merlinus *de legitima, lib.3. tit.1. quæst.1. num.8.* Stephanus Gratianus *p.4. c.613. n.8.* & omnes Jurisperiti asserentes legitimam filiis debitam non posse lege aut statuto tolli in totum, scilicet etiam quoad quantitatem pro alimentis necessariam: quos Doctores latè referunt Lud. Molina *de primog. lib.2. d. cap.1. num.14.* Gayllus *d. observ.122. initio*, Marta *d. art.5. num.7.* & Merlinus *d. q.1. num.12. & 16.* id etiam expressè tradit Corduba *in sum. quæstione 125. paulò ante dictum 10.*

Probatur hæc sententia verissima, qoia alimenta 7
parentibus indigentibus à filiis, & ipsis filiis indigentibus à parentibus debita, & tradenda sont ex vi præcepti quarti Decalogi de honorando parentes, ut tradùt Summistæ, & Theologi omnes *n. præcedenti allegati*, & docuerunt D. Hieronymus *in Matthæi c.15.* & S. Thomas 2.2. *q.122. art.5. & in 3. sent. d.15. art.2. q.1.* & asserit etiam Rota *d. decis.62. n.25. p.5. diversorum, apud Paulum Rubeum*, quod præceptum eùm sit morale, est (sicut & cætera præcepta moralia) de iis, quæ sunt de lege naturali, spectatque ad dictamen legis naturalis, *cent. fin. d.6. & trad.* S. Th. 2.2. *q.100. art.5.* Soto *de just. lib.2. q.3. art.1.* Rota *d. decis.622. n.24.* Ego ipse *tom.3. mor. var. tit.12.* & est indubitatum apud omnes scribentes de legibus, & de præceptia Decalogi, & quoad quartum Decalogi præceptum constat ex eo, quia spectat ad virtutem pietatis, seo fundatur in justitia, & pietate naturali (*ut præcedenti prima parte, de effectib. contr. matr. cap.10. n.2.* ostensum est, & tradunt Reginal. *lib.20. n.3.* Magala *2. p. lib.2. cap.1. initio*, & alii) qua filiis parentes, & parentibus filii secundùm carnem impendunt ea, quæ eis ex hoc titulo parentum, & filiorum debent: & ita parentes necessaria corporalia, & spiritualia tenentur curare filiis ex justitia, & pietate naturali, & consequitur ex jure naturali stricto, & obligatorio io conscientia, ut *d. num.2. alleg. cap.10.* osteodi, & tradunt in his terminis Doctores ibid. citati. Parentum ergo nomine in d. præcepto 4. Decalogi intelliguntur non solùm hi qui nos genuerunt, pater scilicet, & mater; sed etiam omnes alii qui nobis aliqua cognatione conjoncti sunt; ut avi, filii, fratres, & alii consanguioei, maritus, uxor, inter quos tamen post patrem, & matrem primum locum tenent filii; quia cùm sint aliqoid substantiæ parentum, cunctis cæteris plus amantur. Ita Azorius *d. p.2. lib.2. cap.1. q.1.* Villalobos *d. tract.41. diff.5. n.1.* Megala *d. cap.1. initio*, Trollench *d. lib.4. cap.1. dub.1. num.2.* & Reginaldus *d. lib.20. allegato num.5.* ubi additur quod in quarto præcepto non sit facta expressa mentio de filiis honorandis, D. Antonious *1. p. tit.14. c.4. §.5.* post Alexandrum de Ales *3. p. q.33. membro 3. art.1.* eam reddentes rationem, quod naturalis inclinatio satis ostendat in patribus, quod debeant filiis obsequium, & beneficium, de quo præstando non fuit proinde necesse dare in Decalogo præceptum expressum, ut nec de amore sui, quem oaturalis inclinatio satis commendat. Præterea huc etiam spectat ratio *præallegato c.10. n.3.* ex Ægidio Romano, & Javello adducta, quam & alii probant, scilicet quia cùm filii accipiant, & habeant à parentibus, ot sint, inde fit, ut parentes naturali lege debeāt filiis bono corporali, & spirituali prospicere; siquidē singulæ res suos effectus ad perfectionem perducendos sedulò curant, quā rationem affert S. Thom. *d. q. ultima, art.6.* obi ex eo, quod pareores sunt principium, & causa filiorum, dicit illis per se, & absolutè incombere onos alendi filios, & habendi curam illorum; filiis verò convenire curam parentum, & illos alere tantùm per accidens, scilicet ratione necessitatis alicujus, in qua sint constituti, quam

rationem

rationem etiam approbant Doctores, qui *infra cap. 23. n. 1316.* allegantur.

8 Igitur cum ut aliquid dicatur esse de jure naturali inter homines, non sit necessaria aliqua lex, seu constitutio juris naturalis id ipsum disponens, nec ad ipsum adstringens, sed sufficiat (ut docet S.Th. *1.2.q.94. art. 2.*) inclinatio naturæ hominis ad illud, & dictamen rationis, seu ratio naturalis dictans illud esse conforme, vel difforme naturæ rationali, absque alia lege, ut etiam indicatur *de can. jus natur. d. 1.* ibi: *quod ubi instinctu naturæ, non constitutione habetur aliqua*: & constat *ex l. cum ratio, ff. de bon. damn.* ibi: *cum ratio naturalis quasi lex quadam tacita*; & facit etiam dicta lex *scripto, ff. unde vi*, ibi, *natura & parentum commune votum*, quam proinde non rectè pro se allegat Vasquius, quod enim in ratione naturali consistit, lex esse dicitur, *d. l. cum ratio*, & clarius can. *consuetudo, §. prior si ratione, d. 1.* constat alimenta à parentibus filiis indigentibus esse debita de jure naturali propriissimo, cum ad id natura ipsa, seu inclinatio, & instinctus naturalis parentes impellat; & ratio naturalis, seclusa quacumque alia lege suadeat, & dictet, uti naturæ rationali hominis consonum, contrarium verò dissonum. Pro majori autem explicatione advertendum (prout etiam notavit Ludov. Molina *de primog. lib. 2. d. cap. 1. n. 19.*) in homine duplicem esse instinctum naturalem, unum brutis etiam communem, alterum verò ratione constantem, ut explicat Sotus *de justitia, lib. 1. q. 4. art. 2.* Instinctus ergo naturalis in homine ratione constans efficit jus naturale, seu est, ex quo jus naturale procedit, scilicet ut id dicatur, & sit propriè de jure naturali, ad quod talis instinctus naturalis rationis, seu ratione naturali ita dictante astrinxerint faciendum, vel omittendum, & talis est educatio liberorum, & pariter cætera juris naturalis præcepta.

Et licèt non omnis ratio naturalis faciat in homine jus naturale, ut Ludovicus Molina *d. cap. 1. num. 21.* & Rota *d. decis. 62. n. 46.* apud Rubeum *p. 5.* notavit; tamen ratio naturalis, quæ ex instinctu ipsius naturæ impellente, seu (ut ait Rota *d. 46.*) à primis principiis juris naturalis gentium immediatè derivatur, qualis est illa (inquit eadem Rota) quæ dictat patres, & filios teneri mutuò inter se ad necessaria alimenta, facit jus naturale.

9 Neque ex eo quod lex civilis id, quod de jure naturali circa filios, ut parentum alimenta, in specie introductum erat, declaret, vel exponat, id juris naturalis esse desinit; nam juri naturali manenti illæso potest jus positivum addi, seu supervenire, *l. jus civile, ff. de justitia, & jure*, & cum aliis Molina *d. c. 1. n. 20.*

10 Non obstat etiam, quod ex jure civili quoad alimẽta aliquid additum sit juri naturali, purà quod præstẽtur attenta dignitate personarum, vel quod quintum non excedant, & similia, ac proinde videatur habere locum regula, quod quando additur, vel detrahitur juri naturali, illud quod disponitur, efficitur jus civile, & naturale supprimitur, *d. l. jus civile, cum similibus*; id enim intelligitur quando substantia alteratur, non verò quando substantialibus relictis alteratur quid accidentale, tunc enim primum, quod re manet, erit jus naturale, accidens autem additum erit jus civile, quo pacto legitima simpliciter sumpta dicitur, & est de jure naturali, quoad quintum verò procedit ex jure civili. Alimenta ergo solùm, quatenus vitæ sustentationi necessaria sunt filiis, jure naturæ debita sunt; esto quatenus statui, & dignitati congrua solo jure civili debeantur.

11 Non obstat pariter quod supra *numero 5.* adductum est ex Vasquio, scilicet etiam conjunctionem maris, & fœminæ, seu matrimonium esse juris naturalis, tamen inde non oritur præcisa obligatio, ut quilibet debeat iungi matrimonio, & filios procreare; nam matrimonium, marisque, & fœminæ conjunctio dicitur esse, & est iuris naturalis, considerando speciem humanam ut sic, & in universum, scilicet quatenus talis coniunctio est necessaria ad speciei conservationem & propagationem, & ita licèt in natura ut sic, & in universum sumpta, concipiatur instinctus, & inclinatio ad matrimonialem conjunctionem impellens, prout unaquæque res in sui conservationem inclinatur; non est tamen in quolibet homine innatus instinctus impellens illum ad eandem coniunctionem, ac proinde ex eo iure naturali non oritur obligatio præcisè quemlibet hominum adstringens ad matrimonium, & procreationem liberorum, sed solùm obligans in casu, quo esset simpliciter necessaria ad speciei conservationem; at instinctus impellens ad liberorum educationem, & præstanda illis alimenta necessaria est in quolibet parente innatus; & à natura inditus; atque adeò meritò ex eo oritur obligatio naturalis vera, & propria in conscientia, adstringens parentes ad eadem alimenta filiis indigentibus præstanda.

Demùm non obstat, quod parentes non recipiunt beneficium à filiis, sicut filii recipiunt ab ipsis patre, & matre beneficium generationis, educationis, & gubernationis; ex quo videtur sequi, filios quidem ex iure naturali, in quarto præcepto Decalogi contento, teneri alimenta parentibus indigentibus præstare, non autem parentes filiis: nam obligatio quarti præcepti quoad subministranda alimenta parentibus à filiis, & è contra, non fundatur primariò in illo principio, ut benefacienti benefaciamus, quod ad virtutem gratitudinis pertinet; sed primariò, & per se oritur ex iustitia, & pietate naturali erga parentes, & consanguineos, quæ in dicto præcepto per se, & primò intenditur, ac proinde idem quartum præceptum (ut supra dictum est) ad ipsam virtutem pietatis principaliter, non ad virtutem gratitudinis spectat. Ad maiorem prædictorum confirmationem adduco textum *in l. fin. §. ipsum autem, Cod. de bonis quæ liberis*, ubi expressè dicitur, quod onus alendi filios causatur à natura, & legibus, non à beneficio, quod causa filiorum pater percipiat, non ab hæreditate, seu usufructu adventitiorum filii: textus verba sunt, *Ipsum autem filium, vel filiam, filios, vel filias deinceps alere patri necesse est, non propter hæreditatem, sed propter ipsam naturam, & leges, quæ & à parentibus alendos esse liberos imperaverunt, & ab ipsis liberis parentes, si inopia ex utraque parte vertitur.* Ex quo recta inferunt Doctores, quod quamvis pater habeat usumfructum in bonis filii adventiis, non tamen illius ratione tenetur alimenta dare eidem filio, sed solùm ratione sanguinis; ita Baldus, & Salicetus *in d. §. ipsum autem*, & post multos alios Surdus *tit. 1. quæst. 24. numero 10.* & Stephanus Gratian. *tom. 3. capite 5. §. 19. numero 12.* addens *numero 13.* quod imò etiamsi pater nollet alere filium dicendo, *non teneor te alimentare, si non habes, & volo tibi reddere usumfructum, qui est apud me, ut te alas*; non potest hoc facere postquam acceptavit usumfructum, *l. sed cùm fructuarius 71. ff. de usufructu*, Gloss. & Franciscus Porcell. à Gratiano relati. 12

D. Io. Angel. Bossius, de obligat. Parentum. Pars II.

§. II.

An de jure naturali stricto tantùm sit providere filiis de alimentis simpliciter necessariis, sine quibus vita amitteretur; an verò etiam de alimentis ad commodè vitam sustentandam, & statui competentibus.

14 AN verò de jure naturali tantùm sit, ut pater, si possit, teneatur providere filiis de alimentis solum quatenus vitæ sustentationi sunt necessaria, & sine quibus vivere non possint; an verò etiam de eodem jure naturali teneatur illis providere de alimentis competentibus, quibus honestè eorum conditione spectata vivere possint, cum aliunde non habeant unde se honestè alant. Ludovicus Molina *de primog. lib.2. dicto c.1.* licet *n.22. fine*, concludat alimenta, quatenus vitæ sustentationi necessaria sunt, filiis jure naturæ debita esse, nec lege, statuto, vel principis rescripto tolli posse, tamen *n.23.* ait patrem obligatione naturali teneri præstare alimenta competentia filio aliunde non habenti, uti se honestè alat. Quare alter Molina Theologus *p.3. de justitia, & jure, disp. 578. n.6.* versic. *Quartam verò partem*, ait illum *d.cap.1. n.14. junctis sequentibus ad 23.* sentire patrem de jure naturali teneri relinquere filiis legitimam usque ad competentia alimenta eis necessaria: & ita in institutione majoratus, & primogenituræ teneri jure naturali relinquere cæteris liberis competentia alimenmenta, & nomine alimentorum competentium Molina Theologus arbitratur alterum Molinam intellexisse, competentia attenta ipsorum qualitate.

15 Ipse verò Molina Theologus d. vers. *quartam verò partem*, dicit quatuor. Primum de jure naturali stricto, patrem, si possit, teneri providere filiis de alimentis, sine quibus vivere non possint, quando aliunde non habent, neque sua industria, & labore sibi illa comparare possint. Secundum, congruum esse rationi, ductui, seu instinctui, ac propensioni naturali, qua parêtes in filios propendent, ut filiis thesaurizent, eisque parent unde absque ulla indigentia splendidè vivant. Tertium dictum Molinæ est, non esse de jure naturali stricto ut parentes etiam necessaria ad vitam sustentandam illis relinquant, si aliunde ea habeant, aut sua industria, & labore comparare illa possint; & multò magis non teneri ex eodem jure naturali stricto competentia statui alimenta illis præstare, aut relinquere unde accommodatè ad paternas divitias, honoremque ac statum suum, ac paternum vitam ducant. Quod probat, quia quod unus (inquit) in Republica lautiùs, & splendidiùs quam alius vivat, nihil ad jus naturæ attinet, quo solo spectato nullus hominum major est alio, neque illi debetur splendidior, & lautior vita, quàm aliis. Quartum Molinæ dictum est, de æquitate naturali parentes teneri relinquere filiis alimenta statui competentia, atque adeò nunquam esse facultatem instituendi majoratum, seu primogenituram, quæ côtineat ut de omnibus bonis constitui possit majoratus, non relinquendo cæteris liberis côpetentia alimenta; neque tutum esse in conscientia eum, qui vi illius majoratũ institueret, non relinquendo cæteris liberis competentia alimenta: Principemque moderamen in foro exteriori ei institutioni adhibere debere; quod probat, nempe cum leges, quæ certam quotam bonorum parentum assignant filiis in legitimam, unde sustententur, & familiam assumant, & quæ rectæ rationis ductui, ac propensioni naturali, qua parentes filiis thesaurizant, eosque perducere conantur ad statum, in quo non egeant, valdè sint consentaneæ, in publicumque Reipublicæ bonum cedant, & omnibus de Republica communes sint, & per eas filii jus sibi ad suas legitimas portiones côparaverint, recta ratio, & æquitas non patitur, ut in detrimentũ ipsorum princeps ita latè dispenset in juribus quibus legitimæ portiones ipsis sunt debitæ, ut neque congrua alimenta juxta opes, & statum ac conditionem parentum ad ipsos post eorundem parentum obitum deveniant; maximè (subdit) cùm non multùm Republicæ expediat multiplicatio majoratuum, imò fortè esset longè utilius non tot multiplicari, quot reipsa multiplicati sunt in Hispania, & in dies multiplicantur, non contingendo legitimas aliorum portiones, nedum non ita eas etiam contingendo, ut neque competentia alimẽta ex magnis parentum opibus cæteris filiis relinquantur. Ita Molina Theologus. Sed puto alterum etiam Molinam *d.c.1.* noluisse de jure naturali stricto parentes teneri præstare filiis alimenta, attenta dignitate personarum filiorum & parentum, atque illorum divitiis consideratis, ut constat ex iis quæ *n.22.* tradit, ubi expresè supponit, solùm ex jure civili communi, vel regio, seu statutario alimenta filiis esse præstanda. Quare dum dicit de jure naturali deberi filiis alimenta competentia, ubi aliunde non habent ut se honestè alant, puto eum intelligere alimenta sufficientia sustentationi, vel etiam quæ sint sufficientia vitæ commodè traducendæ, ut scilicet in ea quantitate tradantur, ut non solùm extrahantur à gravi necessitate, ut scilicet possint sustentare vitam, sed non nisi cum gravi dedecore, & incommodo corporali, aut nisi cum magna difficultate, & extraordinaria diligentia procurando sibi aliunde, ut possint vivere absque gravi dedecore, vel notabili miseria, & corporali incommodo: sed ut possint commodè traducere vitam, licèt non juxta decorem, conditionem, & honestatem status paterni, & quantitatem divitiarum illius. Quod etiam probabile videtur; hoc enim videtur exigere pietas naturalis erga parentes, & conjunctos, ut nempe filii parentibus indigentibus, & filiis pariter indigentibus parentes præstent alimenta, si possint, quibus commodè præfato modo vivere queant; rationique dissonum videtur, quod pater, aut filius abundet omnibus ad vitam commodam, & honestam requisitis, & filius, aut pater miserè, & cum magna incommoditate vivat côtentus pane & oleribus, quæ ad naturæ solius præcisã sustentationem sufficiunt: & præsertim, quia ad alimenta præstanda proximo constituto in extrema necessitate obligantur omnes respectivè ex præcepto charitatis: oportet ergo ut parentes, & filii mutuò obligentur ex pietate naturali ad præstanda sibi alimenta, sine quibus commodè saltem communi, & ordinario modo vivere nequeant; alioqui ex solo charitatis præcepto, & non ex præcepto Decalogi quarto in naturali pietate fundato, pater, & filius tenerentur sibi mutuò alimenta exhibere. Favet Rebellus relatus suprà *n.6. sectione ibidem allegata, n.5.* ubi docet, quod etsi nemo sub mortali obligandus sit ad succurrendum proximo in aliis gravioribus necessitatibus citra extremas, nisi quando habeat superflua ad statum, ut videtur colligi ex 1. Joannis *c.3.* & asserunt Alexander Alensis *3.p.q.65.art.2.n.4.q.1.* D.Thom. *2.2.q.32. art.5.& 6.& q.118.art.4.ad 2.& in 4.d.15.q.2. art.1.* Abulensis *in Matth.6.q.34.* Caiet. *in tractatu de eleemosyna*, Sotus *lib.5. de just.q.8. art.1.* Alii Thomistæ, & Theologi côminiter (quamvis Durand. *in 4.d.16.q.6.* & nonnulli alii in dubium revocent, ne majorem divitum, ut aiunt, partem condemnent, nihilominus indubitatum esse patrem, tametsi superflua status nô habeat, obligari ad succurrendum filiis etiam spuriis, nedum legitimis, quoad suppetunt facultates, non solùm ut non extremè (quo casu omnes etiam non habentes superflua status tenẽtur succurrere, ut D.Th. *dictis art.5.& 6.*) sed ne etiam graviter egeant. Quanquam non solùm Molina Theolog. dicto vers. *Quartã parte*, *& tom.1.q.268. in initio*, teneat de jure naturæ stricto filiis

liis esse debita tantum ea alimenta, sine quibus vitam amitterent; quæque sunt simpliciter necessaria vitæ, seu quatenus vitæ subsidio sint satis, ne fame, aut frigore pereant; sed idem etiam asserant ex Doctoribus suprà *num.6.*relatis, Covarruvias *d.§.6.* Vasquez *ubi suprà*, Azorius *d.cap.4.quæst.7.* versic. *At verò, fine*; Filliuc.*d.cap.2.num.30.* Reginaldus *d. lib.20. num.38. fine*; Layman *lib.5. tract.10. parte 3. cap.5. num.8.* & plures jurisperiti à Covarruvia *d. §.6. numero 7. fine*, & à Sanchez *in consiliis mor. lib.4. cap.3. dub.34.num.1.* allegati; & plures etiam alii asserentes filiis spuriis esse debita solùm alimenta necessaria ad simplicem victum, cùm tamen eosdem quoque filios spurios teneatur pater ex jure naturali stricto alere, juxta mox dicenda. Et quod jure naturæ tam filiis legitimis, quàm illegitimis, naturalibus, & spuriis debentur tantùm alimenta secundùm naturam, & necessitatē, ne fame, vel frigore pereant, ut post alios expresse tradunt Gama *decis.225.* P. Barbosa *ad l.1. p.4. num.60. fine, ff. soluto matrimonio*, videntur sentire communiter jurisperiti, præsertim qui *infrà n.70. & 255.* referuntur. Verùm filios parentibus, & parentes filiis ex jure, & pietate naturali obligari præstare alimenta, non solùm ea, quibus liberentur ab extrema necessitate, sed etiam ea, quibus extrahantur à gravi necessitate, oportet sentiant, & verè sentiunt, tum Doctores affirmantes etiam quando parentes solùm gravi necessitate premuntur, non esse filio licitum ingredi Religionem, sed teneri differre ingressum; vel si jam ingressus est, differre professionem, & egredi, ut parentibus subveniat, si alio modo illis succurri nequeat. (Ii sunt Navarrus *in sum. cap.14. num.14.& in com.de reg.quæst.15.num.48.& 49.* Toletus *lib.5.cap.1.num.6.* Caiet. *2.2. quæst.189. art.6.* Valentia *2.2. disp.7. q.1. p.2.* Azorius *p.1. lib.12. cap.1. q 8.& part.2.lib.2.cap.3.q.4. & 5.* Sayrus *lib.7. Clavis, cap.6.n.3.* versic.*cæterùm*, Suarez *tom.3.de Relig.lib.5. cap.5.num.11.* Sanchez *in sum.lib.4. cap.20.* Lessius *de voto,lib.2.cap.41.num.34.* Rodriguez *tom.3.quæst. Reg. q.13.art.5. & in sum.tom.2. cap.6. num.4.* Megala *2.p. instruct.lib.2.cap.1.q.3. num.10.* Fagundez *in Decalog. lib.4.cap.2.num.15.* Bonacina *de præcept.Decalog. d.6. q.unica,p.5.num.4.* Villalobos *p.2.tract.35.diff.7.* Layman. *lib.4.tract.5.cap.4.* Filiuc. *p.2.tract.28.c.1.* Reginaldus *lib.2.num.11.& duob.sequent.* Alii recentiores, & communiter Doctores à præfatis allegati, qui etiam infrà *num.1275.* citantur.) Tum etiam Doctores, qui sustinent, quod si filii etiam emancipati laborent gravi necessitate alimentorum, aut alia corporali, cui parens manens in sæculo consulere possit, non autem in Religione, nec alio modo eidem filiorum necessitati providere queat; parens ad illis subveniendum sub mortali tenetur differre ingressum in Religionem, & jam ingressus adhuc novitius debet egredi: hi sunt S. Thomas *2.2.q.189. art.6. corpore*, Azorius *d.cap.1.q.8.* Suarez *d.lib.5.cap.6.num.1.& 2.* Lessius *d. cap.9 1.num.44.* Sanchez *d.1.q.20. n.34.& 35.* Laym. *d.cap.4. num.2.* & plures alii ab iisdem citati, & alii infra *d.11. n.1275.& num.1315.* allegati.

§. III.

Etiam filiis illegitimis, naturalibus, & spuriis indigentibus, ex jure naturali stricto, exque vi præcepti quarti Decalogi tenentur parentes præstare alimenta.

16 CÆterùm non solum filiis legitimis, & naturalibus, sed etiam illegitimis quibuscumque naturalibus, & spuriis, ex incestu, adulterio, & quovis alio coitu per leges damnato, ac punibili natis indigentibus, ex jure naturali proprio, & stricto, exque vi quarti præcepti Decalogi tenentur parentes alimenta præstare sustētationi vitæ necessaria, quidquid quoad hos filios illegitimos, vel naturales tantum, vel spurios secus senserint Joan. Garzias *loco suprà, n.6. allegato*, & Corduba *in d.l.si quis à liberis, §.utrum, num.81.* Ita Graffius, Navarrus, Homobonus, Sayrus *locis suprà num.1.allegatis*, Sylvester, Joannes Andreas, Azorius, Vasquez, Layman *locis superius, n.6. citatis*, Filliucius, Reginaldus *locis num. præcedenti citatis*, & ex aliis Theologis *d. num.6.relatis*, Molina *de justitia, tom.1. d.disput.168. initio*, Henriquez *d.lib.11. cap.19. n.2.* alios in com. lit.K allegans, Villalobos *d.diff.7.num.1.* Trullench *d. dub.3. num.8.* Megala *d.p.2.lib.2. cap.8. q.2.& cap.24.quæst.1.* Fagundez *d lib.4.in Decalogum, cap 1.num.1.& 6.* & præter hos Sanchez *in consiliis moralibus, d. lib.4. cap.3.dub.27.* asserens esse certissimam conclusionem. Ex jurisperitis idem asserunt ex præallegatis *num.1. & 6.* Covarruvias *d. §.6. n.8.* Spino *d. glossa 16.num.99.* Joannes Lupi *d.com.2. §.1. num.5. & 6.* Gaillus *pract.16.lib.2.observ.88.num.5.& 6.* Rota *d.decis.747. num.7. p.4. diversorum*, Tiraquellus *in l.si unquam, v. donatione largitus, num.288.fine, Cod. de revoc.donat.* Marta *de jurisdict. p.4.casu 162.num.2.* Gratianus *cap.567. num.26.* Surdus *de alimentis,tit.1. quæst.10.num.6.* Joannes Nicolaus Lucidorus *tractatu de illegitimis clericorum & Regularium, cap.15.num.1. 6. 7. & 8.* Hoc idem sentiunt plures alii, & præsertim Baldus *cons.456.num.10.* ubi dicit jus civile, *dum in authent. ex complexu, Cod. de incest. nupt.* decrevit spurios filios à patre non esse alendos, in tantùm amasse castitatem, ut destruxerit paternam pietatem: & *consilio 457. num.9.* ubi inquit, quod sicut patri non licet occidere filium spurium, ita nec alimenta ei denegare, quia ea denegans necare videtur, *l.necare, ff. de agnoscendis liberis.*

Probatur ex traditis supra *n.7.& 8.* Nam obligatio 17 educandi, & alendi filios non provenit præcise ex vinculo matrimonii, neque ex patria potestate, sed ex pietate naturali parētum erga filios, & filiorum erga parentes, super qua fundatum est quartum præceptū de honorando parentes, quo præterea indistinctè quicumque parentes, & filii comprehenduntur; cùm non minùs teneantur honorare parentes filii illegitimi, quàm legitimi; & parentes sint principium, & causa non minùs filiorum illegitimorum, quàm legitimorū, in quibus conservantur; & natura ipsa impellat, seu instinctu, & affectu naturali innato impellantur parentes tam ad alendos filios illegitimos, & extra matrimonium natos, quàm legitimos, & naturales; unde obligatio quarti præcepti parentum erga filios, & filiorum erga parentes, & sibi mutuò tradendi alimenta necessaria, est secundum ordinem naturæ, & ex naturali ratione procedens; & consequenter comprehendit indistinctè quoscumque parentes, & quoscumque filios: apud Deum enim, & juxta naturam, seu juxta primarium jus naturæ nulla est distinctio filiorum legitimorum, & illegitimorum; sed ab humanis legibus distinctio hæc originem duxit. Natura siquidem omnibus filiis communis est, *l.hos accusare, §.omnibus, ff. de accusationibus.* Nec natura facit differentiam inter legitimos, & naturales, sed omnes æquales produxit, sicut omnes ingenuos produxit; sed concupiscentia, & bellum rem ad alium ordinem convertit, *§. si quis sanè, sine auth. quibus modis naturales efficiantur legitimi*, Auth. *quibus modis naturales efficiantur sui, initio:* & facit *l.adoptivus, §.unde ergo, ff.de ritu nuptiarum*, ubi dicitur, *patrem naturalem non posse ducere in uxorem filiam vulgò quæsitam, quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus, & pudor inspiciendus est; contra pudorem autem est, filiam ut uxorem suam ducere.* Per quem textum P. Ancharanus *consi.225.* dicit, quod naturalis proles habetur pro legitima quoad naturale fœdus. Et Baldus *in cap. quæ in Ecclesiarum, de*

conf. dixit,quod filiis illegitimis est communis amor, & natura,per *d.textum in §.omnibus*&, *in l.1.Cod.unde vi*, ait quod quis sicut potest se defendere, ita & filium, sive legitimum, sive illegitimum, quia natura communis est, *d.§.in omnibus* : nec potest,inquit,constitutio naturam immutare,& coarctare naturales stimulos, *l.amicissimos*, §. *Lucius*, *ff. de excusat. tutor.* & è converso filium posse defendere patrem naturalem, ut se ipsum, docet idem Baldus *in l. cùm acutissimi*, *C. de fideicom.* idque per *d.§.omnibus*, additque eadem ratione eum, qui occidit patrem,aut filium naturalem, puniri ut parricidam ; quod tradunt alii relati à Tiraquello *loco numero præcedenti citato*, ubi etiam addit, ad hoc idem facere benè textum *in l.uxorem*, §. *Codicillis*, *in fine*, *ff. de leg.3.* ubi pietas,quæ propriè parentum, & filiorum est (ut supra dictum est) dicitur quoque de illis naturalibus tantùm:& textum *in l.parentes*,*ff.de in jus vocando*, ubi nec filius quidem naturalis potest vocare patrem in jus sine venia, quia ut ibi dicitur, una omnibus servanda reverentia, & in hanc rem plura alia adducit Tiraquellus. Et interdum contingit,ut intensiùs parentes ament filios illegitimos,& è contra filios illegitimos parentes,quàm filii legitimi, ut Tiraquellus *loco citato*. Ex quibus patet nihil interesse inter filium merè naturalem,& legitimum in his,quæ meram naturam tangunt,cujusmodi est pietas,reverentia,& affectus naturalis,&c. Et ideo sicut jure naturali,& ex vi quarti præcepti Decalogi filii illegitimi tenentur parentibus exhibere eundem honorem,eandemque reverentiam, & eos indigentes alere, sicut & filii legitimi (ut fatentur citra omne dubium omnes Summistæ,& Theologi, & etiam Canonistæ,& Jurisperiti) ita etiam parentes eodem jure naturali, & ex obligatione ejusdem præcepti quarti Decalogi tenentur habere curam filiorum illegitimorum,& eis spiritualia,& corporalia necessaria providere,quatenus possunt. Ex quibus, & Doctoribus citatis constat, nihil quoad alimenta differre illegitimum,sive naturalem,sive spurium à legitimo ; quod etiam in terminis tradunt Paleotus *de nothis*, *cap.48. num.3.* Rota *ubi suprà*,*& in Romana alimentorum*,*5.Iunii 1613.coram Manzanedo*,*& in alia Romana alimētorum 29.Novemb.1613.coram Pamphilio*,relata à Garcia *d.num.26.*& Surdus *tit.1.d.q.10.num.6.& q 15. n.32. & q.115.num.13.* (ubi ait tam naturali,quàm legitimo,& naturali agenti, & lite pendente super filiatione,præstanda esse alimenta,) & Ludovicus Molina *de primogeniis lib.2.cap.15.num.53.* versic.*si verò*, ubi docet, filiis spuriis alimenta ex bonis patris defuncti necessaria præstanda, quatenus ad vitæ sustentationem necessaria sunt ; etiamsi quintum bonorum excedant à lege Tauri taxatum ; quia, inquit, hujusmodi alimenta ex jure naturali procedunt, nec jure civili minui possunt.

18 Licèt ergo filii illegitimi cum peccato generentur, tamen sunt verè filii non minùs quam legitimi, & ideo sicut sine peccato aluntur (ut Rota *decis.747. num.1.part.4. diversorum*,) ita non minus quàm legitimis, eisdem indigentibus, jure naturali inspecto à parentibus sunt præstanda alimenta : solùm enim jure civili filii illegitimi, præsertim spurii, & nati ex coitu damnato, & juxta leges punibili censentur, & habentur tanquam non filii in ordine ad successionem in bonis paternis.

19 Quare non obstat fundamentum Joannis Garziæ *suprà n.6.* tactum,& Cordubæ *loco superiùs,n.16.citato*, scilicet quod filiorum extra matrimonium procreatio non sit secundum, sed contra naturæ ordinem, cum fornicatio lege, seu jure naturali sit vetita ; & sola conjunctio maris & fœminæ, quæ est matrimonium, dicitur esse juris naturæ,*d.l.1.§.jus naturale*,*ff.de justit. & jure:* & fornicatio ideo sit lege naturæ prohibita, & mala,quia filiorum educationi adversetur,ut *tom.3. mor. tit.12.* latè probavi. Non, inquam, obstat ; quia licèt matrimonium sit necessarium, ut juxta naturæ legem, moraliter loquendo ; & absque peccato filii procreentur, & benè, regulariter loquendo educari queant, nihilominus procreatio extra matrimonium politicè, & absolutè, ac simpliciter loquendo est secundùm naturæ ordinem, & filii extra matrimonium æqualiter juxta naturam sunt filii ac geniti ex matrimonio,& secundum naturæ ordinem possunt educari; licèt regulariter non æquè benè, & commodè sicut procreati ex matrimonio, & paterna pietas in quarto præcepto consideratur tam in ordine ad filios illegitimos,quā legitimos. Et pro majori explicatione advertendum in procreatione filiorum duo à natura cōsiderari. Primum,procreationem ipsam ; secundum, educationem procreatæ prolis ; quia ergo filii absque matrimonio etsi procreari, nihilominus educari minimè poterant regulariter loquendo(ut *d. tit.12.* latè explicavi)natura &Deus,qui est ipsius naturæ auctor, statuit ut conjunctio, ex qua filii procreantur,per solum matrimonium sit inter homines facienda; tanquā res non simpliciter & absolutè secundum ordinē naturæ ad procreationem necessaria,cum sine matrimonio filii secundum ordinem naturæ procreari possint, ut contingit in brutis,& aliis animantibus,sed tanquā res necessaria ad bene esse, cùm sine matrimonio regulariter, & utplurimum filii secundum ordinem naturæ nequeant educari ; præceptum igitur quartum Decalogi à Deo secundum naturæ ordinem simpliciter necessarium,primariò, & per se datum est, scilicet quatenus parentes sunt principium generationis, & causa,atque authores filiorum,& inter parentes,& filios est sanguinis conjunctio,& tradunt S. Thomas 2. 2.*q.10.art.2.*& Summistæ, & Theologi *n.6.* relati,& alii communiter ; & ita secundum hunc naturæ ordinem idem præceptum quartum comprehendit illegitimos filios,& eorum parentes,à quibus secundū hunc naturæ ordinem generātur,cùm sint verè eorum progenitores. Citra ergo omne dubium etiam illegitimi filii indigentes jure naturæ,quod continetur in quarto Decalogi præcepto,sunt à parentibus educandi, & alendi ; & iidem filii illegitimi ex jure tenentur parentes honorare,& in necessitatibus subvenire eodem prorsus modo,quo tenentur filii legitimi erga hos parentes,& ita etiam post hæc à me scripta inveni contra Garz.sentire Joan.Nic.Lucidorum *in alleg.tract.de illegitimis clericorum*,*c.15.n.3.& dub.seq.* An verò etiam jure canonico filii illegitimi spurii sint à parentibus alendi,& qua ratione,explicatur *infra*,in speciali difficultate.

§. IV.

Parentes jure natura an teneantur alere filios legitimos,& illegitimos solùm dum pueri sunt, donec adoleverint, an verò post pueritiam, aut pubertatem.

SEd numquid jure naturæ parentes obligantur solum ad alendos filios,tam legitimos,quàm illegitimos,& spurios, donec adoleverint, ita ut postquam facti sunt adulti, & possint aliquo modo ex se serviendo aliis,vel etiam medicando quærere sufficientem victum pro sustentatione vitæ, cesset eorundem parentum obligatio naturalis juris illos alendi. 20

Vasquius *lib.2.de successsion. creatione*,§.*20.num.310.& 311.* facta suppositione quod alimenta filiis debentur de jure naturæ stricto,juxta tradita *suprà n.6.& 7.* & Doctores ibidem relatos, novissimè,& præter omnium opinionem (ut ipse ait) asserit id procedere solùm dum liberi ejus ætatis sunt,ut victum sibi quærere nequeant,secus si possint:probat primò ex textu *in can. jus naturale*, *d.1.* ibi, *puerorum educatio* ; pueri enim 21

enim vocantur pupilli usque ad annos 14. *l. fin. §. ubi autem puerilis ætas*, *Cod. de bonis quæ lib.* tum ex textu *in §. jus naturale, l. 1. ff. de just. & jure*, ibi, *educatio*. Nam propriè parvuli (inquit) dicuntur educari. Secùdò probat hac ratione, scilicet quia si pater sua industria, & laboribus multa quæsivit, postquam filius est ejus ætatis, ut possit sibi victum quærere, potest filio justissimè dicere, hucusque piè educavi te, quia per te non poteras victum quærere, nunc autem quæras per te, sicut & ego feci. Confirmat primò exemplo omnium animantium, quæ filios educant usquequò ejus ætatis sint, ut per se vivere possint; & deinde eorum notitiam perdunt. Confirmat secundò per textum *in l. si quis à liberis, ff. de agnosc. lib. §. sed si filius, in princ.* & in verbo *si modò* quod ait Vasquius hodie intelligendum, etiamsi filius non sit opifex, seu careat omni arte; nam potest, inquit, alieno Domino servire, de quo vivendi modo addit non fecisse mentionem illum textum, quia tempore Romanorum in usu non erat, quod homines liberi servirent. Confirmat tertiò ex *d. l. si quis à liberis §. 2. ibi*, *& cùm ex æquitate hæc res descendat*. Sed hæc æquitas (inquit Vasquius) cessat in eo, qui potest per se victum quærere, ergo, &c. ita Vasquius. Ex quibus patet secundùm ipsum, parentes juxta jus naturæ non teneri præstare ullo modo alimenta filiis adultis, eo quòd possint victum aliqua ratione quærere, & sic etiam non teneri illos alere, quanvis solùm vilissimo opere serviendi aliis, & mendicandi, quantum ad victum sibi sufficit, parare queant.

21 Idem quod Vasquius videntur sentire Azorius *p. 2. lib. 2. cap. 4. q. 1.* Trullench *in Decalog. lib. 4. c. 1. dub. 3. n. 6.* & Fillucius *tom. 2. tract. 23. p. 2. cap. 3. num. 26.* ubi absolutè aiunt, quod si filii adulti sint, & vel per se sustentare se ipsos possint, vel aliunde per alios quoslibet; tunc parentes non obligantur stricto jure naturæ eis alimenta præbere, sed ex æquitate naturali, à jure communi sumpta, tum Civili, tum Canonico. Addunt tamen quod si iidem filii adulti inepti sint prorsus, & inhabiles ad se sustandum, nempe quia sint vel mente, vel membris capti, vel aliqua alia incommoda corporis valetudine impediti, parentes omnino ex jure stricto naturæ eos alere debent, cùm perinde se habeant, ac si adhuc essent infantes; nec huic juri ulla lex humana derogare possit.

22 Vasquio etiam favere videtur Bartolus *in d. l. si quis à liberis, §. sed si filius*, ubi expressè, & absolutè dicit non obligari patrem alere filium, qui potest se alere ex suis operis, *per l. unicam, Cod. de mendicantibus validis, lib. 11.* ubi *num. 7.* iterum idem Bartolus ait, filio sano, & robusto valenti operari non teneri patrem ministrare alimenta.

23 Verùm si sententia Vasquii, & Azorii intelligatur, ut parentes, qui alioquin commodè possent, non teneantur jure naturæ stricto præstare amplius alimenta filiis adultis, vel puberibus, etiamsi solùm mendicando, aut operis quibuscumque etiam vilissimis, quas absque magna incommoditate, & difficultate, & non nisi cum notabili erubescentia, & dedecore, attenta conditione parentum, & filiorum, mihi videtur irrationabilis, & improbabilis; videtur enim omninò rectæ rationi dissonum, & contra pietatem paternam, quod parentes vivant lauti, & pingues; & filii, quos ipsi genuerunt, suntque pars sui, & sibi conjunctissimi, miserrimam ducant vitam, & quærant victum necessarium vitæ sustentandæ, aut mendicitate, si ad quærendum victum operibus inepti sint; vel operis inhonestis, & indignis, ac indecentibus suæ, & parentum conditioni. Quemadmodum etiam nemo non negabit, juri naturali & rectæ rationi ac pietati parentibus debitæ adversari, si filius dives, & qui in otio lautus, & pinguis viveret, denegaret alimenta parentibus, qui alioqui, vel solùm mendicando, vel operibus, quæ sine notabili dedecore non possunt exercere, necessarium victum, & tenuissimum sibi possunt comparare. Quare cæteri Doctores, Summistæ, Theologi & Iurisperiti, ut constabit ex mox tradendis, tunc solùm aiunt cessare parentum obligationem alimenta filiis quibuscumque præstandi, quando operibus suis commodè, & honestè victum quærere possunt.

Non obstat primum argumentum Vasquii, quia *in d. can. jus naturale*, ly *puerorum*, ponitur pro *liberorum*, & in utroque textu educatio rectè sumitur pro cura præstandi filiis corporalia, & spiritualia necessaria, quæ non solùm se extendit ad illorum ætatem 14. anni, sed etiam ultra, cùm tam post eam ætatem, quàm ante illam possint egere necessariis ad corporis sustentationem, & indigere instructione quoad mores, & disciplinas; & parentes teneantur etiam filios juvenes bonis moribus, & artibus imbuere, ut *in 1. p. hujus tractatus, c. 10.* explicatum est. Et si in dicto canone nomē puerorum propriè intelligeretur, solùm infantes usque ad septennium completum essent à parentibus alendi ex obligatione juris naturalis; nam pueritia durat solùm primo septennio, pòst sequitur adolescentia secundo septennio, deinde juventus. Et quod educatio dicatur non solùm puerorum, sed & adultorum, & etiam parentum, ita quod importet idem quod cura præstandi alimenta, colligitur manifestè ex Rota *decis. 62. n. 27. p. 5 diversorum*, apud Rubeum. Secundum argumentum nihil probat; injustissimè enim pater sic diceret filio puberi alimentis indigenti, qui vel ineptus omninò esset ad illa sibi comparanda, vel non posset sibi providere nisi mendicando, aut operibus sordidis, & valdè indecentibus sui, & patris ipsius conditioni. 24

Ad confirmationem deductam ex exemplo cæterorum animantium, si aliquid probaret, concluderet etiā parentes non fuisse jure naturali obligatos alimenta præstare filiis postquam adoleverint, & simul facti fuerint apti ad victum quærendum suis operis, etiamsi pòst evaderent inepti omnino ad victum necessarium comparandum. Similiter concluderet, quod quia cætera animantia non curant de educatione parentum, illisque indigentibus subministrare alimenta; neque etiam inter homines filii jure naturali tenerentur parentibus indigentibus alimenta necessaria præstare; quod est absurdissimum, & confutat Rota *d. decis. 62.* cùm eodem jure naturali, quo parentes tenentur alere filios, & filii tenentur alere parentes, ut constat ex traditis *suprà n. 7.* & tradit contra Bartolum, & Baldum Rota *d. decis. 62. n. 24.* ubi *n. 25. & seq.* ad argumentum Bartoli, & Baldi, & nonnullis aliis probantibus legitimam etiā quoad solam quantitatem alimentorum non esse debitam ascendentibus de jure naturali, quia illud est omnibus animalibus commune, *d. l. 1. §. jus naturale ff. d. just. & jure*. Educatio autem parentum non convenit aliis animalibus, bene autem educatio filiorum; respondet, quod licèt educatio parentum non sit de jure naturali prout convenit generi animalium, est tamen de jure naturali prout convenit speciei hominum quod jus naturale gentium appellatur; alioqui (ait Rota) quod homo sit rationalis, & quod sit capax prudentiæ, & temperantiæ, & operationis secundùm rationem, quia hæc aliis animantibus non conveniunt, non esset in homine de jure naturali, nec in volatilibus volare, quia non convenit hominibus, quod esset penitus erroneum juxta doctrinam S. Thomæ *1. 2. q. 51. ar. 1. q. 63. ar. 1. & q. 94. per totam*, præsertim *art. 2.* & plura alia in hanc rem adducit Rota *d. decis. 62.* 25

Ad secundam confirmationem *ex d. § sed si filius*, solùm potest inferri, non esse alendum filium, si ex arte, vel operis suis non indecentibus posset commodè, & sufficienter se alere, ut omnes Doctores, qui numero sequenti allegantur. Ad tertiam confirmationem negatur cessare æquitatem, ubi filius non potest se sustētare, nisi mendicando, vel operis sordidis, & indecētibus 26

bus

bus suæ, & parentum conditioni; ac proinde nisi cum ingenti incommodo, vel notabili dedecore, ut constat ex traditis *n.23.*

§. V.

Si filii legitimi, vel illegitimi habeant unde se sufficienter alere possint, vel ex redditibus suorum bonorum, vel ex aliqua arte, quam sine dedecore juxta conditionem natalium possunt exercere, pater non tenetur eos alere.

27 IGitur tunc solum utroque jure naturali, & positivo, Civili, & Canonico cessat parentum obligatio filiis tam legitimis, & naturalibus, quàm illegitimis naturalibus, & spuriis, quando aliunde, vel ex propriis bonis, vel ex beneficio Ecclesiastico, vel ex aliquo officio, aut artificio personæ condigno, seu suæ conditioni cōgruo, seu ex suorum bonorum redditibus, & artificio simul sine notabili incommoditate, & absque dedecore alimenta habere, & victum sibi quærere filii possint: ita communiter Doctores, ex Summistis, & Theologis *suprà num.*1. relatis Sylvester verbo *Alimenta, quæsito* 1. *initio, & v. filii, q.*21. *versic.*4. Navarrus *in man.c.*14 *num.*17. versic. *diximus*, Graffius *p.*1. *lib.*2. *decis.cap.*58. *num.*2. Molina *tom.*1. *disp.*160. §. *alimenta, & disp.* 228. §. *quintus effectus, initio.* Vasquez *opusc. de testam.cap.*5. §.7. *dub* 9. *&* 16. Rebellus *p.*2. *lib.*5. *q.*18. *num.*7. Reginaldus *lib.*20. *num.*30. Bonacina *de præceptis, disput.*6 *q unica, p.*6. §.1. *num.*3. Sanchez *in consil. moral. lib.*4. *c.*3. *dubio* 31. *num.*2. *& de matr. lib.*4 *disp.*26. *num.*20. Megala *p.*2. *lib.*2. *cap.*23. *q.*1. *num.*38. & Henriquez *lib.*11. *cap.*19. *num.*2. ex Iurisperitis Bartolus *in d.l. si quis à liberis*, §. *sed si filius, ff. de agnoscendis liberis, & in d. l. unica, num.*2. *Cod. de mendicantibus validis, & in tract. de alimentis, num.*12. Tiraquellus *de nobilitate, capite* 20. *numero* 104. 105. *&* 106. *& de primogen. q.*15. *numero* 2. Ant. Thesaurus *decis.*211. *num.*14. Petrus Benintendus *decis.*22. *num.*10. Mangilius *de imputation. quæst.*9. *num.*11. P. Barbosa *in l.*1. *p.*4. *num.*62. 63. *&* 77. *ff. soluto matr.* Paleotus *de nothis, cap.*48. *num.*6. Carpanus *ad statut. Mediol. cap.*317. *num.*48. *& seq.* Andreas Gayllus *pract. observ. lib.*6. *observ.*88. *num.*9. Ant. Gabriel *comm. conclus. lib.*2. *tit. de aliment. conclus.*1. *n.*27. 29. *&* 30. & præter innumeros alios à Tiraquello, & Gabriele *locis citatis*, & à Surdo *locis mox citandis* relatos, ex aliis Iurisperitis *suprà n.*1. relatis Covarruvias *de spon. p.*2. *cap.*8. §.6. *num.*9. Ludovic. Molina *de primog. lib.*2. *cap.*1. *num.*23. *& cap.*15. *n.*46. *&* 47. Peregrinus *de jure fisci, lib.*3. *tit.*18. *num.*69. *&* 70. Spino *in spec. test. glos.*16. *in princ. num.* 116. Giurba *decis.*5. *num.*8. Ioan. Baptista Lupi *de illegit. com.*2. §.1. *num.*33. Merlinus *de legitima, lib.*5. *tit.*1. *q.*3. *num.*6. Ioan. Baptist. de Barbobus *de filiofamilias cap.*30. *num.*94. *&* 95. Surdus *de alimentis, tit.*1. *q.*78. *num.*31. universaliter loquens, *& tit.*7. *quæst.*6. *num.* 1. 2. *&* 3. ubi loquitur in filiis legitimis, & naturalibus, & *quæst.*9. *num.*1. *cum pluribus seq.* Riccius *in collectaneis decis. p.*4. *collect.*1099. *&* 1212. & Aug. Barbosa *collect. ad d. cap. cùm haberet, num.*11. *de eo qui duxit eam*, & plures alii à Giurba allegati. Ex quibus Doctoribus aliqui loquuntur in omnibus filiis, tā legitimis, & naturalibus, aliqui loquuntur in illegitimis quibuscumque fundantur tamen in rationibus de omnibus filiis masculis, & fœminis, legitimis, & illegitimis concludentibus. Igitur probatur, quia si inspicimus jus naturale, & divinum, hoc non obligat extra necessitatem; cùm enim sit præceptū affirmativum, nō obligat semper, & ad semper, sed tantum tempore, quo filius indigeat. Quare hæc obligatio naturalis parentum alendi filios, & è cōtra, licet possit aliquo modo dici justitiæ, ut notat *loco citato* Vasquez, non est absoluta, sed conditionalis, & subsidiaria (ut *loco citato* Vasquez) scilicet, si filius egeat, vel non habeat aliundè: si verò inspiciamus jus positivum civile, etiam juxta hoc alimenta à patre non debentur filiis, qui ex propriis bonis, vel artificio, cujus operis sufficere vires possunt, se alere queunt, *d.l. si quis à liberis*, § *sed si filius, ff. de liber. agnosc.* Per quem textum universaliter ubicumque jus mandat aliquem alendum esse, intelligi, si ex ea arte, vel industria non possit vivere, tradunt Glossa *ibid. initio, & in l. si quis argentum*, §.1. *C. de donat.* Alexand. *in l. maritum, vers.*15. *fallit, ff. solut. matr.* ibidem Nicolaus de Neapoli, & Surdus *d.q.*28. *citato n.*32. Jus autem Canonicum circa hoc nihil statuit diversum à jure civili. Confirmatur, quia alimenta filiis debentur ex naturali pietate jure sanguinis, ut *suprà n.*7. probatum est, & ex judicis officio, ut *infrà*, ne postquam in esse producti sunt, fame, & frigore pereant; vel miserrimam, & infelicem incommoditate plenam cogātur traducere vitam; unde communiter dicuntur dari miserationis gratia. Cessante ergo hujusmodi necessitate, ut contingit quando filii ex propriis bonis, vel ex beneficio Ecclesiastico, vel officio aliquo, seu artificio honesto possunt commodè vivere, cessat judicis officium, & obligatio paterna illos alendi, quam lex naturalis, & civilis induxit solùm, ne filii privati alimentis fame pereant; vel cum turpitudine patris, & ipsorum mendicare, vel sordidis, & personæ non congruis operis vacare cogantur. Idem verò dicendum, si a principio filius, vel quivis alius ab alio alimentandus esset pauper, nec haberet unde aleretur, & postea supervenirent divitiæ, vel ars alimoniam præstans; tunc enim cessabit obligatio præstandi alimenta, ut Gabriel alios allegans *d. conclus.*1. *n.*29. & Thesaurus *d. decis.*211. *n.*15. Addens tamen, id verum esse considerato tempore divitiarum; secus verò si pro alimētis præteritis tempore paupertatis aliqua debita filius contraxisset, nec haberet modum solvendi; nam tunc ad ea debita exsoluenda teneretur pater, de quo infrà, agendo an alimenta præterita repeti possint. Ex quibus rejiciendus Joannes Nicolaus Lucidotus *de illegitimis clericorum, c.*22. *n.*8. *& seqq.* contra præfatam communissimam sentētiam opinans non sufficere artificium ad exclusionem filiorum ab alimentis à patre, vel ejus hæredibus præstandis; sed ad exclusionem requiri certos redditus non dependentes ex industria humana, quæ fragilis est, & facillime potest cessare, vel impediri; cui tamen fundamento, & aliis ab eodē ad suam opinionem confirmandam adductis manet satisfactum ex modò dictis, & mox dicendis ad intelligentiam Rotæ, & ejusdem cōmunissimæ sententiæ. Itaque prædictis puto non obstare Rotam Romanam *in Bononiensi alimentorū* 1604. *coram Iusto, & decis.*224. *n.*5. *p.*2. *in recent.* Farin. *decis.*92. *n.*13. *p.*3. *diversorum* apud Rubeum, *& decis.*194. *n.*68. *part.*7. *diversorum*, apud eundem Rubeum: quibus in decisionibus unà cum aliis à se citatis tenet, in hac materia alimentorū à patre filio, tam legitimo, quàm illegitimo debitorū, non attendi operas, laborem, nec industriam personæ, propter fragilitatem humanæ potentiæ, quæ variatur ex tempore, sed solùm attendi, si quis habeat tot in bonis, ex quorū redditibus vivere possit. Existimo enim Rotam solùm loqui quando quis caret arte certa honesta, cujus exercitio continuato potest honestè, & commodè vivere, & solùm operis, scilicet serviendo alteri, militando, consulendo, procuram exercendo potest victum quærere; non verò quādo esset opifex, & certam artem calleret, & exerceret, ex cujus exercitio regulariter omnes ejusdem conditionis victum lucrentur. Alioqui Rota expressè contradiceret textui *in d.l. si quis à liberis, citato* § *sed si filius*, & communissimæ Theologorum, ac Jurisperitorum; quod non est credibile, Rotam voluisse; hoc enim casu cessat illa ratio humanæ fragilitatis, quæ potiùs respicit simpli-

cem

cem operam,& industriam vagantem, quàm certi officii,vel artificii exercitium,& colligitur ea ipsa Rota, quæ in allegatis decisionibus loquitur de operis militis in bello,Doctoris in consulendo,& procuratæ exercitio, & alio simili exercitio; quod ex voluntate alterius dependet,& potest facilè impediri:secus autem est quando quis est artifex ; nam ex eo solùm, quod quis est artifex, eum præsumi habere unde vivat,post Manticam *cons.77. num.12. lib.1.* tradit Thesaurus *d. decis.11. num.17.* adducens illud Catonis:

Cum tibi sint nati, nec opes, tunc artibus illos
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.

Addit idem Thesaurus ex Baldo *in l. si defunctus,C. arbitrium tutelæ*, quod quilibet præsumitur ex suo artificio non solùm ali posse, sed etiam ditari,& licèt dicatur inops,qui ex operis, vel artificio debet victum quærere,per *leg. quod super his,de voto*,Panormitanum *ibid.* Jason. Cravetam *locis infrà num.36. sine allegatis*, & P. Barbosam *allegato num.36.* tamen quatenus pertinet ad paternam obligationem alendi filium,is filius, qui ex honesta arte potest sibi victum quærere, non consideratur tanquam inops, ut pater cogatur illum alere, ut Craveta *d. cons.199. n.10. in fine*, & P. Barbosa *d. num.63.* Quanquam absolutè, & simpliciter non dici pauperem ignobilem, & rusticum, qui ex labore suo,& arte sua vivere possit,dixerim *in tom.2. moralium var. tit.18. num.161.* & tradunt Surdus *de alim. tit 8. privil.1.*& alii Doctores; quos *eodem tit.12. num.158.* refero.

29 Dixi autem *initio num.27. ex propriis bonis, seu ex suorum bonorum redditibus*. Quia ut filius, vel filia dicatur habere unde se alere possit ex bonis, non attenditur proprietas, sed considerari debet, an filius vivere possit ex redditibus bonorum quæ habet? Quare si filius habeat bona, quorum redditus non sufficiant ad ipsius alimenta, alendus erit à patre, nec ei opponere poterit pater, quod vendat bona,& alat se ex pretio bonorum suorum,quia dicitur non habere,cùm non aliter potest habere, quàm ex venditione bonorum.Ita Bald.*in l. fin.§.ipsum autem,in principio,Cod.de bonis quæ liber.* Aretinus *in l. Alimenta,C.de negot.gest.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis,§.sed si filius,n.22. & 33. ff. de liber. agnosc.* & alios allegans Surdus *de alimentis, tit.4.quæst.9.n.10.& tit.7.q.6.n.28.83.& 84.* ubi post Aretinum ait, id optimum esse textum *in l. qui bonis, ff. de cess. bonor.* ubi ut ei, qui bonis cessit, relinquatur quod sufficiat pro alimentis, est inspiciendum quantum redigi possit ex fructibus, non quantum ex proprietate. Hoc autem limitatur quando vendi posset proprietas,non ut ex pretio filius sibi alimenta provideret, sed ut pretium converteretur in emptionem prædiorum,seu rei magis frugiferæ,& ex illorum, vel illius fructibus filius alimentorum expensas reciperet; tunc enim filius cogeretur vendere illam proprietatem, putà domum minùs frugiferam; quia sic posset commodè se alere absque molestia patris, & incommodo sui ipsius.Ita Corduba *d. §. sed si filius, num.25. & 26.* Megala *p.2. lib.2. cap.259. n.77.*& probatur ex eo,quod etiam pater in simili casu tenetur proprietatem minus fructuosam vendere, & pretium in magis fructiferam convertere, ut possit alere filium, ut Surdus *d. quæst.9. num.19.* de quo *infrà*, ubi ex quibus bonis alendus sit filius, *n.814.*

30 Dixi præterea *initio ejusdem n.77. ex suorum bonorum redditibus & artificio simul*, nam ut filius dicatur abundè habere unde vivere possit; non est necesse quod redditus bonorum, quæ possidet, sufficiant ad alimenta; vel tantùm ex officio, vel arte lucrum faciat, quod sufficiat pro alimentis,sed sat est,quod ex bonis, & ex arte simul junctis habeat unde vivat, ut post Socinum *cons.81. n.48. vol.3.* Surd. *d. tit.7. q.9. n.7.* Quod si ex artificio, vel ex suorum bonorum fructibus,vel ex utrisque simul junctis nõ possit filius vel filia tantùm percipere,quod sufficiat ad alimenta, tunc quod deest ad integra alimenta; supplendum esset per patrem, ut colligitur *d. §. sed filius*, à contrario sensu, & tradunt Corduba *ibid. num.132.* & Surdus *d. q.6. num.16.*

31 Verùm quando ex bonorum fructibus, vel ex arte, vel ex bonis,& arte filius dicatur posse seipsum sufficienter alere, relinquitur viri prudentis, seu Iudicis arbitrio, ut tradunt Baldus *in l. 1. §. sed scimus, Cod. de Latina libertate tollenda*; Lupus *in c.per vestras,in 2. notab. §.13. num.9.* Aymon Cravet. *cons. 200. n.10. versic. circa legatum alimentorum*,& Surdus *d.tit. 7.q.6. num.51. & quæst.9. num.9. & 10.* & probat Textus *in d. l. si quis à liberis, §. si filius, ff. de liber. agnoscend.*

32 Dixi insuper initio *ejusdem num.27 si sine notabili incommoditate*. Nam si filius vel filia non posset operas, vel artificium exercere sine periculo infirmitatis, non eximeretur pater ab obligatione illi dandi alimenta; neque enim si filius esset persona debilis, cogeretur agriculturam exercere,ita Bartol.*in d.l.unica, Cod.de mendicantibus validis*,Craveta *cons.199.versic. Rursus*,& Thesaurus *d.decis.211.n.14.*& idem sentiunt Corduba *in d.l.si quis à liberis,§.sed si filius,in d.n.132. ff. de liber. agnosc.* Caccialupus *in l. si qua illustris, n.93.C. ad Orfic.*Craveta *d. cons.199.n.2.*& P.Barbosa *d.n.65. fine*,& Surdus *d. q.6. num.17.* dicentes alimenta à patre præstanda filio opifici aliquo morbo laboranti,vel alia causa impedito, propter quam, seu quem sibi minimè liceret operari, & victum quærere; addúntque Corduba, & Surdus arbitrio Iudicis committi, qualis morbus dicatur sufficiens,arg. *l. fin. ff. de liber. agnosc.* Imò P. Barbosa *d. num.62. post medium*, doctrinam generalem *n.17.* traditam,quod pater non tenetur alere filios, qui callent aliquam artem, ex qua possint sibi victum quærere,ait, non bene applicari filiabus: tum quia textus *in d.l. si quis à liberis, §. sed si filius*, loquitur in filiis legitimis masculis: tum quia in filia vix verificari potest, quod calleat artem, ex qua honestè victũ possit quærere,ac proinde sentit absolutè patrem teneri dotare,& alere filiam naturalẽ non habentem unde ex propriis bonis posset se alere, & dotare.Quamvis contrarium, & non teneri patrem dotare,& alere filiam naturalem, quæ callet artem, ex qua potest se alere, & dotare, in terminis doceant Baldus *in l. neque inter, Cod. de jure dotium*,idem Bald. & Bartolus *in l. si maritus,ff. soluto matr.* Iason *in Auth. res quæ n.35. limit.7. C. communia, de legat.* Butrius,& alii *in c. cùm haberet, de eo qui duxit*, alii à Surdo *tit.7. q.9.n.6.*relati.Idem Surdus *ibid.*& Ludovicus Molina *de primog. loco suprà n.57. citato*,& idem prorsus sentire videntur alii Doctores *d.n.57.*relati.Fundamentum est,quia etiam in filia,quæ ex artificio potest se honestè alere,procedunt rationes *d.n.27.*adductæ; tunc enim cessat ratio illa deducta ex pietate naturali, officium Iudicis, & æquitas naturalis,ac canonica,ut latè Surdus *loco cit.* An verò ex artificio filia possit & honestè se alere,arbitrabitur Iudex juxta tradita *n. præcedenti.*

33 Item dixi *in initio ejusdem n.27. & absque dedecore*. Nam si filio, vel filiæ secundum conditionem natalium esset verecundum; & indecorum opera servilia, vel talem artem,vel operas exercere, & sic operari non posset sine dedecore, tunc ei pater teneretur præstare alimenta. Ita Bartolus *in d. l. unica, C.de mendic. validis, & d. tract. d. alim. num.15.* (ubi ait,quod miles,vel homo nobilis, eo ipso quod eget, alendus est etiamsi sciat operari.) Tiraquellus *d. n.104. & 105.* Crotus *in l.si constãte,in 1. lectura,n.15.ff.solut.matr.* Corduba *ubi suprà,n.131.*(ubi ait nobilem non teneri dare operam servilibus, & vilibus exercitiis)Thesaurus *d. decis.211. num.14.* Surdus *d. tit.7.q.6.à n.12.& q.9. n.15.*cæteri Doctores, Summistæ,Theologi, & Iurisperiti superiùs *d. num.57.* relati, & alii quos Gabriel

Gabriel.

d. concl. 1. *num.* 32. Tiraqoellus & Surdus *locis citatis* referunt; qui ferè omnes loquuntur etiam in filio, vel filia spuriis, quibus talem artem, vel operas exercere juxta conditionem natalium, & personæ dedecus esset, & in filiis illegitimis, & spuriis solùm loquitur cum aliis Surdus *d. quæstione* 9. eos enim à patre alendos esse, noo obstantibus artibus, vel operis, quas exercere noo possunt absque dedecora, & salvo bonore, tradunt communiter Doctores tum allegati *hic & n.*27. tum alii relati à Surdo *d q.*9. & scribentes *in d. c. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim.* & prædictorum, & eorum quæ num. præcedenti tradita sunt, ratio est, quia non possumus quod honestè, aut commodè nou possumus *l. si filius ff. de condit. inst. & l. nepos Proculo, de verb. significat.* Bartolus, P. Barb. Craveta alios allegans *locis citatis*, Surdus *d. q.*9. *n.*30. Ego ipse *in tract. de contract. matrim c.*11. *n.* 467. ubi cum Iurisperitis communiter notavi, id fieri non posse, quod nisi cum dedecore geri nequit: & adduco legem in eadem *ff. ex quibus causis major.* Advertit autem, & rectè Surdus *d. q.*9. *n.*30. & 31. quod sicut est diversa filiorum legitimorum, & illegitimorum conditio, ita multa uni conveniunt, quæ alteri turpe esset facere; unde communiter dicitur, filiæ naturali, vel spuriæ dotem minorem dari quàm legitimæ, & naturali, ut idem Surdus *ibidem, & tit.* 1. *q.*10. *n.*17. post Panormitanum *cons.*115. *vol.*1. & Paleotum *de nothis, c.*50. *n.*1. siquidem conditio natalium attendenda est, *cap. consideranda, distinct.* 86.

34 Ex quibus fit, patrem obligationi alendi filium, & quemlibet alium, qui aliquem alere teneatur, satisfacere, ab eaque liberari, si curet illum recipi in hospitali ubi alimenta illi præbeatur, ut sentiunt Doctores, qui mox citantur; id tamen limitant, dummodo ibi morari, & alimenta recipere sine dedecore possit, attentis dignitate personæ, & conditione hospitalis, secus si alimentarius ibi ali non possit, nisi cum dedecore. Ita Baldus *in l.* 1. *§. sed scimus, Cod. de Latina liber. tollen* & & alios allegantes Tiraquellus *d. capite* 20. *num.*107. Peregrinus *de jure fisci, lib.*3. *d. tit.*18. *n.*73. Covarruvias *d.* §. 6. *n.*9. *fin.* Corduba *in l. si quis a liberis ff. sol. n.*17. & 18. & Surdus *d. q.* 6. *num.*15. Quare idem Covarruvias *ibid.* ait, sibi videri certissimum, patrem juri alendi liberos minime satisfacere, si curet, & agat ut filius recipiatur, & alatur in dicto hospitali, in quo pauperes publicè aluntur, quia indecens sit, cum filium in domo publica hospitali constituere. Quod idem sentire videntur Rebuffus *de privilegiis scholarium, privilegio* 54. *fin.* Menochius *de arbitr. casu* 396. *num.*14. dum absolutè aiont, patrem non liberari à portione alimentorom, si vult filium ali in hospitali. Idem etiam ait Ioannes Lup. *de illegitimis comm.* 2. §. 1. *n.* 34. quod tamen intelligunt quando filius non est plebeius, aut vilis, & abjectæ conditionis: item intelligunt quando pater habet facultates, & extra hospitale potest filium alere honestè juxta statum: nam si non haberet facultates, certum est quod sufficit, ut consulat eo modo quo potest, ut in terminis Corduba *n.*19. & etiam Valascus *consult.*1. *num.*8 *fin.* ubi tamen contra prædictos Doctores, & alios à se *eodem n.*8. relatos asserit universaliter, quod si is qui venit alendus, homo liber est, & qui tenetur eum alere, habet unde possit alimenta præstare, non satisfaciat, si in Xenodochium, aut collegium pauperum recipi illum faciat, sive alendus sit nobilis, sive plebeius. Quod probat eo, quia non in servo id admittitur: nam dominus servum alere obligatus, si potest alimenta suppeditare, non satisfacit, & amittit jus servituris, si alimentandum recipi in hospitale, & ibi ali efficiat; ut constat (inquit) ex textu *in l. unica, § sed scimus, C. de Lat. liber* *tollenda*, ibi: *Quod si quis servum suum ægritudine periclitantem à sua domo publicè ejecerit, neque ipse eum procurans, neque alii eum commendans, cùm erat ei libera facultas, si non ipse ad ejus curam sufficeret, in Xenodochium eum mittere, vel quo poterat modo, eum adjuvare, talis servus libertate necessaria, domino etiam nolente, reipsa donatus, fiat illico civis Romanus*, &c. Verùm iste Textus probat solùm, dominum teneri eo modo, quo potest procurare, ut in ægritudine curetur, & habeat alimenta, si ipse Dominus non habet facultates; hinc enim non potest inferri, quod si curet servum recipi voluntariè in hospitale, non satisfaciat, & ob id debeat amittere jus in servum; quod quidem amitteret, si occultè servum languidum exponeret in hospitali, cum ipse posset illum curare, & alere, de qua re *infrà n.*615. & 616. *cum seqq.*

Quod si filius nobilis jam mendicare cœpisset, & publicè quærere victum, tum si viribus constaret, Bartolus *in d. l. si quis à liberis, §. sed si filius, num.*1. & *d. tract. de alimentis, n.*12. etiam Ioan. Baptist. de Barbobus *d. c.*30. *num.*95. & Surdus *d. tit.*6. *q.*6. *n.*14. dicunt eum posse cogi laborare, & arare terram; quia longè magis indecorum est mendicare, quàm arare, aut simile opus servile exercere. Advertendum moneo circa prædicta, quod si filius, qui modò ex artificio vivit, seu vivere potest, postea ex aliquo impedimento non possit amplius facere artificium, aut in eo perseverare, nec aliunde possit decenter victum honestum quærere, tunc alimenta ei præstanda erunt, ut notavis Rulandus à Valle *cons.*54. *n.*76. *lib.*2. 35

§. VI.

Filius, & quivis alimentarius ex legis dispositione carens bonis, & nullam callens artem, an sit alendus à patre, vel ab eo, ad quem spectat alere, si potest habere victum inserviendo Nobili, vel Principi in domo, vel in bello.

CÆterùm si filios carens bonis, & omni arte unde se alere possit, ejus tamen honore servato, & & decentia, possit juxta ipsius qualitatem, & corporis vires victum honestum sibi quærere serviendo alicui nobili, vel alicui Principi in militia, vel exhibendo servitium erga personam principis in ejus aula, seu domo; vel ex Doctoratu consulendo, vel procuræ exercitio pro alio, vel exercendo mercaturam, dubitatur an tunc, necne sibi à patre debeantur alimenta. 36

Adhuc alimenta præstanda per patrem esse tali filio, & per quemcumque obligatum alere aliquem eidem alimẽtando, qui tantum præfatis servitiis, & exercitiis possit sibi victum quærere, tenuit Rota Romana *decis. suprà n.*28. *relatis, & alibi*, ut refertur *in allegata decis.*194. *num.*68. *p.*7. *divers.* apud Paulum Rubeum Idem sensere Craveta *d. cons.*199. *num.*1. *versic. tamen diligentius, & n.*5. & *seq.* Sylvester Aldobrandinos *cons.*28. *n.*16. 21. & 26. Decianus *cons.*30. *lib.*2. Rosent. *cons.*17. *n.*19. Caballus *cons. civil.*154. *n.*28. Marescotua *var. lib.*2. *c.*83. *num.*40. Joan. Baptista Lupi *de illegitimis, com.*2. §. 1. *n.*35. Aloysius Riccius *in coll. decis. p.*8. *coll.*35. *n.*28. *fin.* Molfes. *n consuet. Neap. tom.*1. *q.*5. *n.*51. Augnst. Barbosa *in l.*5. *Cod. collect. ad l. si patrem, de alend. lib.* & Surdus *de alim. tit.*9. *q.*28. *n.*2. *cum seq.* ubi restatur Mantuæ, cum accidisset casus in Senatu Mantuano in causa quorumdam nobilium patris, & filii de Mainoldis, negante patre alimenta filio, eo quòd posset victum quærere serviendo Principi in bello, vel ejus in domo; senatom à patre præstanda ea alimenta filio decrevisse, rejecto consilio Curtii minoris, de quo *infrà.* Fundamentom Senatus fuit, quod si filios semper diceretur habere onde vivret, cum posset Principi in bello, vel domi servire, jam non esset distinguendum inter filiom artificem, & industrium, & ineptum, atque ignarum, cùm semper objici illi possit, Servias Principi, vel alteri Domino, sed sufficeret probare illum sanum 37

num esse, & robustum. Doctores autem juxta textum *in d.l.si quis à liberis,§.sed si filius*, distinguunt inter artificem, & inertem. Addebatur etiam, quod à fortuna dependet, & à voluntate principis, vel alterius Domini, ut ad ejus servitium aliquis assumatur, & commodè possit eidem Principi, aut Domino servire. Rota probavit, quia ad hunc effectum, ut quis dicatur habere unde honestè vivere possit, non attenditur talia industria, nec attenduntur operæ propter fragilitatem humanæ potentiæ, quæ variantur ex tempore, ac proindè attendendum an habeat, unde ex redditibus vivere possit. Quod pariter ait Craveta *d.cons.199.n.6.& 7.* ubi ex distinctione Baldi *cons.30.lib.2.& ex textu in l.ius alimentorum,§.1.ff.ubi pupilli educari debeant*, notat, ut quis dicatur habere unde se alat, attendendi sunt redditus, nempe an ex suis redditibus vivere possit; non operæ ex quibus interdum vivere possit, quia non semper quis operari potest, vel ob malam valetudinem, aut aliam causam impedientem.

Addit idem Craveta *n.7.* pauperem dici, qui non habet bona sufficientia ad victum, & vestitum, *auth. præterea, C. unde vir, & cap.quod super his, de voto*, ubi agricolæ enumerantur inter personas inopes, non aliam ob causam, nisi quia inops dicitur nihil habens; & sic licèt agricola possit vivere ex artificio suo, tamen enumeratur inter personas inopes, & idem ait *ibid.* Craveta dici de aliis, qui ex artificio vivere possunt. Quod etiam dixere Panormitanus *in d.c.quod super his*, & Iason *in l.si constante, num.147.ff.solut. matr.* & P.Barbosa *in l.1.p.4.num.63.ff.eod.tit.*

37 Contrarium, & patrem non teneri alere filium non callentem aliquam artem, si decenter juxta conditionem, & qualitatem personæ potest vivere, seu victum quærere propriis operibus serviendo alicui nobili, vel principi in ejus aula, vel eundo ad bellum, vel ex Doctorato, aut procuræ exercitio, vel quovis alio exercitio honesto, & decenti, præter Vasquium *loco suprà n.20.citato*, tradidit in terminis Curtius minor, & idem sentit Bartolus *in l.unicam,n.7.C.de mendicantibus validis*, dum ibi dicit, si filius non sit artifex, sit tamen corpore validus, & robustus, qui ex operibus corporalibus, & serviendo nobili possit se alere, non tenetur pater tali filio alimenta præstare, quam Bartoli doctrinam referunt, & sequuntur Decius *cons.570.* Æmilianus *cons.146.n.2.* Menochius *cons.521.n.26.* Tiraquell. *de nobil. d.cap.20.n.104.initio*, P.Barbosa *in l.1.part.4.n.62.juncto n.63.initio* (ubi ait patrem non teneri alere filium, qui ex honesta causa, vel arte possit sibi victum quærere) Thesaurus *d.decis.211.n.20.* Carpanus *ad statuta Mediolan. c.313.n.51.& 53.* apud eum Bursatus *cons.62.num.14.ad 18.volum.1.* Idem indicat Gabriel *com.concl.lib.6.tit.de aliment.concl.1.n.27.* & alii Iurisperiti, quos ibi cumulat, quatenus aiunt non teneri patrem alere filium habentem unde aliunde vivere possit honestè, vel ex aliis bonis, vel ex propria industria, dummodò operari illi liceat absque dedecore, & idem prorsus sentire videtur Summistæ, & Theologi, & Iurisperiti *n.27.* relati, & alii à præallegatis Doctoribus, & à Surdo *locis d.n.27.allegatis*, qui ad eximendum patrem ab obligatione alendi filium considerant etiam solam potentiam quærendi victum honestum, & sine dedecore, & tandè idem sentit Craveta *cons.199.n.15.fin.* cùm ibi fateatur, quod pater non potest cogi, ut alat filium spurium, quando ex operis suis se alere potest, licèt si velit, possit illi alimenta relinquere. Fundamentum est, tum quia paria sunt, & idem omninò videtur ad hunc effectum, ut cesset paterna obligatio alendi filium, quod is ex arte, vel disciplina aliqua, vel alits operis, & industriis victum honestè, & decenter quærere, & vivere possit; tum quia verè non videtur indigens, qui ex labore suo honesto potest victum sufficientem sibi, & familiæ quærere, *ut suprà n.28.fin.* notavi; tum quia non est danda occasio otiositatis, & inertiæ, ut Thesaurus *d.n.10.* ex Alciato *consil.243.n.3.* unde illa regula, de qua Surdus *de aliment. tit.4.q.29.n.1.ad 9.& n.45.cum pluribus seq.* & Molfesius *d.p.5.q.6.num.17.* quod alimentarius, cui ex juris dispositione alimenta debentur, tenetur operari juxta conditionem suæ personæ ad commodum ejus, qui præstat alimenta, qui non debet stare in domo sicut corpus mortuum: de qua re, & de quibus operis, an obsequialibus, seu officialibus, & adesse, comitari, coquinam facere, lectum sternere, aquam haurire, mensam parare; an verò etiam de artificialibus, ut sunt fabriles, filum, stamina ducere, texere, & similes, latè pertractat Surdus *d.q.29.*& agitur infra *a n.758.*

Et hæc sententia de rigore, & inspecta ratione, sicut est cōmunis, ita etiam videtur verior: inspecta autem dispositione juris *in d.l.si quis à liberis,§.sed si filius*, ubi dicitur judicem in decernendis alimentis filio debere considerare, an habeat facultates, vel sit opifex, viribus valens operari, & nulla fit mentio de aliis operis præter artificiales, ex quibus filius victum possit quærere, prior sententia rectè sustinetur, quæ etiā videtur æquior (ut notavit Molfesius) propter illam Rotæ rationem, scilicet fragilitatem humanæ potētiæ, & quia operæ, seu servitia merè personalia ex tempore facilè possunt mutari, & impediri, unde sæpè foret inter patrem & filium disceptandum de alimentis, an debeantur, necne, quia filius non possit operari, & servire ob aliquod impedimentum, vel valetudinis, vel quia non inveniat cui serviat, aut servire possit, juxta decentiā conditionis suæ personæ: quoties enim operari, aut servire non posset, & sic nec victum comparare, absque dubio pater tenetur illum alere, ut etiam Doctores secundæ sententiæ tradūt, vel supplere, si non posset totum, & sufficientem victum sibi quærere. Et quod non teneatur pater alere filium ex eo præcisè, quod possit principi servire in militia, seu bello, nullo modo videtur admittendum, propter specialem rationem quā Surdus *d.q.28.à n.3.* affert, scilicet quod nemo tenetur ire ad bellum cum periculo suæ personæ, & nemo cogitur conjicere se in aliquod periculum, *l.fin.C.de accus.l.3.C.ad leg.Iul.majest.& lege nostris,C. de calumnia:* & dato quod filius possit servire principi in bello, vel domi, cum deberet sibi providere de necessariis quoad vestes, & arma pro expeditione militiæ, vel pro servitio principis, ne nudus accedat, & successivè si veniat talis occasio, Molfesius *d.n.51.* rectè ait, quod tenetur judex assignare illi, & in simili casu cuicumque alimentando tantam pecuniarum quantitatem, quæ judicetur convenienter sufficiens pro omnibus prædictis. 38

§. VII.

Filio spurio, qui in arte, & operis suis potest honestè se alere, an pater possit aliquid ad alimenta, seu causa alimentorum relinquere. Ubi an quintum bonorum, de qua in l.10. Tauri, *possit pater relinquere filio diviti, & qui novit artem ex qua honestè vivere potest.*

PRædictorum occasione hìc videndum, an pater filio spurio, aut filiæ spuriæ, qui vel quæ callet artem, vel habet industriam ex qua potest lucrari decenter, & absque dedecore victum honestum, possit validè aliquid relinquere nomine alimentorum, ita ut legatum teneat, & sit observandum. Et ratio difficultatis est, quia de jure civili, *in auth.ex complexu, C.de incest. nuptiis, & auth.licèt, C.de nat.lib.& §.fin.in auth.quibus modis naturales efficiantur sui*, pater filiis, tam masculis, quam fœminis spuriis, & ex coitu damnato natis nihil potest relinquere, seu legare, excludūtur enim hujusmodi filii totaliter à beneficio successionis paternæ, ita ut etiam illis in dictis textibus alimenta à patre 39

danda denegentur, quæ tamen saltem jure naturali, & etiam de æquitate canonica, ut infra ostenditur, illis indigentibus sunt à patre præstanda; quæ æquitas canonica servatur etiam in foro seculari ubique, etiam extra terras Ecclesiæ quoad jurisdictionem temporalem subjectas, ut pariter *infrà num.* 185. ostenditur. Ratio ergo præsentis difficultatis est, quum filius spurius ex arte sua possit lucrari victum, & sic non videatur indigens alimentorum; nec pater tunc cogatur illi eadem alimenta præstare, possit nihilominus illi aliquid relinquere pro alimentis, & legatum teneat in utroque foro, non obstante dispositione illa juris civilis (quam canonicum jus non abrogavit) qua pater prohibetur filiis ex damnato coitu natis aliquid ex suis bonis relinquere.

40 Et Craveta allegatus *conf.* 199. *per totum*, præsertim *numero* 10. *& conf.* 200. *n.* 10. censuit, quod quamvis pater filio artifici, qui ex sua arte, & industria poterat se alere, non cogatur alimenta præstare, tamen si vult, potest relinquere alimenta, seu aliquid nomine alimentorum. Cravetam sequuti sunt Covarruvias *desponf. p.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 110. Simon de Prætis *de interp. ultimarum volunt. lib.* 3. *interpr.* 1. *dub.* 3. *solut.* 2. *n.* 7. *fine*, Additio, seu Apostillator *ad Decium conf.* 576. 10 verbo *quando*: ubi addit, quod ita practicatur, Stephanus Gratianus *discept. for. cap.* 586. *num.* 26. & latiùs *cap.* 130. *numero* 16. ubi ait hanc opinionem esse veriorem: & hanc Cravetæ opinionem, quod pater possit relinquere filio spurio alimenta, etiamsi possit ex industria se alere, multùm æquam dicit Surdus *de alimentis, tit.* 7. *quæst.* 9. *num.* 11. licèt addat Cravetæ argumenta non concludere, conetur que ea convellere, & rejicere; eandem Cravetæ opinionem, ejus auctoritate præsertim nixi, præter Covarruviam *loco citato*, ex Doctoribus Hispanis loquentes de quinto bonorum, quod apud Castillanos *juxta legem Tauri*, pater potest relinquere filiis spuriis ad alimenta, amplexi sunt Gregor. Lopez *l.* 10. *tit.* 16. *p* 6. verbo *Hæreditas, in fin.* Vasquius *de succession. creat.* §. 10. *n.* 494. & nonnulli alii à P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *num.* 77. *ff. soluto matr.* relati, asserunt enim patrem posse relinquere dictum quintum filiis spuriis, quamvis bona haberent, ex quorum redditibus se alere possint, vel artificium norint, ex quo sine dedecore possint victum quærere; quamvis Craveta dictis locis loquatur tantùm in spurio, qui nullas habet facultates, sed solùm ex artificio congruenti potest honestè vivere: tandem pro hac sententia videntur posse allegari Rota Romana *locis suprà num.* 28. *&* 36. *citatis*, & alii Doctores *eodem numero* 36. relati. Probatur ea sententia ex traditis *dicto n.* 36. scilicet quia ob humanæ potentiæ fragilitatem operæ & industria possunt ex tempore variari, & impediri; etsi enim hodie filius spurius possit operari, & ex arte habere alimenta; eras tamen vel propter supervenientem morbum non erit aptus labori, vel ob aliam causam, & casu aliquo erit impeditus, nec poterit ex arte habere alimenta. Cùm ergo non rarò soleat contingere, quem ob morbum supervenientem, vel aliam calamitatem, aut causam non posse arte, & industria uti, jure merito juxta æquitatem canonicam tale relictum causa alimentorum, quæ alioqui possent deficere filio spurio artifici, & ne in casu deficientiæ, & quando factus languens, & egens cogatur pro eisdem alimentis intentare litem contra hæredes patris, & in utroque foro erit validum, & nullo modo annullandum. Confirmat Craveta alia ratione *suprà n.* 36. adducta, quod inops sit, qui solùm ex arte, & laboribus potest se; & suos alere. Addit alias confirmationes apud ipsum Surdum *loco citato* videndas. Subdit autem contra Decium, non obstare, quod pater non cogatur alimenta præstare filio spurio artifici, qui ex arte, & operis suis potest se alere, juxta tradita *suprà, n.* 37. eo quòd sit arguere à separatis; aliud enim est, patrem non cogi, aliud patrem volentem id facere, posse. Æquitas ergo canonica, inquit Craveta, in hoc casu vult tantùm patrem non posse cogi, non autem non posse præstare, & relinquere alimenta, si velit.

41 Contrarium, & patrem filiis spuriis, qui ex arte, quam callent, & ex operis possunt sine dedecore honestam vitam quærere, non posse aliquid ad alimenta relinquere, & relictum esse nullum, quamvis in futurum possint devenire ad paupertatem, & statum non aptum labori, sensere Calcaneus *conf.* 59. *&* 60. Dec. *conf.* 576. Socinus *conf.* 121. *n.* 47. Thesaurus *decis.* 2 *t* 1. *n.* 19. Paleotus *de nothis, cap.* 48. *n.* 6. 10. Baptista Lupi *de illegit. com.* 1. §. 2. *n.* 51. & alii Iurisperiti ab Antoo. Gabr. *lib.* 6. *tit. de alim. n.* 27. Ioan. Lupi *d. num.* 31. & Stephano Gratiano *allegato cap.* 120. *n.* 12. relati, & ex Doctoribus Hispanis Tellus *in l.* 10. *Tauri, n.* 3. *ad fin.* Matienzo *l.* 8. *tit.* 8. *l.* 5. *ordin. gloss.* 1. *num.* 14. Ludovicus Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 54. *fin.* P. Barb. *ad l.* 1. *p.* 4. *num.* 77. *ff. soluto matrim.* Sanchez alios allegans *in consiliis moralibus, lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 31. & Rebellus *de obligat. justitiæ, p.* 2. *lib.* 5. *q.* 18. *num.* 25. Probatur hæc sententia, quia dum filius spurius potest aliunde, vel ex fructibus suorum bonorum, vel ex artificio, & operis suis habere alimenta, cessat obligatio patris, juxta tradita *suprà, n.* 27. *&* 37. & succedit prohibitio *d. Auth. ex complexu*, & aliorum jurium, quæ sequenti *num.* 39. sunt adducta. Prætereà receptum est apud omnes, solùm in causa alimentorum patrem relinquere posse filio spurio, & si ultra causam alimentorum relinquat, relictum esse nullum, ut ait etiam Craveta *conf.* 219. *n.* 7. quando verò filius spurius non eget alimentis à patre dandis, quia aliunde ex propriis bonis, vel sua industria potest se honestè alere, relictum patria non est in causam, sed ultra causam alimentorum, neque obstat, quod filius spurius fieri possit pauper, & morbo, vel alia causa impediri exercere artem, & operis suis victum lucrari, quia non est judicandum de actu secundùm futura, sed secundùm præsentem statum, qui debet attendi, *l. moveor, Cod. si servus exper.* Ancharanus, Butrius, & Paulus de Castro à Craveta *d. conf.* 199. *num.* 10. relati, & alios allegans Surdus *d. tit.* 7. *q.* 9. *à numero* 12. ubi quod omnis dispositio secundùm præsentem statum intelligitur, *cap.* 2. *de jurejur.* & Tiraquellus *in præfat. l. si unquam, num.* 66. *Cod. de revocandis donation.* & alia exempla ad id affert Craveta *d. numero* 10.

42 Hinc juxta præfatam l. Tauri 10. disponentem patrem filio spurio posse relinquere quintum bonorum, quando tenetur ei in vita, vel in morte præstare alimenta, si spurius sit dives, non egens alimentis à patre præstandis, vel ex artificio honesto potest alimenta sibi quærere, patrem non posse tali filio spurio quintum præfatum relinquere, & relictum esse nullum, tradunt præfati Doctores Hispani *num. præcedenti* relati, & Vasquez *opusc. de testam. cap.* 5. §. 7. *n.* 140. ob eandem rationem, scilicet quia *d. l.* 10. loquitur in patre, qui tenetur alimenta præstare, quem decernit ad præfata alimenta posse relinquere quintum; ex quo autem filius spurius aliunde habet alimenta, vel potest illa commodè habere, cessat patris obligatio alendi filium, juxta tradita dictis *n.* 27. & 37. & habet locum prohibitio juris communis, quod pater filio spurio nihil potest relinquere, quamvis contrarium teneant Covarruvias & Gregorius Lopez *loc. cit. suprà*, *n.* 40.

43 Hinc etiam quando filius spurius ad se honestè habita consideratione ejus personæ alendum, non eget tota quinta portione bonorum, sed minus sibi ad alimenta congruentia sufficiat, quia aliundè ex propriis bonis, vel officio, aut arte habeat partem alimentorum, non posse tunc patrem tali filio spurio relinquere integrum quintum, & si relinquat, relictum esse minuendum quoad excessum alimentorum: tradunt Tello *d. l.* 10. *Tauri*, *numero* 9. & ibidem Molina *d. c.* 15.

c.15.*eodem n.*54. Matienzo *d.glossa* 11.*a.*12.& 13. Sanchez *d.cap.*5. *dub.*32. Surdus *loco infrà citat.* Rebellus *d.q.*18.*n.*24.*fin.* & alii à Molina, Sanchez, & Rebello relati; idque ob eandem rationem, scilicet quod pater juxta illam legem 10. potest relinquere quintum solùm ad alimenta, & non ultra causam alimentorum, ac proinde si integrum quintum relictum excedat necessitatem alimentorum competentium, & à patre debitorum, erit deminuendum. Etsi contrarium, & in hoc etiam casu valere relictum totius quinti, etiam quoad excessum, & non esse minuendum, etiamsi modum alimentorum excedat, docuerunt Covatruvias *allegato* §.6.*n.*8. Ant. Gomez *in d.l.* 10. *Tauri*, *n.*40. Palacius Rubius *in c.per vestras, de donat. inter virum, & uxorem, notab.*3. §.24. *fine*, & Spino *in speculo, glossa* 16. *num.*304. & 105. & Cordoba *d loco in l.si quis à liberis, §.idem rescripsit, n.*67 *ff.de liber agnosc.* & ex Theologis Vasquez *d.*§.11.*n.*41. fundatur, quia *d.l.*10 permittitur patri dare filio spurio quintam partem bonorum, & tantùm declaratur, quod ultra illam quintam partem non possit pater dare filio spurio aliquid de bonis suis, ex quo fit (inquit Spino *d.n.*305. post Gregorium Lopez, & Palatios) ut si ultra illam quintam, quam posset pater relinquere filio spurio; relinquat illi aliquod aliud legatum, non valeat tale legatum. Quod intelligendum, si quinta pars sufficit ad alimenta, nam si sufficiens non sit pro necessariis alimentis, tunc fore augendam, & aliquid aliud pro alimentis posse, & debere relinqui, tradit Covatruvias *d n.*8. *fine*, ex Joan. Lupi, seu Palacio Rubeo *loco suprà citato*, & sequuntur Surdus *de aliment tit.*7.*q.*10.*n.*25. & latiùs probat Corduba *in l.si quis à liberis, §.idem rescripsit, n.*59. *& seq ff. de liber.agnosc.* quidquid Tellus *in l.*10. *Tauri*, *n.*3. quem sequitur Vasquez *d.*§.7.*n.*339. secus sentiat dicens patrem majorem partem quinto non teneri assignare filio spurio, etiamsi quinta pars non sufficiat pro alimentis, quia id lex tantùm præscripsit: quem tamen latissimè reprobat *loco citato* Corduba.

44 Ego existimo in praxi, quoad utrumque totum non esse recedendum à sententia Cravetæ, & aliorum Doctorum, qui *n.*40. sunt relati; neque à sententia Covarruviæ, & aliorum, de qua *suprà, n.*42. & 43. posteriore loco relatorum. Cùm enim materia alimentorum sit favorabilis, *toto tit.de aliment.vel cibar.leg.* Craveta *d.cons.*199.*n.*10. Decianus *cons.*48.*n.*22.*lib.*5. Peregrin. *de fideicom.art* 42.*n.*87. Rota apud Seraph. *decis.*211. *n.*6. *p.*7. *diversorum*, apud Rubeum *decis.*194. *n.*28. in praxi eam debemus sequi sententiam, quæ stat pro alimentis, licèt sit ampliativa: & in terminis ampliationem admitti in materia alimentorum, quia favorabilia, tradit Rota *d.decis.*194. *alleg. n.*28. addens *n.*24. in eadem materia potiùs admittendam esse superfluitatem, quàm quod quis debitis privetur alimentis, etiam quod interpretatio fieret contra jus, per textum *in l.*1. *C.de legat.* Propterea in eadem materia alimentorum eadem Rota non multùm rigorosè, nec per apices juris consuevit procedere, ut dicitur *decis.*41.*n.*2. apud Seraph. & pro indubitato saltem asserendum, relictum filio spurio, qui tempore relicti non egebat, si superveniat necessitas, reviviscere, ut in terminis Rolandus *cons.*54.*n.*77 *lib.*2. & Simon de Prætis *d.n.*7.

§. VIII.

Quando alimenta alicui ex consuetudine, dispositione legis, vel hominis, & jure actionis debentur, etiam diviti sunt præstanda.

45 Porrò quæ in præcedentibus tradita sunt de alimentis, quod non debeantur filiis, qui alionde habent unde se competenter, & honestè alere possunt, procedit quando alimenta ex solo jure naturali, & miserationis causa, atque æquitate tantùm canonica, & solùm officio judicis debentur; nam alimenta cuipiam debita ex dispositione legis municipalis, aut hominis, vel ex consuetudine, in locumve legitimæ subrogata, & danda, & jure actionis præstanda, tunc debentur etiam ei qui aliunde se alere potest, *l.de alimentis, C.de transactionibus, ibid.* Baldus *n.*5. Alexander, Jason, & alii Scribentes, idem Alexander *cons.*7 *n.*10. Tiraquellus *de primogen.quæst.*15. *num.*4. & 5. Ludovicus Molina *eod. tract.lib.*2.*c.*15.*n.*6. & 70. Additionator cum aliis *eodem* c.15.*n.*6 alter Molina *de just.tom.*3.*disp.*616 *n.*3. Rota *decis.*447.*n.*8.*apud Seraphin.* & Surdus *de aliment.tit.*7. *q.*6 *n.*25. & *q.*15.*n.*27. quod etiam comprobat Tiraquellus ex eo, quod is alimentarius possit petere alimenta præterita, quibus jam amplius non eget, *l.libertis quos.*§ 1. ibi, *tam præteriti temporis, quàm futuri*: & *ibid.* Bartolus & alii, *ff. de aliment & cibar. legat.* quare cùm lex, vel consuetudo deferens successionem integram primogenito; mandat secundogenitum, & alios filios ali, tunc alimenta subrogantur loco legitimæ, & jure actionis, non officio judicis debentur, & sic secundogenito, & aliis filiis, seu fratribus sunt præstanda, quamvis sint divites, ut uterque Molina *locis citatis*, Tiraquellus *d. num.*5. & Surdus *d.quæst.*6. *num.*25. & *d quæst.*15. *num.*27. de qua re latiùs *infrà*, *num.*529. *cum sequent.*

SUMMARIUM
Capitis Secundi.

*Alimentorum nomine veniunt omnia ad vitæ sustentationem necessaria, num.*47.
Quare continentur cibus, potus, vestes, habitatio, ibidem.
*Cibi nomine comprehenduntur panis, carnes, & alia edulia pro qualitate & conditione personæ, num.*47.
An etiam cibi pro animalibus, ibid.
*Potus appellatione continentur vinum, cervisia, & alia potionis genera, & etiam aqua ubi est venalis, num.*48.
*Et solùm aqua ad bibendum, quando aqua non est distinctè sub alimentis legata; quando verò distinctè legantur alimenta, & aqua, comprehenditur etiam ad aliorum alimentorum usum, & ad lavandum & similes usus necessaria, num.*50.
Potus alimentorum, & cibariorum nomine continetur, ibidem.
Victus nomine continetur cibus potus, vestimenta, & cætera ad vivendum homini necessaria, ibid.
*Potus nomine veniunt etiam vasa, quibus utimur ad potandum, & in quibus vinum, & cætera potabilia conservantur, num.*49.
*Aqua in locis ubi est venalis, an alimentario præstanda in ipsa specie, an verò liberum debitori sit aquam dare, vel pretium, seu æstimationem, num.*50.
Aliud pro alio solvi non potest invito creditore, ibid.
Debitor an, & quando cogi possit ad solvendum unum pro alio, ibid.
*Vestitus nomine veniunt vestes laneæ, linea, serica, bombycina, camisia, cingula, chlamydes, tapetia seu coopertoria, diploides, calcitra, capitis tegumenta, calceamenta, pelles, juxta qualitatem, & conditionem personæ, num.*51.52.53. *&* 54.
Lectus nomine alimentorum continetur.
*Alimentario præstanda supellectiles, vulgò massaritia, & vasa, ac instrumenta ad mensam, & ad coquinam, & quotidianum usum, & an hæc sub nomine habitationis comprehendantur, num.*55.
Simplici habitatione legata, an veniat supellex, & bona mobilia ad domus instructionem, ibid.
*Si debitor alimentorum, & habitationis domus, semel assignaverit habitationem; an possit illam variare, num.*56.

B 2 *Habent*

Habens servitutem via in fundo, electione loci semel facta, non potest variare, ibid.

Viam qui debet per fundum, facta simul loci designatione, potest variare assignando aliam aquè commodam, ibid.

Habitatio alimentario præstanda intelligitur pro se, & ejus uxore, & familia, num.57.

Vestes, & habitatio nomine alimentorum non comprehenduntur in materia odiosa, scilicet quando alimenta remittuntur renunciatione, vel pacto; sed comprehenduntur solùm ubi agitur de illis præstandis, num.58.

Sub alimentis comprehenduntur ligna pro coquendis cibis, & ad calefaciendum hyeme, num.59.

Medicina, & expensa pro medicis, si contingat alimentarium infirmari, continentur nomine alimentorum, num.60.

Equus, & servi, eorumque salaria continentur nomine alimentorum, si ita postulat alimentarii dignitas, num.61.

Item sumptus in honesta recreatione, venatione, hastiludio pro qualitate personæ, & in aliqua pia peregrinatione, ibid.

Expensæ ad addiscendas bonas artes, & disciplinas, ac scientias, etiam juris civilis, & medicinæ, ac similium, veniunt nomine alimentorum, quando debentur ratione pietatis, & ex officio judicis, num.62.

Qui promisit aliquem ut filium tractare, vel alere, tenetur facere expensas pro studiis, num 63.

Expensæ studii alimentario debentur, quando alimenta debentur jure actionis, & ex dispositione hominis, putà ex legato alimentorum negativo, num.64. affirmativo, ibid.

Resolvitur in legato alimentorum non comprehendi expensas studii, nisi ex probabilibus conjecturis aliud sensisse testatorem appareat, num.65.

Quæ sint probabiles conjecturæ, num.66.

Rejicitur Doctrina quædam Fagundez, num.67.

Inter alimenta an computentur funeris expensæ, resolvitur affirmativè, num.68.

Qui alimenta præbere tenetur, non cogitur solvere debita alimentarii, nec pœnam, si ad aliquid propter delictum condemnetur idem alimentarius, num.69.

CAPUT II.

Alimentorum appellatione quæ contineantur, latè explicatur.

§. *Primus.*

Explicantur ea, quæ communi consensu nomine alimentorum veniunt.

46 NOmine autem alimentorum, quæ filiis, & cuilibet alteri debentur à lege, seu ea dispositione hominis, putà ex legato alimentorum alicui facto, veniunt, seu comprehenduntur omnia ad vitam corporalem conservandam necessaria, & sine quibus homo non vivit, ut in juribus mox citandis, & tradunt Doctores etiam mox allegandi, & alii communiter, quare primò alimentorum, sicus & victus appellatione, continentur cibus, potus, vestitus, habitatio, cùm hæc omnia sint ad corpus sustentandum, sive ad vivendum necessaria. Ita *l. legatis, & l. ultima, ff. de alimentis, vel cibariis legatis, l. verbo Vivere* 43. *& l. seq. & l. quos nes* 234. *§. verbo Vivere, ff. de verborum significatione*, Sylvester, & alii Summistæ verbo *alim.* Molin. *de justit. tom.1. disp.*168. *§. alim.* Azor. *part.2. lib.1. c.4. q.2. & p.3. lib.1. c.7. fin.* Fagundez *de præcept. Decal. lib.4. c.1. n.3.* Bonacina *de præcept. disp.6. q.un. p.6. §.1. n.2.* Trullench *in Decal. l.4. c.1. dub.3. n.7.* & Megala *p.2. lib.2. c.2. q.1. n.1.* ex Jurisperitis Bartolus, & alii scribentes *in d. l. leg.* Caveta *cons.*199. *n.3.* Joachim Mynsing *singul. observat. cent.3. observat.*12. Rolandus à Valle *cons.*22. *num.1. & seqq.* Simon de Præiis *de interpr. ultimarum voluntatum, lib.4. interp.1. dubitat.*11. *num.*25. 36. 39. *&* 40. 41. *&* 42. Garzias *de expensis, cap.3. num.*37. 38. *&* 39. Menochius *de arbitrariis, casu* 170. *n.*29. *&* 30. *& de præsumpt. lib.4. præsumpt.*152. *num.*13. *& seq.* Paleotus *de nothis, cap.*47. *num.*7. Matta *de successionibus, part.4. q.18. art.7. num.*8. Surdus *de aliment. tit.4. q.1. & quatuor sequent.* Jacobus Cancer. *var. resol. tom.1. cap.16. n.*41. Stephanus Gratianus *discept. forens. tom.4. c.*610. *num.1.* Carpanus *ad statuta Med. cap.*312. *num.*10. Molfesius *in consuetudines Neap. tom.1. p.5. q.1. n.7.* Rota Rom. *decis.*1092. *num.4. apud Seraph. decis.*421. *num.4. part.4. diversorum, apud Farinacium in noviter novissimis, decis.*365. *num.2. part.5. diversorum apud Rubeum, & decis.*30. *num.*32. *p.7. diversorum apud eundem Rubeum*, & alii Jurisperiti communiter *apud eosdem*, præsertim *apud Surdum, Menochium, & Martam.*

Cibi verò nomine comprehenduntur panis, carnes, 47
& alia edulia, pro qualitate, & conditione personæ, cùm alii sint cibi rusticorum, alii nobilium. Menoch. *d. præsumpt.*157. *num.*16. & apud eum Rebuffus *in d. l. verbo Victus*. Addit idem Menochius *ibid.* cum eodem Rebuffo, & docet etiam Surdus *de aliment. tit.4. q.8.* non solùm haberi rationem cibi hominis, scilicet ipsius legatarii alimentandi, sed etiam animalium, v. g. equorum, vel mulorum, si id fert ipsius legatarii persona; aliàs non, & idem quando constat ex conjecturis, præstandum cibum pro animalibus.

Potus nomine continentur vinum, cervisia, & alia 48
potionis genera. Rebuffus *in d. l. verbo Victus*, Menochius *d. præsumpt.*157. *n.*17. & colligitur ex aliis, item intelligitur aqua, quando est venalis, ut Romæ, & Venetiis, & etiam Genuæ, *l.1. l. Mela, §. quidam liberis, ff. de aliment. & cibariis*, Rolandus *d. cons.*22. *n.7.* Simon de Præiis *d. num.*39. Menochius *d. præsumpt.*157. *n.*17. *&* 25. Surdus *d. tit.4. q.3. num.2.* Marta *d. n.7. & 8. fin.* & alii apud eosdem, præsertim scribentes *in d. l.1. ff. de aliment.* Et advertendum hîc, quod licèt Oldradus *consil.*24. *num.2.* dixerit potum non contineri in legato alimentorum, quia aliud sit cibus, aliud potus, ad id allegans illud Joannis, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Nihilominus sub generali alimentorum, & cibariorum nomine contineri & potum, contra eundem Oldradum asseruerunt Corduba *in l. si quis à liberis, §. non tantùm enim, ff. de lib. agnosc.* Alciatus *in d. l. quos nos, d. §. verbo Vivere*, Menochius *d. præsumpt.*157. *n.*17. Surdus *d. q.3. n.6.* Rolandus *d. cons.*22. *n.7.* alii Doctores *n.*46. relati, & alii à Surdo *d. q.3. n.1.* allegati, & præsertim Decius *in d. l.1. ff. de alim.* & *in l.2. ff. de jurisd. omnium jud.* ubi ait quod cibi appellatio includit potum, quando simpliciter pronunciatur, licèt aliud sit quando de cibo, & potu fit separata mentio. Et ratio est, quia alimentorum nomine continetur quidquid ad humanæ vitæ sustentationem requiritur, ut *num.*46. dictum est: sine potu autem, & absque aqua vita corporalis non potest sustentari; nam cùm quotidie insensibiliter consumatur humidum radicale, & partes corporis deperdantur, necessarius est cibus, & potus ad restaurationem humidi, & partium per conversionem cibi, & potus in carnem, & sanguinem. Confirmatur, quia quod continetur nomine victus, continetur etiam nomine alimentorum, ita quod idem sunt reipsa alimenta, & victus. Ruinus *cons.*81. *volum.1.* Rolandus *d. cons.*22. *num.2.* Simon de Præiis *d. dub.*11. *num.*36. & Menochius *d. præsumpt.*157. *n.*15. Nomine autem victus continentur quæ esui, potui, cultui corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt, etiam vestimenta, *d. l. verbo Vivere* 45. *ff. de verb. significatione.*

Nomine etiam potus veniunt non solùm vinum, cer- 49
visia, & alia potionis genera, & aqua in locis ubi est venalis; sed etiam vasa ad potandum, & in quibus vinum

vinum, & cætera in quibus continentur, & conservantur. Ita Rebuffus *loco suprà allegato*, Simon de Prætis *d. dub.* 11. *n.* 42. Menochius *d. præsumpt.* 157. *n.* 17. Molfesius *in conf. Neapol. part.* 5. *q.* 1. *num.* 9. & Surdus *d. tit.* 4. *q.* 3. *num.* 4. id comprobans, quia cùm aliter vinum, & cætera potabilia nequeant servari, oportet etiam vasa deberi, uno enim concesso, venit id omne, sine quo concessum esse non potest, *d. l. legatis, ff. de alimentis leg. & aliis juribus*, per Surdum ad id *num.* 5. *allegatis*; faciunt etiam ad hujus confirmationem *l. qui pœnam*, §. *fin. de penu legata*, ubi penu legata, veniunt etiam vasa, quibus varia continentur: & *l.* 3. & *lex vino legato*, *ff. de tritico, vino, vel oleo legato*, ubi legato vino veniunt vasa, in quibus continetur, & servatur.

50 Num autem aqua, quando est venalis, & comprehensa sub alimentis, debeat in specie ipsa præstari; an verò pretium, seu æstimatio, Bartolus *in d. l.* 1. *ff. de aliment. legat. num.* 2. & de quibuscumque, quæ facilè, citóque corrumpuntur, & modico tempore durant, ut carnes, pisces, & similia, ait eorum pretium esse præstandum alimentario: quæ verò longo tempore durant, præstanda in sua specie, quod idem dicit *in l. pecunia, num.* 2. *ff. de aliment. legat.* Idem quod Bartolus, sentit Rolandus *d. consf.* 22. *fine, per textum in l. Mela*, §. *quædam, de alim. leg.* Corduba verò *in d. l. si quis à liberis*, §. *non tantùm, num.* 11. *ff. de liber. agnosc.* & Menochius *d. præsumpt.* 157. *num.* 26. dicunt id non probari *in d. l. Mela*, §. *quidam, ff. de aliment. legat.* eo quòd in illo responso scripserit Vlpianus, quod *in l.* 1. *eod. tit.* scilicet aquam contineri legatis alimentis, si in ea regione aqua emitur. Surdus *d. q.* 3. *n.* 5. meliùs respondet, debitorem, si malit, posse præstare; si verò idem debitor aquam singulis diebus dare non gravaretur, atque ab alimentario recipere non esset incommodum, non esse eundem debitorem cogendum dare pretium; quia sicut aliud pro alio solvi non potest invito creditore, *l.* 2. §. *mutui datio, ff. de reb. cred.* ita debitor non debet cogi ad solvendum unum pro alio. Quare ait tunc solùm pretium, seu æstimationem deberi, quando res debita præstari non potest; vel in subsidium, quando aliqua causa subest deveniendi ad æstimationem, aliàs res ipsa semper præstanda est, *l. si ita fidejussorem, ff. de fidejussor. l. stipulatus es opus, ff. eodem tit.* & *leg. si non sortem*, §. *libertus, ff. si certum petatur.* Tunc ergo, concludit Surdus *num.* 14. quando grave esset alimentario recipere aquam singulis vicibus, posset peti æstimatio, & judex pro suo arbitrio providebit, quod in tempus aqua detur, quæ servari potest, biduo scilicet, vel triduo, juxta regionis consuetudinem; & prædicta quidem, quando aqua non est legata distinctè ab alimentis, sed inest legato alimentorum; nam quando distinctè legantur alimenta, & aqua, ut *in d. l. Mela*, §. *quidem*, comprehenditur non solùm aqua causa potus, seu pro potu necessaria, sed etiam ad aliorum alimentorum usum, ad abluendum, & alios similes usus necessaria, ut *eodem* §. *quidem*, Vlpianus sensit, alioqui legatum aquæ distinctum non afferret emolumentum: & tamen dicit Vlpianus ibidem, tale legatum afferre emolumentum fideicommisso, scilicet augens legatum aquæ, & etiam Corduba *d.* §. *non tantùm n.* 23. & Menochius *d. num.* 26. aiunt; & Corduba probat ex copula *&*, quæ inter aquam; & alimenta adjicitur, efficit enim pinguius legatum aquæ, *l. ea tamen adjectio, ff. de leg.* 3. & in hoc casu addit Corduba deberi aquæ æstimationem.

51 Vestitus, seu vestis, aut vestimenti (idem enim important vestis, & vestimenta, *l. vestis initio, ff. de auro, & argento legato*) appellatione veniunt omnia lanea, linea, serica, bombacina, quæ induendi (ut camisia;) præcingendi (ut cingula) amiciendi (ut clamydes) insternendi, (ut tapetia, coopertoria;) injiciendi, (ut diploides) accubandi (ut culcitæ, seu culcitræ, vel fulcitæ, vulgò lecto) sive plumeæ, sive laneæ, vel maturazza, causa parata sunt. Ita *d. l. vestis, & ibid. Glossa*: Simon de Prætis *d. dub.* 11. *num.* 46. & *n.* 42. Menochius *d. præsumpt.* 157. *num.* 18. & Surdus *d. tit.* 4 *quæst.* 2. *num.* 8. ubi *num.* 10. ex Bellono *consil.* 30. *num.* 11. *vol.* 2. declarat camisiam comprehendi nomine vestis legatæ, quando vestium sit simplex mentio; secus ubi ex testatoris verbis aliter colligi posset, ut *in d. consil.* 30. id etiam, quod nomine vestis, veniant laneæ, lineæ, sericæ, & similes, intelligitur pro qualitate, & conditione personæ, *l. penult. initio, ff. de aliment. legatis*, & alios allegans Menochius *d. n.* 18. de qua re infrà de taxatione alimentorum juxta qualitatem personæ. De lecto etiam, quod alimentorum nomine comprehendatur, constat ex *d. l. quos nos*; §. *verbum vivere*, ibi, *& stramenta contineri, ff. de verb. significat. & l. in stratum, eod. tit.* ubi & redditur ratio, scilicet quia sine lecto non potest homo vivere. Idem tradunt Bartolus *in d.* §. *verbum Vivere*, Menochius *d. præsumpt.* 157. *num.* 27. Garzias *d. cap.* 3. *num.* 39. 40. 41. Marta *d. art.* 3. *num.* 8. Surdus *tit.* 4. *quæst.* 3. apud eosdem. Et nomine lecti intelliguntur etiam omnia ornamenta, quæ accedunt lecto, ut Surdus *d. quæst.* 2. *num.* 5. post Bartolum *per textum* ibi *in l. liberorum*, §. *fin. ff. de leg.* 3. Utrum verò si testator alicui legaverit lectum, veniant ornamenta ordinaria, vel etiam pretiosiora, ex legatarii conditione judicandum juxta ea, quæ infrà explicantur, & tradita *tom.* 3. *mor. var. tit.* 14 *num.* 7. & 95.

Præterea vestis nomine veniunt capitis tegumenta, *d. l. argumento*, §. 1. ibi, *& fasciæ crinales, ff. de aur. & arg. leg ibidem* Glossa, verbo *muliebria*, & Surdus *d. quæst.* 2. *num.* 9. 52

Item veniunt calceamenta, cùm hæc sint pedum vestes, *d. l. argumento*, ibi, *pedulasque & impilia*. Simon de Prætis *d. dub.* 11. *num.* 39. Rolandus à Valle *d. consil.* 22. *num.* 5. Menochius *d. præsumpt.* 157. *num.* 10. & *d. casu* 170. *num.* 30. Craveta *d. consil.* 199. *num.* 3. Surdus *d. quæst.* 2. *num.* 3. Rota *d. decis.* 431. *num.* 4. *part.* 4. *diversor.* Marta *d. art.* 7. *num.* 8. & alii ab iisdem relati. 53

Pelles quoque contineri nomine vestium, & alimentorum, si alimentarius illis egeat, quia sit senex, vel Doctor, vel alterius conditionis, cui vestes ex pelle conveniant, tradunt Baldus *consf.* 30. *fine, vol.* 2. Rolandus à Valle *d. consf.* 22. *num.* 4. *fine*, & Surdus *d. q.* 2. *n.* 6. 54

Habitationis nomine contineri etiam supellectilia, quæ massaritias vulgò appellant, nempe scamna, cathedras, mensas, tabulas, & vasa omnia ad coquinam, & mensam, & alia instrumenta ad usum quotidianum necessaria, tradidere Simon de Prætis *d. dubit.* 11. *num.* 41. & Menochius *d. præsumpt.* 157. *n.* 23. *argum. l. Labeo*, §. 1. *ff. de supellectili legata*; & quia quis non potest habitare, qui supellectilia opportuna non habet, sine eis enim, ut experimento constat, nemo potest habitare, & vivere, ut uno concesso veniunt omnia, sine quibus alimentarius non potest commodè alimenta consequi: ad nihil verò serviret habitatio, si nuda esset domus, nudi parietes. Surdus etiam *tit.* 4. *quæst.* 4. *num.* 3. existimavit prædictas massaritias deberi alimentario, non tamen sub nomine habitationis, quia simplici habitatione legata, nil aliud sit præstandum præter domum ipsam, non verò supellex, & bona mobilia ad domus instructionem; vel ornatum, cùm aliud sit habitatio, aliud supellex, ut constat ex eo, quod in jure habentur separati tituli *de habitat. leg. & de supellectili legata*, quæ cùm sint diversa, non potest de uno ad aliud inferri, *l. Papinianus, ff. de minoribus*: ergo ea ratione alimentario deberi vasa ad coquinam, & mensam necessaria, quia sine iis non sunt perfecta alimenta. 55

An verò debitor alimentorum, & habitationis, si semel assignaverit alimentario habitationem, seu domum pro 56

pro habitatione, possit variare dando aliam, & recipere quam dedit? Affirmat absolutè Matthæus de Afflictis *in constit. regn. constit. incipiente*, Comitibus, *in fin.* Rolandus *d. cons. 22. num. 1.* & Menochius *cons. 62. n. 11.* per textum *in l. si sterilis*, §. *fin. ff. de actionibus empt.* Surdus verò *d. quæst. 4. num. 10. & seq.* dicit tunc solùm licitam esse ejusmodi variationem, si fiat sine damno, vel incommodo alimentarii, per regulam, quod sit facilè concedendum quod mihi non nocet, & alteri prodest: de qua Glossa *in l. 2. initio, ff. soluto matrim.* & Bartolus *in l. item capilli, ff de rerum divis.* Confirmat, quia etsi habens servitutem viæ, vel itineris in aliquo fundo, non possit variare, sed electione loci semel facta cogatur per illum, & non per alium transire, *l. si vi, ff. de servitutibus*; ille tamen, qui servitutem debet, licèt semel viam designaverit in uno loco, potest variare, & alium æquè commodum designare, ut per textum satis clarum *in l. 2. §. penult. ff. de religiosis, & sumptibus funerum*, Glossa fin. *in d. l. si cui*, Bartolus *ibid.* Castrensis, Cæpola, & alii quos contra Angelum refert, & sequitur idem Surdus *d. quæst. 4. num. 12.* Sufficit ergo, quod detur habitatio in aliqua domo, dummodo sit commoda, & sufficiens juxta qualitatem, & conditionem personæ, & variatio detrimentum alimentario non afferat. Sed puto quod non aliud velint Afflictus, Rolandus, & Menochius, scilicet variationem esse licitam sic, nempe sine damno, & notabili incommodo alimentarii, ut etiam notavit Gratianus *discept. for. tom. 4. cap. 343. num. 13.* hoc idem asserens. Et quamvis textus *in d. §. fin. l. si sterilis*, loquatur in debito alternativo, scilicet quando venditor domus reservavit sibi habitationem, vel decem in singulos annos, & sit obligatio annua, quæ continet plures obligationes, & tot, quot sunt anni, quo casu lex vult emptorem posse uno anno habitationem præstare, alio verò anno decem dare; in præsenti verò casu nulla sit obligatio alternativa, & sit unicum debitum alimentorum, ut propterea una assignata domo, non videatur ampliùs permissa variatio; nihilominus facit etiam aliquo modo ad ostendendum, licitam etiam in nostro casu variationem habitationis pro habitatione æquè commoda; sicuti ibi licita est variatio habitationis pro solutione decem, & è contra.

57 Cæterùm habitatio præstanda à debitore alimentorum, intelligitur pro se, & ejus familia, scilicet uxore, & aliis: & textus *in l. cæterùm, §. mulieri, ff. de usu, & habitatione*; & tradunt Simon de Prætis *d. dub. 11. num. 19.* Menochius *d. præsumptione 157. num. 21.* ne vir ipse uxore, & familia careat, cùm sit mulier socia domus mariti, *l. adversus, C. de crimine expilatæ hæreditatis.* Et quod patet teneatur præbere habitatorium pro se, & pro suis liberis, & uxore, tradunt Glossa *in l. si quis à liberis, §. non tantùm, verbo Cætera*, & ibi Bartolus, *ff. de liber. agnosc.* & Sanchez *de matrimon. lib. 4. disput. 26. num. 21.*

§. II.

In materia odiosa victus, & habitatio non veniunt nomine alimentorum, ut cùm agitur de illis remittendis.

58 ILlud verò quod in præcedentibus dictum est, vestes, & habitationem venire alimentorum nomine; id intelligendum in materia favorabili, & ubi agitur de alimentis præstandis ex jure naturæ, & conjunctione sanguinis; vel ex legato, aut alia legis, vel hominis dispositione; secus verò in materia odiosa, & ubi agitur de remittendis alimentis pacto vel renunciatione, vel transactione, vel alia via; tunc enim nomine alimentorum non continetur vestiarium, & habitatio, seu remittens non censetur remittere vestiarium, & habitationem, nisi specialiter vestiario, & habitationi renunciaverit, seu super illis specialiter transegerit. Textus clarus est *in l. cùm hi, §. qui transigit, ff. de transactionibus*, Bartolus *in l. legatis, initio ff. de aliment. legat.* Jason *in d. §. qui transigit*, dicens esse communem sententiam, Menochius *de arbitr. casu 170. num. 47. & sequent.* Garzias *de expensis, d. c. 3. num. 38.* Surdus *de alimentis, tit. 4. quæst. 2. n. 6.* Cancerius *var. resol. cap. 16. num. 41.* & alii à Surdo *d. num. 30.* relati. Favore enim eorum, quibus debentur alimenta, introductum est, ut nomine alimentorum veniant vestiarium, & habitatio. Quare non est audiendus Decius *in l. de alimentis, n. 2. C. de transact. & in l. 2. n. 31. ff. de jurisdict. omnium jud.* volens non minùs vestes venire nomine alimentorum, quando remittuntur alimenta, quàm ubi agitur de illis præstandis; eo quòd etiam in materia odiosa fiat lata interpretatio, quatenus verborum proprietas patitur, *l. cùm lege, C. de testam.* respondens *ad d. §. qui transigit*; ideò vestes ibi non venire, quia textus procedit ulteriùs disponendo specialiter; quam tamen Decii responsionem Surdus *d. num. 30.* reprobat dicens esse verbalem; si enim cùm tractatur de alimentis remittendis, vestis veniret appellatione alimentorum, Divus Marcus *in d. §. qui transigit*, non decrevisset de veste specialiter transigenda, ut in eo textu dicitur.

§. III.

Appellatione alimentorum comprehenduntur ligna ad coquendum cibos, & calefaciendum, & medicina, & expensa pro Medico.

SEcundo cùm sub alimentis comprehendantur omnia vitæ hominis corporali necessaria, ut *n. 46.* juxta Doctores communiter dictum est; continentur etiam ligna non solùm pro coquendis cibis, sed etiam calefaciendi causa tempore hyemali; ignis enim ad prædicta necessarius est. Ita expressè Simon de Prætis *d. dub. 11. num. 41.* & Menochius *d. præsumptione 157. num. 24.* 59

Medicinæ quoque, seu expensæ pro medicinis, si contingat alimentarium infirmari, sive alimenta sint alicui debita ex officio judicis, sive ex contractu, vel testamento, seu legato, sub alimentis continentur, & alimentario infirmo sunt exhibenda. Ita per dictam *l. verbo Victus, & d. l. quos nos, §. verbo Vivere, ff. de verborum significat.* Bartolus *in l. legatis, de aliment. in l. libertis 2. §. 1. ff. eodem, & in l. si cùm dotem, §. sin autem ff. soluto matr.* Craveta *cons. 149. num. 3.* Mynsinger. *pract. cent. 3. observ. 12.* Rolandus *d. cons. 22. n. 3. lib. 1.* Simon de Prætis *dicta dubitatione 11. num. 37. & 38.* Menochius *d. præs. 157. num. 30.* Garzias *d. cap. 3. num. 42.* Surdus *tit. 4. quæst. 5. num. 1.* Marta *de success. part. 4. quæst. 18. art. 7. num. 8.* Et alii Jurisperiti communiter, quos Rolandus, Menochius, & Surdus *n. 5.* latè referunt; sine medicis enim vita hominis conservari non potest, stante infirmitate. Ex quo fit, ut sub alimentis contineatur expensa, seu salarium pro medico, quod alimentario infirmo præstandum erit ab eo, qui debet alimenta, ut medico uti possit, ut in specie post alios Rolandus *d. num. 3. fine*, & Surdus *q. 5.* faciunt medicinæ, ita & medicus alimentario infirmo est necessarius, per quem opportunæ medicinæ sunt præscribendæ, & applicandæ. 60

§. IV.

§. IV.

Alimentorum nomine comprehenduntur equus, servitores, eorumque salaria; item expensa ad addiscendas artes honestas, & disciplinas, juxta conditionem Alimentarii.

61 COntinentur etiam equus, servitores, vel servitrices, eorumque salaria, si ita postulet dignitas, & status alimentarii. Ita Simon de Prætis *d.dub.11. n.59.* & alios allegans Menochius *d.præsumptione 157.n.18. & 29.* & Surdus *d. tit.4.5. 8. 9 & 18.* & de alimentis servis præstandis habet *l.cùm plures, §.si tutor,ff.de administratione, & periculo tutor.* Addit Surdus *d.quæst.8. num 4 & seq.* alios allegans, contineri etiam currum, seu carrocium, si id postulet dignitas alimentarii; item contineri expensas in honesta aliqua recreatione, venatione, hastiludio, & similibus pro qualitate personæ. Tradit Fagundez *in Decalogum,lib.4. cap.21, num.8. & cap.24.num.2.& 3.*

62 Item nomine alimentorum veniunt expensæ necessariæ ad addiscendas artes honestas, vel disciplinas, & scientias, si alimenta debeantur jure naturæ, & sanguinis, seu ratione pietatis, & officio judicis; & alimentarius sit persona docilis, & capax apprehendendi artem, vel scientiam, ut cæteri ejusdem conditionis talibus artibus, & disciplinis solent instrui. Ita per textus *in l.qui filium, ff. ubi pupillus educari debeat,* ibi: *Sed & in studia, & in cæteras necessarias impensas debet impendi pro modo facultatum:* & *d. l. cùm plures, §.cùm tutor, ff. de administratione & periculo tut.* ibi: *Imprimis mercedes præceptoribus: & l.ultima,C.de alim. pupillo præstandis.* ibi: *Ministeria, studiaque erogata esse.* Ex Jurisperitis *suprà num 46.* relatis tradunt Craveta, Mynsingerus *locis ibi allegatis,* Rolandus *d.cons.12.n.8.* Marta *d.art.7.num.12.* Menochius *lib.4.præs.191.n.12. in fine,& de arbitr. cent.6.casu 501.num.7.* Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. cleric. cap.15. num.15.* & alii Jurisperiti communiter ab iisdem, & à Surdo *d. tit.4. quæst.6.* latè relati, Fragosus *de Repub. Christ. part.3.disput.1.n.93.94.95.* & Doctores, qui *hoc tract. part.1.cap.10. n.46.* sunt relati; ubi probatum est, parentes obligari ad curandum, ut filii instruantur bonis artibus, & disciplinis, quibus cæteri ejusdem conditionis informari solent. Idem etiam sentit Surdus *d. q.6.n.1. & seq.* (quamvis *n.6. & 7.* contendat id non colligi ex præfatis textibus,) & *d.num.7.fine,* addit ab hac opinione non esse in consulendo, & judicando discedendum; & quod pater nedum teneatur filio præstare alimenta ordinaria, sed etiam expensas pro studio, latè alios allegantes tradunt Paschalis *de potestate patria,part.2.c.3.num.16.* Franciscus Maria Pratus *in annotationibus ad eundem Paschalem.d.c.3. ad citatum num.16.* & Joan.Lup. *de illegitimis,com.2.§.1.num.40.* quamvis contrarium sentiant Padilla *in auth. res quæ, num.92. C. comm. de legatis,* & alii qui *infrà num.825.* referuntur. Harum autem expensarum ratio habenda est judicis arbitrio, pro qualitate, & dignitate personæ, & pro quantitate patrimonii, ut Menochius *d. cap.101.num.10.* & ante eum Garzias *tract.de expens. cap.3. num.48.* licèt id intelligat solùm quoad studia Grammaticæ, & artium liberalium, non autem juris civilis, vel medicinæ, nempe Philosophiæ, & Theologiæ, & similium; impensas enim in hujusmodi studiis; cùm sine illis filius possit vivere, patrem non teneri facere, præter Garziam *ibid.* tradidere Bartolus *in l.1. §. Nec castrense, in fine, ff. de collat. bonor.* (ubi dicit; quod pater non tenetur impendere pro filio studente in Jure) & *in d.l.bonis, §.non solùm* (ubi dicit quod in studiis homo dicitur militare, & sine eis potest honestè vivere.) Simon de Prætis *d dub.11. num.38.* & alii Jurisperiti, & Menoch. *d.casu 501.num.11.* & Surdus (qui & illos sequitur) *d.quæst 6.num.8.11. & 12.* quam tamen limitationem reprobant Corduba *in l. si quis à liberis, §. non tantum, num.35. ff. de lib. agnosc.* Rebuffus *de privileg. scholar. privil.13. num.2.* & Menochius *d. casu 501.num.12.* asserentes, si filius sit bonæ indolis, & patris conditio, & substantia ferat, teneri patrem pro filio impendere non solùm in studia liberalium artium, sed etiam juris civilis, & medicinæ; tum quia pater tenetur ad institutionem filiorum, ut videtur colligi ex *l.jus alimentorum, §.idem ad instructionem;* tum ob rationem *de illegit. 1.part. c.10. num.46. fine,* adductam ex Menochio, & contrà sentire videtur Fragosus *d.disput.1.num.96.*

Ex quibus colligitur, eum qui promisit aliquem ut filium tractare, vel alere, teneri illum mittere ad scholas, & erudiri facere in artibus honestis, & disciplinis, & juxta illius capacitatem, & conditionem; & expensas facere in magistris conducendis pro qualitate, & conditione personæ, & quantitate patrimonii: ita post alios Menochius *d.casu 501.num.7. & sequent.* & Surdus *d.tit.4.citati q.6.num.5.* cùm ad id teneatur pater erga filium, juxta tradita *num.præcedenti,* & *d.c.10. num.46.* videantur ibi notata. 63

§. V.

Quando alimenta alicui debentur ex dispositione hominis, & ex legato alimentorum, & jure actionis, an sub illis comprehendantur expensæ pro studiis, & apprehendendis disciplinis.

UTrum verò quando alimenta alicui debentur ex dispositione hominis, nempe ex legato alimentorum relicto, & jure actionis, sub alimentis comprehendantur etiam impensæ pro apprehendendis disciplinis, & artibus honestis necessariæ. Negant Bartolus *in l.legatis, in principio, & in d. l. de bonis, §. an solùm, & in tract. de alimentis, num.3.* Baldus *in d. l.qui filium, ff. ubi pupill. educari debeat.* Joachimus Mynsing. *loco suprà cit.* Simon de Prætis *d.dub.11.num.38.fine,* Molfesius *in constit. Neapol.tom.1.part.1.quæst.1.num.8.* & Doctores communiter, quos referunt Surdus *d. tit.4. quæst.6.num 4.* & Rota *decis.365.num.28 pars.3 divers. apud Rubeum:* eo quòd nomine alimentorum veniant solùm corporis necessaria, scilicet cibus, potus, vestis, habitatio, *d.l.legatis, ff.de alim.leg.* verùm disciplinæ, & scientiæ non sunt ad sustentationem corporis necessariæ, cum sine disciplinis, & scientiis vitam quilibet traducere possit, & videamus plures ignaros literarum, quàm scientes. Contrarium affert Surdus *d. num.4.fine,* asserens se non videre rationem diversitatis inter alimenta debita jure naturæ, & sanguinis, atque officio Judicis, & debita ex dispositione hominis; nam etsi fortè (inquit) arctiùs cogat natura, quàm pactum, non tamen in plus cogit. Confirmat; quia pro alimentis favorabilior interpretatio sumenda est, sicut patet de alimentis relictis usque ad pubertatem, quæ debentur usque ad annum 18. si relicta sint masculo, & usque ad 14. si relicta fœminæ, *l. Melanie, ff. de alim. legatis,* & cum aliis Surdus *tit.8. privileg.58.num.4.* & idem quando alimenta sunt legata pupillo, scilicet tunc alimentorum nomine intelligi etiam expensas pro apprehendendis artibus, & disciplinis, sentire videntur Rolandus, & Marta *locis suprà allegatis.* 64

Dicendum in legato alimentorum absolutè, & regulariter nomine alimentorum non contineri expensas studiorum, & ad disciplinam spectantes; sed ut ab hærede alimentario sint præstandæ, debere aliunde, scilicet per probabiles conjecturas, constare, seu colligi testatorem illas relinquere voluisse: textus est *in* 65

*l.legatis alimentis,ff.de alim.leg.*ubi cætera (inquit Javolenus)quæ ad disciplinam pertinent,legato(scilicet alimentorum)nón continentur,*nisi aliud* (subdit Paulus *l.sequenti*)*testatorem sensisse probetur.*Ita etiam præter Bartolum,& alios *num.præcedenti* relatos,Corduba *in l.si quis à liberis,§.non tantùm,n.*31.& 35.Menochius *lib.*4. *præsumpt.*157.*n.*31. & alii ab eodem relati, qui amplectuntur illam Bartoli, & Baldi *locis citatis* distinctionem de alimentis jure naturæ, & ratione pietatis debitis, & debitis ex dispositione hominis, & jure actionis, aientes impensam studiorum causa contineri nomine alimentorum solùm quando quis tenetur alere ratione pietatis,ut pater filium,etiam spurium; non verò quando quis tenetur alere ex pacto, vel ex legato, nisi aliud ex probabilibus conjecturis appareat de voluntate testatoris,vel paciscentis.

66 Probabilis verò conjectura ad credendum testatorem voluisse præstari studii & disciplinæ impensas, sumitur ex sanguinis claritate, & affectione, quæ id suaderet; ut si testator legavit alimenta filio suo naturali,vel simili,cui aliàs judicis officio tenetur præstare alimenta,& studii,ac disciplinæ impensam,juxta tradita *n.*62. ita post Bartolum *in d.l.legatis alimentis;* & *in d. tractatu de alimentis*, *num.*2. & Cordubam *loco suprà allegato*,Menochius *d.num.*31. Aliæ etiam conjecturæ desumi poterunt ex usu testatoris, & ex affectu erga legatarium,etiam non sibi sanguine conjunctum, & ex toto tenore dispositionis.

67 Ex quibus patet esse contra communem Doctorum sensum, & non admittendam doctrinam, quam tradit Fagundez *in Decal. lib.*4. *cap.*20. *n.*13. scilicet textum *in d.l.legatis alimentis*, dicentem nomine alimentorum legatorum non comprehendi impensam ad disciplinam pertinentem,intelligi de alimentis quæ jure naturæ debentur; alios verò textus *num.*62.adductos,ex quibus colligunt Doctores, communiter nomine alimentorum contineri expensas pro studiis, loqui de alimentis quæ debentur ex dispositione legis,sub alimentis enim jure naturæ debitis(inquit)comprehenduntur tantùm alimenta ad vitam præcisè necessaria; sub alimentis autem debitis ex dispositione legis, seu juris,comprehenduntur alimenta ad vitam, & ad studia; quia intelliguntur de alimentis naturæ humanæ, politicæ,& benè institutæ: textus enim *in d. l.legatis*, loquitur expressè de alimentis debitis ea lege, non jure naturæ: cæteri verò textus *n.*62.adducti loquuntur de alimentis debitis jure naturæ, & loquuntur etiam de debitis ex dispositione legis; intelliguntur tamen de debitis ex dispositione legis,quæ etiam jure naturæ, & ratione pietatis debentur, ut quæ à patre filiis debentur.Quare alimenta debita ex dispositione legis, cùm etiam debita sint jure naturæ, continent expensas pro studiis alimentarii.

68 Item inter alimenta comprehendi etiam impensam funeris, si alimentarius moritur, & competentes expensas pro anima defuncti, tradit Ludovicus Molina *de justitia,tom.*1. *d.disput.*168.*allegato* §.*Alimenta.* Cui contradicit Bonacina *loco suprà,num.*46.*citato*, dicens quod etsi pater tenetur ad expensas funeris, si filius moritur, impropriè tamen alimentorum nomen illis adscribi,cùm filius eis non alatur, nec sustentetur; & alioqui etiam expensæ, quæ in divinis officiis in suffragium defunctorum fiunt, nomine alimentorum vocarentur,& continerentur. Sed quamvis dictæ expensæ propriè non vendicent sibi nomen alimenti, rectè tamen dicit Molina inter alimenta computari; quia licèt illis corpus non alatur,aut sustentetur,sunt tamen necessariæ ad convenientem corporis alimentarii defuncti curam, ac proinde sicut omnia necessaria ad corpus vivum sustentandum inter alimenta computantur, & sunt præstanda ab eo, qui alimenta debet dare; ita etiam funeris impensæ (si alimentarius defunctus non reliquit) sine quibus corpus alimentarii aut remaneret derelictum, & inhumatum, vel decenter sepulturæ non posset tradi.

§. VI.

Debita illius, qui alendus est, non comprehenduntur sub alimentis.

Denique nomine alimentorum non intelliguntur debita, si quæ alimentarius contrahat. Molina *tom.*1. *de justit. disput.*228. §. *Quintus effectus*, *versic. Quartum est*, qui enim alimenta præbere tenetur, hujusmodi debita solvere non cogitur, §.*parens,ff.de liber.agnosc.* & eadem ratione,si filiusfamilias delictum committat,& pœna aliqua condemnaretur, non tenetur pater eam solvere,neque de legitima,quæ filio in bonis patris debetur, neque de alimentis; quæ pater tenetur ei præstare,ut loco citato Molina cum Panormitano *in cap.*2. *de delictis puerorum, num.*3. & Greg. Lopez *in l.*2.*tit.*19.*part.*4. *l.*1. post Speculatorem. Et prædicta de alimentorum appellatione. 69

SUMMARIUM
Capitis Tertii.

*Alimenta filiis, & quibuscumque ratione sanguinis, vel legati debita, ex juris civilis dispositione taxanda, & præstanda sunt juxta qualitatem, & dignitatem ejus, qui alendus est, & facultatis ejus, qui alere debet, & juxta regionis consuetudinem, & ætatem alimentarii, num.*70. *ad* 74.

*An id procedat in alimentis subsidiariis, quæ ab avo materno,vel fratre præstantur in defectum patris, vel avi paterni,num.*71.

*Taxatio quantitatis alimentorum committitur arbitrio judicis,eo tamen modo, quo declararet diligens paterfamilias,qui nullum interesse haberet, num.*75.

*Qui tamen Iudex tenetur considerare præfatas circumstantias dignitatis personarum, virium patrimonii, & consuetudinis regionis,num.*76.

Et si ignorarentur redditus bonorum, Iudex decernet alimenta ad certam quantitatem sibi bene visam, cum clausula sine prajudicio utriusque partis, ibid.

*Alimenta taxata etiam acceptata, augentur auctis facultatibus, vel aucta dignitate, & familia ejus, qui ali debet; & si fuerunt taxata in certa quantitate pecuniæ, augenda est taxatio aucto valore, seu pretio rerum,nempe ciborum, vestium & cæterorum, num.*77. *&* 79.

*Consensus in alimenta taxata, intelligitur rebus in eodem statu manentibus, num.*77.

Alimentis sibi jure naturali debitis filius renunciare non potest, ibid.

*Alimenta ex dispositione hominis, putà conventione, vel stipulatione in conventione taxata, vel taxata à testatore, non augentur, neque diminuuntur, aucta familia, vel dignitate alendi, vel diminutis facultatibus, num.*78.

Nemo tenetur præstare ultra id quod promisit, ibid.

Stipulans sibi alimenta, non intelligitur stipulari pro persona extrinseca, neque etiam pro uxore. ibid.

Debitor non est gravandus ultra illud,ad quod verisimiliter non se obligavit. ibid.

*Nobili alimenta debentur delicata, nec debet vesci cibo rusticorum, num.*80.

*E contra rustico non debentur cibi delicati, non panis albus,aut pulli,sed alendus grosso pane, & fabaceo,caseo, cepis,allio,rafano,& similibus cibis, num.*81.

*Pauperi rustico & vili tradere cibos delicatos, & sumptuosa convivia praparare, annumeratur inter peccata venialia, & quare, num.*62.

Aliquando

Aliquando à veniali excusatur, ibid.

Nobili, & cuicumque alimentario, qui ejus dignitate inspecta, illis eget, alimenta præstanda sunt etiam pro famulis, num.83.

Et generaliter obligatus alere aliquem, tenetur etiam servitori, vel servitoribus alimenta præstare, si inspecta necessitate, vel qualitate personæ, non potest sibi servire, ibid.

Sub legato uxori facto ejus quod sibi comparaverat, vel confecerat, venit vestis, quam ancillis ejus uxoris comparaverat, & confecerat, ibid.

Etiam in legato alimentorum veniunt alimenta pro servo, & ancilla, contra Gratum, num.84.

Legatum alimentorum latè interpretandum secundùm legatarii dignitatem, ibid.

Alimentario nobili, & cuicumque, si ejus dignitas ità exposcit, dandus equus, vel mulus, & pro eis alimenta, & etiam rheda, num.85.

Alimentario rustico, qui non potest ire pedester, saltem asinus providendus, contra Cordubam, num.86.

Filiis æqualia alimenta sunt à patre præstanda, numero 87.

Æqualitas inter filios servanda, ibid.

Primogenitus habet præeminentiam quandam inter fratres, & sedere debet in loco digniori, ibid.

Primogenito debentur alimenta pinguiora, ibid.

Procedunt prædicta in primogenito successore in omnibus bonis, vel majori eorum parte, ibid.

Alimentario, qui aliàs fuit dives, modò est pauper, an sint præstanda ampliora alimenta, quàm ei, qui semper est pauper; an verò solùm alimenta secundùm ultimum statum paupertatis, referuntur plures opiniones, & resolvitur non esse præstanda alimenta secundùm prioris status dignitatem; tamen ampliora, quàm ei qui semper fuit pauper, num.88. & 89.

Limitatur ut dignitas præcedens non attendatur, quando est amissa ob culpam propriam, num.90.

Pater aliàs vilis, & pauper, postea effectus dives, & ad digniorem statum evectus, tenetur præstare alimenta filio legitimo, & illegitimo secundùm præsentis status facultates, num.91.

Et similiter filius plebeii legitimus, si postea acquisivit bona castrensia, vel quasi castrensia, & filius plebeii illegitimus ex sua industria & fortuna factus dives; debent ali à parentibus secundùm præsentis status facultates, num.97.

Alimenta in quibusdam casibus non sunt præstanda juxta personæ dignitatem, sed sufficit si præstentur tantùm secundùm necessitatem, seu quatenus sunt præcisè necessaria sustentationi, num.93.

CAPUT III.

Filiis legitimis an juris civilis dispositione alimenta sint præstanda, & taxanda secundùm eorum qualitatem, & dignitatem, & quantitatem paterni patrimonii. Ubi agitur in universum, an alimenta debita jure naturæ, & sanguinis conjunctione, & etiam debita ex legato alimentorum, sint præstanda juxta qualitatem, & dignitatem personarum, & facultates illius, qui alere tenetur.

VIdeamus an filiis legitimis, & naturalibus ex juris civilis dispositione alimenta sint præstanda & taxanda juxta statum, & qualitatem, ac dignitatem personarum, & qualitatem paterni patrimonii: Circa quod

§. I.

Quid juxta jus civile.

COmmunis Doctorum sententia est; quod licèt 70 attento jure naturali alimenta debeantur tantùm secundùm naturæ indigentiam, & ea tantùm de necessitate sint præstanda, quæ necessaria sunt ad vitæ sustentationem, juxta tradita suprà, num.15. & Doctores ibidem initio, & fine relatos, & Jurisperitos mox allegandos; tamen juxta jus civile alimenta sunt præstanda secundùm statum, & dignitatem illius, cui præstanda sunt, & secundùm dignitatem, & facultates illius, qui solvere tenetur, illius scilicet facultatum quantitatem quoad redditus, quæ ex illis percipiuntur, considerata filiorum conditione, & numeri habita ratione: ita ex Theologis Molina *de just. tom.1. disput.168. §. jure tamen Canonico, tom.2. disp.413. n.7. & tom.3. disp.576.* Vasquez *in opusc. de testamentis, c.3. §.7. dub.9.* Azorius *p.2. lib.2. c.4. q.19. & p.3. lib.5. c.7. q.9.* Sanchez *in cons. mor. lib.4. c.3. dub.34.* Fagundez *in Decalog. lib.4 cap.17. n.11.* Megala *p.2. lib.2. c.2. q.2. & c.23. q.2. n.71.* & alii Theologi *suprà n.1.* relati, ex Jurisperitis ita scribentes *in l. si quis, ff. de annuis leg. in l.2. §. cùm plures, §. ultimo, ff. de administr. tut. in l.2. C. ubi pupillus educari debeat*; & in alias leges, quæ *infrà* adducuntur. Corduba plures alios allegans *in l. si quis à liberis, §. sed si filius, num 43. ff. de liber. agnosc.* Alexander *cons.72. num.7. lib.5.* Craveta *cons.189. n.10.* Tiraquellus *de nobilitate, cap.20. num.143.* Menochius *de arbitrariis, casu 169. & centuria 6. casu 501. & de præsumpt. lib.4. præsumpt.157. num.16. 18. 28. & 29.* Simon de Prætis *de interpretat. ult. volunt. lib.4 interpretat.2. dubitatione 11. num.52.* Covarruvias *de spons. p.2. c.8. §.6. num.7.* Garzias *de expensis, cap.4. num.17.* Spino *in speculo testam.* Glossa 16. *num.102.* Gomez *in l.9. Tauri, num 39.* P. Barbosa *ad l.1. p.4. num.60. & 61. ff. soluto matrim.* Ludovicus Molina *de primog. lib.2. cap.15. num.55.* Additionator *d. cap.15. num.39.* Gamma *decis.225. num.1.* Marescottus *variar. resol. lib.2. capite 83. num.12.* Vincentius de Franchis *decis.283. numero 20. 21. & 22.* Joannes Lup. *de illegit. comm.2. §.1. num.40.* Fachineus *controvers. juris lib.6. cap.34. initio*, Borgninus Cavalc. *decis.18. num.13. part.2.* Marta *de successionibus, part.4. quæst.18. art.7. num.14.* Surdus *de aliment. tit.4. quæst.18. num.1. & seq.* Stephanus Gratianus *discept. forens. tom.1. cap.112. num.1. & seq. tom.4. cap.613. num.4. & 5. & tom.5. cap.954. num.37. & 38.* Paschalis *de patria potestate, part.2. c.3. n.44. ad 48.* Molfesius *tom.1. in consuet. Neapol. part.5. quæst.6.* Augustinus Barbosa *collect. ad l. si patrem, numero 2. Cod. de alendis liberis*, Salgado *in labyrinth. capite 24. numero 13. & sequent.* Calvinus *de æquit. libro 1. capite 73.* Aloysius Riccius *in collectaneis decisionum, part.1. collect.97. & part.7. collect.3077.* Rota Romana *decis.21. part.1. apud Verallum, decis.31. numero 6. (quæ est decis.331. apud Manticam, & decis.431. part.4. diversorum, seu in noviter novissimis Farinacii) & decis.538. num.2. part.2. recentiorum Farinacii*, & cæteri Jurisperiti *apud eosdem*, præsertim *P. Barbosam, Sanchez, Gratianum, Rotam, & Salgadum.*

Probatur hæc communis conclusio, tum *ex l. si cui, ff. de annuis legatis*, ibi, *ex dignitate personæ*: tum *ex l. cùm plures, ff. de administrat. tutor.* ibi, *sed pro facultate patrimonii, pro dignitate natalium*: & *l. tutor*, ibi, *secundùm dignitatem, facultatesque pupilli modum servorum, ff. eodem titulo*: tum *ex l.1. Cod. ubi pupilli educari debeant*, ibi, *inspecta personarum qualitate, & conjunctione*: tum *ex l. cùm alimenta*, ibi, *ex* 71

facultati-

Habens servitutem via in fundo, electione loci semel facta, non potest variare, ibid.

Viam qui debet per fundum, facta simul loci designatione, potest variare assignando aliam aquè commodam, ibid.

Habitatio alimentario prestanda intelligitur pro se, & ejus uxore, & familia, num. 57.

Vestes, & habitatio nomine alimentorum non comprehenduntur in materia odiosa, scilicet quando alimenta committuntur renunciatione, vel pacto; sed comprehenduntur solùm ubi agitur de illis prastandis, num. 58.

Sub alimentis comprehenduntur ligna pro coquendis cibis, & ad calefaciendum hyeme, num. 59.

Medicina, & expensa pro medicis, si contingat alimentarium infirmari, continentur nomine alimentorum, num. 60.

Equus, & servi, eorumque salaria continentur nomine alimentorum, si ita postulat alimentarii dignitas, num. 61.

Item sumptus in honesta recreatione, venatione, hastiludio pro qualitate persona, & in aliqua pia peregrinatione, ibid.

Expensa ad addiscendas bonas artes, & disciplinas, ac scientias, etiam juris civilis, & medicina, ac similium, veniunt nomine alimentorum, quando debentur ratione pietatis, & ex officio judicis, num. 62.

Qui promisit aliquem ut filium tractare, vel alere, tenetur facere expensas pro studiis, num. 63.

Expensa studii alimentario debentur, quando alimenta debentur jure actionis, & ex dispositione hominis, putà ex legato alimentorum negativo, num. 64. affirmativo, ibid.

Resolvitur in legato alimentorum non comprehendi expensas studii, nisi ex probabilibus conjecturis aliud sensisse testatorem appareat, num. 65.

Quae sint probabiles conjectura, num. 66.

Rejicitur Doctrina quaedam Fagundez, num. 67.

Inter alimenta an computentur funeris expensa, resolvitur affirmativè, num. 68.

Qui alimenta prabere tenetur, non cogitur solvere debita alimentarii, nec poenam, si ad aliquid propter delictum condemnetur idem alimentarius, num. 69.

CAPUT II.

Alimentorum appellatione quae contineantur, latè explicatur.

§. *Primus.*

Explicantur ea, quae communi consensu nomine alimentorum veniunt.

46 NOmine autem alimentorum, quae filiis, & cuilibet alteri debentur à lege, seu ex dispositione hominis, putà ex legato alimentorum alicui facto, veniunt, seu comprehenduntur omnia ad vitam corporalem conservandam necessaria, & sine quibus homo non vivit, ut in juribus mox citandis, & tradunt Doctores etiam mox allegandi, & alii communiter, quare primò alimentorum, sicut & victus appellatione, continentur cibus, potus, vestitus, habitatio, cùm haec omnia sint ad corpus sustentandum, sive ad vivendum necessaria. Ita *l. legatis, & l. ultima, ff. de alimentis, vel cibariis legatis, l. verbo Vivere 43. & l. seq. & l. quos nos 234. §. verbo Vivere, ff. de verborum significatione,* Sylvester, & alii Summistae verbo *alim.* Molin. *de justit. tom. 1. disp. 168, §. alim.* Azor. *part. 2. lib. 2. c. 4. q. 2. & p. 3. lib. 1. c. 7. fin,* Fagundez *de praecept. Decal. lib. 4. c. 1. n. 3.* Bonacina *de praecept. disp. 6. q. un. p. 6. §. 1. n. 2.* Trullench *in Decal. l. 4. c. 1. dub. 3. n. 7.* & Megala *p. 2. lib. 2. c. 2. q. 1. n. 1.* ex Jurisperitis Bartolus, & alii scribentes *in d. l. leg.* Craveta *cons. 199. n. 3.* Joachim Mynsing, *singul. observat. cent. 3. observat. 12.* Rolandus à Valle *cons. 22. num. 1. & seqq.* Simon de Praetis *de interpr. ultimarum voluntatum, lib. 4. interp. 1. dubitat. 11. num. 23. 36. 39. & 40. 41. & 42.* Garzias *de expensis, cap. 3. num. 37, 38. & 39.* Menochius *de arbitrariis, casu 170. n. 29. & 30. & de praesumpt. lib. 4. praesumpt. 152. num. 13. & seq.* Paleotus *de nothis, cap. 47. num. 7.* Marta *de successionibus, part. 4. q. 18. art. 7. num. 8.* Surdus *de aliment. tit. 4. q. 1. & quatuor sequent.* Jacobus Cancer. *var. resol. tom. 1. cap. 16. n. 41.* Stephanus Gratianus *discept. forens. tom. 4. c. 610. num. 1.* Carpanus *ad statuta Med. cap. 312. num. 10.* Molfesius *in consuetudines Neap. tom. 1. p. 5. q. 1. n. 7.* Rota Rom. *decis. 1092. num. 4. apud Seraph. decis. 421. num. 4. part. 4. diversorum, apud Farinacium in noviter novissimis, decis. 365. num. 2. part. 5. diversorum apud Rubeum, & decis. 30. num. 32. p. 7. diversorum apud eundem Rubeum,* & alii Jurisperiti communiter *apud eosdem,* praesertim *apud Surdum, Menochium, & Martam.*

Cibi verò nomine comprehenduntur panis, carnes, 47
& alia edulia, pro qualitate, & conditione personae, cùm alii sint cibi rusticorum, alii nobilium. Menoch. *d. praesumpt. 157. num. 16.* & apud eum Rebuffus *in d. l. verbo Victus.* Addit idem Menochius *ibid.* cum eodem Rebuffo, & docet etiam Surdus *de aliment. tit. 4. q. 8.* non solùm haberi rationem cibi hominis, scilicet ipsius legatarii alimentandi, sed etiam animalium, v. g. equorum, vel mulorum, si id fert ipsius legatarii persona; aliàs non, & idem quando constat ex conjecturis, praestandum cibum pro animalibus.

Potus nomine continentur vinum, carvisia, & alia 48
potionis genera. Rebuffus *in d. l. verbo Victus,* Menochius *d. praesumpt. 157. n. 17.* & colligitur ex aliis, item intelligitur aqua, quando est venalis, ut Romae, & Venetiis, & etiam Genuae, *l. 1. l. Mela, §. quidam libertis, ff. de aliment. & cibariis,* Rolandus *d. cons. 22. n. 7.* Simon de Praetis *d. num. 39.* Menochius *d. praesumpt. 157. n. 17. & 25.* Surdus *d. tit. 4. q. 3. num. 2.* Marta *d. n. 7. & 8. fin.* & alii apud eosdem, praesertim scribentes *in d. l. 1. ff. de aliment.* Et advertendum hîc, quod licèt Oldradus *consil. 24. num. 2.* dixerit potum non contineri in legato alimentorum, quia aliud sit cibus, aliud potus, ad id allegans illud Joannis, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Nihilominus sub generali alimentorum, & cibariorum nomine contineri & potum, contra eundem Oldradum asseruerunt Corduba *in l. si quis à liberis, §. non tantùm enim, ff. de lib. agnosc.* Alciatus *in d. l. quos nos, d. §. verbo Vivere,* Menochius *d. praesumpt. 157. n. 17.* Surdus *d. q. 3. n. 6.* Rolandus *d. cons. 22. n. 7.* alii Doctores *n. 46.* relati, & alii à Surdo *d. q. 3. n. 2.* allegati, & praesertim Decius *in d. l. 1. ff. de alim. & in l. 2. ff. de jurisd. omnium jud.* ubi ait quod cibi appellatio includit potum, quando simpliciter pronunciatur, licèt aliud sit quando de cibo, & potu fit separata mentio. Et ratio est, quia alimentorum nomine continetur quidquid ad humanae vitae sustentationem requiritur, ut *num. 46.* dictum est: sine potu autem, & absque aqua vita corporalis non potest sustentari; nam cùm quotidie insensibiliter consumatur humidum radicale, & partes corporis deperdantur, necessarius est cibus, & potus ad restaurationem humidi, & partium per conversionem cibi, & potus in carnem, & sanguinem. Confirmatur, quia quod continetur nomine victus, continetur etiam nomine alimentorum, ita quod idem sunt reipsa alimenta, & victus. Ruinus *cons. 81. volum. 1.* Rolandus *d. cons. 22. num. 2.* Simon de Praetis *d. dub. 11. num. 36.* & Menochius *d. praesumpt. 157. n. 35.* Nomine autem victus continentur quae esui, potui, cultui corporis, quaeque ad vivendum homini necessaria sunt, etiam vestimenta, *d. l. verbo Vivere 43. ff. de verb. significatione.*

Nomine etiam potus veniunt non solùm vinum, cer- 49
visia, & alia potionis genera, & aqua in locis ubi est venalis; sed etiam vasa ad potandum, & in quibus

vinum

vinum, & cætera in quibus continentur, & conservantur. Ita Rebuffus *loco suprà allegato*, Simon de Prætis *d. dub.* 11. *n.* 42. Menochius *d. præsumpt.* 157. *n.* 17. Molfesius *in conf. Neapol. part.* 5. *q.* 1. *num.* 9. & Surdus *d. tit.* 4. *q.* 3. *num.* 4. id comprobans, quia cùm aliter vinum, & cætera potabilia nequeant servari, oportet etiam vasa deberi, uno enim concesso, venit id omne, sine quo concessum esse non potest, *d. l. legatis, ff. de alimentis leg. & aliis juribus*, per Surdum ad id *num.* 5. *allegatis*; faciunt etiam ad hujus confirmationem *l. qui pœnam*, *§. fin. de penu legata*, ubi penu legata, veniunt etiam vasa, quibus varia continentur: & *l.* 3. & *lex vino legato*, *ff. de tritico, vino, vel oleo legato*, ubi legato vino veniunt vasa, in quibus continetur, & servatur.

50 Num autem aqua, quando est venalis, & comprehensa sub alimentis, debeat in specie ipsa præstari; an verò pretium, seu æstimatio, Bartolus *in d. l.* 1. *ff. de aliment. legat. num.* 2. & de quibuscumque, quæ facilè, citòque corrumpuntur, & modico tempore durant, ut carnes, pisces, & similia, ait eorum pretium esse præstandum alimentario: quæ verò longo tempore durant, præstanda in sua specie, quod idem dicit *in l. pecuniæ, num.* 2. *ff. de aliment. legat.* Idem quod Bartolus, sentit Rolandus *d. consil.* 22. *fine, per textum in l. Mela*, §. *quadam*, *de alim. leg.* Corduba verò *in d. l. si quis à liberis*, §. *non tantùm*, *num.* 11. *ff. de liber. agnosc.* & Menochius *d. præsumpt.* 157. *num.* 26. dicunt id non probari *in d. l. Mela*, §. *quidam*, *ff. de aliment. legat.* eo quòd in illo responso scripserit Vlpianus, quod *in l.* 1. *eod. tit.* scilicet aquam contineri legatis alimentis, si in ea regione aqua emitur. Surdus *d. q.* 3. *n.* 5. meliùs respondet, debitorem, si malit, posse præstare; si verò idem debitor aquam singulis diebus dare non gravaretur, atque ab alimentario recipere non esset incommodum, non esse eundem debitorem cogendum dare pretium; quia sicut aliud pro alio solvi non potest invito creditore, *l.* 2. §. *mutui datio*, *ff. de reb. cred.* ita debitor non debet cogi ad solvendum unum pro alio. Quare ait tunc solùm pretium, seu æstimationem deberi, quando res debita præstari non potest; vel in subsidium, quando aliqua causa subest deveniendi ad æstimationem, aliàs res ipsa semper præstanda est, *l. si ita fidejussorem*, *ff. de fidejussor. l. stipulatus es opus*, *ff. eodem tit.* & *leg. si non sortem*, §. *libertus*, *ff. si certum petatur.* Tunc ergo, concludit Surdus *num.* 14. quando grave esset alimentario recipere aquam singulis vicibus, posset peti æstimatio, & judex pro suo arbitrio providebit, quod in tempus aqua detur, quæ servari potest, biduo scilicet, vel triduo, juxta regionis consuetudinem; & prædicta quidem, quando aqua non est legata distinctè ab alimentis, sed inest legato alimentorum; nam quando distinctè legantur alimenta, & aqua, ut *in d. l. Mela*, §. *quidem*, comprehenditur non solùm aqua causa potus, seu pro potu necessaria, sed etiam ad aliorum alimentorum usum, ad abluendum, & alios similes usus necessaria, ut *eodem §. quidem*, Vlpianus sensit, alioqui legatum aquæ distinctum non afferret emolumentum: & tamen dicit Vlpianus ibidem, tale legatum afferre emolumentum fideicommisso, scilicet augens legatum aquæ, & etiam Corduba *d. §. non tantùm*, *n.* 23. & Menochius *d. num.* 26. aiunt; & Corduba probat ex copula &, quæ inter aquam, & alimenta adjicitur, efficit enim pinguius legatum aquæ, *l. ea tamen adjectio*, *ff. de leg.* 3. & in hoc casu addit Corduba deberi aquæ æstimationem.

51 Vestitus, seu vestis, aut vestimenti (idem enim importat vestis, & vestimenta, *l. vestis initio*, *ff. de auro, & argento legato*) appellatione veniunt omnia lanea, linea, serica, bombacina, quæ induendi (ut camisia;) præcingendi (ut cingula) amiciendi (ut clamydes) insternendi, (ut tapetia, coopertoria;) injiciendi, (ut diploides) accubandi (ut culcitræ, seu culcitæ, vel culcitæ, vulgò lecto) sive plumeæ, sive laneæ, vel maturazza, causa parata sunt. Ita *d. l. vestis*, & *ibid. Glossa*: Simon de Prætis *d. dub.* 11. *num.* 46. & *n.* 42. Menochius *d. præsumpt.* 157. *num.* 18. & Surdus *d. tit.* 4. *quæst.* 2. *num.* 8. ubi *num.* 10. ex Bellono *consil.* 30. *num.* 11. *vol.* 2. declarat camisiam comprehendi nomine vestis legatæ, quando vestium fit simplex mentio; secus ubi ex testatoris verbis aliter colligi posset, ut *in d. consil.* 30. id etiam, quod nomine vestis, veniant laneæ, lineæ, sericæ, & similes, intelligitur pro qualitate, & conditione personæ, *l. penult. initio*, *ff. de aliment. legatis*, & alios allegans Menochius *d. n.* 18. de qua re infrà de taxatione alimentorum juxta qualitatem personæ. De lecto etiam, quod alimentorum nomine comprehendatur, constat ex *d. l. quos nos*, §. *verbum vivere*, ibi, & *stramenta contineri*, *ff. de verb. significat.* & *l. in stratum, eod. tit.* ubi & redditur ratio, scilicet quia sine lecto non potest homo vivere. Idem tradunt Bartolus *in d.* §. *verbum Vivere*, Menochius *d. præsumpt.* 157. *num.* 27. Garzias *d. cap.* 3. *num.* 39. 40. 41. Marta *d. art.* 3. *num.* 8. Surdus *tit.* 4. *quæst.* 3. apud eosdem. Et nomine lecti intelliguntur etiam omnia ornamenta, quæ accedunt lecto, ut Surdus *d. quæst.* 2. *num.* 5. post Bartolum *per textum* ibi *in l. liberorum*, §. *fin. ff. de leg.* 3. Utrum verò si testator alicui legaverit lectum, veniant ornamenta ordinaria, vel etiam pretiosiora, ex legatarii conditione judicandum juxta ea, quæ infrà explicantur, & tradita *tom.* 3. *mor. var. tit.* 14 *num.* 7. & 95.

Præterea vestis nomine veniunt capitis tegumenta, *d. l. argumento*, §. 1. ibi, & *fascia crinales*, *ff. de aur. & arg. leg. ibidem* Glossa, verbo *muliebria*, & Surdus *d. quæst.* 2. *num.* 9. 52

Item veniunt calceamenta, cùm hæc sint pedum vestes, *d. l. argumento*, ibi, *pedulasque & impilia*. Simon de Prætis *d. dub.* 11. *num.* 39. Rolandus à Valle *d. consil.* 22. *num.* 5. Menochius *d. præsumpt.* 157. *num.* 10. & *d. casu* 170. *num.* 30. Craveta *d. consil.* 199. *num.* 3. Surdus *d. quæst.* 2. *num.* 3. Rota *d. decis.* 451. *num.* 4. *part.* 4. *diversor.* Marta *d. art.* 7. *num.* 8. & alii ab iisdem relati. 53

Pelles quoque contineri nomine vestium, & alimentorum, si alimentarius illis egeat, quia sit senex, vel Doctor, vel alterius conditionis, cui vestes ex pelle conveniant, tradunt Baldus *consil.* 30. *fine*, *vol.* 2. Rolandus à Valle *d. consil.* 22. *num.* 4. *fine*, & Surdus *d. q.* 2. *n.* 6. 54

Habitationis nomine contineri etiam supellectilia, quæ massaritias vulgò appellant, nempe scamna, cathedras, mensas, tabulas, & vasa omnia ad coquinam, & mensam, & alia instrumenta ad usum quotidianum necessaria, tradidere Simon de Prætis *d. dubit.* 11. *num.* 41. & Menochius *d. præsumpt.* 157. *n.* 23. *argum. l. Labeo*, §. 1. *ff. de supellectili legata*; & quia quis non potest habitare, qui supellectilia opportuna non habet, sine eis enim, ut experimento constat, nemo potest habitare, & vivere, ut uno concesso veniunt omnia, sine quibus alimentarius non potest commodè alimenta consequi: ad nihil verò serviret habitatio, si nuda esset domus, nudi parietes. Surdus etiam *tit.* 4. *quæst.* 4. *num.* 3. existimavit prædictas massaritias deberi alimentario, non tamen sub nomine habitationis, quia simplici habitatione legata, nil aliud sit præstandum præter domum ipsam, non verò supellex, & bona mobilia ad domus instructionem, vel ornatum, cùm aliud sit habitatio, aliud supellex, ut constat ex eo, quod in jure habentur separati tituli *de habitat. leg. & de supellectili legatâ*, quæ cùm sint diversa, non potest de uno ad aliud inferri, *l. Papinianus*, *ff. de minoribus*: ergo ea ratione alimentario deberi vasa ad coquinam, & mensam necessaria, quia sine iis non sunt perfecta alimenta. 55

An verò debitor alimentorum, & habitationis, si semel assignaverit alimentario habitationem, seu domum 56

pro habitatione, possit variare dando aliam, & recipere quam dedit? Affirmat absolutè Matthæus de Afflictis *in constit. regn. constit. incipiente*, Comitibus, *in fin.* Rolandus *d. cons.* 22. *num.* 1. & Menochius *cons.* 62. *n.* 11. per textum *in l. si sterilis*, §. *fin. ff. de actionibus empti.* Surdus verò *d. quæst.* 4. *num.* 10. *& seq.* dicit tunc solùm licitam esse ejusmodi variationem, si fiat sine damno, vel incommodo alimentarii, per regulam, quod sit facilè concedendum quod mihi non nocet, & alteri prodest: de qua Glossa *in l.* 2. *initio*, *ff. soluto matrim.* & Bartolus *in l. item capilli*, *ff de rerum divis.* Confirmat, quia etsi habens servitutem viæ, vel itineris in aliquo fundo, non possit variare, sed electione loci semel facta cogatur per illum, & non per alium transire, *l. si vi*, *ff. de servitutibus*; ille tamen, qui servitutem debet, licèt semel viam designaverit in uno loco, potest variare, & alium æquè commodum designare, ut per textum satis clarum *in l.* 2. §. *penult. ff. de religiosis*, *& sumptibus funerum*, Glossa fin. *in d. l. si cui*, Bartolus *ibid.* Castrensis, Carpola, & alii quos contra Angelum refert, & sequitur idem Surdus *d. quæst.* 4. *num.* 12. Sufficit ergo, quod detur habitatio in aliqua domo, dummodo sit commoda, & sufficiens juxta qualitatem, & conditionem personæ, & variatio detrimentum alimentario non afferat. Sed puto quod non aliud velint Afflictus, Rolandus, & Menochius, scilicet variationem esse licitam sic, nempe sine damno, & notabili incommodo alimentarii, ut etiam notavit Gratianus *discept. for. tom.* 4. *cap.* 343. *num.* 13. hoc idem asserens. Et quamvis textus *in d.* §. *fin. l. si sterilis*, loquatur in debito alternativo, scilicet quando venditor domus reservavit sibi habitationem, vel decem in singulos annos, & sit obligatio annua, quæ continet plures obligationes, & tot, quot sunt anni, quo casu lex vult emptorem posse uno anno habitationem præstare, alio verò anno decem dare; in præsenti verò casu nulla sit obligatio alternativa, & sit unicum debitum alimentorum, ut propterea una assignata domo, non videatur ampliùs permissa variatio; nihilominus facit etiam aliquo modo ad ostendendum, licitam etiam in nostro casu variationem habitationis pro habitatione æquè commoda; sicuti ibi licita est variatio habitationis pro solutione decem, & è contra.

57 Cæterùm habitatio præstanda à debitore alimentorum, intelligitur pro se, & ejus familia, scilicet uxore, & aliis: & textus *in l. cæterùm*, §. *mulieri*, *ff. de usu*, *& habitatione*; & tradunt Simon de Prætis *d. dub.* 11. *num.* 19. Menochius *d. præsumptione* 157. *num.* 21. ne vir ipse uxore, & familia careat, cùm sit mulier socia domus mariti, *l. adversus*, *C. de crimine expilatæ hæreditatis.* Et quod pater teneatur præbere habitatorium pro se, & pro suis liberis, & uxore, tradunt Glossa *in l. si quis à liberis*, §. *non tantum*, *verbo Cætera*, & ibi Bartolus, *ff. de liber. agnosc.* & Sanchez *de matrimon, lib.* 4. *disput.* 26. *num.* 21.

§. II.

In materia odiosa victus, & habitatio non veniunt nomine alimentorum, ut cùm agitur de illis remittendis.

58 Illud verò quod in præcedentibus dictum est, vestes, & habitationem venire alimentorum nomine; id intelligendum in materia favorabili, & ubi agitur de alimentis præstandis ex jure naturæ, & conjunctione sanguinis; vel ex legato, aut alia legis, vel hominis dispositione; secus verò in materia odiosa, & ubi agitur de remittendis alimentis pacto vel renunciatione, vel transactione, vel alia via; tunc enim nomine alimentorum non continetur vestiarium, & habitatio, seu remittens non censetur remittere vestiarium, & habitationem, nisi specialiter vestiario, & habitationi renunciaverit, seu super illis specialiter transegerit. Textus clarus est *in l. cùm hi*, §. *qui transigit*, *ff. de transactionibus*, Bartolus *in l. legatis*, *initio ff. de aliment. legat.* Jason *in d.* §. *qui transigit*, dicens esse communem sententiam, Menochius *de arbitr. casu* 170. *num.* 47. *& sequent.* Garzias *de expensis, d. c.* 3. *num.* 38. Surdus *de alimentis, tit.* 4. *quæst.* 2. *n.* 6. Cancerius *var. resol. cap.* 16. *num.* 41. & alii à Surdo *d. num.* 30. relati. Favore enim eorum, quibus debentur alimenta, introductum est, ut nomine alimentorum veniant vestiarium, & habitatio. Quare non est audiendus Decius *in l. de alimentis, n.* 2. *C. de transact. & in l.* 2. *n.* 31. *ff. de jurisdict. omnium jud.* volens non minùs vestes venire nomine alimentorum, quando remittuntur alimenta, quàm ubi agitur de illis præstandis; eo quòd etiam in materia odiosa fiat lata interpretatio, quatenus verborum proprietas patitur, *l. cùm lege*, *C. de testam.* respondens *ad d.* §. *qui transigit*; ideò vestes ibi non venire, quia textus procedit ulteriùs disponendo specialiter; quam tamen Decii responsionem Surdus *d. num.* 30. reprobat dicens esse verbalem; si enim cùm tractatur de alimentis remittendis, vestis veniret appellatione alimentorum, Divus Marcus *in d.* §. *qui transigit*, non decrevisset de veste specialiter transigenda, ut in eo textu dicitur.

§. III.

Appellatione alimentorum comprehenduntur ligna ad coquendum cibos, & calefaciendum, & medicina, & expensa pro Medico.

Secundo cùm sub alimentis comprehendantur omnia vitæ hominis corporali necessaria, ut *n.* 46. 59
juxta Doctores communiter dictum est; continentur etiam ligna non solùm pro coquendis cibis, sed etiam calefaciendi causa tempore hyemali; ignis enim ad prædicta necessarius est. Ita expressè Simon de Prætis *d. dub.* 11. *num.* 41. & Menochius *d. præsumptione* 157. *num.* 24.

Medicinæ quoque, seu expensæ pro medicinis, si 60
contingat alimentarium infirmari, sive alimenta sint alicui debita ex officio judicis, sive ex contractu, vel testamento, seu legato, sub alimentis continentur, & alimentario infirmo sunt exhibenda. Ita per dictam *l. verbo Victus*, & *d. l. quos nos*, §. *verbo Vivere*, *ff. de verborum significat.* Bartolus *in l. legatis*, *de aliment. in l. libertis* 2. §. 1. *ff. eodem*, *& in l. si cùm dotem*, §. *fin autem ff. soluto matr.* Craveta *cons.* 149. *num.* 3. Mynsinger. *pract. cent.* 3. *observ.* 12. Rolandus *d. cons.* 22. *n.* 3. *lib.* 1. Simon de Prætis *dicta dubitatione* 11. *num.* 37. *&* 38. Menochius *d. præs.* 157. *num.* 30. Garzias *d. cap.* 3. *num.* 42. Surdus *tit.* 4. *quæst.* 5. *num.* 1. Marta *de success. part.* 4. *quæst.* 18. *art.* 7. *num.* 8. Et alii Jurisperiti communiter, quos Rolandus, Menochius, & Surdus *n.* 5. latè referunt; sine medicis enim vita hominis conservari non potest, stante infirmitate. Ex quo fit, ut sub alimentis contineatur expensa, seu salarium pro medico, quod alimentario infirmo præstandum erit ab eo, qui debet alimenta, ut medico uti possit, ut in specie post alios Rolandus *d. num.* 3. *fine*, & Surdus *q.* 3. sicut enim medicinæ, ita & medicus alimentario infirmo est necessarius, per quem opportunæ medicinæ sunt præscribendæ, & applicandæ.

§. IV.

Alimentorum nomine comprehenduntur equus, servitores, eorumque salaria; item expensæ ad addiscendas artes honestas, & disciplinas, juxtà conditionem Alimentarii.

61 CONtinentur etiam equus, servitores, vel servitrices, eorumque salaria, si ita postulet dignitas, & status alimentarii. Ita Simon de Prætis *d.dub.*11. *n.*59. & alios allegans Menochius *d.præsumptione* 157.*n.*28. *&* 29. & Surdus *d. tit.*4.*s.* 8. 9.*&* 18. & de alimentis servis præstandis habet *l.cùm plures*, *§.si tutor,ff.de administratione,& periculo tutor.* Addit Surdus *d.quæst.*8. *num* 4 *& seq.* alios allegans, contineri etiam currum, seu carrocium, si id postulet dignitas alimentarii; item contineri expensas in honesta aliqua recreatione, venatione, hastiludio, & similibus pro qualitate personæ. Tradit Fagundez *in Decalogum,lib.*4. *cap.*21. *num.*8.*& cap.*24.*num.*2.*&* 3.

62 Item nomine alimentorum veniunt expensæ necessariæ ad addiscendas artes honestas, vel disciplinas, & scientias, si alimenta debeantur jure naturæ, & sanguinis, seu ratione pietatis, & officio judicis; & alimentarius sit persona docilis, & capax apprehendendi artem, vel scientiam, ut cæteri ejusdem conditionis talibus artibus, & disciplinis solent instrui. Ita per textus *in l.qui filium, ff. ubi pupillus educari debeat*, ibi: *Sed & in studia, & in cæteras necessarias impensas debet impendi pro modo facultatum:* & d. l. *cùm plures*, *§.cùm tutor, ff. de administratione & periculo tut.* ibi: *Imprimis mercedes præceptoribus: & l.ultima,C.de alim. pupillo præstandis.*ibi: *Ministeria,studiaque erogata esse.* Ex Jurisperitis *suprà num.*46. relatis tradunt Craveta, Mynsingerus *locis ibi allegatis*, Rolandus *d.consf.*22.*n.*8. Marta *d.art.*7.*num.*12.Menochius *lib.*4.*præs.*191.*n.*12. *in fine,& de arbitr. cent.*6.*casu* 501.*num.*7. Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. clerio. cap.*15. *num.*15. & alii Jurisperiti communiter ab iisdem, & à Surdo *d. tit.*4. *quæst.*6. latè relati, Fragosus *de Repub. Christ. part.*3.*disput.*1.*n.*93.94.95. & Doctores, qui *hoc tract. part.*1.*cap.*10. *n.*46. sunt relati; ubi probatum est, parentes obligati ad curandum, ut filii instruantur bonis artibus, & disciplinis, quibus cæteri ejusdem conditionis informari solent. Idem etiam sentit Surdus *d. q.*6.*n.*1. *& seq.* (quamvis *n.*6. *&* 7. contendat id non colligi ex præfatis textibus,) & *d.num.*7.*fine*, addit ab hac opinione non esse in consulendo, & judicando discedendum; & quod pater nedum teneatur filio præstare alimenta ordinaria, sed etiam expensas pro studio, latè alios allegantes tradunt Paschalis *de potestate patria,part.*2.*c.*3.*num.*16. Franciscus Maria Pratus *in annotationibus ad eundem Paschalem.d.c.*3. *ad citatum num.*16. & Joan.Lup.*de illegitimis,com.*2.*§.*1.*num.*40. quamvis contrarium sentiant Padilla *in auth. res quæ, num.*92. *C. comm. de legatis*, & alii qui *infrà num.*825. referuntur. Harum autem expensarum ratio habenda est judicis arbitrio, pro qualitate, & dignitate personæ, & pro quantitate patrimonii, ut Menochius *d. cap.*101.*num.*10. & ante eum Garzias *tract.de expens. cap.*3. *num.*48. licèt id intelligat solùm quoad studia Grammaticæ, & artium liberalium, non autem juris civilis, vel medicinæ, nempe Philosophiæ, & Theologiæ, & similium; impensas enim in hujusmodi studiis, cùm sine illis filius possit vivere, patrem non teneri facere, præter Garziam *ibid.* tradidere Bartolus *in l.*1. *§. Nec castrense, in fine, ff. de collat. bonor.* (ubi dicit, quod pater non tenetur impendere pro filio studente in Jure) & *in d.l.bonis, §.non solùm* (ubi dicit quod in studiis homo dicitur militare, & sine eis potest honestè vivere.) Simon de Prætis *d. dub.*11. *num.*38. & alii Jurisperiti, & Menoch. *d.casu* 501.*num.*11. & Surdus (qui & illos sequitur) *d.quæst.*6.*num.*8.11. *&* 12. quam tamen limitationem reprobant Corduba *in l. si quis à liberis*, *§. non tantùm*, *num.*35.*ff. de lib. agnosc.* Rebuffus *de privileg. scholar. privil.*13. *num.*2. & Menochius *d. casu* 501.*num.*12. asserentes, si filius sit bonæ indolis, & patris conditio, & substantia ferat, teneri patrem pro filio impendere non solùm in studia liberalium artium, sed etiam juris civilis, & medicinæ; tum quia pater tenetur ad institutionem filiorum, ut videtur colligi ex *l.jus alimentorum*, *§.idem ad instructionem*; tum ob rationem *de illegit.* 1.*part. c.*10. *num.*46. *fine*, adductam ex Menochio, & contrà sentire videtur Fragosus *d.disput.*1.*num.*96.

Ex quibus colligitur, eum qui promisit aliquem ut filium tractare, vel alere, teneri illum mittere ad scholas, & erudiri facere in artibus honestis, & disciplinis, & juxta illius capacitatem, & conditionem, & expensas facere in magistris conducendis pro qualitate, & conditione personæ, & quantitate patrimonii: ita post alios Menochius *d.casu* 501.*num.*7. *& sequent.* & Surdus *d.tit.*4.*citati q.*6.*num.*5. cùm ad id teneatur pater erga filium, juxta tradita *num.præcedenti*, & *d.c.*10. *num.*46. videantur ibi notata. 63

§. V.

Quando alimenta alicui debentur ex dispositione hominis, & ex legato alimentorum, & jure actionis, an sub illis comprehendantur expensæ pro studiis, & apprehendendis disciplinis.

UTrum verò quando alimenta alicui debentur ex dispositione hominis, nempe ex legato alimentorum relicto, & jure actionis, sub alimentis comprehendantur etiam impensæ pro apprehendendis disciplinis, & artibus honestis necessariæ. Negant Bartolus *in l.legatis, in principio, & in d. l. de bonis, §. an solùm, & in tract. de alimentis, num.*3. Baldus *in d. l.qui filium, ff. ubi pupill. educari debeat.* Joachimus Mynsing. *loco suprà cit.* Simon de Prætis *d.dub.*11 *num.*38.*fine*, Molfesius *in constit. Neoapol.tom.*1.*part.*1.*quæst.*1.*num.*8. & Doctores communiter, quos referunt Surdus *d. tit.*4. *quæst.*6.*num.*4. & Rota *decis.*365.*num.*28 *part.*5.*divers. apud Rubeum*: eo quòd nomine alimentorum veniant solùm corporis necessaria, scilicet cibus, potus, vestis, habitatio, *d.l.legatis,ff.de alim.leg.* verùm disciplinæ, & scientiæ non sunt ad sustentationem corporis necessariæ, cùm sine disciplinis, & scientiis vitam quilibet traducere possit, & videamus plures ignaros literarum, quàm scientes. Contrarium affert Surdus *d. num.*4.*fine*, asserens se non videre rationem diversitatis inter alimenta debita jure naturæ, & sanguinis, atque officio Judicis, & debita ex dispositione hominis; nam etsi fortè (inquit) arctiùs cogat natura, quàm pactum, non tamen in plus cogit. Confirmat, quia pro alimentis favorabilior interpretatio sumenda est, sicut patet de alimentis relictis usque ad pubertatem, quæ debentur usque ad annum 18. si relicta sint masculo, & usque ad 14. si relicta fœminæ, *l.Mela ait, ff. de alim. legatis*, & cum aliis Surdus *tit.*8. *privileg.*58.*num.*4. & idem quando alimenta sunt legata pupillo, scilicet tunc alimentorum nomine intelligi etiam expensas pro apprehendendis artibus, & disciplinis, sentire videntur Rolandus, & Marta *locis suprà allegatis.* 64

Dicendum in legato alimentorum absolutè, & regulariter nomine alimentorum non contineri expensas studiorum, & ad disciplinam spectantes; sed ut ab hærede alimentario sint præstandæ, debere aliunde, scilicet per probabiles conjecturas, constare, seu colligi testatorem illas relinquere voluisse: textus est *in* 65

l.legatis alimentis,ff.de alim.leg. ubi cætera (inquit Javolenus) quæ ad disciplinam pertinent, legato (scilicet alimentorum) non continentur, *nisi aliud* (subdit Paulus *l.sequenti*) *testatorem sensisse probetur.* Ita etiam præter Bartolum, & alios *num.præcedenti* relatos, Corduba *in l.si quis à liberis,§.non tantùm,n.*31.*&* 35. Menochius *lib.*4. *præsumpt.*157.*n.*31. & alii ab eodem relati, qui amplectuntur illam Bartoli, & Baldi *locis citatis* distinctionem de alimentis jure naturæ, & ratione pietatis debitis, & debitis ex dispositione hominis, & jure actionis, aientes impensam studiorum causa contineri nomine alimentorum solùm quando quis tenetur alere ratione pietatis, ut pater filium, etiam spurium; non verò quando quis tenetur alere ex pacto, vel ex legato, nisi aliud ex probabilibus conjecturis appareat de voluntate testatoris, vel paciscentis.

66 Probabilis verò conjectura ad credendum testatorem voluisse præstari studii & disciplinæ impensas, sumitur ex sanguinis claritate, & affectione, quæ id suaderet; ut si testator legavit alimenta filio suo naturali, vel simili, cui aliàs judicis officio tenetur præstare alimenta, & studii, ac disciplinæ impensam, juxta tradita *n.*62. ita post Bartolum *in d.l.legatis alimentis; & in d. tractatu de alimentis, num.*2. & Cordubam *loco suprà allegato*, Menochius *d.num.*31. Aliæ etiam conjecturæ desumi poterunt ex usu testatoris, & ex affectu erga legatarium, etiam non sibi sanguine conjunctum, & ex toto tenore dispositionis.

67 Ex quibus patet esse contra communem Doctorum sensum, & non admittendam doctrinam, quam tradit Fagundez *in Decal. lib.*4. *cap.*20. *n.*13. scilicet textum *in d.l.legatis alimentis*, dicentem nomine alimentorum legatorum non comprehendi impensam ad disciplinam pertinentem, intelligi de alimentis quæ jure naturæ debentur; alios verò textus *num.*62. adductos, ex quibus colligunt Doctores, communiter nomine alimentorum contineri expensas pro studiis, loqui de alimentis quæ debentur ex dispositione legis, sub alimentis enim jure naturæ debitis (inquit) comprehenduntur tantùm alimenta ad vitam præcisè necessaria; sub alimentis autem debitis ex dispositione legis, seu juris, comprehenduntur alimenta ad vitam, & ad studia; quia intelliguntur de alimentis naturæ humanæ, politicæ, & benè institutæ: textus enim *in d. l.legatis*, loquitur expresè de alimentis debitis ea lege, non jure naturæ: cæteri verò textus *n.*62. adducti loquuntur de alimentis debitis jure naturæ, & loquuntur etiam de debitis ex dispositione legis; intelliguntur tamen de debitis ex dispositione legis, quæ etiam jure naturæ, & ratione pietatis debentur, ut quæ à patre filiis debentur. Quare alimenta debita ex dispositione legis, cùm etiam debita sint jure naturæ, continent expensas pro studiis alimentarii.

68 Item inter alimenta comprehendi etiam impensam funeris, si alimentarius moritur, & competentes expensas pro anima defuncti, tradit Ludovicus Molina *de justitia, tom.*1. *d.disput.*168. *allegato §.Alimenta.* Cui contradicit Bonacina *loco suprà, num.*46. *citato*, dicens quod etsi pater tenetur ad expensas funeris, si filius moritur, impropriè tamen alimentorum nomen illis adscribi, cùm filius eis non alatur, nec sustentetur; & alioqui etiam expensæ, quæ in divinis officiis in suffragium defunctorum fiunt, nomine alimentorum vocarentur, & continerentur. Sed quamvis dictæ expensæ propriè non vendicent sibi nomen alimenti, rectè tamen dicit Molina inter alimenta computari; quia licèt illis corpus non alatur, aut sustentetur, sunt tamen necessariæ ad convenientem corporis alimentarii defuncti curam, ac proinde sicut omnia necessaria ad corpus vivum sustentandum inter alimenta computantur, & sunt præstanda ab eo, qui alimenta debet dare; ita etiam funeris impensæ (si alimentarius defunctus non reliquit) sine quibus corpus alimentarii aut remaneret derelictum, & inhumatum, vel decenter sepulturæ non posset tradi.

§. VI.

Debita illius, qui alendus est, non comprehenduntur sub alimentis.

Denique nomine alimentorum non intelliguntur debita, si quæ alimentarius contrahat. Molina *tom.*1. *de justit. disput.*228. §. *Quintus effectus, versic. Quartum est*, qui enim alimenta præbere tenetur, hujusmodi debita solvere non cogitur, §.*parens,ff.de liber.agnosc.* & eadem ratione, si filiusfamilias delictum committat, & pœna aliqua condemnaretur, non tenetur pater eam solvere, neque de legitima, quæ filio in bonis patris debetur, neque de alimentis, quæ pater tenetur ei præstare, ut loco citato Molina cum Panormitano *in cap.*2. *de delictis puerorum, num.*3. & Greg. Lopez *in l.*2.*tit.*19.*part.*4. *l.*1. post Speculatorem. Et prædicta de alimentorum appellatione. 69

SUMMARIUM
Capitis Tertii.

*Alimenta filiis, & quibuscumque ratione sanguinis, vel legati debita, ex juris civilis dispositione taxanda, & præstanda sunt juxta qualitatem, & dignitatem ejus, qui alendus est, & facultatis ejus, qui alere debet, & juxta regionis consuetudinem, & ætatem alimentarii, num.*70. *ad* 74.

*An id procedat in alimentis subsidiariis, quæ ab avo materno, vel fratre præstantur in defectum patris, vel avi paterni, num.*71.

*Taxatio quantitatis alimentorum committitur arbitrio judicis, eo tamen modo, quo declararet diligens paterfamilias, qui nullum interesse haberet, num.*75.

*Qui tamen Iudex tenetur considerare præfatas circumstantias dignitatis personarum, virium patrimonii, & consuetudinis regionis, num.*76.

Et si ignorarentur redditus bonorum, Iudex decernet alimenta ad certam quantitatem sibi bene visam, cum clausula sine præjudicio utriusque partis, ibid.

*Alimenta taxata etiam acceptata, augentur auctis facultatibus, vel aucta dignitate, & familia ejus, qui ali debet; & si fuerunt taxata in certa quantitate pecuniæ, augenda est taxatio aucto valore, seu pretio rerum, nempe ciborum, vestium & cæterorum, num.*77. *&* 79.

*Consensus in alimenta taxata, intelligitur rebus in eodem statu manentibus, num.*77.

Alimentis sibi jure naturali debitis filius renunciare non potest, ibid.

*Alimenta ex dispositione hominis, putà conventione, vel stipulatione in conventione taxata, vel taxata à testatore, non augentur, neque diminuuntur, aucta familia, vel dignitate alendi, vel diminutis facultatibus, num.*78.

Nemo tenetur præstare ultra id quod promisit, ibid.

Stipulans sibi alimenta, non intelligitur stipulari pro persona extrinseca, neque etiam pro uxore. ibid.

Debitor non est gravandus ultra illud, ad quod verisimiliter non se obligavit. ibid.

*Nobili alimenta debentur delicata, nec debet vesci cibo rusticorum, num.*80.

*E contra rustico non debentur cibi delicati, non panis albus, aut pulli, sed alendus grosso pane, & fabaceo, caseo, cepis, allio, rafano, & similibus cibis, num.*81.

*Pauperi rustico & vili tradere cibos delicatos, & sumptuosa convivia præparare, annumeratur inter peccata venialia, & quare, num.*62.

Aliquando

Aliquando à veniali excusatur, ibid.

Nobili, & cuicumque alimentario, qui ejus dignitate inspecta, illis eget, alimenta præstanda sunt etiam pro famulis, num.83.

Et generaliter obligatus alere aliquem, tenetur etiam servitori, vel servitoribus alimenta præstare, si inspecta necessitate, vel qualitate personæ, non potest sibi servire, ibid.

Sub legato uxori facto ejus quod sibi comparaverat, vel confecerat, venit vestis, quam ancillis ejus uxoris comparaverat, & confecerat, ibid.

Etiam in legato alimentorum veniunt alimenta pro servo, & ancilla, contra Gratum, num.84.

Legatum alimentorum latè interpretandum secundùm legatarii dignitatem, ibid.

Alimentario nobili, & cuicumque, si ejus dignitas ità exposcit, dandus equus, vel mulus, & pro eis alimenta, & etiam rheda, num.85.

Alimentario rustico, qui non potest ire pedester, saltem asinus providendus, contra Cordubam, num.86.

Filiis æqualia alimenta sunt à patre præstanda, numero 87.

Æqualitas inter filios servanda, ibid.

Primogenitus habet præeminentiam quandam inter fratres, & sedere debet in loco digniori, ibid.

Primogenito debentur alimenta pinguiora, ibid.

Procedunt prædicta in primogenito successore in omnibus bonis, vel majori eorum parte, ibid.

Alimentario, qui aliàs fuit dives, modò est pauper, an sint præstanda ampliora alimenta, quàm ei, qui semper est pauper; an verò solùm alimenta secundùm ultimum statum paupertatis, referuntur plures opiniones, & resolvitur non esse præstanda alimenta secundùm prioris status dignitatem; tamen ampliora, quàm ei qui semper fuit pauper, num.88. & 89.

Limitatur ut dignitas præcedens non attendatur, quando est amissa ob culpam propriam, num.90.

Pater aliàs vilis, & pauper, postea effectus dives, & ad digniorem statum evectus, tenetur præstare alimenta filio legitimo, & illegitimo secundùm præsentis status facultates, num.91.

Et similiter filius plebeii legitimus, si postea acquisivit bona castrensia, vel quasi castrensia, & filius plebeii illegitimus ex sua industria & fortuna factus dives; debent ali à parentibus secundùm præsentis status facultates, num.97.

Alimenta in quibusdam casibus non sunt præstanda juxta personæ dignitatem, sed sufficit si præstentur tantùm secundùm necessitatem, seu quatenus sunt præcisè necessaria sustentationi, num.93.

CAPUT III.

Filiis legitimis an juris civilis dispositione alimenta sint præstanda, & taxanda secundùm eorum qualitatem, & dignitatem, & quantitatem paterni patrimonii. Ubi agitur in universum, an alimenta debita jure naturæ, & sanguinis conjunctione, & etiam debita ex legato alimentorum, sint præstanda juxta qualitatem, & dignitatem personarum, & facultates illius, qui alere tenetur.

VIdeamus an filiis legitimis, & naturalibus ex juris civilis dispositione alimenta sint præstanda & taxanda juxta statum, & qualitatem, ac dignitatem personarum, & qualitatem paterni patrimonii: Circa quod

§. I.

Quid juxta jus civile.

COmmunis Doctorum sententia est, quod licèt 70
attento jure naturali alimenta debeantur tantùm secundùm naturæ indigentiam, & ea tantùm de necessitate sint præstanda, quæ necessaria sunt ad vitæ sustentationem, juxta tradita suprà, num.15. & Doctores ibidem initio, & fine relatos, & Jurisperitos mox allegandos; tamen juxta jus civile alimenta sunt præstanda secundùm statum, & dignitatem illius, cui præstanda sunt, & secundùm dignitatem, & facultates illius, qui solvere tenetur, illius scilicet facultatum quantitatem quoad redditus, quæ ex illis percipiuntur, considerata filiorum conditione, & numeri habita ratione: ita ex Theologis Molina *de just tom.1.disput.168. §. jure tamen Canonico, tom.2. disp.413.n.7. & tom.3.disp.576.* Vasquez *in opusc.de testamentis, c.3. §.7.dub.9.* Azorius *p.2. lib.2.c.4.q.19. & p.3.lib.5.c.7. q.9.* Sanchez *in cons.mor.lib.4.c.3.dub.34.* Fagundez *in Decalog.lib.4 cap.17.n.11.* Megala *p.2.lib.2.c.2.q.2. & c.23.q.2.n.71.* & alii Theologi *suprà n.1.* relati, ex Jurisperitis ita scribentes *in l.si quis, ff.de annuis leg.in l.2. §.cùm plures, §.ultimo, ff.de administr tut.in l.2.C.ubi pupillus educari debeat*; & in alias leges, quæ *infrà* adducuntur. Corduba plures alios allegans *in l. si quis à liberis, §. sed si filius, num 43.ff.de liber.agnosc.* Alexander *cons.72.num.7.lib.5.* Craveta *cons.189.n.10.* Tiraquellus *de nobilitate, cap.20. num.143.* Menochius *de arbitrariis casu 169. & centuria 6.casu 501. & de præsumpt. lib.4. præsumpt.157. num.16.18. 28. & 29.* Simon de Prætis *de interpretat. ult. volunt.lib.4 interpretat.2.dubitatione 11.num.52.* Covarruvias *de spons.p.2.c.8.§.6. num.7.* Garzias *de expensis, cap.4 num.17.* Spino *in speculo testam.* Glossa *16. num.102.* Gomez *in l.9. Tauri, num 39.* P.Barbosa *ad l.1. p.4. num.60. & 61. ff. soluto matrim.* Ludovicus Molina *de primog. lib.2. cap.15. num.55.* Additionator *d. cap.15. num.39.* Gamma *decis.225. num.1.* Marescottus *variar. resol. lib.2. capite 83. num.12.* Vincentius de Franchis *decis.283. numero 20. 21. & 22.* Joannes Lup. *de illegit. comm.2. §.1. num.40.* Fachineus *controvers. juris lib.6. cap.34. initio,* Borgninus Cavalc. *decis.18. num.13. part.2.* Marta *de successionibus, part.4. quæst.18. art.7. num.14.* Surdus *de aliment. tit.4. quæst.18.num.1.& seq.* Stephanus Gratianus *discept. forens. tom.1.cap.112. num.1.& seq. tom.4. cap.613. num.4. & 5. & tom.5. cap.954. num.37. & 38.* Paschalis *de patria potestate, part.2. c.3. n.44.ad 48.* Molfesius *tom.1. in consuet. Neapol.part.5. quæst.6.* Augustinus Barbosa *collect. ad l. si patrem, numero 2. Cod. de alendis liberis,* Salgado *in labyrinth. capite 24. numero 13. & sequent.* Calvinus *de æquit. libro 1. capite 73.* Aloysius Riccius *in collectaneis decisionum, part.1. collect. 97. & part. 7. collect. 3077.* Rota Romana *decis.21. part.1. apud Verallum, decis.31. numero 6. (quæ est decis.331. apud Manticam, & decis.431. part.4. diversorum, seu in noviter novissimis Farinacii) & decis.538. num.2. part.2. recentiorum Farinacii,* & cæteri Jurisperiti *apud eosdem,* præsertim *P. Barbosam, Sanchez, Gratianum, Rotam, & Salgadum.*

Probatur hæc communis conclusio, tum *ex l.si cui,* 71
ff. de annuis legatis, ibi, *ex dignitate personæ*: tum *ex l. cùm plures, ff. de administrat. tutor.* ibi, *sed pro facultate patrimonii, prò dignitate natalium: & l. tutor,* ibi, *secundùm dignitatem, facultatesque pupilli modum servorum, ff. eodem titulo*: tum *ex l.1. Cod. ubi pupilli educari debeant,* ibi, *inspecta personarum qualitate, & conjunctione*: tum *ex l. cùm alimenta,* ibi, *ex*

familia

facultatibus defuncti, *ff. de alimentis legatis*: tum ex *d. l. si patrem*, *C. de alen. lib.* ibi, *pro modo facultatum*: tum ex *l. 2.* ibi, *pro modo facultatum*: *& in l. 3.* ibi, *modum autem patrimonii*, *ff. ubi pupillus educari debeat*: tum ex *l. 1. §. mulier autem*, *ff. de ventre in possessionem mittendo*, ibi, *pro facultatibus defuncti & pro dignitate ejus, & mulieris.* & *l. habitatio*, ibi, *secundùm dignitatem cibaria præstanda*, *ff. eod. tit.* tum ex *l. sed si quid is*, *§. sufficienter*, ibi, *secundùm ordinem*, *& dignitatem mancipiorum*, *ff. de usufructu*: tum ex *l. penultima*, *ff. de aliment. leg.* ibi, *ex facultatibus defuncti*, *& claritate ejus*, *cui fideicommissum datum erit*: tum ex *l. 2. C. de alimentis pupillo præstandis*, ibi, *alimenta pro modo facultatum*: tum ex *aliis juribus*, quæ Simon de Prætis *d. dub. 11. n. 56. 57. 58. 62. & 63.* refert. Limitat autem hanc conclusionem Rota *decis. 581. n. 2. part. 1.* in recentioribus Farinacii, ut non procedat in alimentis subsidiariis, scilicet quæ in subsidium præstari debent ab avo materno, vel fratre, in defectum patris, & avi paterni, & matris; hæc enim alimenta subsidiaria dicit esse taxanda ad meram alimentandi necessitatem: nititur Rota authoritate Baldi *in l. si maritus*, *ff. soluto matrim.* Cordubæ *in l. si quis à liberis*, *§. sed si filius*, *n. 69. ff. de agnosc. lib.* & Rolandi *de lucro dotis*, *quæst. 94. n. 3.* qui tamen loquuntur in alimentis, quæ debentur, seu præstantur miserationis gratiâ, ut quæ præstantur marito soluto matrimonio, & filiis spuriis, & iis qui dilapidarunt legitimam portionem, vel dotem simul assignatam; ideò hanc limitationem rejiciendam puto, nec posse admitti juxta præallegatos textus, & Doctores. Et quod frater dives tenetur præstare fratri, & sorori pauperibus, & egentibus alimenta, & dotes juxta qualitatem, & genus suum, tradunt Baldus, & alii qui *infrà num. 493.* allegantur. Solùm potest dici, alimenta subsidiaria non fore ita pinguia præstanda, sicut quando non præstantur in subsidium.

73 Præter autem qualitatem, & dignitatem personarum, & facultatum ejus, qui solvere tenetur alimenta, in agnoscenda, & taxanda quantitate alimentorum præstanda, consideranda etiam regionis, seu loci consuetudo, ut tradunt Ancharanus *conf. 383. ad finem*, Bartolus *de alimentis*, versic. *Quæro, legata alicui.* Simon de Prætis *d. dub. 11. num 58. & 69.* Fachineus, & Marescotus *locis suprà num. 70. allegatis*, Menochius *d. casu 169. num. 3.* & alii à Simone de Prætis *d. num. 62.* allegati, & Megala *d. cap. 23. q. 2. num. 21.* & plures alios allegans additionator ad Molinam *de primog. lib. 2. d. cap. 15. cit. num. 39.* & faciunt Surdus, & alii ab eodem allegati *de aliment. tit. 9. q. 40. num. 41.* & colligitur *ex l. si servus plurium*, *ff. de leg. 1. & l. numis*, *ff. de legatis 3.* Ratio autem est, quia experientiâ constat evidenter, expensas victus in uno loco esse longè diversas ab expensis, quæ solent in alio loco fieri, & diversa pretia rerum, ut Simon *d. num. 69.* ubi notat tempore Alexandri Immolensis *conf. 72. num. 5. lib. 5.* pro alimentis annuis unius mulieris fuisse taxatas libras 20. bonorum, temporibus autem ejusdem Simonis, & nostris viginti libræ bonorum vix sufficiunt pro expensis duorum mensium pro una persona.

74 Ultra prædicta in mensuranda, & taxanda alimentorum quantitate, consideranda est ætas alimentarii, cui ætati commensurari debent alimenta, ita ut si is, cui ex legis, vel hominis dispositione alimenta sunt præstanda, est parvulus, ut parvulo dentur, & prout ætas crescit, præstentur majora pro incremento ætatis. Constat *ex d. l. 3.* ibi, *pupilli ætatem etiam contemplari*: *ff. ubi pupillus educari debeat*, *l. cùm unus, fine*, ibi, *pro incrementis ætatis*: *& l. alimenta*, *§. Basilicæ liberta*, ibi, *prout ætatem ampliaverit*, *ff. de aliment. leg.* & tradunt Glossa *in d. l. cùm unus*, *& in d. §. Basilica*, Gozadinus *conf. 95. num. 4.* Simon de Prætis *d. dub. 11. n. 58.* Menochius *d. casu 69. num. 4.* Augustinus Barbosa *loco suprà num. 70. cit.* Azorius *d. q. 19.* Megala *d. n. 71.* Speculator, & Joannes Lecirier à Simone de Prætis allegati.

§. II.

Ubi alimenta non sunt à lege, vel ab homine definita, nec constat de usu patrisfamilias, seu testatoris, illorum taxatio committitur judicis arbitrio, attentis tamen circumstantiis personæ, patrimonii, & consuetudinis regionis.

Igitur quamvis taxatio alimentorum filiis, & quibuscùmque aliis, quibus ex legis, vel hominis dispositione sunt præstanda (ubi ea non sunt à lege, vel homine definita, & taxata, nec constat de consuetudine patrisfamilias illa præstandi) relinquatur, seu sit commissa arbitrio judicis, *l. 2. & 3. ff. ubi pupillus educari debeat*, *l. 2. C. de alimentis pupillo præstandis*, *& lege fin. C. de ordine cognitionum*, & notant Doctores communiter, Glossa *in §. consideremus, verbo Legitima, auth. de triente & semisse*, Baldus *in l. voluntatis*, *C. de fideicom.* Angelus *conf. 357.* Alexander *conf. 72. n. 7. lib. 5.* Craveta *d. conf. 189. num. 10.* Simon de Prætis *d. dub. 11. num. 6.* Menochius *d. casu 169. num. 1.* Spino *in speculo test. d. glossa 16. num. 102.* Joannes Igneus *in repetit. l. necessarios*, *§. non aliàs*, *num. 149. ff. ad Syllanianum*, Aloysius Riccius *in collect. decis. part. 7. d. collect. 3077.* Stephanus Gratianus *discept. for. cap. 112. n. 17. & c. 399. num. 6. d. cap. 613. num. 1. 2. & 3. & d. cap. 954. num. 38.* Salgado *d. cap. 24. num. 13.* & alii de hac alimentorum materia agentes, & etiam Megala *part. 2. lib. 2. cap. 2. quæst. 2. num. 10.* ex quibus Glossa, Igneus, Spino *locis citatis*, Gratianus alios allegans *d. cap. 613. num. 2.* cùm dicitur eam taxationem committi arbitrio boni viri, ly *boni viri*, intelligunt judicis, quod cum aliis notavit etiam Tiraquellus *de retract. lignag. §. 30. glossa 2. num. 1.* quod arbitrium esse interpretandum eo modo, quo declararet diligens paterfamilias, qui nullum interesse haberet, per textum *in l. quod nisi, ad finem, versic. Dummodò patronus*, *ff. de operis libertorum*; tradunt Spino, & Riccius *locis citatis*, & Gratianus *d. cap. 613. num. 3.* 75

Nihilominus Judex in alimentis taxandis debet considerare, & contemplari præfatas circumstantias dignitatis, & qualitatis personarum, quantitatis patrimonii, & redditıuum qui ex eo percipiuntur, consuetudinis loci, seu regionis, ac ætatis illius, qui ali debet, & juxta ea moderari, & decernere alimenta, eaque taxare. Constat id ex legibus *num. 1.* præallegatis, & tradunt omnes Jurisperiti *num. 70. & num. præcedenti allegati*, Menochius *d. casu 169.* Fachineus, & Riccius *locis suprà allegatis*, Gratianus *d. c. 613. num. 4.* Salgado *d. cap. 24. num. 15. & 16.* & omissis aliis suprà allegatis id expressè asserentibus, Simon de Prætis *d. dub. 11. allegato num. 69.* addens quod hujusmodi circumstantiæ, quæ varium arbitrium, & variam declarationem judicis reddere possunt, debent clarè probari, per textum *in l. qui accusare*, *C. de eden.* id quod etiam tradidere Baldus *loco num. præcedenti allegato*, & Ancharanus *conf. 383.* ad finem, ab eodem Simone relati. Quod si ignorarentur redditus bonorum, quorum occasione alimenta deberentur, ne alendus detrimentum sentiat, interim debet decernere, seu assignare alimenta ad certam quantitatem sibi benevisam, cum clausula *Sine præjudicio jurium utriusque partis*, ut observasse Rotam Rom. *in Romana alimentorum de Ancis*, 10. *Martii* 1599. coram Orano, & aliàs sæpè testatur Marescotus *d. cap. 83. cit. num. 12. fine.* 76

§. III.

§. III.

Alimenta semel taxata an, & quando possint, & debeant augeri, vel diminui.

77 FActa autem semel per judicem taxatione, & declaratione quantitatis alimentorum præstandorum, si contigerit facultates esse diminutas, vel auctas, vel aliquid aliud diversum acciderit, poterit, & debebit per judicem taxatio diminui, vel augeri pro contingentia casuum,& est textus clarus *in d.l.3.fine, ff. ubi pupillus educari debeat*, ubi Vlpianus, *& si forte post decreta alimenta* (ait) *ad egestatem fuerit pupillus perductus, diminui debent quæ decreta sunt, quemadmodum solent augeri si quid patrimonio accesserit*. Et hoc idem tradunt Simon de Prætis *d. dubitatione* 11. *allegato n.69.* Angelus *d.cons.357. n.9.* Corneus *cons.95. n.4.* Sylv. Aldobrandinus *cons.31.num.9.* Stephanus Gratianus *d. c.613 n.18. ad 21.& n.23.& 24* Rota *decis.745. apud Seraphinum, & d.decis.31. 2.part.recentiorum Farinacii, quæ etiam est apud Manticam decis 331. & decis.141. part.4. diversorum*, Franciscus Matescotus *annotatione ad cap.3.* Arturus Paschalis *de viribus Patriæ potestatis ad num.28.& §. affirmativum,& §. Mihi verò, apud eundem Francisc.* Salgadus *de protectione Regia, part.4. c.7. num* 88.*versic.ex quo fonte illud fluit usque ad num.98.* & alii quos Gratianus cumulat. Quare si alimenta fuerint taxata in pecunia, aucto valore, seu pretio rerum, putà ciborum, aut habitationis, vestiarii, calcearii, & aliarum rerum, ex quibus visa hominum sustentari debet, augenda etiam erit obligatio, seu taxatio. Ita Rota in dictis duabus decisionibus, & etiam in aliis, ut *d. decis.745.* dicitur. Item si augeatur dignitas, aut familia ejus, qui debet ali, quia sunt ei nati filii ex legitima uxore, & indigeat servis, & ancillis, qui, quæve liberis susceptis deservire debent, augenda etiam erũt alimenta, non obstante taxatione jam semel facta. Ita Angelus, Corneus, Aldobrandinus *locis citatis*, Rota *d.decis.31.n.4.* Gratianus *d.c.613.n.19.* & alii apud eosdem: & prædicta procedunt etiamsi taxatio in certa pecuniæ quantitate, vel in certa aliqua alia specie bonorum facta fuisset per sententiam acceptatam ab eo, qui est alendus, vel statutum fuerit, quod taxatio illa perpetuò observaretur; nam adhuc aucto rerum pretio, vel aucta dignitate, & familia, necesse esset alimenta augeri, ut iidem Doctores, & Rota *in d. decisionibus* tradunt, quia consensus alendi in illam taxationem, debet intelligi rebus in eodem statu manentibus, *l.quod Servius, ff. de condict.ob causam, l.quæro, §.inter locatorem, ff. locati*, Tiraquellus *in l.si unquam, in præfat. n.167.C.de revoc.donat.* & alii, quos idem Tiraq. latè refert. Accedit quod filius non potest renunciare alimentis, quæ sibi jure naturali debentur, ut Doctores communiter à Rota *d decis.31.n.2.* relati, de quare *infrà*, etiamsi renunciatio fuerit juramento firmata, ut Rota *eodem n.1.* alios allegans, de quo etiam *infrà* alimenta autem sunt semper præstanda spectatis temporibus, & conditionibus personarum, quibus debentur: ita omnes Doctores *hoc num.& n.70. & 75.* relati, & Rota *d.decis.31.n.1.& 6.* ex quibus concluditur, quod si alimentans & alimentarius post taxata alimenta veniãt ad pinguiorem, vel tenuiorem fortunam augeri, vel diminui alimenta debebunt, ut etiam in terminis locis citatis Salgadus, & Pratus, qui *d. §. mihi*, id procedere declarat quando auctio, vel diminutio fiat in adeò magna quantitate, ut alimentarius ex diminutione patiatur jacturam in se alimentando, & è converso, si adeò sit excessiva auctio, ut dedecori sit alimẽtario ex tam ingenti patrimonio aucto tam tenuia percipere alimenta, & non est dubium pro quocumque augmento, vel decremento, etiam levi, non esse alteranda alimenta taxata, quod autem sit augmentum vel decrementum notabile, ad prudentem judicem dijudicare spectat.

78 Procedunt autem antedicta de augmento, vel diminutione alimentorum taxatorum, quando illa alioqui debentur indeterminate, ut sunt alimenta jure naturæ, vel sanguinis debita, vel ex legato alimentorum à testatore non taxatorum. Quod si ex dispositione sua præcepto testatoris taxata foret certa quantitas pro alimentis annuatim, (quia testator, v.g. dixerit, Pro alimentis annuis tantam pecuniam, tantùm frumenti, vini, olei, lignorum relinquo, vel dari jubeo) vel ex conventione pariter taxata esset certa quantitas, ut si quis renuntiando alteri bona exciperet tantam quantitatem pro annuis alimentis, vel stipularetur centum aureos pro suis alimentis, tunc aucta familia, & dignitate ejus, qui ali debet, non dari augmentum, vel diminutionem, sed hæredem teneri solùm ad dandam quãtitatem à testatore taxatam, ac definitam, & promittentem obligari solùm ad quantitatem promissam, latè tradit Stephanus *d.c.613.n.21.cum pluribus seq.* & loquens in alimentis à testatore taxatis, idem docet Simon de Prætis *d.dub.11.n.45.* asserens eam quantitatem à testatore præscriptam, & taxatam esse attendendam, & servandam, tanquam ea sit de mente, seu voluntate testatoris: quod constat ex textu *in l.Lucius Titius, in l cùm alimenta.initio, ff.de aliment.legat.& in l. Alumnæ, in principio. ff. de adimend. legat.* & passim in legibus cantum reperitur in dispositione testamentaria interpretanda, quod primum testator dixerit, inspiciendũ, & servandum fore, de quo idem Simon *lib.2. interp.1. dub.3.solut.5.* Cinus *in l.si quis cognatum, q.2.C.de donat.* Natta *cons.211. n.12.* Guido Papæ *decis.8.* & ibi Additionator. Sicut autem non datur augmentum, neque diminutio alimentorum, quando à Testatore certa quantitas pro alimentis annuis est relicta, quia Testator ad illam quantitatem præcisè voluit obligare, & obligavit hæredẽ, ita si ex conventione ejus qui alioqui non tenebatur ex stipulatione alere, excepta, seu taxata est certa quantitas pro alimentis annuis, promittens semper ad illam præcisè tenetur præstandã, & non attenditur quod crescat status ejus, cui fuit promissa, vel diminuetur patrimonium ejus qui promisit, quia idem promittens non voluit sufficienter providere de alimentis, sed tantùm se obligare ad quantitatem alimentorum, quam limitatè, & determinatè, & taxativè expressè promisit, & de qua ideò ita limitatè transegit. Et nemo tenetur præstare ultra quàm promisit, *l.si quis in conscribendo, C.de pactis*, Surdus *de aliment.tit.4.q.24.num.6.* qui ideò (quod confirmat id, de quo in præsenti agitur) *n.3.& seq.* dicit quod si quis sibi stipulatur pro se alimenta, non intelligitur persona extrinseca in tali stipulatione, quamvis esset uxor, quæ licèt faciat unum corpus cum viro, quoad dilectionem, & etiam quoad communicationem in habitatione, & thoro; ac proinde ubi maritus stipulatur habitationem pro se, intelligitur etiam habitatio pro familia, & uxore; secus autem est respectu alimentorum, quæ patiuntur divisionem, & separationem, cùm alia sint illa quæ præstantur viro, alia quæ præstantur uxori, & quæ sumuntur à marito nihil conferunt ad sustentationem uxoris, nec è contra. Confirmat Gratianus *d cap.63.num.18.* quia si propter quancumque necessitatem supervenientem teneretur promittens augere taxationem conventam, esset multùm læsiva transactio, & contra verosimilem mentem ejusdem promittentis, qui ideò se obligavit ad certam quantitatem, ut esset certus ad quid teneretur; nam aliàs promisisset potiùs in genere alimenta, si voluisset semper sufficienter ille præstare, & ex quacumque causa augere: quare non est gravandus debitor ultra illud, ad quod verisimiliter non se obligasset. Baldus *in l.cùm acutissimi, C.de fideicom.* quem cum innumeris aliis ad id allegat Tiraquellus *in l. si unquam*

quam in præfatione num.56. Cod. de revoc. donat.

79 Secus verò est, quando jure naturæ,& ex legis dispositione, aut legato præstanda sunt sufficientia alimenta indeterminatè, & indefinitè; nam tunc licèt provisioni, & sententiæ judicii, consideratis circumstantiis personarum, & patrimonii de præsenti teneatur, & sententia,seu taxatio sit acceptata, intelligitur semper juxta textus præsentis permanentiam, & si filio vel legatario augentur expensæ ratione novæ dignitatis, vel auctæ familiæ, augenda est taxatio, quia semper præstanda sunt alimenta sufficientia, & competentia statui, ut *num.77.* ostensum est, & constat *ex d.l.3.ff. ubi pupillus educari debeat*; & tradunt Rota, & Doctores *eodem num.77.*allegati,& Cavlac. *de aquit. cap.73. num.21.*

§. IV.

Quæ cibaria præstanda nobili, quæ rustico filio, seu alimentario.

80 EX prædicta communi conclusione, & ex omnibus in præcedentibus traditis infertur,nobili esse præstanda alimenta juxta suam nobilitatem, & sic cibaria delicatiora, & personæ commensurata, cùm nobiles non debeant cogi vesci cibis rusticorum, ut habetur *can.non cogantur,dist.42.* ita præter alios ab iisdem relatos,Tiraquellus *de nobilit.cap.20.n.142.* Rebuffus,& Menochius *locis suprà n.47.citatis*, Simon de Prætis *d. dub.11.n.56.& 57.*Surdus *de aliment.tit.4.q.18.n.8.* & Stephanus Gratianus *d.c.613.n.10.*

81 E contra verò rustico & ignobili non sunt præstandi cibi delicati; non enim rusticus, & ignobilis vesci, seu alendus est pane albo, pullis gallinaceis, & aliis delicatis cibariis, sed grosso, seu fabaceo pane, caseo,nucibus,raphanis,cepis, ut per textum *in l. servis urbanis,§.1.* ibi, *aut cibarii, ff.de leg.3.* Glossam *ibidem*,Cephalum *conf.216.*& alios allegatos, Tiraquellus *d.n.142.*Simon.*d.n.57.q.18. n.12.* & Gonzalez *ad reg.8. Cancel. glossa 2. num.42.* & ego ipse *tom.2. mor. var.tit.12.num.26.*& Tiraquel.*num.146.*post Jacobum Belum,Cynum, & Baldum, ait aquam in potum, non vinum rusticis dandum.

82 Imò pauperibus dare sumptuosa, & delicata cibaria enumeratur inter peccata venialia, *can.unum orarium, paulò ante finem*, ibi, *si pauperibus esurientibus nimiùm deliciosa, vel sumptuosa convivia præparaverit*; & per hunc textum tradunt idem Tiraquellus *d.n.146.* Surdus *d.q.18.n.15.* Gonzalez *d.n.42.* Corduba à Lara *in l.si quis à liberis,§.sed si filius,n.48.ff.de liber.agnosc.* Pineda *in vita S.Ioan. Baptistæ, lib.3.art.2.c.1.* & Glossa *in d.can.unum orarium, verbo Vel sumptuosa,* dicens secundùm Hugum,& Arch. quod sicut infirmatur dives si utatur cibis vilibus; ita infirmantur pauperes, si utantur delicatis. Ratio autem cur *in d.can.*enumeretur inter peccata venialia, nimium delicata, & sumptuosa convivia pauperibus præparare, est quia sic agens indebito fini eleemosynam applicat; nam finis proprius eleemosynæ est subventio pauperis, non superfluitas: qui enim nimium delicata, & sumptuosa convivia pauperibus præparat, superfluum faceret,ac proinde contra eleemosynæ finem, & consequenter est vituperabile,& peccatum veniale,ut ait Caietanus *2.2.q.32.art.10.*sic etiam agens in prodigalitatis vitiũ incidit,non ratione quantitatis dati (quia posset quis Christi amore omnia sua pauperibus erogare,) sed ratione excessus, dum præparantur pauperibus quæ præparari non oporteret, superexcessus enim prodigalitatis non attenditur principaliter secundùm quantitatem dati,sed magis quatenus excedit id quod fieri oportet,ut docet S.Thom.*2.2.q.110.art.2.ad 3.* verùm non negandum,aliquando lauta convivia absque ulla culpa præparari pauperibus in certis solemnitatibus à quibusdam societatibus laicorum, & à Principibus, & Prælatis feria V. Cœnæ Domini, eisdem pauperibus permittentibus, ut edant quantum illis libuerit, & quod superest asportent,cùm id faciant ex honesto fine,& tunc ita deceat,attenta conditione eorum, qui talia convivia præfatis diebus præparant.

§. V.

Nobili, & alimentario, qui eius dignitate inspecta illis eget, præstanda sunt alimenta etiam pro famulis, & servitoribus, & etiam impensa pro equo, vel mulo, navi, vel rheda.

POrrò nobili præstanda sunt alimenta non solùm pro sua persona, sed etiam pro famulis, ita quod quoties qualitas filii,vel legatarii(cui sunt relicta alimenta indefinitè) requirit famulum, vel servitorem, seu famulos,& servitores, & conditione suæ personæ spectata non possit sibi servire, pro eisdem famulis etiam sint ab eo,qui alere debet, præstanda alimenta, scilicet dandæ sunt expensæ victus,& competens merces servitutis, *l.cùm plures*,ibi, *alimenta servis,& l.Tutor secundùm dignitatem*,ibi,*modum servasse,ff.de administratione tutor.l.3.§.ante oculos, ff. ubi pupillus educari debeat,l.habitatio, §.servis quoque,ff.de ventre in possessionem mittendo.* Et facit etiam textus *in l. uxori, ff. de auro,argento,&c.* ubi sub legato uxori facto ejus, quod sibi cõparaverat & confecerat, venit vestis,quam ancillis ejus uxoris comparaverat, & fecerat, & ita tradunt alios allegantes Rebuffus *in tract.de privil.schol. privil.163*,Bonacosa *in tract.de servis,& fam.q.95.120.& 245.*Simon de Prætis *de interp.ult.vol.lib.4.interpr.1. d.dub.11.num.59.*Menochius *lib.4.præsumpt.157.n.29.* Surdus *de alimentis, tit.4.q.9.n.9. & duob.seq. & q.24. n.8.& duob.seq.*Rota *decis.31.n.4.p.1. in recent.* Farin. *quæ est decis.431.p.4.diversor.& decis.331.1.p.* Mantica, & Stephanus Gratianus *cap.613. n.19.* Molfesius *tom.1.part.5.quæst.6.num.2.*& Molina *de justitia,tom.2. disput.413.num.7.*juxta quos qui tenetur alere Dominum, tenetur alere ejus famulos, & qui tenetur alere nobilem, tenetur & ejus servitores necessarios,& generaliter qui tenetur alere aliquem,tenetur etiam servitori, seu servitoribus alimenta præstare, si inspecta necessitate,vel qualitate personæ (ut sunt Doctor,& nobilis) non potest sibi servire,ut etiam magis in specie Rebuffus, Bonacosa, & Molfesius *locis citatis*, & Surdus *d. quæst.24.n.8.* sicut etiam (ut Surdus *ibidem num.9.*ex Bruno *de cession.bonor.quæst.31.*) ei,qui cessit bonis, dimittenda sunt alimenta non solùm pro seipso, sed etiam pro servitore. 83

Et quamvis Gratus *conf.87.n.16.lib.2.*videatur sentire præfatam doctrinam non procedere in legato alimentorum facto alicui,v.g. uxori,ita quod in tali legato non veniant alimẽta pro servo,vel ancilla,nihilominus ejus opinio universaliter improbatur à prædictis Doctoribus,qui loquuntur ferè omnes indistinctè,& etiam in materia legatorũ,& non solùm quãdo alimenta jure sanguinis,& naturæ,ac legis dispositione debentur,& præsertim eam Grati opinionem absolutè sumptam improbant Simon de Prætis *d. n.59.* & Surdus *d.q.18.n.11.*post Cordubam de Lara per textum *in l.si cui,de annuis leg.*ubi decernitur legatum annuum alicui relictum sine adjectione summæ, taxandum ex dignitate personæ;& confirmatur, quia alimentorum legatum est favorabile, & latè interpretandum juxta legatarii dignitatem, ut ait Surdus *d.n.11.* & probavi *tom.3.mor.var.tit.14.n.96.* in casu verò responsi Grati verum erat alimenta pro famula non esse uxori legatariæ præstanda, ut notat Simon de Prætis *d.num.59.* quia uxor legataria erat persona vilissima, ut idem Gratus *num.19.* & quia maritus testator vivens non erat solitus ei dare servitutem, ut idem Gratus *n.21.* 84

ex

ex usu autem, & consuetudine testationis legatum sumit latam, vel strictam interpretationem, ut latè explico *dicto tit.*14.

85 Imò alimentario nobili, & tali quod eum non deceat pro qualitate, conditione, & dignitate pedestrem incedere extra domum, præstandus erit equus, seu mulus, quo juxta suam dignitatem possit ire, & multò magis si alimentarius nobilis ex aliquo corporali impedimento non possit pedester ambulare: & ita etiam præstandus erit cibus pro equo vel mulo pascendo. Ita Baldus *in l. solet, §. non verò, n.1. ff. de offic. Proconsul. & Leg.* Rebuffus *in l. verbo Victus, col.5. versic. Intellige victum, ff. de verb. signific.* Menochius *loco suprà num.47. citato*, Azorius *p.2. lib.2. c.4. quæst.*19. ex Surdo *de alim. tit.4. q.8. n.1. & seq. & quæst.24. n.*10. qui *eadem q. 8. n.*3. dicit præstandas esse expensas navis pro itinere necessario, si qualitas personæ alendæ exposcat, & æquè commodè iter per navem fieri possit. Addit *num.*4. quando alimentarius nobilis adversa valetudine impeditus non posset equitare, ei providendum esse de curru seu rheda, qua nunc ferè omnes nobiles utuntur, ut cum minore incommodo vehantur.

86 Et licèt Corduba de Lara *in d. l. si quis à liberis, §. non tantùm, n.26. ff. de liber. agnosc.* dicat solùm alimentario nobili, qui pedibus non possit decenter, & commodè ire, vecturam deberi juxta ejus dignitatem, neget tamen de necessitate dandam alimentario, qui sit vilis persona, putà rustico, etiamsi pedes ire non possit, quia alimentarius, inquit, poterat non excurrere, & domi manere: contra eum rectiùs sentit Surdus *d. quæst.8. n.7. & 8.* quia quanvis possit alimentarius non excurrere, non tamen semper debet esse in domo, v.g. si laboret articulari morbo, vel arthritide, vel alio simili; tunc enim omninò verisimile est, equo vel mulo, aut asino vehendum fore. Dixi, *vel asino*, quia rustico, & vili personæ, si pedester ire non posset, sufficeret dari Asinum, attenta personæ conditione, quæ semper spectanda est, ut ex traditis in præcedentibus, & juribus *n.*71. adductis constat, & in hac specie notavit Surdus *d. q.8. n.8.*

§. IV.

Primogenito an, & quando sint præstanda lautiora alimenta quàm illius fratribus.

87 EX eadem communi conclusione *n.70. & seq.* stabilita infertur, quod etsi filiis à patre æqualia, & non differentia alimenta sint præstanda, ut aliis allegatis probant Surdus *de alim. tit.4. quæst.18. n.21. & quæst.23. n.1.2.3.* eo quòd inter filios servanda sit æqualitas, *l. si major, in fine, C. commun. divid.* & aliis juribus per Surdum *d. q.23. n.2.* adductis; nec pater, inquit Angelus *in §. illud quoque, auth. de nupt.* debet ex filiis unum facere legitimum, & alium facere bastardum; unde pro æqualitate inter filios servanda multa specialia fuerũt
88 à jure inducta, de qua re *infrà*, ubi de legitima filiis danda: nihilominus si unus ex filiis dignitate alios longè excellat, illi ampliora alimenta tenetur pater
89 dare; cùm primogenitus habeat quandam præeminentiam inter fratres, & dignior reputetur, & digniori loco sedeat, ut per plures apud Tiraquellum *de primog. in præfat. num.12. & 13.* & apud Surdum *tit.4. quæst.18. n.21.22. & 23.* eidem primogenito pinguiora, & ampliora quàm aliis danda esse, tradunt Glossa *in cap. quàm periculosum*, verbo *Primatus* 7. q.1. ubi ait, quod duplicatos cibos recipere debet, & alii à Tiraquello *d. n.12.* & Surdo *d. q.18. num.25.* relati, quos sequitur Molfesius *tom.1. d. p.5. q.6. n.7.* Quod tamen idem Surdus ibidem declarat procedere solùm quando ex consuetudine, vel statuto, vel dispositione majorũ primogenitus est in omnibus bonis, vel majore eorum
90 parte successurus; nam tunc ratione spei dicitur quodammodo dominus, vivente patre; & tanquam tali ampliores expensæ sunt exhibendæ, ut experientiâ ipsâ videmus exhiberi; secus autem quoad primogenitum non successurum in majori parte, sed tantùm in æquali parte cum fratribus; illi enim plus cæteris non est tribuendum, cùm tunc omnes fratres sint æquales, & unus non habeat paternalem præeminentiam præ aliis, ut declarat idem Surdus.

§. VII.

Pater priùs vilis, & pauper, posteà effectus dives, & ad dignitatum statum perductus, tenetur præstare alimenta filio secundùm præsentis status facultates.

ITem ex eadem communi conclusione infertur, 91
quod si pater priùs pauper, & plebeius, ac rusticus inventione thesauri armis, vel industria aliqua posteà dives evadat, & ad digniorem statum perveniat, filio suo ante hunc posteriorem statum procreato, & plebeio tenetur alimenta lautiora, & majora præbere quàm præberet, & teneretur dare tempore prioris status, scilicet proportionata præsentis status dignitati, & facultatibus. Pater enim tenetur filio alimenta pro modo facultatum præbere, juxta jura adducta, & Doctores *n.*70. relatos; & facultatibus auctis, augentur etiam alimenta, per textum *n.*77. relatum, & Doctores *ibid.* citatos; & dignitas patris redundat in filium legitimum, & naturalem, etiam ante patris nobilitatem natum, ut latè ostendit Tiraquellus *de nobilit. cap.15. n.7.* imò quamvis filius illegitimus non potiatur privilegiis, & dignitate patris, cùm matris, non patris conditionem sequatur, idem Tiraquellus *eodem cap.15. n.11.* Nihilominus non videtur posse negari, quin dignitas patris aliquo modo etiam ad filium extendatur, & illius conditionem meliorem faciat, quàm si esset filius illegitimus vilioris patris: aucta autem dignitate alendi, sunt augenda alimenta, per tradita *d. n.*77.

Econtrà ob eadem jura, & rationes, etiamsi filius legitimus plebeii, & rustici armis, litteris, vel benefi- 92
ciis ecclesiasticis, aut alia ratione acquisivit multa bona castrensia, vel quasi castrensia; tenetur patri alimenta præstare secundùm ipsius status præsentis dignitatem, & facultates, non verò tantùm secundùm patris plebeii qualitatem. Id quod latè etiam probat Megala *p.2. lib.2. quæst.2. num.8. & seq.* Item filius illegitimus ex plebeio patre natus, qui thesauri inventione, vel armis, litteris, aut aliqua alia sua industria evasit dives, & insignis, ob easdem rationes tenetur patri alimenta præbere secundùm præsentis status facultates, & conditionem, ut tradit idem Megala *d. lib.2. cap. 8. q.2. n.3.* Quæ omnia etiam confirmantur ex natura, & ratione correlativorum, quæ exposcunt, ut dispositum in uno, etiam in alio locum habeat, *l. fin.* ubi Doctores, *C. de indict. viduit. & l. fin. §. fin. ff. de acceptil.* Cùm ergo pater priùs vilis & pauper, posteà factus dives, & ad sublimiorem statum provectus, teneatur filiis juxta facultates præsentis status alimenta exhibere, etiam filii ad idem tenebuntur erga patrem.

Limitatio communis conclusionis de præstandis alimentis juxta dignitatem personarum.

Cæterùm præfata communis conclusio *n.*70. posita 93
limitatur in aliquibus casibus, in quibus parentes filiis, & filii parentibus non tenentur alimenta præstare secundùm dignitatem, & facultates; sed tantùm quantum sufficit ad necessariam vitæ sustentationem, de quibus *infrà*, ubi agitur de alimentis filio ex-

communicato, & hæretico, & qui ex justa causa potest exhæredari, vel qui alimenta à patre pro tota vita consignata malè vivendo prodegit, præstandis.

SVMMARIVM Capitis IV.

Pater, seu socer tenetur alere uxorem filii, seu nurum, quando penes se retinet illius dotem, n.94.
Onera matrimonii ibi esse debent ubi est dos, ibid.
Fructus dotis servire debent oneribus matrimonii, ibid.
Pater tenetur alere nurum licèt indotatam, quando filius, & nurus aliunde non habent, n.95.
Pater sustinet omnia onera filii inopis, ibid.
Maritus tenetur alere uxorem, etiam quando illam indotatam duxit, ibidem.
Socer tenet locum patris, & nurus se habet tanquam ejus filia, ibid.
Socer cogitur alere nurum indotatam, si consensit matrimonio, vel non appareat eum consensisse, vel dissensisse, num.96.
Imò etiamsi contradixerit matrimonio; & filius patre invito uxorem duxerit, n.97.
Prædicta procedunt etiam in uxore filii illegitimi, & spurii, ibid.
Socer tenetur alere nurum, quæ sine culpa degit extra domum soceri, vel mariti, n.98.
An teneatur alere uxorem filii, qui dotem sibi à patre restitutam dissipavit, n.99.
Et quid si socer dotem sine justa causa restituit filio, etiam nuru consentiente, & cum juramento de non contraveniendo, ibid.
Pater alit nurum solùm in subsidium, quando filius non est solvendo, ibid. & n.101.
Socer tenetur alere filium, & nurum, quando licèt subsit causa restituendi dotem, tamen filius suspectus est dilapidationis, n.100.
Non tenetur alere nurum in casibus, in quibus maritus dives non tenetur, n.101.
Tenetur alere nurum in casibus, in quibus tenetur alere filium, n.102.
Culpa unius non debet alii nocere, ibid.
Pœna tenere debet suos authores, ibid.
Non solùm filius, sed etiam nurus agit contra socerum, ut præstet alimenta, & qua ratione, n.103.
Socer tenetur alere pronurum in casibus, in quibus tenetur alere nurum, n.104.
Nurus appellatione venit etiam pronurus.

CAPVT QVARTVM.

Pater an teneatur præstare alimenta etiam uxori filii, seu nurui, quando ipse pater, seu socer non habet penes se dotem ullam, & filius, atque nurus aliunde non possunt habere, vel quærere sibi alimenta.

DIxi, *Quando ipse pater, seu socer non habet penes se dotem*; nam quando uxor filii est dotata, & pater seu socer dotem accepit, & penes se retinet, certum est ipsum teneri nurum alere. Surdus *tit.1. q.38. à n.5. ad* 10. & Doctores communiter apud ipsum. Et ratio est, quia cùm dos detur propter onera matrimonii, ibi debent esse onera ubi est dos, *l. secundùm naturam, ff. de regulis juris*; quia fructus dotis servire debent oneribus matrimonii, *l. ubi adhuc*, & ibi Doctores; *C. de jure dotium.*

§. I.

Quid quando filius sine dote duxit uxorem, patre consentiente.

DIfficultas est primò quando filius uxorem duxit sine dote, & idem filius, & uxor non habent aliunde unde se alere possint; an tunc pater teneatur, & cogi possit præstare alimenta non solùm filio, sed & ejus uxori? Et teneri, ac cogi posse affirmant communiter Doctores, ex Theologis Sanchez *lib.4. de matrim. disp.26. n.21.* Megala *p.2. lib.1. c.23. q.1. n.67.* Bonacina *de præceptis, disp.6. q. unica. p 6. §.1. n.2. fine,* Trullench *in Decalog. lib.4. c.1. dub.3. n.11.* & nonnulli alii relati à Sanchez. Ex Iurisperitis Glossa *in l. si quis à liberis, §. non tantùm, verbo Onera,* & ibidem Bartol. *ff. de liber. agnosc.* idem Bartolus *tract. de alim. n.16.* Riminaldus *cons.133. n.43.* Ruinus *cons.144. n.6. lib.5.* Crotus *in l. si constante, n.160. ff. soluto matr.* Covarruvias *de spons. p.2. c.8. §.6. n.5. versic. tertiò,* Menochius *de arbitrar. casu 348. n.14.* Paschalis *de patria potestate, p.2. cap.3. n.6.* Gutierrez *de matr. c.80. n.13. versic. Conclusio quinta*, Surdus *de alimentis, tit.1. q.38. n.1. & quatuor seqq. & n.11. & seqq.* Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.18. n.63.* & alii Iurisperiti, quos latè referunt Sanchez, & Surdus præfatus. Probatur hæc communis per textum *in d. l. si quis à liberis, §. non tantùm, ff. de liberis agnosc.* ubi dicitur, quod pater non solùm tenetur, & cogi debet filium alere, sed etiam cætera onera liberorum præbere: onus autem filii sui est, quando uxorem indotatam duxit, ipsam alere, ut latè alios allegantes probant Surdus *de alimentis, tit.1. q.32.* Sanchez *d. n.21.* & Spino *in speculo testam. glossa 11. 65.* de qua te agimus ubi de mutua obligatione conjugum sibi invicem alimenta præstandi. Præterea probatur ratione, quia cùm vir, & uxor sint una caro, *can. si vir & uxor, 35. q.2.* nurus pro filia est habenda, & socer locum patris tenet. Cinus *in l. ubi adhuc, q.16. n.4. C. de iure dotium*, Menochius *d. casu 348. n.13.* & Surdus *d. tit.1. q.38. num.5.*

Et hæc communis sine dubio procedit quando apparet patrem, seu socerum consensisse matrimonio filii qui uxorem indotatam duxit, quia consentiendo censetur se obligare ad alimenta etiam uxoris, & sic tenetur alere, si filius, & nurus non habeant. Bartolus, Baldus, Angelus, Imola, Castrensis, & alii scribentes *in l. si cùm dotem, §. transgrediamur, ff. solut. matr.* Surdus *d. q.38. n.11.* Aloysius Riccius *in collect. decis. p.6. collect. 2436. versic. Non hic,* & Mangilius *de imputat. q.27. num.10.* idem quando non apparet, patrem consensisse, vel dissensisse matrimonio, tunc enim sicut maritus tenetur alere uxorem indotatam, sic & pater, si filius non habet aliunde. Surdus *n.12.* & Mangilius *d. n.10.* & probatur iisdem textu, & ratione *num. præcedenti* adductis.

§. II.

Quid quando filius duxit uxorem indotatam, patre contradicente.

QUod si filius patre contradicente uxorem indotatam duxerit, licèt Socinus à Surdo *d. q.38. n.13.* allegatus, Joan. Baptista Laderchius *cons.117.* quem sequi videtur Paschalis *n.7.* senserint, tunc socerum non teneri præstare nurui indotatæ alimenta; nihilominus etiam hoc casu teneri patrem filii uxorem alere, tradunt Ruinus, Gratus, Covar. Menoch. Sanchez, Megala *locis n.94. citatis,* Ioan. Bapt. Ferretus *cons.34.* Surdus *d. quæst. 38. n.13. & 14.* Ioannes Lupi *de illegit. tom.2. §.1. num.25.* Riccius, & Mangilius *ubi suprà.* Sicuti enim filio ducenti uxorem indotatam

tam non potest denegare alimenta, ita nec nurui, quæ loco filiæ habetur, ut *n.* 95. dictum est: & quia pater tenetur præbere onera matrimonii, juxta *d.* §. *non tantùm*. Idem si filius invito patre uxorem duxerit, nec habeat unde illam possit alere, sive duxerit indotatam, sive dotatam, nec dos sufficiat ad alimenta. Ita Ruinus *d. conf.* 144. *n.* 18. Crotus, Covarruvias, Sanchez, Megala *locis citatis*, & Surdus *d. q.* 38. *n.* 15. idque ob easdem rationes. Confirmat Surdus *n.* 17. tum quia ubi alicui debentur alimenta, tunc ejus quoque uxor est alenda. Ruinus *d. conf.* 144. *n.* 8. Glossa *in can. Admonere, vers. partem*, 33. *q.* 2. & Barbat. *in c.* 2. *n.* 46. *de foro comp.* tum quia sicuti patri non justè denegantur alimenta, quia sit contemptor legum, ut Surdus dicit *de alim. tit.* 1. *q.* 17. ita nec filio, qui uxorem indotatam duxit patre invito. Et consequenter non etiam negabuntur nurui; nam cùm pater, & filius sint correlativa, dispositum in uno, locum habet in alio, *l. fin. C. de indict. viduit.* & licèt jura allegata, & plures ex Auctoribus relatis loquantur in uxore filii legitimi, tamen ob eandem rationem idem statuendum in uxore filii legitimi, & etiam spurii, attenta dispositione Iuris Canonici *in cap. cùm haberet* (quod latissimè *infrà* explicatur) *de eo qui duxit in matrimonium*. Alimentorum enim jura sunt etiam spuriis filiis communia, & omnia necessaria pater tenetur subministrare, *d. c. cùm haberet*, *fin.* inter quæ etiam alimenta uxoris oportet connumerare, ut in terminis asserunt Covarruvias, Peregrinus, Joannes Lupi *locis allegatis*, Paleotus *de nothis*, *c.* 47. *n.* 7. Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis Clericorum*, *c.* 22. *n.* 15. & alii à Joan. Lupi relati. Verum autem prædicta sint intelligenda etiamsi filius duxerit uxorem indignam, an verò tantùm si honestam, explicatur infrà, *n.* 673.

98 In prædictis autem casibus tenetur socer alere nurum, etiam quando sine sua culpa degit extra domum soceri, vel mariti. Beroius *conf.* 52. *n.* 1. *vol.* 2. & Surdus *d. quæst.* 38. *num.* 15.

99 Teneri etiam patrem, si dotem sibi solutam restituit filio, qui illam dissipavit, alere nurum, si filius sit pauper, docuerunt Crotus *in d. l. si constante*, *num.* 162. *ff. soluto matrim.* Baldus & Ruinus à Surdo *d. q.* 38. *n.* 18. relati. Item eam alere teneri, si absque justa causa restituisset dotem marito, etiam de consensu uxoris, tradidere Becius *conf.* 43. *n.* 8. Natta *conf.* 496. *n.* 9. Joan. Andreas, Castrensis, Romanus, & Ancharanus à Surdo *d. q.* 38. *n.* 20. relati; idque etiamsi uxor eum juramento promisisset de non contraveniendo, & facta esset restitutio ad effectum, ut filius se & suos alat, docuere Natta *d. n.* 9. Ruinus *d. conf.* 144. *n.* 13. & Baldus *conf.* 129. à Surdo *d. q.* 38. *n.* 21. relati. In prædictis ergo casibus juxta præallegatos Doctores licèt socer liberetur ab onere iterum restituendi dotem, non tamen eximitur ab onere alimentandi uxorem. Quæ omnia admittit etiam Surdus, admissa illa sententia, quod pater teneatur alere filium, qui pensionem bonorum sibi pro alimentis assignatam dissipavit, de qua te *infrà*, ubi de causis quibus possunt alimenta denegari. Quod si filius, qui recepit dotem, illam retineret apud se, & ejus fructus lucraretur, vel aliunde haberet unde se, & uxorem posset alere, pater non teneretur illum alere; cùm solùm in subsidium teneatur filii uxorem alere, scilicet quando nec filius, nec uxor habent aliunde, ut decidit Surdus *n.* 23. & alii præallegati Doctores.

100 Si etiam esset justa causa restituendi dotem, filius tamen esset suspectus dilapidationis, nisi pater caveat de conservanda dote, licèt non cogatur dotem restituere, eum tamen teneri alere filium, & nurum, asserunt Baldus, & Salicetus *in l.* 2. *C. famil. ercisc.* & alii relati à Surdo *d. q.* 38. *n.* 24. qui idem ut rem certam ponit, addens teneri patrem alere non solùm in subsidium, sed etiam si filius, vel nurus sint solvendo, si pater recipit fructus dotis; tunc enim consequenter tenetur ad alimenta, propter quæ datur dos.

§. III.

Pater non tenetur alere uxorem filii in casibus, in quibus filius maritus non tenetur.

CUm autem pater teneatur alere uxorem filii solùm in subsidium, scilicet quando filius non potest ob paupertatem illam alere; sequitur ut ille non teneatur alere in illis casibus, in quibus filius maritus dives non tenetur, ut ait Surdus *d. q.* 38. *n.* 25. Nam si non tenetur maritus, cujus est proximior obligatio, nec etiam socer, qui est remotior, argumento de majori ad minus, *c. si ergo*, 8. *q.* 1. & cùm socer teneatur propter maritum, debet liberari his casibus, quibus maritus deobligatur; accessorium enim non debet in plus obligare, quàm principale, ut dicitur de fidejussore, *§. fidejussores, Instit. de fidejussoribus*. 101

Teneri verò socerum alere nurum in casibus quibus non tenetur alere filium, pluribus comprobat Surdus *d. q.* 38. *n.* 28. *ad* 35. licèt enim filius tale quid committat contra patrem, propter quod possit alimentis privari, non tamen nurus debet gravari ob culpam mariti, *l. si quis in suo*, §. *fin. C. de inof. test.* nemoque debet puniri ex delicto alterius, sed pœna suos Authores tenere debet, *l. comitatus*, *C. de pœnis*: & maritus delinquendo, vel aliter committendo contra patrem, non potest uxori præjudicare, *l. quod nostrum*, *ff. de reg. juris*, & *rubrica*, & *titulo Cod. ne uxor pro marito*: & cùm duo sint creditores alimentorum, vir, & uxor, non potest factum unius alteri nocere. Surdus *d. q.* 38. *num.* 32. & 33. 102

Et pro alimentis nurui in præcedentibus casibus præstandis, non solùm filio dari directam actionem, sed etiam nurum agere posse vel tanquam personam conjunctam mariti, ad propriam tamen utilitatem, vel etiam utili actione proprio nomine, cum aliis tradit Surdus *d. quæstione* 38. *n.* 38. & 39. 103

Porrò supradicta de nuru alenda per socerum, procedere etiam quoad pronurum, post Speculatorem, & Nattam docet Surdus *d. q.* 38. & 39. eo quòd appellatione nurus veniat etiam pronurus. Bartolus *in l. si quis sub conditione*, *ff. de testam.* Beroius *conf.* 97. *n.* 10. *vol.* 1. Borgnin. Cavalcan. *decis.* 5. *n.* 8. *p.* 4. & Surdus *d. q.* 38. *num.* 40. 104

SUMMARIUM
Capitis V.

Quibuscumque filiis legitimis, & naturalibus pater regulariter tenetur præstare alimenta, etiamsi nullam dotem reciperet ab uxore filiorum matre, n. 105.
Pater tenetur præstare alimenta filio emancipato, n. 106.
Emancipatio non tollit jura sanguinis, ibid.
Secundùm aliquos pater non tenetur dare alimenta filio bannito, n. 107.
Bannitus non amittit ob bannum ea quæ sunt juris gentium & naturalis, ibid.
Pater tenetur alimenta filio bannito præstare, etiam stante statuto, quod nemo bannito subveniat, n. 109.
Et etiamsi statutum prohibeat, ne pater filio bannito alimenta præbeat, n. 110.
Statutum quod banniti possint occidi impunè, non comprehendit patrem, & filium, & ideo non excusatur pater occidens filium bannitum, & è contra, n. 111.
Fallit quando filius venit contra propriam patriam, tunc enim posset à patre occidi, n. 112.
Statutum expressè prohibens patrem alere filium bannitum, ratione publicæ utilitatis conditum valet, n. 113.
In dubio censetur factum ratione publicæ utilitatis, ibid.
Princeps ex justa causa potest limitare, & restringere

Non

Non acquirit jure naturalis patris, nec in ejus potestatem transit filius adoptivus, num.151.
Pater tenetur alere filiam nuptam viro pauperi, qui non habet unde illam alat, num.152.
Filiam sine promissione dotis viro diviti nuptam patrem non teneri alere, quidam docuerunt, num.153.
Pater juxta veram, & communem opinionem tenetur filia sine promissione dotis viro diviti nupta dare congruam dotem, & dote nondum soluta, illam alere, etiamsi nupsisset sine ejus consensu, num.154.

CAPUT V.

Quibus filiis legitimis, & naturalibus pater teneatur præstare alimenta.

105 QUibuscumque filiis legitimis, & naturalibus pater regulariter tenetur præstare alimenta; tum jure naturali (ut ostendunt tradita *suprà n.6. & seq.* & docent DD. ibidem citati, & alii communiter) tum ex dispositione juris civilis, & constat *ex lege si quis à liberis, ff. de liberis agnoscendis*, & traduot Doctores *supra num.5.6.& 70.* & omnes: quod procedit sive pater lucretur dotem suæ uxoris matris filiorum, sive non lucretur, vel si nullam dotem receperit, ut constat *ex d. l. si quis à liberis*, absolutè loquens, & quia obligatio alendi filios procedit ex vinculo sanguinis, & id etiam in terminis notavit Franciscus Molinus *de ritu nupt. lib.3. disput.54. num.43.*

§. I.

Filio emancipato pater cogitur præstare alimenta, si inops sit filius.

106 QUare etiam filio emancipato debentur, ut est textus expressus *in d. l. si quis à liberis, §. sed utrum*, & traduot ibidem scribentes, Azorius *p.2. lib.2. cap.4. initio*, Surdus *de alimentis, tit.1. quæst.1. n.10. & seq. & quæst.17. n.6.* & alii Doctores, utrobique à Surdo relati; licèt enim filius emancipatus non sit in patris potestate, *§. emancipatione, Instit. quibus modis jus patriæ potest. solvitur*, hoc tamen non eximit patrem ab obligatione alendi filium inopem emancipatum, quia hæc obligatio alendi filios aliunde non habentes unde se alant, non oritur ex jure patriæ potestatis, sed ex naturali pietate, & sanguinis conjunctione, & charitate, ut expressè habetur *d. §. sed utrum:* & tradunt Doctores *suprà n.16.* relati, quapropter sufficit ad dictam obligationem, si sanguinis naturale vinculum ducet, quod emancipatione non dissolvitur, & emancipatio etsi tollit juris civilis beneficia, non tamen aufert jura naturalia, & jura sanguinis, *l. jura sanguinis, de reg. juris, & §. at ii qui, & §. seq. Instit. de hæredit. quæ ab intest. deferuntur*, & hoc est certum, & indubitatum.

§. II.

Filio bannito an & quando, & quæ alimenta pater præstare debeat, & è contra filius patri bannito.

107 SEd potest dubitari primò, an filio bannito, & Principis, vel Reipublicæ auctoritate proscripto pater teneatur alimenta præbere, & Baldus *in c.1. de pace tenenda, & ejus violatoribus, in principio num.7.* per cum textum docuit bannum eximere filium, & consequenter etiam patrem ab obligatione alendi; ita quod nec filius teneatur alere patrem bannitum, nec pater filium bannitum; putat enim Baldus *in d. cap. 1. tit. quod ille violator pacis, nunquam de cætero ipsorum voluntate, aut consensu aliquid indè emolumentum percipiat*, filium non teneri alere patrem bannitum, ipsumque patrem bannitum propter bannum privari jure naturæ: quod idem asserit Afflictus *ibidem, notat.2, num.22.*

Contrarium tamen, & patrem teneri alere filium bannitum, uti verum asserendum est: ita Bartolus *in l. si constante, in princ. ff. solut. matr.* Jason *in l.1. lim.2. C. de hæred. instit.* Pontanus *de alimentis, c.2. n.15.* Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.7. n.18.* Merlinus *de legitim. lib.4. tit.1. quæst.4. num.6.* Paschalis *de patria potest. p.x. c.3. num.8.* Surdus *de alimentis, tit.1. quæst.2. n.4. & seq.* & alii Jurisperiti, quos refert Pontanus, Paschalis, & Surdus, & ex Theologis idem docent Azorius *p.2. lib.2. cap.4. q.6.* Bonacina *de præceptis, disp.6. quæst. unica, p.6. §.1. num.x.* Filliucius *tom.2. tract.23. p.2. cap.3. num.x9.* & Trullench *in Decalog. lib.4. cap.1. dub.3. num.10.* pluribus id probat Surdus, sed præcipua ratio est, quia bannitus ex condemnatione, seu præsumptione non privatur his, quæ sunt juris naturalis, & gentium, ut sunt alimenta filio à patre debita, & pariter alimenta patri à filio debita; lex enim civilis non tollit jura naturalia, ut constat ex juribus *n.106.* adductis, & quod bannitus non perdat ea quæ sunt juris gentium, tradunt omnes præallegati DD. & Bartolus *in l. emissionem, §. qui deficiunt, ff. de capit. diminut.* & Menochius *cons.101. num.8.* relatus à Merlino *d. q.4. num.7.* confirmatur hæc sententia à Pontano, & Surdo per textum *in l. legatus, ff. de capit. diminut.* ubi debitum alimentorum non extinguitur propter capitis diminutionem, ex quo consistit in facto, non in jure. 108

Prædicta autem sententia procedit, etiamsi adesset statutum pœnale prohibens bannitis alimenta præstari; tale enim statutum intelligi debet de his, qui naturali jure non sunt obligati ad alimenta præstanda. Ita Socinus Junior *cons.54. per totum, vol.3.* & alios allegans Paschalis *d. cap.3. citato num.8.* & Surdus *d. quæst.3. num.8.* & ita etiam statutum, quod banniti possunt impunè occidi, non comprehendit filios, ut occidi possint à patre, nec etiam tale statutum excusaret filium, si patrem occideret: ita communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Paschalis *d. cap.3. n.9. & 10.* & Surdus *d. quæst.3. n.9. & 10.* 109

Imò etiamsi statutum expressè prohibeat, ne pater filio bannito alimenta præbeat, & ne filius patri bannito, illud fore nullum tradidere Socinus *d. cons.54.* post Igneum *in l.3. §. si quis tabulas, n.36. ff. ad Syllanian.* Quæ tamen traditio limitãda est, ut non procedat ubi statutum alimenta filio, & patri bannito præstari prohiberet ratione publicæ utilitatis; quia multi essent banniti, qui aliter non possent arceri à finibus territorii statuentium, vel quando damno essent Reipublicæ, vel quando ex alia causa concernente publicam utilitatem; tunc enim statutum foret validum, ut tradunt Paschalis *d. c.3. n.14.* & latiùs Surdus *d. q.3. n.18. & seq.* eo quòd Princeps ex justa causa non solùm jus naturale, sed etiam divinum posset limitare, & restringere, non contrà, sed in favorem, ut aliis allegatis Felinus *in c. quæ in Ecclesiarum, n.3. versic. Prima conclusio, de constit.* & idem Surdus *tit.7. q.x. n.11.* & in dubio censeri tale statutum factum esse ex causa publicæ utilitatis, præsertim si Princeps id exprimat, docent Felinus *loco cit.* & alios allegans Surdus *n.20. & 21.* 110

Quod etiam dictum, statuto quod banniti possint impunè occidi, non comprehendi patrem, nec filium, ac proinde non posse patrem occidere filium bannitum, & è contra, non procedit quando filius venisset contra propriam patriam, & ea ratione esset bannitus; nam tunc tanquam publicus hostis, & rebellis posset & deberet occidi, & idem est è converso, ut est expressus textus *in l. minimè, ff. de relig. & sumpt. funer.* & tradidere Tiraquellus *tract. de pœnis temper. caus.20. num.11.* & alios allegantes Surdus *d. quæst.3. num.10.* & Paschalis *d. cap.3. num.11.* 111

112 Quapropter si filius proscriptus, & condemnatus esset, qui contra propriam patriam venisset, seu veniret, tunc ei uti hosti patriæ non teneretur alimenta præstare, ea enim esset justa causa illa denegandi. Paschalis *d.c.3.n.12.* & alios allegans Surdus *d.q.3. n.21. & duobus seq. & tit.7. quæst.3. per totam.* Patriæ enim plus debemus quàm parentibus, *d.l.minimè, & l.veluti, ff. de justitia, & jure,* ubi quod nos primùm patriæ nasci, atque ei potius quam parentibus obediendum, & ordo charitatis est primò erga Deum, secundò erga patriam, tertiò erga parentes, ut notavit Lucas de Penna *in l.in filiis, in princ. C.de decurion.lib.10.* de qua re latiùs cum aliis Surdus *d. q.3.* Fragosus *tom.1. de reg.Christ.Reip.in introduct.num.36.* & Franciscus Maria Pratus *annotatione ad num.11. cap.3. parte 2.* Paschalis *de viribus patria potestatis.*

113 Quando ergo filius non fuit bannitus, quia venit contra patriam, sed ex alia causa, tunc pater non potest ei denegare alimenta, juxta tradita *n.108.* & Doctores *ibi* allegatos, & alios à Surdo *d.tit.1. q.3. n.10.* relatos. Nec obstat textus *in d. cap.1. de pace tenenda.* Omissis enim aliis interpretationibus illius textus à Surdo *d.q.3. n.11. & 12.* adductis, quas idem Surdus meritò reprobat, rectiùs, & veriùs respondet idem Surdus *n.13.* illum textum non dicere simpliciter patri bãnito alimenta fore deneganda propter bannum, sed ait, filium præstantem alimenta patri bannito, privandum esse bonis, quæ sub eo modo fuere illi applicata, ne patri ministraret alimenta. Potuit enim Princeps rei suæ legem apponere, quam voluit, *l.in traditionib. ff.de pactis,* quam ex quo ille non servat, privandus est re tradita, & sic valet dispositio quoad pœnam amissionis bonorum sub ea lege concessorum, licèt non valeat quoad hoc ut patri denegentur alimenta.

114 Advertunt etiam Azorius, Bonacina, Filliucius, & Trullench *locis d. n.108. citatis*, justa ex causa posse Principem præcipere patri, ne filio bannito præbeat ulla alimenta, si filius proscriptus aliunde habeat unde se sustentare possit.

115 Quæ autem dicta sunt de obligatione patris erga filium bannitum, procedunt etiam in filio quoad patrem bannitum, illi enim tenetur filius alimenta præstare ob rationem *n.108.* adductam, scilicet quod banniti non amittunt ea beneficia, quæ à naturali jure proveniunt, sed tantùm quæ à jure civili descendunt, & ita sentiunt Bartolus *in d. l.si quis à liberis, §.sed utrum, ff.de liberis agnoscendis,* Corduba *ibid.n.3.* & alii Iurisperiti communiter, quos referunt, & sequuntur Surdus *de alimentis, tit.1.q.17.n.18. & 25.* & etiam *q.3. n.7. & 9.* & Megala *p.2.lib.2.c.2.q.2.n.5.* Neque his & traditis *n.108.* obstat bannitum amittere agnationis, & filiationis jus, ex Bartolo *in l.si adulterium cum incestu, §.liberto, ff. de adulter.* & Alex. *conf.25.vol.1.* & consequenter etiam jus alimentorum, quæ ratione sanguinis, & agnationis debentur; nam respondet Surdus *d. q.17. n.25.* illud intelligi solùm in eo bannito, qui molitus est contra patriam, & civitatis hostis efficitur, quo casu loquitur Bartolus, & alimenta possunt denegari juxta tradita *num.110. & duobus seq.*

116 Porrò cùm bannitus amittat beneficia juris civilis, pater filio bannito, & filius patri bannito non tenetur præstare alimenta juxta dignitatem personæ, & quantitatem patrimonii, sed solùm vitæ sustentandæ simpliciter necessaria, & quæ ex solo jure naturali debentur. Ita Azorius, Bonacina, Filliucius, & Trullench *locis n.108. citatis*, Megala *loco proximè allegato,* Corduba *in d.l.si quis à liberis, §.sed si filius, num.72.verbo Hac alimenta,* & latè Surdus *de alimentis, tit.4.q.18.num.58. & 59.* id confirmans, tum ex eo quòd criminosi viri sunt egestate premendi, *l. bona fides, ff. depositi*; tum quia alioqui præstitis pinguioribus alimentis daretur occasio delinquendi; tum demùm quia cùm pater, vel filius bannitus sua culpa in talem necessitatem sit perductus, ei alimenta à filio, vel patre debentur potiùs tanquam eleemosyna, quæ præstatur cuique pauperi, & egeno, quàm uti alimenta, & dantur tanquam tertio externo, non tanquam patri, aut filio. In eleemosyna verò elargienda non attenditur dignitas, sed necessitas.

§. III.

Filio deportato pater, & patri deportato filius alimenta præbere tenetur.

QUemadmodum autem filio, & patri bannito, ita etiam deportato, vel ad metalla damnato à patre, & filio sunt præstanda alimenta. Constat ex textu *in l. is cui, ff. de alimentis,* ubi decernitur in metallum damnato deberi alimenta relicta, & tradunt Bartolus *ibid.* & Surdus *de alimentis, tit.1.q.17.num.22. & q.3.num.7.* Deportatus enim licèt perdat ea, quæ à jure civili proveniunt, non tamen amittit ea quæ sunt juris gentium, & naturalis. Peregrinus *de jure fisci, lib.3.tit.5.num.8.* & expressè habetur *l. sunt quidam, ff. de pœnis:* pluribus aliis confirmat Surdus *d. quæst.17.* Intelligendum autem est de alimentis solùm vitæ necessariis, per tradita numero præcedenti. 117

§. IV.

Filio, vel patri justa judicis sententia damnato, ut inedia pereat, an alimenta à patre, vel filio debeantur, vel possint licitè præstari.

SEd numquid filio, vel patri justa judicis sententia damnato ut fame pereat, à patre, vel filio sint præstanda alimenta vitæ necessaria. Respondetur patrem filio, & filium patri posse licitè alimenta, & cibos subministrare, non tamen teneri. Ita Bonacina *loco suprà n.108. allegato,* & Trullench *allegato dub.3. n.11. fine.* Et prima responsionis pars, scilicet posse licitè subministrare, probatur quia damnato ad moriendum fame, aliis præter ministros justitiæ, quibus ex officio incumbit curare, ut justa sententia executioni mandetur, quam impedient cibos ministrando, ac proinde sic ministrando peccarent, & quidem mortaliter, utpotè in re gravi, infideliterque munus suum exercentes contra omnimodam prohibitionem alimenta quovis modo ministrandi tali damnato, ut aliis allegatis tradit Sayrus *lib.12. Clavis, c.18. n.30.* asserens contra patrem Arragonum sentientem esse tantùm peccatum veniale, nec excusari à mortali, etiamsi tantùm semel aut bis cibum ei ministrarent; licitum est cibos subministrare, ut tradunt communiter Doctores, quos Sayrus *d.n.30.* refert & sequitur, & Azorius *p.2. lib.2. c.3.q.2.* & alii quos in præcedenti parte hujus tractatus, *c.9.n.182.* allego. Sicut enim ipse damnatus potest cibos oblatos sumere, ut cum aliis Sayrus *d. n.30.* & probavi *d.n.182.fine*, & tradunt Doctores ibidem relati; ita etiam alii privati cibos illi licitè offerre possunt, cùm id eis non sit prohibitum, nec contra officium, aut justitiam peccent, eo quòd executio sententiæ solis justitiæ ministris sit commissa. Altera pars responsionis ostenditur, quia justè damnatus ut fame pereat, non tenetur edere, sed potest licitè ab omni cibo abstinere, ut latè probavi *d.c.9. allegato n.182.* & tradunt Doctores *ibid.* relati, & Sayrus *d.n.30.* ergo etiam nullus alius tenetur ei cibum ministrare. Confirmatur, quia eo ipso (ut inquit Sayrus) quod quis justè damnatur ad eam mortem, seu ut inedia moriatur, privatur eo jure quod habet, ut cibi ab aliis etiam in extrema necessitate dentur, & consequenter alii ab obligatione dandi manent liberi, & eo jure potest Princeps, aut Respublica ob bonum publicum justè, & rationabiliter illum privare. 118

§ V.

§. V.

Filio excommunicato, & patre excommunicato an pater, vel filius teneatur præstare alimenta, & qua.

DUbitatur secundò, an pater teneatur præstare alimenta filio ex justa causa, & sua culpa excommunicato, è contra filius patri pariter excommunicato. Videtur negandum, quia excommunicato denegatur aliorum communio, cum eoque nullum est commercium habendum.

119 Dicendum filio, & patri excommunicato à patre, & filio præstari debere alimenta. Ita ex Theologis Azorius *p. 2. lib. 3. cap. 4. quæst. 8.* Megala *p. 2. lib. 2. cap. 2. quæst. 2. n. 5.* Bonacina *de præceptis, disput. 6. quæst unica, p. 6. §. 21. num. 2.* Filliucius *tom. 2. tract. 23. part. 2. cap. 3. num. 34.* & Trullench *in Decalog. lib. 4. cap. 1. dub. 3. n. 10.* & ex Jurisperitis Nellus *tract. de bannit. n. 1. p. 2. tempor. num. 48. in fin.* Duegnas *regula 68. limit. 10. circa finem*, quos Surdus *de aliment. tit. 1. quæst. 19. num. 13.* allegat, ubi etiam allegat Glossam *in fine in cap. pastoralis, de appellat.* ubi etiam Decius *num. 9. & in can. sacrorum, 22. q. 2.* Pontanus *de alimentis, c. 2. n. 14.* & idem Surdus *d. num. 13.* & probatur primò *ex cap. inter alia, de sent. excommun.* ubi dicitur, quod superveniens sententia excommunicationis non liberat à debito obsequio, quod ante sententiam erat præstandum: inter obsequia autem, quæ filius debet patri, est alimentorum præstatio, & inter debita patris erga filium continentur alimenta, quæ ab utrisque sibi invicem debentur jure naturali.

120 An autem debeantur in hoc casu alimenta secundùm dignitatem personæ, an solùm simpliciter vitæ necessaria, ne pater, vel filius excommunicatus fame pereat, oportet distinguere; nam si filius, vel pater excommunicatus sua culpa non persistat in excommunicatione, & per ipsum non stat, quominus obtineat absolutionem, quam procurat, alimenta videntur præstanda juxta dignitatem, sicut ante excommunicationem præstabantur, & ita sentiunt Azorius, Bonacina, Filliucius, & Trullench *locis citatis*, & innuit etiam Surdus *num. 14.* Vel persistit in excommunicatione sponte, & sua culpa, quia cùm possit se eximere ab excommunicatione petendo, & obtinendo absolutionem, non curat; & tunc pater filio, & filius patri tenetur præstare sola alimenta simpliciter vitæ necessaria. Ita Azorius, & Megala *locis citatis*, & Surdus *d. q. 19. num. 4. & tit. 7. q. 15. num. 26.* & juxta id intelligi debent Glossa *in d. c. Pastoralis*, Pontanus *d. num. 14.* Franchis ab eodem Pontano relatus, & alii Canonistæ, & Jurisperiti, dum aiunt patri, excommunicato non teneri filium præbere alimenta, nisi sit in extrema necessitate constitutus, & ita etiam Glossa *in d. c. Pastoralis, fine, & ibid.* Ioannes Andreas, Panormitanus *num. 16.* Decius *d. num. 9.* dicunt clericum excommunicatum contumacem non esse alendum de fructibus beneficii, nisi in extrema necessitate, & existente gravi inopia. Et ad id facit ratio *suprà, num. 116.* adducta, scilicet ne præstitis pinguioribus alimentis detur occasio perseverandi in contumacia, & peccato. Dum etiam Surdus *tit. 7. q. 2. num. 12.* dicit excommunicato denegari alimenta ob adductam rationem, scilicet ne subsidio alimentorum fretus negligat redire ad pœnitentiam, debet intelligi de alimentis extra extremam necessitatem, ne sit sibi ipsi contrarius.

§. VI.

Filio hæretico persistenti in pertinacia an pater Catholicus teneatur præbere alimenta.

DUbitatur tertiò, an pater Catholicus teneatur alere filium, qui à fide defecit, & est hæreticus pertinax? Patrem Catholicum non obligari præstare alimenta filio, qui à fide orthodoxa defecit, & in pertinacia persistit, tenent Caccialupus absolutè *in l. frater à fratre, num. 108. ff. de condict. indebiti*, à Surdo *de aliment. tit. 1. q. 19. num. 2.* relatus, Panormitanus *in cap. Quintavallis, num. 5.* relatus à Merlino *de legitima, lib. 4. tit. 1. quæst. 3. num. 1.* & à Surdo *de aliment. tit. 7. quæst. 2. num. 8.* adducitur. Idem asserunt ibidem communiter Doctores; idem Merlinus *d. q. 3.* idem Surdus *d. quæst. 2. à num. 6. & tit. 1. quæst. 19. num. 9.* Sanchez *in Summa, lib. 2. cap. 24. num. 7.* Fagundez *in Decalogum, lib. 1. cap. 24. num. 16.* & pro hac sententia à Farinacio *de hæresi, quæst. 182. num. 14.* allegatur Ioannes de Anania *in cap. excommunicatus 1. §. credentes, num. 11. versic. Ex quo infertur, & num. 15. versic. Quid de favente in factis*, ubi dixit ministrantes eleemosynam hæreticis, vel procuratores ab aliis ministrari, reputari eorum fautores. Probatur ea sententia, quia pater orthodoxus potest filium hæreticum exhæredare, *§. causas, versic. Si quis de prædictis parentibus orthodoxus, auth. ut cùm de appellatione cognoscitur*, Panormitanus & alii *in d. c. Quintavallis*, Merlinus *d. quæst. 3.* Molina *de justitia, tom. 1. disput. 126. §. 14.* alii à Surdo *d. quæst. 19. num. 1. & d. q. 2. num. 1.* relati, & communiter cæteri Doctores. Ex quibus autem causis filius potest exhæredari, ex iisdem potest privari alimentis, juxta communem Doctorum, de qua *infrà*, ubi de causis ex quibus pater potest filio denegare alimenta, & ex Doctoribus latiùs Ludovicus Molina *de primog. lib. 2. cap. 6.* & alter Molina *tom. 1. de just. disput. 168. fin. & disp. 176. § ex seq. versic. Ex quibus, & tom. 3. disput. 616. num. 13.* confirmat Surdus *d. quæst. 2. C. num. 7.* ex eo quod talis filius necandus potiùs, quàm alendus videatur, ut dicitur in simili *in can. legi, 23. quæst. 8.* ubi laudantur à D. Hieronymo Phinees, authoritas Heliæ, zelus Simonis Chananæi, Petri severitas in Ananiam, & Saphiram, & additur: Non est crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas. Per quem textum dicit Surdus, Speculatorem *in tit. qui filii sint legit. §. 1. num. 13.* asseruisse, etiam patri hæretico ea ipsa ratione posse à filio fideli alimenta denegari. Addit aliam confirmationem, quod filio ob crimen læsæ Majestatis humanæ denegantur alimenta, ut tenet ipse *eodem tit. 7.* & consequenter multò magis denegari debent ob crimen læsæ Majestatis Divinæ, quod est gravius delictum.

122 Neque obstare ait idem Surdus *d. quæst. 2. num. 11.* alimenta à patre deberi filio ex jure, seu lege naturali, quæ est immutabilis: tum quia ingratitudo (inquit) aufert quod naturali lege erat debitum, *§. optimè, versic. Ne fortè, auth. de nuptiis*, ubi adducitur ratio, nempe ne filii propter spem successionis contra parentes accedant, & protervi sint, & naturæ injurientur leges. Sic & in proposito, ne sub hac spe alimentorum filii protervi sint contra fidem, &c. tum quia licèt jus naturale per positivum non possit in totum tolli, potest tamen ex causa modificari, restringi, & limitari, ut *suprà num. 110.* notatum est.

123 Distinguendum de alimentis simpliciter vitæ necessariis, sine quibus filius hæreticus periret, & de alimentis excedentibus, pinguioribus, & extra extremam vitæ sustentandæ necessitatem. Igitur alimenta posterioris generis non tenetur pater Catholicus præstare filio hæretico pertinaci, & nolenti pœnitere. Ita sentiunt

non solùm Doctores *n.*120. relati, sed etiam qui proximè allegantur, & communiter alii, quos refert, & sequitur Farinacius *allegata q.*182. *n.*13. & probant tradita *eodem n.*20. & à fortiori confirmant rationes *suprà n.*116. adductæ.

123 Alimenta autem simpliciter vitæ necessaria filio hæretico aliunde non habenti, nec valenti sibi suis operis, industria, aut aliquo artificio decenti comparare, pater Catholicus tenetur præstare. Ita ex Theologis Azorius *p.*2. *lib.*2. *c.*4. *q.*10. Filliuccius & Trullench *locis suprà n.*119. *citatis*, Fagundez *in Decalogum, lib.*4. *c.*2. *n.*6. & idem sentit (licèt expresse non explicet) *loco suprà num.*120. *relato.* Idem etiam sentit Sanchez *loco citato num.*7. (ubi absque dubio vult solùm patrem Catholicum non teneri alere filium hæreticum pertinacem, nisi in extrema necessitate, sicut ibidem de filio Catholico ait non teneri alere patrem hæreticum, nisi extremè indigentem.) Idem oportet sentiant Farinacius *d. q.*182. *num.*13. & alii ab eodem *ibid.* citati. Probatur, quia loquendo in universum, Catholici possunt, & tenentur hæretico in extrema necessitate constituto, ne fame pereat, dare; cùm possibile sit, quod hæreticus vivens ad fidem revertatur, nec de aliquo desperandum sit. Ita Glossa *in c. in eos nihil conferant, de hæreticis*, ibid. Hostiensis *n.*1. Butrius *n.*2. Marianus Socinus *n.*4. *&* 5. Glossa *in cap. accusatus*, §. *ille quoque*, verbo *non possint, de hær. n.*6. ibid. Mon. *n.*6. & Archid. *n.*3. Henric. Boyc. *in cap. si quis Episcopus, n.*1. & ibid. Panormit. *eodem tit.* Vmbertus Locatus *v. pater, n.*3. Decianus *lib.*5. *cap.*51. *num.*39. quos refert, & sequitur Farinac. *d. n.*13. qui omnes addunt, in extrema necessitate fratri carnali, aut patri hæretico potiùs subveniendum, quàm extraneo Catholico, cæteris paribus, dummodo talis subventio non sit in damnũ fidei, & Ecclesiæ, vel quod ipse pater, aut frater ex hoc quoad Deum non fiant deteriores; & quod hæretico extremè egenti Catholici succurrere teneantur, tradit etiam Navarrus *in man. cap.*27. *n.*55. versic. *quartò, argumento Canonis Pascha, d.*86. addens etiam quod licet quis non teneatur, potest tamen hæretico non extremè egenti subvenire, quatenus homo est, *arg. can. duo isto nomine*, 23. *q.*4. ibi, *quia peccator erit, corripe*; *quia homo, miserere*, & ibi, *nulli homini claudenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas relaxanda est.* Si ergo quilibet Christianus hæretico in extrema necessitate constituto, & aliunde non habenti unde se ex propriis bonis, vel ex sua industria alere possit, tenetur alimenta vitæ simpliciter necessaria ministrare, & si fratri hæretico pariter extremè egenti, ne fame pereat, obligatur frater potius subvenire, quàm extraneo Christiano, idque ob conjunctionem sanguinis; multò magis pater Catholicus non solùm ex charitate, sed etiam ex pietate personæ, & sanguinis conjunctione tenetur filio hæretico, qui aliunde habere non potest, & alioqui fame periret, alimenta vitæ semper necessaria ministrare.

124 Quod si filius hæreticus foret falsorum dogmatum disseminator, & niteretur alios à fide avertere; tunc cùm esset hostis actualis Ecclesiæ, ratione publicæ fidei, & reipublicæ Christianæ ei etiam extremè egenti à patre essent deneganda alimenta, cùm bonum publicum fidei Catholicæ sit præferendum vitæ filiorum, & parentum, & ita locum habent tradita *suprà n.*112. & illud, de quo *suprà*, *n.*121. quod talis filius videtur potiùs necandus, quàm alendus: & ita tradunt Facundez *d. c.*2. *num.*7. & alii *num. præcedenti* allegati, relati etiam à Farinacio *d. n.*13.

125 Si etiam pater sit hæreticus, tunc eum teneri alere filium, etiam non extremè indigentem, & juxta dignitatem personæ, tradit Surdus *d. tit.*7. *citata q.*2. *n.*15. eo quòd non possit filio objicere, & opponere, quod sit hæreticus, sicut infamis nihil potest infami patri objicere. Glossa *in l.*3. §. *lege Iulia, ff. de testibus*, & Iason. *in l. in arenam, n.*3. *Cod. de inoffic. testam.* sicut ob eandem rationem mater meretricium exercens non potest exhæredare filiam meretricem, aut eam alimentis privare, ut tradidi in tractatu de contractu matrimonii, *c.*11. *n.*144.

§. VII.

Filius Catholicus an teneatur præbere alimenta, & quæ, patri hæretico?

Ex quibus resolvenda est alia difficultas, nempe an filius Catholicus teneatur præbere alimenta patri hæretico nolenti redire ad pœnitentiam, aliunde ex bonis propriis, vel operis, aut industria, seu decenti arte non valentis sibi de illis providere. In qua difficultate Surdus *de alimentis, tit.*1. *q.*19. *n.*5. *& sequent.* docet absolutè teneri filium fidelem alere patrem hæreticum; & tanquam hujus sententiæ refert Glossam, & Hostiensem *in can. non satis, d.*86. eandem Glossam *in can. si qui filii, d.*30. Hostiensem, Cardinalem, D. Thomam, Panormitanum, Felinum, Bellum, & Dueñam *reg.*68. *limit.*10. *fin.* eo quòd maxima sit reverentia, quam filius debet patri, & vigens filii erga patrem obligatio, à quo recepit esse, quam obligationem non aufert jus humanum. Quod si objicitur, filium, & patrem ex æquo obligari ad alimenta sibi invicem præstanda, patrem verò non teneri præbere alimenta filio hæretico, quia cum potest ob hæresim exhæredare, & consequenter alimentis privare, *ut suprà*, *n.*20. notatum est; ergo etiam filius potest ob hæresim exhæredare patrem, & illi alimenta denegare; ad quod etiam facit regula correlativorum, ut quod dispositum in uno, censeatur in alio disponi, *l. non tantum*, *ff. de judic. l. fin. Cod. de instit. & substit.* Respondet Surdus *d. q.*19. *n.*9. *& tit.*7. majorem esse rationem, seu obligationem alendi patrem, quàm alendi filium, ex quo filius habet esse à patre; & quia in patre subest ratio reverentiæ, ob quam æstimari semper debet sancta, & honesta ejus persona, quantumvis malè sit morigerata, juxta textum *in l. liberto, ff. de obseq. liber.* ac proinde quamvis obligatione naturali teneatur pater erga filium, arctior tamen est, & magis obligatoria ea necessitas civilis, qua filius obstringitur erga patrem nam, inquit; diei posset obligationem patris erga filium descendere jure naturali ratione inventionis; fortiùs autem est obligari civiliter, quàm naturaliter, cùm ex civili obligatione oriatur actio, sed non ita ex naturali; quamvis idem Surdus *d. q.*19. *n.*10. non dari in foro contentioso actionem, nisi patre hæretico extremè egente, asserit, contra quem facit, quod potiùs majori vinculo pater sit obligatus alere filium, quàm filius patrem, ut probare satis videtur illud vulgare axioma, quod natura descendit, non ascendit, & ita docent Sanchez *lib.*2. *c.*24. *allegato n.*7. & Fagundez *in Decalog. lib.*1. *c.*24. *n.*10. *& lib.*4. *capite* 2. *n.*6. de quo axiomate *infrà, capite* 22. 126

Igitur respondendum, filium Catholicum non teneri præstare patri hæretico pertinaci, quando illis extremè non eget, teneri verò eidem præstare alimenta simpliciter necessaria, sine quibus nequiret vivere, si aliũde non possit sibi providere; ita quod solùm in extrema necessitate tenetur fidelis alere patrem hæreticum, sicut pater Catholicus tenetur in simili necessitate alere filium hæreticum: ita ex Theologis Azorius *p.*2. *lib.*2. *c.*3. *q.*1. Sanchez *in sum. lib.*2. *c.*24. *dicto n.*7. Megala *p.*2. *lib.*2. *c.*2. *q.*2. *n.*5. & Fagundez *in Decalog. locis citatis.* Ex Iurisperitis, & Canonistis Glossa, & alii Canonistæ *suprà*, *n.*123. allegati *locis ibidem citatis*, Locatus *loco eodem, n.*123. *citato*, & verbo *receptatio*, *n.*7. Repertorium Inquisitorum verbo *filii*, versiculo *filius habens patrem hæreticum*; Cancerius *in tract. de hæreticis, n.*167. Decius & Navarrus *locis d. num.*123. 127

relatis, Vgolinus *de censuris reservatis*, *p.2. in glossa Receptatores*, §.2. Farinacius *d. q.*182. *num.*13. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §.*&* *si impubes*, *n.*10. *&* §. *si quis ex his*, *num.*74. *ff. de lib. agnoscend.* Surdus *de aliment. tit.*7. *quaest.*15. *num.*24. ubi quod dixit *tit.*1. *allegata quaest.*19. scilicet patrem hæreticum alendum esse à filio, declarat debere intelligi, quando esset in extrema necessitate: & idem sentiunt Glossa, & alii Canonistæ relati *num. praeced. locis ibid. cit.* dum enim dicunt alimenta patri hæretico à filio præbenda, intelligi debent quando pater versatur in extrema necessitate, & alioqui fame periret, ut ex textibus quibus nituntur, & verbis ipsorum apertè constat, in qua extrema necessitate patri constituto, aiunt à filio ex speciali obligatione subveniendum potiùs quàm alteri Catholico extremè egenti, cæteris paribus. Hæc responsio quoad primam partem, scilicet quod extra necessitatem simpliciter, & extremam filius Catholicus non tenetur alere patrem hæreticum, probatur satis ex traditis suprà, *num.*120. *&* 126. Quoad secundam, nempe quod patri hæretico extremè egenti filius Catholicus teneatur præstare alimenta simpliciter necessaria, probant tradita *num.*123.

128 Neque huic secundæ parti responsionis, & conclusionis traditæ *d. num.*123. obstat filium, & patrem hæreticum posse à patre fideli, & filio exhæredari propter hæresim: & ubi habet locum exhæredatio, procedit etiam alimentorum denegatio; nam id non intelligitur de alimentis simpliciter vitæ necessariis, ut asserunt uterque Molina locis suprà *num.*120. citatis, & dicitur infrà, ubi de causis ex quibus pater filio alimenta potest denegare.

129 Intelligitur autem secunda pars responsionis, quando præstatio alimentorum vitæ simpliciter necessariorum non fit in damnum, & subversionem Fidei, & Ecclesiæ, & ipse pater hæreticus inde fiat deterior, & si filium, aliosque à Fide avertere conatur, & nollet ab ea intentione desistere: quibus in casibus filius tenetur odisse quoad corpus patrem suum, & bonum animæ suæ, & aliorum, Fidei, & totius Reipublicæ Ecclesiasticæ, præponere vitæ ejusdem patris: quæ omnia constant ex traditis suprà *num.*122. *&* 124. & in terminis notavit Locatus, Fagundez, & Farinacius *locis superius relatis*.

130 Prima etiam ejusdem responsionis pars limitatur, si etiam filius sit hæreticus; nam tunc tenetur alere patrem hæreticum non extremè egentem, per tradita suprà, *num.*125.

§. VIII.

Pater Iudaeus, & infidelis filio ad Fidem Catholicam converso tenetur dare alimenta juxta statum, & vires patrimonii.

131 Dubitatur quartò, an pater Judæus, vel infidelis teneatur præstare alimenta filio converso ad Fidem Catholicam. Respondetur teneri, & posse cogi, sicut ante conversionem. Ita Ascanius Clem. *de patria potest. effectu 7. fine*, Marquardus *in tract. de Iudaeis, lib.*3. *c.*4. *n.*1. Surdus *de aliment. tit.*1. *q.*4. Antonius Ricciullus *de jure personar. lib.*2. *c.*29. *n.*16. *& de neophytis c.*9. *num.*11. Aug. Barbosa *ad Decretales, collect. ad cap. Iudaei* 2. *num.*4. *de Iudaeis, & Saracenis*, & alii Canonistæ, & Jurisperiti apud Surdum, & Ricciullum, & est textus expressus *in l. cognovimus*, §. *sed nè videamur*, C. *de haereticis*. Ratio adducitur *eodem* §. *& d. cap. Iudaei, de Iudaeis & Saracenis*, scilicet quia filius propter conversionem ad Fidem Catholicam non debet esse deterioris conditionis, sed melioris; id enim exigit favor Fidei, & religionis Catholicæ; quare eadem jura, quæ competebant infidelibus, competunt eis Christianis effectis, *d. c. Iudaei*, ibique Doctores, & alios allegantes Ricciullus *d. cap.*9. *num.*1. & Surdus *d. q.*4. unde alimenta eidem converso ad fidem erunt præstanda juxta dignitatem, & vim patrimonii, & exprimitur *d.* §. *sed ne videamur*.

Hinc pater Judæus, & infidelis tenetur etiam filiam ad fidem conversam dotare juxta vires patrimonii, *d.* §. *sed ne videamur*, August. Barbosa *d. n.*4. Ricciullus *de neophytis, d. c.*4. *num.*12. Campegius *de dote*, *q.*47. & cum aliis Surdus *d. q.*4. *num.*3. An verò si non adsint nisi bona ex usura, & illicito quæstu acquisita per patrem Judæum, adhuc filia ad fidem conversa possit petere dotem in bonis patris, negant Panorm. *in c. cùm tu*, *n.*13. *de usuris*, Marquardus *d. tract. de Iudaeis*, *p.*3. *c.*8. Campegius *de dote*, *q.*47. & Joan. Baptista de Barbobus *de filiisf. q.*30. *n.*108. & æquiorem, salubriorem, ac magis communem dicunt Panorm. & Marquardus. Contrarium tenere videntur Federicus de Senis *cons.*63. Ananias *in c. cùm tu*, *n.*9. *de usuris*, & Laurentius de Rodulphis *de usuris p.*1. *q.*47. *fine*, quatenus asserunt dotem traditam filiæ per patrem usurarium, patre defuncto, etiamsi ad plenariam restitutionem usurarum hæreditas non sufficiat, filiam non teneri dotem suam à patre in pecunia traditam suo viro, & ab hæredibus viri defuncti sibi restitutam in satisfactionem usurarum restituere. Quod pluribus comprobat Federicus, licèt ei contradicat Campegius *d. q.*47. & hanc posteriorem sententiam admittit saltem tanquam probabilem Ricciullus *d. q.*9. *n.*15. Cæterùm prima sententia Campegii, & aliorum magis communis, limitari debet primò ut procedat quando est certum, bona patris esse ex illicito quæstu, secus si id non constaret, cùm in dubio quis præsumatur ditatus ex licito lucro, *l. Marito*, *ff. pro socio*, & *l. item apud Labeonem*, §. *si communem*, *ff. de injuriis*, Ricciullus *d. n.*15. *fine*. Secundò limitatur quando personæ quibus facienda esset restitutio, essent incertæ; nam tunc cùm vigore allegatæ constitutionis Pauli III. benè concedantur illis qui convertuntur ad Fidem, hujusmodi favor certè debet prodesse filiis, qui eadem ratione qua si bona essent propria, illis concederentur, eadem concedi debet, ut in illis possit conversus ad Fidem peterè quod sibi debetur, *arg. l. illud*, *ff. ad l. Aquil.* ex Ricciullo *d. c.*9. *n.*16. Tertiò limitatur ut non procedat, si dos sit à patre soluta in pecunia; nam tunc licèt vigore juris posset concedi repetitio dotis ex usuris solutæ à patre, eo defuncto, si alia bona non sufficiunt ad satisfaciendum creditoribus illius certis; nihilominus de æquitate non datur repetitio, nec est dicta dos à filia restituenda: & hoc tantùm voluerunt Federicus, & Ananias *locis citatis*, idque solùm probant ab illis tradita, & ita servari in supremis tribunalibus testatur Ricciullus *d. c.*9. *n.*17. prout etiam Afflictus *decis.* 90. *num.*1. & Rota *in Rom. computat.* 28. *Octobris* 1604. *& in Rom. pretii fundati*, 20. *Februar.*1612. *coram Sacrato*, ibidem à Ricciullo relata. Si verò traditus esset fundus in dotem, posset vindicari à filia, & ab ejus viro, Campegius *loco citato*, & Ricciullus *d. c.*9. *n.*18. quia transit cum onere, *cap. ex transmissa, de decimis*.

Imò etsi aliàs mater non teneatur dotare filiam nisi in subsidium, ubi pater est egenus; tamen favore Fidei mater infidelis, vel hæretica tenetur filiæ orthodoxæ dare dotem, etsi pater sit dives. Colligitur *ex d.* §. *sed ne videamur*, ibi: *Sed & dotes pro filiabus, & neptibus dare*: & tradit Glossa *in l. neque mater*, Ascanius Clem. & Marquardus *loc. praeallegatis*, & alios allegantes Surd. *d. q.*4. *n.*4. & August. Barbosa *collectan. ad d. l. cognovimus*, *n.*4. *C. de haeret.* Quin etiam juxta Ananiam *in d. c. Iudaei*, & alios à Surdo *d. q.*4. *n.*5. relatos, filius conversus ad fidem nostram potest patrem cogere adhuc viventem ad sibi consignandam legitimam: quod licèt reprobent Ascanius Clem. *loco citato*, & Joannes Lecirier *in tract. de primog. lib.*1. *q.*17. *n.*1. eo quòd legitima 133

non

noo præstetur, patre vivente, *l.1.§.impuberi.ff.de collat. bonorum*, approbant tamen Surdus *d.num.5.* & Riccìullus *de neophytis, d.c.9.n.20.* quia sicut mater tenetus dotate filiam eo casu, quo aliàs non teneretur, ut magis Religioni faveamus, eodem modo obligabitur pater legitimam aote tempos assignate, ne si differatur exsctio in morris paternæ tempus, spe illios legitimæ filius, ut patri sit gratior, & pinguiorem consequstur legitimam, interim indueatur ad Fidem Catholicam deserendam, & Iudaïsmum repetendom; & hæc sententia hodie est certa, cùm expresè sit definita in constitutione Pauli III.3a.incipiente *Cupientes*; & in quantitate legitimæ taxanda foreot computanda etiam bona ex illicito quæstu acquisita, si personæ quibus facienda est restitutio, non sint certæ, juxta tradita *n.praecedenti, limit.2.*

Econtrà etiam filius infidelis teoetor patri converso ad Fidem præstate alimenta juxta dignitatem, & vires patrimonii, sicut ante bsptismum tenebatur, quod probat eadem ratio, & cum aliis trsdit Ricciulus *d.cap.9.num.51.* Et advertendum, quod cùm infidelis convetsus ad fidem mutet statum in melius, *d. capito Iudai*, ubi Ananias *n.1.* Riccìulus *d. cap. 9. num. 13.* ideo alimenta, dos & douatio proptes nuptias sunt constituends habita ratione ad statum præsentem, quẽ retinet post convetsionem ad Fidem, non habita ratione status in quo reperiebatur io infidelitate. Ita Ricciullus *d.cap.9.num.14.* referens in facti contingentia its respondisse Rotam *decis. 249. p. 2. diversorum.*

§. IX.

Filius fidelis tenetur alere patrem infidelem, & alios ascendentes infideles.

134 UTrum verò patri etiam Iudæo infideli aliunde oon habenti filius fidelis alimenta præstare teneatur? Respondendum pariter affirmativè. Ita Præpositos *in can. si quis, dist. 30.* Ascanius Clem. *d. tract. de patria potestate, effectu 7. n.4.* Marquard. *allegato tract. de Iudais, in 3. p.cap.4 n.5.* Borgninus Cavalcanus *decis.21. n.1.p 2.* Corduba à Lsra *in l. si quis à liberis, §. & si impubes, n.8.ff. de lib. agnosc.* Surdus *de alim. tit. 1. q.18. & q.96.* & cæteri Iurisperiti, & Canonistæ ab eodem relati: & ex Theologis Azor. *p.2. lib.2. c.3. q.2.* Megala & Trull. *loc. supra n.127. citat.* Licèt enim infidelis sit, est tamen pater à quo filius accepit esse, & cui debet revereotiam, & cum quo hsbet strictissimam sanguinis conjunctionem, & consequentet ob infidelitatem non eximitur filius Catholicus ab obligatione illum alendi.

135 Hoc autem juxta Doctores prællegstos, & slios intelligitur quoad alimenta simpliciter necessaria vitæ, qoæ idem patet extremè egens aliunde habete nequeat, quod etiam probant tradita *suprà, n.127.* de obligstione alendi patrem hæreticum, quare filius fidelis in eadem extrema necessitate pattis Iudæi, aut infidelis obligatur ei potiùs quàm extraneo Christiano alimenta præstsre. Præpositus ubi suptà, & Surdus *d. q.18. n.10.* & Istiùs *d. q. 96.* & Corduba *d. n.8.* de quo infrà *hoc, c.n.1251.*

136 Eodem modo, & ob easdem rationes filius fidelis tenetur præstsre alimenta ascendentibus iofidelibus: id quod etiam tradunt Ascanius, Marquard. & Cavalcanus *locis cit.* Quæ omnia tamen limitantur non procedere quando sustentatio patris, vel filii eos efficeret deteriores quoad Deum, vel redundaret in damnum Fidei, vel Ecclesiæ; tone enim nec pater, nec filios infidelis esset alendus, ut etiam tradunt Cardinalis *in can. satis, dist. 86.* Præpositus *ubi suprà*, & Surdus *d. q.96. in fine.*

§. X.

Pater an, & quando teneatur ad alendum filium monachum.

DUbitatur quintò, an pater teneatur præstare alimenta filio monacho? 137

Respondetur primò, si monasterium habeat ex eleemosynis consuetis, vel ex propriis redditibus unde monachum alere possit, pater non tenetur ad illius alimenta, *l. si quis à liberis, §. sed si filius*; sed tenetur monasterium ad danda illi alimenta necessaria. Ita Castrensis *cons.26. n.1. vol.1.* Baldus Novellus *de dote, p.1. in principio, n.11. circa finem*, & alios referens Surdus *de aliment. tit.1. q.75. & tit.7. quæst. 35 num.12.* & Filliucius *tom.2. tract.23. p.2. c.3. num.35.* Et ratio est, tum quia monachus servit monasterio, & consequenter debet vivere de Altari, *cap. cùm secundùm, de preb.* tum quia monachus acquirit monasterio, *cap. cùm olim, de privilegiis.*

Respondetur secundò: Si monasterium ob illius inopiam oon potest Monachos alere, tunc pater tenetur filio monacho alimenta præstare, seu aliquid illi assignare pro alimentis. Ita in terminis Baldus Novellus *loco citato*, & Ioan. Baptista de Barbobus *tract. de filiisf. q.30. num.506.* per ingressum enim monasterii, & professionem filius non desinit esse filios, licet non sit sub patris potestate; & ideo jure naturali pater tenetur illum alere, si aliunde non habere possit unde se commodè alar. Hæc tamen responsio limitanda est, ut non procedat si adesset aliud monasterium ejusdem Ordinis poteos illum alere; nam tuoc ex licentia superioris utriusque monasterii transmittendus esset, & cogendus transire ad illud, ut ex Baldo *in l.1. §. sed scimus, fin. C. de Latina lib. toll.* & Benincasius *tract. de pauper. quæst.7. in 2. spetie judic. num.25.* notat Surdus *d. quæst.75. num.5.* 138

§. XI.

Pater an teneatur præbere alimenta filio Religioso professo, è monasterio expulso.

DUbitatur sextò, an pater teneatur alere filium monachum professum è monasterio expulsum.

Respondetur, si injustè sit expulsus, vel spontè recessit, & velit redire, salva Ordinis disciplina; & monasterium non revocet, vel admittat, tenetur monasterium illum alere; & si non alat, impiè denegat alimenta. Ita Glossa *in c. unicum, verbo Languidis, de infantibus, & languidis expositis*, & alios latè allegantes Tiraquellus *de retractu consanguinitatis, §. 10. glossa unica, num.14.* & Surdus *de alim. tit.7. q.33. n.6.* 139

Respondetur secundò, si filius professus suâ culpâ è monasterio per justam sententiam sit ejectus, pater illum non habentem unde se alere possit, tenetur ei præstare alimenta. Azorius *p.2. lib.2. c.4. q.9.* & Filliucius *loco superiùs, n.137. citato.* Ratio est, quia jam monasterium non tenetur tali justè ejecto alimenta dare, ut latè tradit Surdus *d. q.15. & 35. n.1. & sequenti*, ne à contrario sensu colligitur ea Glossa, & Tiraquello *locis citatis*, & ex aliis Iurisperitis ab eodem relatis; jam enim non est amplius filius monasterii, & idem monasterium ad tempus tantùm se obligavit alere, & cùm monasterio non serviat, nec ab eo ali debet: ergo pater tenetur illum alere, quia per professionem, ut dictum est, non desiit esse filios malè morigeratus, est tamen filius. Excusaretur autem pater, si filius aliunde potest commodè vivere: & casu quo non habeat aliunde, cùm ipse culpâ sua sit è monasterio expulsus, pater non videtur teneri, 140

nisi ad præstanda ei alimenta simpliciter necessaria, sicut in præcedentibus dictum est de alimentis præstandis filio bannito, deportato, excommunicato, & hæretico; idque ob rationes iisdem locis adductas.

An verò pater filio novitio in Religione capaci bonorum in communi teneatur solvere alimenta, & si ea non exhibuerit, & filius à monasterio recedat, & ad seculum redeat, vel novitius ab intestato moriatur, expensas in ejusdem filii novitii alimentis à monasterio factas teneatur pater solvere, vel moriente novitio ab intestato, monasterium debeat illas expensas à patre, vel hæredibus novitii ab intestato consequi, quando in ingressu monasterii non est initum pactum largiendi monasterio expensas novitii? videtur negare Sanchez *lib.6.Sum.cap.10.num.4. & seq.* & *lib.7.cap.3.num.45.* quibus in locis resolvit negativè, & dictas expensas in alimentis novitii, neque à patre, neque à filio ipso novitio à monasterio recedente, neque ab hæredibus solvendas esse, etiamsi novitius ratione morbi, aut alia causa non inservierit monasterio, & expensæ alimentorum excederent laboris novitii mercedem. Alioqui enim liberè prorsus non posset novitius recedere ab Instituto regulari incepto.

§. XII.

Filio adhuc existenti in utero matris prægnantis providendum de alimentis, seu uxori prægnanti alimenta præstanda sunt ex bonis viri defuncti.

141 PORrò non solùm filiis jam natis præstanda sunt alimenta per patrem, sed etiam in ventre adhuc matris prægnantis existentibus, etiam patre defuncto, de alimentis providendum ex bonis patris defuncti. Quare ventri, seu uxori prægnanti, vel si dubitatur an sit prægnans, post mariti mortem curator datus hæreditati, etiam nondum facta bonorum partitione, ex bonis viri defuncti providere debet de alimentis, victu, vestitu, & lecto, atque aliis, sine quibus fœtus sustineri, & ad partum usque perduci non posset. Ita decernitur *l.1. §. sed & si incertum sit, & §. mulier autem, & l. curator, ff. de ventre in possess. mittendo*, Pontanus *de alim. cap.2. num.9.* Menochius *de præsumptionibus, lib.1.q.35.num.14.* Corduba *in l.si quis à liberis, §. item rescriptum, num.4. ff. de liber. agnosc.* Merenda *controv. juris tom.3.lib.13.cap.3.n.7.* Mantica *de tacitis & ambiguis, lib.12.tit.31.num.11.* Stephanus Gratianus *tom.4.cap.610.num.21.* P.Barbosa *ad l.2.p.1. in principio, num.16. ff. solut. matr.* Surdus *de alim.tit.1. quæst.23.num.1.& 2. & tit.4.quæst.23.num.7.* Joan.Valerus *de differentiis 21. alim. diff.4.* & Doctores communiter, ut testatur Barbosa. Imò præstari debent eidem mulieri prægnanti pro facultatibus defuncti, & pro dignitate ejus, atque mulieris, ut expressè dicitur *d. §. mulier autem.* Item *dicta l.curetur*, decernitur esse præstanda hujusmodi alimenta non solùm si eadem mulier prægnans habet dotem, sed etiam si non habeat, quia ea alimenta non tam mulieri quàm ei quem in utero gestat, præstari videntur, ut lex ipsa dicit: unde etiamsi haberet dotem traditam marito, eadem alimenta non sunt præstanda ex fructibus ejusdem dotis, sed ex bonis mariti, ita ut dotis fructus post mortem mariti debeantur uxori prægnanti, absque deductione sumptuum factorum pro ejus alimentis, juxta dicta jura, Manticam, & Gratianum *locis citatis*, & probat eadem ratio, quod alimenta potiùs proli, quàm matri præstantur.

§. XIII.

Paterne adoptivus, an pater naturalis teneatur alere filium adoptivum extraneum.

SEd non levis controversia est inter Jurisperitos, 142
an filio adoptivo ab extraneo adoptato pater adoptans teneatur præbere alimenta, an verò pater naturalis?

Patrem enim adoptivum, seu adoptantem teneri filium adoptivum alere, asseruere Placentinus antiquus Glossator citatus à Glossa *in §. sed ea omnia, Instit. de hæreditat. quæ ab int. deferuntur*, Azo à Joanne Fab. citatus, Speculator *in tit. qui filii sint legit. n.19.* & ibidem Joannes Andreas *in addit.* Baldus *in leg. cùm adoptivus, num.5. C. de adopt. & in Auth. nisi rogati, num.19. C. ad Trebell.* Barbatia *in repet. cap. Raynaldus, de testam.* relati à Tiraquello *in l. si unquam, verbo Susceperit liberos, num.8. fin. C. de revocanda donatione*, & Surdus eosdem etiam Doctores præter Barbatiam referens *de alim. tit.1. quæst.2. num.6. ad finem, & q.114. n.4.* Molfezius *ad consuet. Neapolit. p.5. q.11. n.3.* & Joannes Lupi *de illegitimis, com.2. §.3. num.63.* aliique apud ipsum. Moti sunt primò, quia vocati sunt, & admittuntur ad successionem intestati in bonis patris adoptantis, *§. sed hodie, Instit. de adopt. §. sed ea omnia, Instit. de hæredit. quæ ab intest. defer. & l. penult. §. sed ne articulum, C. de adoptionibus.* Secundò quia *in l. onera, ff. de adoptionibus*, Paulus dicit, onera ejus qui in adoptionem datus est, ad patrem adoptivum transferri. Alimentationis autem onus est principale, & præcipuum filio annexum; ac proinde licèt pater adoptivus extraneus non acquirat jura naturalia patris, ex præallegatis textibus; tamen ad hoc onus alimentationis ipsi filio annexum tenetur; nam acceptando eum in filium, videtur se obligare ad ea omnia, quæ pater obligatur præstare filio, & sic ad adoptivi filii alimenta. Nam qui tenetur aliquem tractare ut filium, tenetur illum alere. Bartolus *in l. quidam cùm filium, num.3. ff. de verb. oblig.* & alii, quos laudat Surdus *de aliment. tit.1. q.10. alleg.* quibus addo ego Menochium *de arbit. in addit. centuria 1. n.2.5. & 6.* qui refert ita tradidisse etiam Jasonem *in d.l. quidam cùm filium, n.6.* & *ibid.* Alciatum *n.8.* Tertiò adoptio imitatur naturam, *§. adoptio, Instit. de adoptionib.* Ergo pater adoptivus, tanquam in locum naturalis subrogatus, tenetur ad alimenta. Neque contra primam rationem, quæ est Baldi, obstat (inquit Surdus *d.q.2.*) quod non valeat, *Potest quis succedere alicui, ergo is tenetur ad præstandum illi alimenta.* Nam contrarium apparet ex eo, quod proximior gravatur onere alendi proximiorem, ut ostendit idem Surdus in variis quæstionibus ejusdem tituli primi; & constabit ex dicendis, & tradendis infrà.

Non etiam, inquit, obstat allegatus *§. Sed hodie, Instit. de adoptionib.* in quo dicitur, quod omnia jura pa- 143
tris naturalis, facta adoptione manent immutata, nec dissolvuntur, eo solùm excepto, quod filius adoptivus patri adoptivo potest succedere ab intestato: ex quo sequitur, quod pater naturalis tantùm teneatur alere filium adoptivum, non pater adoptivus. Respondet enim idem Surdus, hunc textum intelligi de juribus activis, quæ patri contra filium competebant; non de passivis, quibus pater erga filium tenebatur: & ideò non tenetur filio relinquere legitimam, ut aliis citatis probat Tiraquellus *d. n.8.* Merlinus *de legitima, lib.1. tit.2. q.2. n.16.* nec potest à filio citari in jus sine venia, quare onera omnia, ait Surdus, transeunt in adoptantem; non autem jura, quæ patri competebant.

Non obstat pariter, ait idem Surdus, textus *in d. §.* 144
Sed ea omnia, Instit. de hæredit. quæ ab intest. defer. ubi habetur, *omnia jura naturalis patris ita servari, atque si in patris naturalis potestate permansisset, nec penitus adoptio*

fuisset

fuisset subsequuta, nisi in hoc tantummodo casu, ut possit ab intestato ad patris adoptivi venire successionem. Dictio namque illa taxativa, *tantummodò*, omnes casus excludit præter expressos, *l. qui aliena, §. libertos, ff. de negot. gest. cap. si duo, de procurat. num.* 6. Casan. *cons.* 339. *num.* 2. *vol.* 1. Respondet siquidem idem Surdus eodem modo, scilicet textum intelligi de juribus activis tantùm, nec obstare taxativam *tantummodò*, eo quòd non excludat casus similes, *l. ob as*, ubi Glossa, *C. de præd. min.* Glossa *in l. si mora* 5. §. *dumtaxat, ff. sol. matr.* Tiraquell. *de retractatu convent.* §. 1. *glossa* 6. *n.* 6. Gomez *de testam. cap.* 11 *num.* 16. & alii à Tiraquello, & eodem Surdo *d. quæst.* 2. *num.* 10. relati. Casus autem alimentandi non est dissimilis successioni, ait Surdus, cùm ab uno ad alium rectè referatur, juxta tradita *n.* 141. & addit idem Surd. *d. n.* 10. ex traditis à Tiraquello *ubi suprà, num.* 20. constare præter successionem in bonis adoptivi parentis alia jura quæ ibidem numerat Tiraquellus, competere filio adoptivo. Ex quibus deducitur, taxativam illam non retinere suam proprietatem.

Denique ait Surdus, non obstare quod concurrentibus causa naturali & civili, prævaleat naturalis, uti potentior, *l fin. C. de his qui ven. ætat. impetr.* nam respondet, in præsenti non dari talem concursum, cùm onera sint in adoptantem translata, *d. l. onera*, & una accedente causa, altera tollatur; quia tunc pater præstat alimenta filio, quando non habet aliunde: ut in filia nupta, quæ alitur à marito, non à patre. Et quanvis alimenta naturali quadam charitate debeantur, id verum est quando filius aliunde non habet, ut suprà dictum est; quando autem habet patrem adoptivum, cessat illa naturalis ratio, & charitas.

146 Contrariam sententiam, & patrem naturalem, non verò adoptivum teneti alere filium adoptivum extraneum, docuerunt Glossa *in d. §. Sed ea omnia, Instit. de hæredit. quæ ab intest. defer. verbo Tantummodò* 10. Faber, & Angelus Aretinus, Guil. Benedictus *in c. Raynutius, verbo Et uxorem nomine Adelasiam*, *num.* 738. *& seq.* Tiraquell. eosdem Doctores referens *loco suprà, n.* 141. *citato*, Corduba *in l. si quis à liberis, in princ. n.* 18. Menochius *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 35. *n.* 26. Et hanc sententiam amplexus est Fachineus *controversiarum juris lib.* 12. *cap.* 60. eam contra Surdum probans eo argumento, quod filius adoptivus extraneus per adoptionem nil aliud consequitur, nisi hæc tantummodò, ut adoptivo patri possit ab intestato succedere: quod præter alia jura *sup. n.* 143. & 144. adducta, dicit constare *ex d. l. penult. C. de adoptionibus*, ibi: *Omnia igitur, secundùm quod disposuimus, cùm ad extraneum patrem filius per adoptionem transfertur, manent integra jura, sive ad inofficiosi querelam, sive ad alias omnes successiones, sive ab intestato, sive ex testamento, quæ liberis deferuntur, ut & ipse possit prodesse patri naturali, & ab eo naturalia debita percipere.* Percipiat igitur (concludit Fachineus) alimenta à patre suo naturali, cùm hoc sit debitum juris naturæ, ut *suprà* §. 1. latiùs probatum est. Verùm respondet Surdus, esse debitum naturale quando filius aliundè non habet; filius autem adoptivus habet à patre adoptivo, qui tenetur tractare illum tanquam filium, & sic alimenta præbere. Prosequitur Fachineus adducens textum *in §. Sed ne articulum, eadem l. penult.* ubi Justinianus sic habet: *Licentiam damus tali adoptivo patri* (scilicet extraneo) *si voluerit, nihil ei testamento suo relinquere, &c. Cùm enim per omnia naturæ filium aggregaverimus, manifestissimum est, quod & acquisitiones omnium rerum, &c. non adoptivo extraneo patri, &c. & permaneant in sacris patris naturalis, quasi imaginaria quadam, & nova affectione ei acquisita, non pristinæ cognationis diminutione introducta.* Ex quibus verbis infert Fachineus, apparere quàm integra maneant omnia jura patris naturalis, & consequenter etiam, quod manet integrum hoc jus consequendi à patre naturali alimenta: quod addit magis confirmari ex sequentibus verbis ejusdem §. scilicet: *In hoc tantummodò prodesse ei, volumusque adoptionem, ut non successione ab intestato patris extranei adoptivi defraudetur, sed habeat accessionem fortunæ ex patris naturalis sibi voluntate acquisitam.* Ex his ait Fachineus, liquidò apparere, extranei patris adoptionem nullum aliud commodum filio adferre, nisi hoc unum, ut filius adoptatus succedat adoptanti ab intestato, & reliqua jura integra serventur filio respectu patris naturalis, ita ut pater naturalis remaneat ei obligatus sicut ante adoptionem erat, & simili modo pater naturalis usumfructum consequatur in bonis adventitiis, sicut ante adoptionem consequi poterat.

Nec juvat dicere, per adoptionem jura tantùm activa, quæ patri contra filium competebant, non dissolvi; secus verò jura passiva, quibus pater erga filium tenebatur: quia hoc, inquit Fachineus, est contra expressa verba dictæ legis penultimæ, *in adducto versic. Omnia igitur, &c.* verba etenim illa videntur clarè ostendere, omnia jura, tam activa, quàm passiva integra manere, & patri erga filium, & filio erga patrem. 148

Ad textum *in allegata l. onera, ff. de adopt.* dicentem, *onera ejus qui in adoptionem datus est, ad patrem adoptivum transferri.* Respondet Fachineus, quod his verbis non contineatur onus alimentandi, quia onus alimentandi filium est patris naturalis, ideoque dicere debuisset Jurisconsultus, onera patris naturalis transferri in patrem adoptivum. Quare onera (subdit Fachineus) de quibus ibi loquitur textus, sunt longè diversa, nempe ut nomine filii conveniatur pater adoptivus, §. *ult. Instit. de acquisit. per arrog. l. in arrogatorem, ff. de peculio.*

Ad tertium etiam argumentum *num.* 141. adductum respondet idem Fachineus concedendo adoptionem imitari naturam suo modo, nimirum ut loquitur textus *in §. minorem, Instit. de adopt.* negat tamen per omnia imitari naturam, quia si per omnia naturam imitaretur, sequeretur quod filius adoptivus extraneus transiret in potestatem adoptantis, & deberet ab eo institui: quæ omnia sunt falsa, ut constat *ex d. l. penult.* & aliis textibus *num.* 143. allegatis, filio adoptivo concedentibus solùm successionem ab intestato quoad bona adoptivi. 149

Denìum idem Fachineus rejicit primum argumentum *num.* 143. adductum, & responsionem Surdi adductam suprà *num.* 144. datam ad textum *in §. sed ea omnia, Instit. de hæred. quæ ab intest. defer.* quod illa taxativa *tantummodò*, ibi posita, non excludat casum alimentandi, utpote similem successioni. Rejicit, inquam, dicens hanc rationem (ut tunc *num.* 142. dicebatur) non esse concludentem: *Potest quis ab intestato succedere alicui: ergo is cui succedere potest, tenetur ad alimenta*; sed potiùs è contra valeret, ut videlicet is qui habet commodum successionis, teneretur ad alimenta. Admittit ergo Fachineus, id locum sibi vindicare in subsidium, nempe quando pater naturalis non adesset, vel non posset alimenta præbere, quemadmodum contingit in proximioribus agnatis, & cognatis, qui sibi invicem succedunt: & tamen directè non obligantur ad alimenta, sed tantummodò in certis casibus. Prædicta Fachineus. 150

Ex quibus apparet, utramque sententiam esse probabilem, priorem tamen magis approbo, & in praxi ab ea non esse recedendum, ob illam rationem, quòd adoptans aliquem in filium, virtute se obligat illum tractare tanquam filium; qui verò obligatur aliquem tractare tanquam filium, tenetur illum alere, ut post textum *in l. si quis à liberis, §. si vel parens, ff. de liberis agnosc.* scripsere Bartolus, Jason, Alciatus, Surdus, Menoch. *locis suprà n.* 41 *citatis*, & alii à Surdo relati. Et si pater adoptâs extraneus sustinet hoc onus, cùm tamē non acquirat jura naturaliter patris, sponte, & volens suscipit; nam dum sponte vult antecedens, nempe habere 151

bere aliquem uti filium, vult etiam consequens annexum, scilicet onus illum alendi.

§. XIV.

Pater an teneatur alere filiam sine promissione dotis nuptam, etiam viro diviti.

152 Controversia etiam aliqua est, an pater teneatur alere filiam absque promissione dotis nuptam viro diviti. Dico, *viro diviti*, quia si vir esset pauper, qui non haberet unde illam aleret, etiamsi dotem congruam recepisset, teneretur pater saltem in subsidium alere filiam nuptam, cùm ob matrimonium non desinat esse ejus filia, & sanguine strictè ei conjuncta; ac proinde ex pietate naturali tenetur ei subvenire præstatione congruorum alimentorum. Si etiam pater dotem promisisset, teneretur, & cogi posset vel dotem dare, vel donec dos non fuerit soluta, alimenta præstare filiæ nuptæ, quam tunc maritus non tenetur alere, juxta Doctores *in præcedenti parte, c.6.n.26.& 28.* allegatos, de qua re infrà *in alia 2. parte*, ubi de obligatione mutua conjugum sibi alimenta præstandi.

153 Difficultas est quando maritus est dives, quo in casu Bartolus *in auth. res quæ, C. commun. de legat. in l. obligamur, §.1. ff. de actionibus, & oblig. & in l. mulier, §. cùm proponatur, ff. ad Trebell.* Castrensis *in l. si socer, n.4. ff. soluto matr.* & plures alii relati à me *in tract. de contract. matr. c.11.n.179. initio*, sensere talem filiam sic nuptam non esse ampliùs à patre dotandam, cùm maritus spontè sine dote eam duxerit; nec patrem teneri eam alere, quia à marito, utpote divite, habere potest, ut eam uti uxorem suam teneatur alere; pater autem non tenetur præstare alimenta filiis aliunde illa habentibus.

154 Contrarium, & patrem omninò teneri tali filiæ congruam dotem dare, latè probavi *d. cap.11. cit. n.179.* & tenent alii Doctores communiter *ibid.* relati, & alii, quos refert, & sequitur Surd. *de alim. tit.7. q.6. n.4. & seq.* & consequenter interim donec dotem persolvat, tenebitur eandem filiam nuptam, sicut & non nuptam alere, & ad id poterit cogi à marito, cui liberum erit agere contra patrem, vel ad dotem congruam tradendam, vel ad alimenta competentia præstanda. Ita Glossa *in d. l. obligamur, ff. de actionib. & oblig. versic. Lege*, Doctores *in d.c.11.n.179.* relati, & alios allegans Surdus *d. tit.6.7.q.6.n.4.& 5.* ubi etiam cum aliis ait procedere quando filia nupsisset sine patris consensu, de quo etiam egi *d.c.11. à n.21. & à n.160. ad 200.* & agitur etiam *infrà, à n.656. ad 660.* ubi de causis excusantibus à præstatione alimentorum, seu ob quas alimenta à patre filiis possunt denegari.

SUMMARIUM Capitis VI.

Filius illegitimus, & naturalis, civilis & antiqui juris rigore ille tantùm dicitur, qui natus est ex concubina, in qua concurrant omnes conditiones ab eodem jure civili præscriptæ, quæ sunt multa, n.156.

Cæteri illegitimi ex quocumque alio coitu, etiam eodem jure civili non punibili procreati, juxta juris civilis rigorem censentur spurii, ibid.

Hodie de Iure Canonico, & ex consuetudine apud omnes Christianos in utroque foro, Ecclesiastico, & Civili, dicitur, & est naturalis filius, & capax successionis à Iure Civili naturalibus concessæ, quicumque procreatur, seu nascitur ex soluto, & soluta, inter quos tempore conceptionis, aut nativitatis potest legitimum contrahi matrimonium, ibid.

Quare hodie naturalis ex soluto & soluta non concubina, habilitatus ad matrimonium contrahendum, ab intestato succedit patri in duabus unciis, & etiam ex testamento potest illi succedere, non extantibus filiis legitimis, ibid.

Natus ex soluto, & soluta extra concubinatum, censetur naturalis, ut legitimatio teneat, ubi sit narratum, legitimandum esse naturalem, ibid.

Hodie juxta Ius Canonicum etiam in foro civili quoad hoc receptum, spurius est quicumque natus est ex his, qui tempore conceptionis, vel nativitatis, aut absolutè non poterant contrahere legitimum matrimonium, n.157.

Vt dicatur, & sit naturalis, sufficit ut tempore nativitatis de jure habile sit tempus ad matrimonium contrahendum, licèt de facto pater non possit contrahere, quia jam mortuus, ibid.

Pater filiis illegitimis naturalibus tenetur præstare alimenta, etiam natis ex soluta non retenta in schemate concubinatus, n.158. & 159.

Eisdem danda sunt alimenta, etiamsi pater in testamento id prohibuisset, num.160.

Nec statuto induci potest, quod filio naturali denegentur alimenta, num.161.

Filio naturali taxanda, & danda sunt alimenta juxta dignitatem personarum, & facultates patris, n.162.

Minora tamen quàm filiis legitimis, & naturalibus, n.163.

Filiæ naturali minor dos debetur quàm legitimæ, ibid.

Dos debet dari juxta eam quantitatem, quam homines similis conditionis solent in eo loco dare filiabus naturalibus, ibid.

Pater non potest filio naturali relinquere ultra unam unciam, extantibus filiis legitimis, n.165.

Naturalis filius, cui à patre in testamento relicta sit uncia, ab hæredibus non potest petere etiam alimenta ultra unciam, ibid.

Legatum compensatur cum debito legali, ibid.

Si uncia filio naturali relicta non sufficiat pro alimentis, tunc supplendum erit usque ad integra, & congruentia alimenta, num.166.

Tacitum non plus operatur quàm expressum, ibid.

Compensatio quæ à lege indicitur, fit tantùm pro rata, ibid.

Testator præsumitur velle id quod leges volunt, ibid.

Filius naturalis, nullis extantibus filiis legitimis, mortuo patre ab intestato succedit in duabus unciis hæreditatis paternæ, num.167.

An præter uncias duas possit petere ab hæredibus etiam alimenta, ut sibi ea lege debita. Affirmativè respondetur, ibid. Negativè num.168.

Authoris judicium, num.170.

Capulativa requirit concursum utriusque copulati, n.167.

Copulata habentur pro uno, ibid.

Determinatio respiciens plura determinabilia, æqualiter omnia determinat, ibid.

Extantibus filiis legitimis duriùs agitur cum naturalibus; mitiùs verò si nulli extent filii legitimi, ibid.

Filius legitimus quoad alimenta est præferendus naturali, quando facultates patris non sufficiunt utrisque, ibid.

Legitima succedit loco alimentorum, n.168.

Pater, etiam nullis extantibus filiis legitimis, si in testamento prætereat filium naturalem, nihilque illi relinquat, non potest filius naturalis querelare, & rumpere testamentum, ibid. fine.

Intellectus ad §. consideremus, Auth. de triente & semisse, *num.169.*

Conditio apposita in secundo legato, non censetur repetita in primo, ibid.

Præcedentia magis influunt in sequentia, quàm sequentia refluant ad præcedentia, ibid.

Si nullis extantibus filiis legitimis pater relinquat duas uncias filio naturali, an eo casu filius naturalis possit petere etiam alimenta ab hæredibus, n.171. & 172.

Voluntariū non dicitur quod ab eo fit qui cogi potest, n.171.

Compensatio non fit de credito unius cum debito alterius, ibid.

Naturali filio negantur alimenta ex omnibus iis causis, quibus legitimi possunt exhæredari, n.173.

Filio naturali præterito impugnanti testamentum patris, non debentur alimenta, neque expensæ litis, n.174.

Legatum pro alimentis à patre filio naturali relictum, an

*poſſit gravari onere reſtitutionis ad heredes patris, remiſſivè num.*175.

Alia ſummaria vide poſt num.175.

CAPUT VI.

An filiis illegitimis, & purè naturalibus, nec non ſpuriis jure poſitivo, & humano à patre præſtari debeant alimenta.

155 DIxi *jure poſitive*, quia jure naturali etiam filiis ſpuriis,& ex dānato coitu procreatis à patre eſſe præſtanda alimenta, latè probatū eſt ſuprà, *n.*16.*& ſeq.*

§. Primus.

Quinam ſint illegitimi naturales, & qui illegitimi ſpurii.

156 POrrò licèt juxta rigorem juris civilis, & jus antiquum naturalis filius dicatur tantùm, qui natus eſt ex concubinatu, ſeu ex concubina, ſcilicet à muliere in ſchemate uxoris ſociata,& habēte omnia requiſita à me *tom.*1.*mor var.tit.*1.§.43.*n.*1537. & ab aliis Doctoribus *ibid.* allegatis, & præſertim à Surdo *de alim. tit.*1.*q.*9.*&* 10.explicata, ſcilicet ut ſit unica, ſoluta, cū qua poſſit eſſe matrimonium, & impar, domi publicè retenta,& ut uxor, non ut ancilla,& pediſequa,& præceſſerit proteſtatio, quod vellet habere eam in concubinatu,& quod non ſit virgo, aut vidua honeſtæ conditionis, ſi ab initio non adfuiſſet expreſsè animi deſtinatio, quæ latiùs *d.n.*1537.declarantur,& conſtāt *ex Auth.quibus modis naturales efficiuntur ſui*, §.*ſi quis autē defunctus*, & *Auth. de triente, & ſemiſſe*, §. *& hoc dicimus*, *l.in concubinatu*, *ff.de concub.* & *l.*1. *verſic. Cum Attilicino*, *ff.eod.*& præter Doctores *d.*§.45.*n.*42. allegatos, latè explicat Joan. Nicolaus Lucidorus *de illegit.cler.in præludio*, *n.*3.*&* 4.ubi *n.*4.*& n.*14. latiùs probat etiam hodie cenſeri,& eſſe ſpurium quoad incapacitatem ſucceſſionis paternæ natum ex coitu jure civili damnato, aut punibili, tametſi tēpore conceptionis, aut nativitatis inter parētes fornicarios matrimonium validè cōtrahi potuiſſet, ut ſi proles naſcatur ex concubitu cum virgine, aut vidua honeſtæ conditionis, non retenta, ſeu habita in figura, ſeu forma concubinatus, cum deſtinatione animi ab initio, id quod notavi poſt alios, & Theologos, & Juriſperitos *dicto* §.45. *n* 1546 *& tribus ſeq.* cæteri verò ex quocumque alio coitu ſuſcepti eodē juris civilis,& antiqui rigore cenſeantur ſpurii,& nō capaces ſucceſſionis paternæ.

Hodie nihilominus dicitur,& eſt naturalis,& capax ſucceſſionis à jure civili naturalibus conceſſæ, quicumque procreatur, ſeu naſcitur ex ſoluto, & ſoluta, inter quos tempore conceptionis, aut nativitatis poterat legitimum matrimonium cōtrahi, ut latiùs *d.*§.43. *n.*1542.explicavi,& conſtat *ex c.tanta, qui filii ſint legit.* ubi nulla facta diſtinctione, an habiti fuerint ex una concubina domi retenta, ſtatuitur filios ante matrimonium genitos fieri legitimos per ſubſequēs matrimonium cum ea, ex qua geniti, aut nati ſunt: & ex æquitate canonica ita eſſe conſuetudine receptum, & in toto orbe Chriſtiano ſervari, non ſolùm in foro Eccleſiaſtico, ſed etiam civili, tradunt cōmuniter Doctores, quos *d.n.*1542. allegavi, & alii apud eoſdem, præſertim relati à Surdo *d.q.*9.*n.*15.*ad* 18.necnon alii relati à Peregrino *de jure fiſci*, *tit.*15.*n.*28. *verſic. Sed contra.*& ita etiam ſentiunt alios allegantes Gaſp. Ant. Theſaur.*qq.for.lib.*1.*q.*22.*n.*17. Aug. Barboſa *collect. ad Auth.licèt*, *n.*10.*C.de natur.liber.*aſſerentes natos ex ſoluto,& ſoluta, per omnia æquiparari verè naturalibus juxta jus civile, & eodem modo eſſe capaces ſucceſſionis paternæ, ſi pater ſit certus: & ita obſervari in Domanio Veneto, teſtatur idem Peregrinus *d.tit.*18. *et d n.*20 *fine*, *& de fideicom.art.*52.*n.*86.quamvis minùs probabiliter ipſe *d.num.*20. Joan. Bapt. Lupi *de illeg. comm.*1.§.5.*n.*7.*verſic.Nihilominus*, Joan.Nicolaus Lucid.*in allegato prælud.n.*23.& alii à Peregrino,& Lucidoro relati teneant, natos ex ſoluto, & ſoluta, non in ſchemate concubinæ retenta, ab inteſtato non ſuccedere patri in duabus unciis: imò idem Peregrinus *d. n.*20. cum aliis à ſe *ibid.*initio allegatis tenet, neque etiam ex teſtamento patris poſſe illi ſuccedere, etiam non extantibus filiis legitimis, quod etiam aſſeruere alii relati à Joan.Bapt.Lupi *d.*§.5.*n* 8.*initio*: qui tamen *eodem n.*8.*verſic.Contrarium*, cum aliis relatis tum à ſe, tum à Peregrino *d.n.*20.*verſic.Sed contrà*, ſuſtinet contrarium,& nullo modo ſic natum excludit à ſucceſſione patris ex ejus diſpoſitione teſtamentaria, non extantibus legitimis filiis,& ita ſervari in Domanio Veneto teſtatur idem Peregrinus, & hanc eandem ſententiam amplexus eſt Lucidorus *d.prælud. n.*25. *&* 26. plures alios recentiores allegans. Admittit verò Peregrinus *d.art.*18.*n.*10.hos filios natos ex ſoluto, & ſoluta non concubina, legitimari per ſubſequens matrimonium ad effectum ſuccedendi, etiam in terris Imperii, eſſeque hanc opinionem Doctorum communem, & veriorem: etiam Joan.Lupi *d.*§.5.*n.*7. *dicto verſic. Nihilominus*, ait hos filios natos ex ſoluto, & ſoluta, non in ſchemate concubinatus, etſi non habeantur ut naturales quoad ſucceſſionem patris ab inteſtato, cenſeri tamen naturales quoad effectus legitimationis, ut ſcilicet legitimatio teneat, neque annullari valeat vitio ſubreptionis, ubi ſit narratum, legitimandum eſſe naturalē, quod ego quoque *d.*§.43.*n.*1544.notavi. Adverto etiam, quod filius conceptus ex ſoluta tempore in quo pater non poterat cum ea contrahere matrimonium, quia habebat uxorem, quæ vivente patre mortua eſt ante partum filii, ita quod pater ante filii nativitatem potuit cum matre contrahere matrimonium, quod tamen non cōtraxit,& ante ortum filii mortuus eſt; is, inquam, filius conceptus tempore inhabili ad matrimonium, natus autem tempore habili de jure ad matrimonium, licèt de facto ob mortem patris tempore nativitatis non potuiſſet matrimonium contrahi, filius naturalis eſt,& dici debet, ut latè probat Lattea *deciſ.*43. *per totam*, qui videatur.

Quare etiam hodie juxta Jus Canonicum, etiam in foro civili quoad hoc receptum, ſpurius eſt quicumque natus eſt ex his qui tempore conceptionis, vel nativitatis, aut abſolutè non poterant contrahere legitimū matrimonium; & ex quovis coitu damnato, ſeu punibili lege civili, quales ſunt progeniti ex adulterio, vel inceſtu, ex moniali profeſſa, vel religioſo profeſſo, aut ab exiſtente in ſacris,& ex ſtupro, ſeu concubitu cum virgine, aut vidua honeſta, uti *d.*§.45.*n.*1546. *& ſeq.* explicavi,& tradūt Covarr.*de ſponſ.c.*8.§.5.*init.*Surd. *tit.*1.*q.*10.*n.*5 a. Aug. Barboſa *collect.ad authent.ex complexu*, *C.de inceſt. nupt.* & alii ab ipſis,& à me *d.*§.43. *cit.n.*1546.relati,& Joan.Nicol.Lucidor.*locis ſuprà cit.* 157

§. II.

Pater filiis illegitimis naturalibus tenetur dare alimenta.

ITaque certum eſt, patrem jure civili teneri præſtare alimenta filiis illegitimis purè naturalibus: conſtat *ex auth.licèt*, *C.de nat.liber.*ibi: *Hujuſmodi enim naturales filios paſci boni viri arbitrio neceſſe eſt.* Et per hunc textum tradunt præter alios allegatos à Surd.*de alim.tit.*1. *q.*9. *n.*1. & Joan. Lupi *de illegit.comment.*1.§.1.*n.*58. Aſcan.*de poteſt. patria*, *c.*9.*n.*56. Menoch. *conſ.*60.*n.*6. Covarr.*de ſponſ.p.*2.*c.*8.§.6.*n.*6. Mantica *de tacitis & ambig.lib.*12.*tit.*16.*n.*19.*& lib.*13.*tit.*12.*n.*4. Surd. *loco citato.* Franchus *deciſ.*720. *n.*6. Berous *conſ.*165.*n.*10. *lib.*2.P.Barboſa *in l.*1.*p.*4. *num.*60. *fin.ff.ſol.matr.* Joan. Bapt.Lupi *loco cit.comment.*1.§.5.*n.*6.*init.* Aug Barboſa *collect.ad d.auth.licèt*, *n.*7.*&* 8.Molfeſius *in conſuet Neapol.p.*5.*q.*3.*n.*3.Paleotus *de nothis*, *c.*38.*num.*4 *fin.* Joan. Nicol. Lucidorus *de illegit.cler.c.*15.*n.*6. & alii omnes. 158

Amplia

159 Ampliatur id ut procedat etiam non solùm in filiis susceptis ex soluta in schemate concubinæ retenta, sed etiam in quibuscumque illegitimis susceptis ex soluto,& soluta,absque damnato, & nefario concubitu. Ita Menochius, Covarruvias, P. Barbosa, Berous, Joan. Lupi, & Surdus *locis cit.* & constat ex traditis *n.*156.cùm ibi ostensum sit,hodie censeri, & esse naturales,& non spurios omnes natos ex soluto & soluta, inter quos tempore conceptionis, aut nativitatis poterat esse legitimum matrimonium, & natos ex soluta absque concubinatu æquiparari per omnia susceptis ex concubinatu,& retenta domi tanquam uxore,quia *auth.ex complexu,C.de incestis nuptiis*,solùm filii illegitimi ex nefario, & damnato coitu procreati privantur alimentis à patre dandis,ut patet ex verbis textus,& tradunt in terminis Covarr.Berous,& Joan. Lupi *loc. cit.* & alii infrà, *num.*178. relati.

160 Ampliatur præterea etiamsi pater in testaméto prohibeat alimenta dari filio naturali,ita quod pater non potest disponere ut naturalis filius non alatur,ac proinde non obstante prohibitione paterna, executores testamentarii poterunt,& tenebuntur aliméta filio naturali præstare.Ita in his terminis Ascan.*d.tract.de patria potest.c.5.n.*36.Bald.*in l.id quod pauperibus,n.*38.*C. de Episc.& Cler.*Covarr.*d.*§.6.Surd.*d.q.9.num.*2. Aug. Barbosa *d.collect.ad d Auth.licèt,n.*8.*C.de nat.lib.*& alii ab iisdem Surdo,& Barbosa relati,& est cōmunis sententia Doctorũ,quos allegabimus infrà agentes an alimentorum præstandorũ filiis obligatio tolli possit, & an filiis spuriis prohiberi per patrem possint aliméta.

161 Quare neque etiam statuto induci potest,quod filio naturali denegentur alimenta.Alciat.*conf.*18.*n.*8.*lib.*9. Menoch. Covarr. Lucidor. *loc.cit.* Surd.alios allegans *d. q.*9.*n.*3. & omnes qui asserunt, statuto non posse tolli alimenta spuriis debita, de quo *infrà*; multò enim minùs poterunt tolli filiis naturalibus, utpote legibus minùs odiosis.

162 Cum verò hujusmodi filiis naturalibus, & non ex damnato coitu procreatis debeantur alimenta,non solùm jure naturali,sed etiã jure civili,& humano,præstanda esse non solùm secundùm necessitatem, sed secundùm qualitatem personarum, seu dignitaté paternam,& quantitatem facultatum,tradunt P. Barbosa *in d.l.*1.*p.*4.*n.*61.*ff.sol.matr.*Aug.Barbosa *collect. ad d. Authent.licèt,n.*8.*C.de nat.lib.*Steph.Gratian.*disc.for.tom.*1 *c.*112.*& tom.*4.*c.*613.*per tot.*præsertim *n.*8.Calvin.*de æquit. c.*73. *n.*23. alii communiter à P.Barbosa, & ab eodem Gratiano relati, & alii, quos allegavi suprà *n.*70.& colligitur ex traditis suprà,*n.*71.& cõfirmatur magis ex his quæ infrà traduntur de alimentis secundùm statum,& qualitatem personarũ,& facultates patrimonii præstandis etiam filiis spuriis. Neque obstat, quod *in dicta authentica licèt,C.de nat.liber.*dicatur alimenta filiis naturalibus præstanda esse arbitrio boni viri; nam per hoc non excluditur, ut bonus vir non debeat in taxandis alimentis considerare etiã statũ,& dignitaté filii naturalis,& facultates patrias,ut constat ex traditis suprà,*n.*75.& Doctores *ibid.*relati tradunt.

63 Minora,seu minùs lauta alimenta debentur filiis illegitimis,licèt merè naturalibus,utpote minùs dignis, & inferiorum natalium, quàm filiis legitimis: quod etiã confirmatur ex eo,quod filiæ naturali minor dos debetur quàm legitimæ,ùt tradunt Panorm.*conf.*115. *vol.*2.Paleot.*de nothis,c.*50.*n.*1.Surd.*de alim.tit.*4.*q.*18. *n.*50.*& tit.*7.*q.*9.*n.*31.*&* 32.Joan.Nicolaus Lucidorus *de illegit.cler.c.*21.*n.*29.& alii ab eodem Surdo *d.n.*50. relati. Conditio enim natalium in decernendis alimentis,& dote constituenda attendi debet,*can.considerandа, dist.*86. & etiam qualitas personæ, ut suprà *d. n.*71.ostensum est,necnon consuetudo loci,ut *ibid.*notatum est.Quare pater tenetur filiæ naturali dare dotem secundùm eam quantitatem, quam homines similis conditionis in ea civitate solent dare filiabus naturalibus,maximè quia de pudicitia filiæ naturalis debet esse sollicitus. Ita Paleotus & P.Barb.*locis citatis*.

Hujusmodi autem filiis naturalibus alimenta à patre non debentur, si potest aliunde habere ex bonis propriis,vel ex artificio absque dedecore cõmodè illa cõparare.Ita in his terminis Paleotus *de nothis,c.*38.*n.*4. Mantica *d.n.*19.& Surd.*de alim.tit.*7.*q.*9.*initio*,& cõstat ex traditis *n.*27. *& seq.* & tradunt omnes Doctores *d. n.*27. relati, videantur *eodem n.*27.*& seq.* explicata. 164

An verò si filius naturalis habuerit à patre unciam, quam solùm existentibus aliis filiis legitimis pater potest illi in testamento relinquere, §. *ne igitur*, *auth. quibus modis naturales efficiuntur sui*; an,inquam, tunc ultra unciam possit petere alimenta sibi ab hæredibus decerni? Negativè respondet Paleotus *d. cap.*38. *cit. n.*4.& Surdus *de alim.tit.*7.*q.*10.*n.*4.*& seq.* Primò,quia cessat obligatio alendi quando filius naturalis aliunde habet,ut *n.præced.& n.*27.dictum est. Cùm ergo filius est habiturus unciam omnium bonorum, nulla est necessitas,aut ratio adhuc illi constituendi alimenta. Secundò,quia cùm hujusmodi alimenta filio naturali debeantur ex obligatione legis, pater in testamento eam unciam legando, videtur legare animo compensandi, eo quòd regulariter legatum compensetur cum debito, *l.si cùm dotem,§.si pater,ff.soluto matrim.* Doctores *in auth.præterea*,ubi Decius,*C.unde vir & uxor.*Covarruv. Imola,& alii à Surdo *d.q.*10.*n.*5.relati.Tertiò quia jure civili non videtur,quod naturalis, cui relicta est uncia, extantibus legitimis petere possit etiam alimenta,cùm lex *d.§.ne igitur*, prohibeat illi aliquid ultra unciam relinqui; nec jure canonico etiam possit petere, cùm jam habeat unde vivat. Quæ contra hanc responsionem possent objici, sunt parvi momenti & sufficienter diluit Surd.*d.q.*10.*n.*8.9.*&* 10. 165

Quod si uncia relicta non sufficeret ad congruentia alimenta, licèt legatum à filio naturali esset acceptatum, tunc ab hæredibus addendum esse quod deest ad competentia alimenta,rectè respondit Surdus *d.q.*10. *n.*18. *cum plur. seq.* Primò enim acceptando legatum unciæ,non censetur filius voluisse illam accipere pro totali compensatione alimentorum,sed solùm pro valore,& quantitate unciæ,cùm tacitum non possit plus operari quàm expressum, *l.expressa,ff.de reg.jur.* filius autem naturalis non posset expresśè renunciare juri alimentorum, ex Bart. *in l.si quis à liberis*, §. *si parens*, *ff.de liberis agnosc.* Ita Doctores communiter, de quo *infrà*, ubi agitur,an obligatio alimentorum tolli possit renunciatione,vel aliter.Secundò,quia regulariter compensatio quæ inducitur à lege, fit pro rata tantùm,& non ultra,*auth.præterea,in fine*, & *ibid.* Doctores,*C.unde vir,& uxor:&* §. *quando verò,Auth. de exhibendis,& introducendis reis:*& testator præsumitur velle prout à lege disponitur.Surd.*d.q.*10.*n.*23.post Baldum *in l.si duo,ff.de acquir.hæred.*& *in l.precibus,C.de impub.& al.substit.*Confirmatur hæc responsio ex traditis *suprà n.*23 *fine*.scilicet quod si quinta pars, quam pater juxta *l.*10. *Tauri* potest filio naturali,& spurio relinquere, relicta in testamento non sufficiat ad alimenta,addendum est aliquid pro alimentis, potestque filius supplementum petere, ut tradunt Covarruvias, & alii Doctores *ibid.* allegati. 166

Cùm autem filius naturalis, nullis extantibus filiis legitimis,mortuo patre ab intestato succedat in duabus unciis, quæ illi ex legis necessitate debentur, ut constat *ex d.auth.licèt, C.de naturalibus liberis, & ex* §. *consideremus, circa medium,de triente & semisse*, *& novella* 89.*c.*12.§.*ne igitur* (ubi etiam Justinianus decernit,quod si filii legitimi non extent,neque ascendentes patris, possunt ex ejusdem patris testamento succedere in toto asse; si verò extent patris testatoris, possunt ex testamento ejusdem capere totam hæreditatem, excepta legitima debita parentibus,scilicet ex causa testamenti potest illis relinqui solùm bes, seu octo unciæ,& sextans,seu reliquæ quatuor unciæ,debent relinqui parentibus,) controvertitur an præter 167

illas duas uncias hæreditatis, debeat ab hæredibus habere etiam alimenta, vel debeat esse contentus duabus unciis? Bartolus *in d. §. consideremus, & in §. discretis, auth. quibus modis naturales efficiantur sui*, quem sequuti sunt Paleotus *de nothis, cap.* 38. *n.* 4. *fine*, Bonacosa *de aequit. can. conclus.* 2. *in fine*, Rolandus à Valle *cons.* 54. *n.* 72. *lib.* 2. & alii ab eodem Rolando citati asserunt & duas uncias, & etiam alimenta filio naturali deberi: idque præcipuè per textum *in d. §. consideremus, circa medium*, ibi: *Et nutrimentum damus ei, & intestatis morientibus parentibus duas uncias.* Ex his enim verbis apparet, textum loqui copulativè de alimentis, seu nutrimento, & duabus unciis; talis autem copulativa inducit concursum utriusque copulati, *l. si hæredi plures, ff. de condit. instit.* & plura simul copulata habentur pro uno, *ex l.* 1. *num.* 2. Neque dici potest, alimenta de quibus *in d. textu*, deberi patre vivente; nam huic intellectui verba repugnant, quia indefinitè, & sub eadem determinatione verborum destinantur alimenta, & unciæ, et proinde una determinatio respiciens plura determinabilia debet omnia determinare æqualiter, *l. hoc jure, ff. de vulg.* Ratio autem diversitatis inter hunc casum, & alterum, de quo suprà *num.* 165. scilicet ut quando testator filio naturali reliquit unciam, ultra hanc non debeantur alimenta; cùm verò ab intestato succedit in duabus unciis, debeat consequi etiam alimenta, hæc ut notavit Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 11. *num.* 16. & *seq.* assignatur, scilicet quia primo casu, extantibus filiis legitimis, durius agendum est cum naturalibus: secundo verò casu mitiùs tractandi sunt, & pinguiora eis alimenta sunt præstanda; stantibus enim legitimis, strictiora sunt alimenta naturalium, & si utrisque non sufficiant, legitimi sunt præferendi, ut dicemus infrà, *num.* 271. & etiam quanto major est alendorum numerus, tanto tenuior est provisio; quod enim in plures partes dividitur, minùs præstat utilitatis.

168 Quibus tamen non obstantibus, Surdus *d. q.* 11. *n.* 4. *cum seq.* sustinet contrarium, & præter uncias alimenta non deberi. Movetur, quia filio naturali, ut suprà dictũ est, non debentur alimenta quando habet aliunde; in præsenti verò jam habet aliunde, scilicet ex paterna hæreditate in duabus unciis: & si filio legitimo, & naturali habenti aliunde unde possit vivere, justè denegantur alimenta, multò magis filio naturali, ne sit melioris conditionis quàm legitimus, & naturalis. Confirmat, quia in filiis legitimis, & naturalibus legitima, quæ illis debetur in bonis patris, succedit loco alimentorum: ergo etiam in filiis naturalibus duæ unciæ illis à lege, non extantibus legitimis filiis delatæ, succedent loco alimentorum, cùm legitima fortiùs debita sit filio legitimo, quàm filio naturali debeantur duæ unciæ; nam illa filius legitimus non potest privari in testamento paterno, alioqui potest filius rumpere testamentum: pater autem potest etiam nullis extantibus legitimis, instituere extraneum, nihil relinquendo filio naturali; nec filius propter hoc potest rumpere testamentum tanquam præteritus, ut tradunt communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Paleotus *c.* 38. *n.* 7. & *q.* 13. *n.* 2. Surdus *d. q.* 11. *n.* 16. & latiùs *tit.* 1. *q.* 15. *n.* 7. 8. & 9. Peregrinus *de jure fisci, tit.* 18. *n.* 24. Antonius Gomez *ad l.* 9. & 10. *Tauri, n.* 11. Franchus *decis.* 720. & Joan. Lupi *de illegit. comm.* 1. §. 1. *num.* 59. confirmat etiam pluribus aliis, quæ apud ipsum videri poterunt.

169 Ad textum *in d. § consideremus*, loquentem copulativè de alimentis, & de unciis, respondet non obstare, quia debet (inquit) intelligi diversis temporibus, ut nimirum vivente patre filius naturalis habeat alimenta, eo verò mortuo ab intestato, habeat duas uncias: quam temporis distributionem addit constare ex textu, dum facit mentionem de alimentis simpliciter sine temporis distinctione; loquens verò de unciis, tempus apponit, scilicet morientibus parentibus. Quare sensus est, quod vivente patre, filius naturalis consequitur alimenta, eo verò decedente ab intestato, duas capit uncias, & in secundam temporis diversitatem provisum est ei ab Imperatore, ut nunquã egeat, vel mendicare cogatur. Quapropter non est unica determinatio, sed duplex, cùm aliter determinet mortuis parentibus; & si utrumque voluisset deferri filio naturali, mortem parentum proposuisset utrique provisioni, dicendo quod sine liberis legitimis, ac intestatis mortuis parentibus, & alimenta, & uncias habere debeat filius naturalis; non autem quod viventibus parentibus alimenta, his verò mortuis duas uncias haberet. Quod ait magis confirmari ex eo, quia de intestato mentionem facit solùm in secunda parte copulativæ, & conditio illa, *intestato, & mortuis*, non videtur repetita in prima, quemadmodum conditio apposita in secundo legato non censetur repetita in primo, cùm magis præcedentia influant in sequentia, quàm sequentia refluant ad præcedentia. Bartolus, & Castrensis *in l. arva, ff. de condit. & demonstrat.* Natta *cons.* 459. *num.* 3. Cephalus *cons.* 156. *num.* 12. & alii à Surdo *d. q.* 11. *num.* 12. laudati, & si voluisset lex in alimentis id quod voluit in unciis, expressisset sicut in unciis, cùm ei facile hoc foret dicere, *l. unica, §. sin autem ad deficientis, C. de caduc. toll.*

Et Surdi sententia apparet valdè probabilis, quanvis quia materia alimentorum est favorabilis, prior videatur præferenda. 170

Sed quid si nullis extantibus filiis legitimis, pater in testamento relinqueret suæ hæreditatis duas uncias filio naturali; potuitne tunc filius alimenta petere ab hæredibus patris, ultra uncias.

Pro parte affirmativa Surd. *d. tit.* 7. *cit. q.* 11. *num.* 18. 171 *cum nonnullis sequentibus*, affert sequentia, scilicet quod etsi pater duas illas uncias relinquat, filius tamen eas non capit à patre, sed à lege filium ad illam partem hæreditatis vocante; atque adeo patris relictum non attenditur, & non dicitur à voluntate alicujus procedere, quod ab eo fit qui poterat cogi. Baldus *in l. novissimè, ff. quod falso tut. auth.* & alii ab eodem Surdo *ibid.* relati. Quemadmodum si gravatus onere restituendi instituat illum cui tenebatur restituere, fideicommissarius dicitur à gravante, non à gravato habere, *l. adoptionis, §.* 1. *ff. de jure dot.* Craveta *cons.* 144. & alii apud Surd. *n.* 20. & 21. Quare relictum non compensabitur cum debito alimentorum, cùm compensatio non fiat de credito unius cum debito alterius, sed cum eo quod credito ipse debet, *l.* 1. & 2. §. *in rem, ff. de comp.* Præterea adducitur, quod pater duo tenebatur præstare, alimenta, & uncias, *d. §. consideremus:* ergo legando duas uncias, non eximitur ab obligatione alendi; nam qui duo debet, non liberatur præstando unum, *l. si hæredi plures, ff. de hær. instit.* Denique si locus esset compensationi, ea fieret pro rata: licèt autem legatum per compensationem extinguat debitum unciarum, non tamen extinguit debitum alimentorum, quod excedit uncias. Ita sensisse aliquos testatur idem Surdus *d. q.* 11. *num.* 25.

Negativam nihilominus partem sustinet idem Surd. 172 *ibid.* eam probans ex eo, quod pater etiam nullis extantibus filiis legitimis, faciens testamentum, nihil, neque etiam duas uncias, tenetur filio naturali relinquere præter alimẽta, nec filius præteritus potest rumpere testamentum, ut suprà *n.* 168. notandum est; cùm solùm ab intestato lex illi deferat duas uncias. Cùm ergo pater posset non relinquere illas duas uncias, & sit debitor filii tantùm alimentorum occasione, *d. auth. licèt, C. de nat. lib.* asserendum omninò videtur, relictum esse imputandum in debitum alimentorum, ut suprà *n.* 165. dictum est de uncia; & hîc habere locum omnia ibidem ad probandum, unciam relictam esse imputandam in alimenta. Et hæc sententia videtur vera, supposita alia sententia ejusdem Surdi *num.* 168. posita, quod lex *in d. §. consideremus, auth. de triente,* &

& semisse, non vocet ab intestato filium naturalem ad duas uncias, & alimenta. Supposita verò contraria sententia Bartoli *num.*167. posita, mihi videtur approbanda prior sententia affirmativa, & præsumendum, patrem legando duas uncias, noluisse excludere filium naturalem ab alimentis à lege sibi delatis; si enim voluisset excludere, expressisset, & dispositio hominis non debet censeri contraria dispositioni legis; sed testator præsumi debet velle id quod leges volunt, ut suprà, *num.*166. notatum est.

173 Ex quibus autem causis filius legitimus potest exhæredari, & privari alimentis, ex eisdem etiam filio naturali negari possunt alimenta, cùm magis filio legitimo quàm naturali debeantur alimenta. Et quanvis filio naturali nulla debeatur legitima, nec præteritus rumpat testamentum, nec de eo pater cogatur mentionem facere, ut suprà *n.*168. notatum est; tamen cùm exhæredatio, & alimentorum denegatio procedant à pari, ut dictum est suprà, *n.*121. de quo latiùs *infrà*, ubi de causis ex quibus pater non tenetur alere filios; sicut ex illis causis alimenta possunt negari filio legitimo, ita etiam filio naturali, ne sit melioris conditionis. Ita etiam Surdus *de alim. tit.*7. *quæst.*12.

174 Item filio naturali impugnanti testamentum patris, in quo nullis extantibus filiis legitimis est præteritus, denegari alimenta, & litis expensas, tradunt Gabriel *cons.*15. *n.*5. Peregrinus *de jure fisci, lib.*3. *tit.*18. *n.*24. Surd. *de alim. tit.*1. *q.*14. *n.*7. & Stephanus Gratianus *discept. for. tom.*3. *c.*567. *n.*14. idque ob eam rationem, quia calumniosam litem, seu causam agit, cùm pater testamentum condens nihil ei teneatur relinquere, & facto à patre testamento, habeatur pro extraneo, ut dicunt iidem Doctores ibidem, & alii suprà *d. n.*168. *fin.* allegati.

175 An verò legatum pro alimentis à patre filio naturali relictum possit gravari onere restitutionis ad hæredes patris, de quo Franchus *decis.*720. explicatur infrà, hoc capite, ubi an legatum alimentorum spurio relictum transmittatur ad illius hæredes? Hæc quoad illegitimos naturales.

Sequitur Summarium Capitis VI.

*Iure civili filiis spuriis alimenta denegantur, n.*176.

Spurii sunt duplicis generis, alii simpliciter spurii, scilicet ex coitu non damnato, & lege civili non punibili nati; alii qui procreantur ex coitu per leges civiles damnato, & punibili: & qui sint hi spurii, ibid.

Coitus conjugati cum soluta an sit lege civili damnatus, & punibilis, ibid.

An coitus cum publica meretrice, ibid.

*Iure civili juxta aliquos omnibus spuriis denegantur alimenta, num.*177.

*At alii veriùs sentiunt, eodem jure civili solis spuriis ex coitu damnato procreatis negari alimenta, n.*178.

Spurii simpliciter, & non ex coitu damnato procreati, licèt jure civili excludantur ab omni successione paterna ab intestato; si tamen nulli extent legitimi filii, nec uxor, possunt in testamento à patre institui, ibid.

*Ius civile non prohibet filios spurios ex coitu damnato natos ali, sed permittit parentes eos non alere, nec ad eos alendos cogi posse, n.*179.

*Idem jus civile secundùm Iurisperitos communiter etiam alimenta vitæ simpliciter necessaria denegat præfatis filiis spuriis, & quæ sit ratio, n.*180.

Et an comprehendat matrem spurii, ut nec ipsa jure civili debeat filios spurios alere, ibid.

*Verius est, non denegari absolutè alimenta omnia, etiam vitæ necessaria, n.*181.

Iure canonico, seu de æquitate canonica quibuscumque filiis spuriis adulterinis, incestuosis, & ex quovis alio coitu damnato procreatis patrem teneri præstare alimenta necessaria, & ad illa præbenda posse cogi, negarunt ali- qui persistendo in dispositione capitis Cùm haberet, de eo qui duxit in matrim. *num.*183.184. *&* 185.

Doctorum utriusque Iuris, & Theologorum sententia, & in praxi recepta, est de Iure Canonico, seu æquitate canonica, juxta dictum caput cùm haberet, *quibuscumque filiis spuriis à patre alimenta esse præstanda, n.*182. *&* 186. *usque ad* 189.

Intellectus ad caput per venerabilem, fin. qui filii sint legitimi, *num.*190.

*Filii spurii Iure Canonico non vocantur filii quoad successionem in bonis parentum, retinent verò filiorum nomen quoad alimenta, n.*191.

Quas facultates disponendi de bonis Ecclesiasticis, vel patrimonialibus in favorem illegitimorum, auferat Pius V. in sua constitutione 117. *n.*192.

Dispositio capitis cùm haberet, de eo qui duxit in matr. *de alimentis præstandis filiis spuriis, non fuit sublata per dictam constitutionem, n.*193.

*Ius Canonicum de præstandis alimentis filiis spuriis, an sit observandum etiam in terris Imperii, & aliorum Principum in foro laicali, & Ecclesiastico, num.*194. *&* 195.

*Pater in testamento non potest prohibere, ut dentur alimenta filiis spuriis, n.*196.

*Filio spurio pater potest relinquere, & donare ex causa alimentorum, num.*197.

*Et quid si aliunde, vel ex sua industria possit se alere, an tunc pater teneatur illum alere, vel possit aliquid ex causa alimentorum relinquere, n.*198.

Pater spurii illi alimenta præbens, vel relinquens, an possit eum gravare, & mandare ut in domo serviat filiis legitimis, ibid.

*Relictum à patre, vel donatum spurio egeno, non expressè causa alimentorum, censetur relictum, & donatum pro alimentis, num.*199.

Legatum nihil habenti factum, præsumitur in dubio relictum causâ alimentorum, ibid.

Debitor necessarius legando, vel donando censetur facere animo compensandi, ibid.

Filio spurio propter benemerita, & servitia sibi præstita, aliàs non debita, pater potest ultra alimenta aliquid servitiis æquale relinquere, vel donare, ibid.

*Legatum à patre filio spurio pro alimentis factum, vel eidem donatum alimentorum nomine, si excedat notabiliter alimenta congrua, an valeat quoad excessum, num.*200.

*Pater an teneatur dotare filiam spuriam juxta quantitatem alimentorum ei debitorum? Negativa, num.*201. *Affirmativa, ibid.*

*Si spuriæ simpliciter legatur, in causam dotis censetur relictum, num.*202. *fine.*

Major necessitas incumbit patri in constituenda dote filiæ spuriæ, quàm in alimentis præstandis, ibid.

Filia spuria clerici, etiam in fructibus beneficii à patre dotari potest, si aliunde dotari non possit, ibid.

*Dos filiæ spuriæ à patre relicta, seu constituta, non debet excedere quantitatem alimentorum quæ ei debentur, & excessus non sustinetur, num.*203.

*Dos filiæ spuriæ excedens quantitatem alimentorum congruorum, à patre ejus marito tradita immediatè, vel mediante ipsa filia, cui priùs talem dotem excessivam reliquerit, vel dederit; an constante matrimonio, quoad excessum possit revocari à marito, sive ignoraverit, sive sciverit eam esse spuriam, quando illam volebat in uxorem ducere, n.*204. *usque ad* 209.

*Excessus dotis filiæ spuriæ, an & quando contineat culpam mortalem, & quando venialem, n.*204. *fine.*

*Dos an à marito habeatur titulo lucrativo, vel oneroso, seu an sit titulus lucrativus, n.*207.

*Dos immensa, & inofficiosa à parentibus filiæ legitimæ tradita, an constante matrimonio quoad excessum possit revocari à marito, num.*210. *&* 211.

Ei cum quo filius spurius contraxit societatem generalem, an

an pater spurii possit validè relinquere, & donare, num.213.& 214.

Pater spuriæ, vel spurii an possit instituere maritum spuriæ, & uxorem spurii, num.215.& 216.

Pater spuriæ non prohibetur tradere marito spuriæ quodcumque voluerit, num.208.& 218.

Et quid præsertim si pater spuriæ, vel spurii sit clericus, attenta constitutione Pii V. num.216.

Excessus dotis filiæ spuriæ marito traditæ, dissoluto matrimonio per mortem ejusdem mariti, an ab hæredibus patris possit revocari, etiamsi supersint filii, num.217.

Filii spurii an sibi à patre relicta, vel donata ultra quantitatem alimentorum congruorum possint præscribere, num.220.221.& 222.

Alimenta morte alimentarii extinguuntur, num.223.

Si pro alimentis totius vitæ spurii, vel spuriæ pater reliquerit, vel tradiderit fundum, vel certam summam pecuniæ, non excedentem æstimationem, seu valorem alimentorum totius vitæ, facta computatione juxta legem hæreditatum, ff. ad l. Falcidiam,*mortuo spurio, vel defuncta spuria, fundus transmittitur ad ejus hæredes, num.224.*

Quid si spurius sine eo fundo vixit aliunde habens alimenta, ibid.

Quid si decesserit ante præsumptam computationem, juxta dictam legem hæreditatum, *ibid.*

Fundus pro alimentis filio spurio à patre relictus, aut datus pro alimentis, si reddat annuos fructus sufficientes ad congrua alimenta, mortuo spurio an revertatur ad patrem, vel ejus hæredes, affirmat absolutè communis sententia, num.225.

Alia sententia ex opposito absolutè asserit transmitti ad hæredes spurii, n.227.& 228.

Tertia sententia docet reverti ad patrem, vel ejus hæredes, si spurio non supersint filii, aut descendentes; transmitti verò ad filios, vel descendentes spurii, si relinquant post suum obitum, & sint egeni, num.230. & 231.

Cautela Bartoli, ut fundus pro alimentis filio spurio relictus à patre transeat ad hæredes spurii, n.226.

Si fructus fundi non sufficiant ad integra alimenta, pro parte deficiente proprietas fundi debetur spurio, & ad ejus hæredes devolvitur, & excessus restituendus erit patri, aut ejus hæredibus, n.232.

Fundus pro alimentis filio spurio à patre datus, si non excedat valorem omnium alimentorum totius vitæ spuriæ, facta computatione juxtam formam legis hæreditatum, *efficitur spuriæ, nec potest gravari ut alteri restituatur post obitum, num.233.*

Si fructus annui ejusdem fundi sufficiant ad congrua alimenta, potest à patre gravari onere restitutionis faciendæ ipsi, vel ejus hæredibus, spurio defuncto, ibid.

Iuxta legem Tauri 10. pater filiis legitimis, tam spuriis, quàm naturalibus potest, & debet relinquere quintum bonorum in proprietatem, de qua illegitimus potest ad libitum disponere in vita, & in morte, n.234.

Præfatum quintum post obitum filii illegitimi transmittitur ad ejus hæredes, & in eo pater non potest ponere gravamen restituendi alteri, n.235.& 236.

Quid si illud quintum excederet quantitatem alimentorum ad ea necessariam, n.237.

Dos cujus valor non excedit valorem omnium alimentorum totius vitæ filiæ spuriæ, ea mortua transmittitur ad illius hæredes, n.238.

Ubi etiam fructus annui sufficiunt ad congrua alimenta spuriæ, stante statuto, vel pacto expresso de lucro dotis in favorem mariti, ea mortua dos acquiritur marito, num.239.

Faciens actum videtur se obligare legibus de illo actu loquentibus, ibid.

Ubi fructus annui dotis, seu rei datæ in dotem pro filiæ spuriæ, ad illius congrua alimenta sufficiunt, ea mortua, rem datam in dotem redire ad patrem, ejusve hæredes, etiamsi spuria filios reliquerit, affirmat sententia magis communis, n.245.

Alia sententia absolutè negat, dicens transmitti ad hæredes spuriæ, num.242.

Tertia sententia docet tunc transmitti ad hæredes spuriæ, si sint filii, aliive descendentes ex ea, num.244.

Cautela Bartoli, ut dos filiæ spuriæ, ea mortua, transeat ad illius hæredes, n.241.

Dos filiæ legitimæ, & naturali à patre constituta, & tradita, jure communi inspecto, ea mortua redire debet ad patrem; secus de consuetudine Martini ubique recepta. si filiæ supersint filii, n.240.

Dos est proprium filiæ patrimonium, n.242.

Discrimen inter alimenta, & dotem, ibid.

Dos an subrogetur loco alimentorum, vel potiùs detur ex causa publica, ut mulieres inveniant viros, & ne meretricandi periculo maneant exposita, ibid.

In constituenda dote filiarum spuriarum tutius est adhibere cautelam Bartoli, ut pater apponat conditionem, ut eis mortuis restituatur earum filiis, num.245.

Avus neptibus legitimis ex filio, vel filia spuriis potest relinquere, & dare quidquid voluerit, juxta communem sententiam, num.246.

Institutio nepotis legitimi ex filio spurio facta ab avo contemplatione ipsius filii spurii, non valet, n.247.

In dubio an censeatur facta contemplatione potiùs nepotis, quàm filii spurii, ibid. & num.248.

Casus in quibus certò constaret factam esse contemplatione potiùs nepotis, num.249.

Nepotibus ex filio spurio incestuoso an avus possit relinquere, & illos instituere, num.250.

Quid quoad nepotes ex spurio filio clerici, num.251.

Avus habens filios legitimos, vel ex eis descendentes pariter legitimos, non potest validè instituere nepotes ex filio spurio, vel eis relinquere nisi unam unciam, n.252. & 253.

Nepotes ex filio spurio ab intestato non sunt capaces successionis avi, num.254.

Alia summaria vide post num.254.

§. III.

Filiis illegitimis spuriis omnibus an Ius Civile deneget alimenta.

QUoad filios illegitimos spurios dubitatur an illis non solùm jure naturali, ut *suprà num.16. & seq.* probatum est, sed etiam humano à patre debeantur alimenta, quando aliunde nequeunt habere.

Si loquamur de Jure Civili, habetur dispositio 176
Constantini *in auth. ex complexu, C. de incest. nuptiis*, cujus textus verba sunt: *Ex complexu nefario, aut incestu, seu damnato, liberi nec naturales sunt nominandi, omnis paternæ substantiæ indigni beneficio, ut non alantur à patre.* Quam Constantini legem approbavit Justinianus *in auth. quibus modis naturales efficiantur sui, §. fin.* ubi sic dicitur: *Omnis qui ex complexibus, aut nefariis, aut incestis, aut damnatis processerit, iste neque naturalis nominatur, neque alendus est à parentibus.*

Circa quam dispositionem primò dubitatur, an dum 177
decernitur spurios non esse à patre alendos, intelligatur de omnibus legitimis, juxta rigorem Juris Civilis spuriis? Pro quo advertendum, quod aliàs *tom.1. allegato §.43. num.1546. & 1547.* diximus filios illegitimos spurios Jure Civili attento esse duplicis generis; alii enim sunt qui nascuntur ex coitu nefario, seu damnato; alii qui procreantur ex coitu non damnato Jure Civili, & dicuntur spurii simpliciter: quam distinctionem spuriorum, Jure Civili inspecto, tradunt Doctores à me *d. num.1546.* allegati, & alii communiter. Bald. *in d. auth. ex complexu*, Paleotus *de nothis, cap.16. & cap.40. n.2.* Clarus *in §. fornicatio, n.5.* Antonius Gomez *ad l.9 Tauri, n.37.*

Peregrinus

Peregrinus *de jure fisci,lib.3.tit.1°.num.57.* Gasp. Ant. Thesaurus *qq. for.lib.1.quæst.12.num.14 & 15.& q.25. num.1.* Surdus *decis.249.num.5.& de aliment.tit.1.q.10. num.34.* Joan.Lupi *de illegitimis, tom.1.§.5.num.6.& per totum §.* Aug. Barbosa *collectaneo ad d. auth. ex complexu , num.3. cum seq. & collect.ad auth.licèt,n.11. & 12. C.de naturalibus lib.* & alii Jurisperiti,qoos latè idem Barbosa *locis citatis* refert,& ex Theologis Azorius *p.2.lib.2.cap.8.quæst.5.* & Sanchez *in consil. moral. lib.4. cap.3. dub.4.& 5.* juxta quud coitus nefarius , & damnatus dicitur ille, qui est accusabilis,& punibilis aliquâ pœna temporali per aliquam legem , aut constitutionem juris impositam ; & talis est incestus , seu coitus cum consanguinea, vel affine ; concubitus sacrilegus, scilicet cum moniali professa,religioso professu , aut cum existente in sacris ; coitus cum uxore, vel sponsa,vel concubina alterius ; stuprom , seu coitus cum virgine , aut vidua honestæ conditionis ; & concubinatus heræ cum proprio servo : omnes enim hi coitus dicuntur damnati , quia per aliqoam legem, aut constitutionem Juris Civilis illis pœna aliqua temporalis est imposita , ut latè , & distinctè tradunt præallegati Doctores,præsertim Surdus , Hotomanus *in suis variis disputat. disp. de spuriis* , Thesaurus *d. quæst.22.* Joan.Lupi *d. §.5.per tot.* Barbosa *in utroque collectaneo allegato* : quare omnes legitimi procreati ex aliquo ex prædictis complexibus lege civili punibilibus, sunt spurii ex coitu damnato. De coitu conjugati cum soluta valdè controvertitur,an sit lege civili damnatus, & punibilis ? Et Decius *cons.306.* Hotomanus *d. disputat.de spuriis, §.Sed quæri video, utrum natus ex viro marito. & muliere soluta*, Covarruvias *de sponsal.part.2. cap.8.§.5. n.16.& 17.* & plures alii Jurisperiti relati à Stephano Gratiano *tom.1. cap.35. n.15.* & Aug. Barbosa *d.collect. ad auth.ex complexu, num.5.* & alii quos referunt,& sequuntur Peregrinus *d.tit.18. n.35.* & Joan.Lupi *d.§.5.n.154.* affirmarunt,& in hujus affirmativæ confirmationem plura adducit Hotomanus. At verò negarunt magis communiter alii Jurisperiti,Alexander Salicetus,Paulus Castrensis,Socinus ab Hotomano relati,& alii, quos latè referunt, & sequuntur Gratianus *d.cap.35.n.26.& seq.* Thesautus *d. quæst.22.num.18.*& Sanchez *d.dubio 5.*quanquam concordando præfatas opiniones , Peregrinus *d. tit.18. num.36.* Gratianus *d.c.35. n.27.* & alii ab ipsis , & ab Augustino Barbosa *d.n.5.*relati , dicant priorem opinionem habere locom in conjugato,qui tenet mulierem solutam loco concubinæ ; alteram verò in conjugato,qui accidentaliter , vel extra domum cognoscit solutam. Coitus autem lege civili non damnatus, est qui nulla lege civili est punibilis pœnâ temporali, qualis est concubitus soluti cum soluta,vel cum vidua non honestæ conditionis, sed vilis, & plebeiæ ; conjugati cum soluta, juxta posteriorem opinionem proximè antè relatam : congressus cum ancilla , & quacumque alia vili fœmina , & coitus cum meretrice publica, etsi conjugata , juxta Thesaurum *d.quæst.12. n.20.*& alios,quos refert Joan.Lupi *d.comment.1. §.5. n.145.fine*,qui *n.146.*ita sentit quando maritus consentiret uxoris meretricio , vel esset ipsius leno ; tunc enim ait , coitum cum meretrice publica conjugata esse adulterium,non solùm ex parte adulteri,sed etiam ex parte meretricis adulteræ, lege civili impunitum ; secus verò ubi maritus non esset consentiens,& accusaret uxorem meretricem de adulterio ; tunc enim cum Farinacio *in praxi crimin.tit.de delictis carnis,q.141. n.87.* & ex praxi Urbis ait uxorem meretricem adulteram puniendam esse,in eaque habere locum legem *si uxor , §.1.ff.ad l.Iuliam de adult.* & est magis communis opinio Jurisconsultorum , quos idem Joan. Lupi *d. n.145.*refert ; licèt alii ab eodem *ibid.* relati sentiant, pœnam adulterii cessare, etiam quoad ipsam mulierem conjugatam publicam meretricem, & non solùm quoad eum , qui ad illam accedit. Hotomanus verò *citata disputat.de spuriis , §. Altera ejusdem quæstio aliquantò obscurior*, indistinctè asserit , coitum cum scorto, seu meretrice jure novellæ 14. quæ est de lenonibus , inter damnatos concubitus numerandum esse. Hac distinctione spuriorum ex coitu jure civili damnato,vel non damnato procreatorum,supposita,

Aliqui putarunt in dicta authentica *Ex complexu*, 177 comprehendi omnes, & quoscumque spurios, seu filios qui extra legitimum matrimonium , vel concubinatum à jure civili permissum nascuntur , ita quod iis omnibus denegaverit & omnem successionem paternæ substantiæ,& ex testamento, & etiam alimenta. Ita Connanus *commentariorum jur. civilis lib.10. cap.1.* quem in hoc seqoitur Thesaurus *qq. for .lib.1. dicta quæst.25.num.1.fine*, dicens in præfata Authentica incontinentiæ odium extendi ad omnes spurios : & ita sentit etiam Corduba *in l.si quis à liberis , §. idem rescripsit,num.7.ff.de lib.agnosc.* & sentit etiam Hotomanus *citata disputat. §.an parentes natis ex damnato coitu alimenta debeant* ;

At alii longè veriùs existimant, dispositionem Im- 178 peratoris *in d. auth. ex complexu* , procedere solùm in filiis legitimis natis ex coitu damnato , & jure civili punibili ; cæteris autem spuriis simpliciter ex coitu jure civili non punibili Justinianum , seu Jus Civile ibi non denegasse alimenta. Ita Baldus *in d. auth. ex complexu*. Antonius Gomez *in l.9. Tauri, n.37.* Peregrinus *d.tit.18.num.57.* Paleotus *de nothis,cap.40.* Covarruvias *de spons.p.2.cap.8.§.6 n.6.* Boërius *cons.165. num.20.lib.2.*& Joan.Lupi *allegato §.5.n.6.* & colligitur ex verbis Justiniani ibi : *Ex complexu nefario , aut incestu, seu damnato* : & in pœnalibus , & odiosis non admittitur extensio,præsertim quando non est omninò eadem ratio,ut in præsenti, cùm sit magis detestabilis coitus damnatos,quàm non damnatus,ac proinde spurii ex nefario , & damnato coitu, adulterio, incestu, sacrilego complexu sint magis infames, & odiosi, quàm spurii simpliciter , seu nati ex fœminis solutis, vilioribus, meretricibus, ancillis, vel plebeiis, aliisque abjectis mulieribus,ut notavit *d. cap.4.* Paleotus, qui proinde concludit , quod licèt hi spurii secundi generis , & ex coitu jure civili non damnato , neque punibili procreati , jure civili excludantur ab omni successione ab intestato (in quo differunt ab illegitimis naturalibus, scilicet natis ex soluto, & soluta retenta in schemate concubinæ, qui ab intestato succedunt in duabus unciis paternæ hæreditatis, nulla existente sobole legitima , neque legitima conjuge, *d. auth. licèt, C. de naturalibus* .) nihilominus nullis extantibus liberis legitimis, neque uxore,in testamento possunt à patre institui, & hæreditatem paternam capere : quod etiam docent alii ab eodem Paleoto relati. De qua re infrà in alia parte tractatus , ubi de legitima filiis debita.

§. IV.

Ius civile an filiis spuriis ex coitu damnato natis neget etiam alimenta vitæ simpliciter necessaria.

SEcundò dubitatur , an jus civile in dictis legibus 179 filiis spuriis ex nefario,& damnato coitu natis deneget absolutè omnia alimenta,etiam vitæ sustentandæ simpliciter necessaria,quæ jure naturali stricto parentes tenentur quibuscumque filiis præbere , ita ut etiam hæc alimenta aliqui jure naturali filiis prædictis spuriis debita pater non teneatur , & cogi non possit illis præbere.Et dico, *Non teneatur,nec possit cogi* ; jus enim civile in dictis Authenticis non prohibuit patrē illos alere,sed permisit non alere ; ut notavit Gregorius Lopez Madera *animadvers.juris civilis cap.32.* &

post eum August. Barbosa *collect. ad d. auth. ex complexu*, *n.21. fine*; nam ex illis verbis dictæ Authenticæ *Ex complexu*, ibi: *Omnis paterna substantia beneficio indigni, ut non alantur à patre*; *& in §. fin. auth. quibus modis naturales effic. sui*, ibi: *Omnis qui ex complexibus nefariis, aut incestis, aut damnatis processerit, neque naturalis nominatur, neque alendus est à parentibus*; non videtur colligi prohibitio, sed tantùm permissio, & non coactio, ut pater non teneatur, cogive possit filium ex coitu damnato natum alere.

180 Igitur Jurisperiti communiter, inter quos præsertim Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. utrum, n. 81. ff. de liber. agnosc.* & Joan. Garzias *de expensis, c.11. n.25.* Petrus Barbosa *ad l.1. p.4. n.68. ff. soluto matrim.* & Merenda *controvers. juris tom.3. lib.13. c.1. n.7. & 10.* videntur sentire Jus Civile in dictis juribus filiis ex coitu damnato natis negare absolutè, & simpliciter alimẽta, etiam simpliciter vitæ necessaria, & jure naturali omnibus filiis à parentibus debita; & Garzias ait id factum, quia secundùm naturæ leges non suscipiuntur. Alii dixere, quod cùm hi filii ex coitu dãnato, ut adulterio, incestu, &c. procreati, Jure Civili recepto etiam à Jure Canonico, non sint appellandi naturales, quamvis verè sint naturales, utpote qui secundùm naturã, & ex naturali conjunctione maris, & fœminæ, sicut & cæteri filii legitimi, & illegitimi procreantur; ideò meritò Jus Civile voluit illos carere naturali privilegio, ut nec parentes tenerentur illos alere. Alii magis communiter aiunt in odium coitus detestabilis, & filiorum ex eo genitorum pœnam fuisse statutam, quæ in parentes redundat, ut sic parentes à simili incontinentia revocarentur; quia etsi nasci ex adulterio, vel incestu vitium sit patris, non filii, *can. nasci, dist. 56.* quia tamen pater punitur in filio, *l. isti quidem ff. quod metus causa*; idcircò jus civile, ut parentes ab hujusmodi complexibus carnalibus removeat, plectit filios, ut in eis parentes discant ab inhonesto, & damnabili coitu abstinere. Ita Surdus *de alim. tit.1 q.10. n.1.* Quapropter dictam authenticam *Ex complexu*, & dictum §. finalẽ *in auth. quibus modis naturales efficiant. sui*, habere locum etiam in matre, ut nec ipsa Jure Civili cogatur alere filios spurios, tradidere Rolandus *cons.79. n.44. lib.2.* Corduba *in l. si quis à liberis, §. Idem rescripsit, n.7. ff. de liber. agnosc.* & Surdus *de alim. tit.1. q.15. n.12.* quia in matre est eadem ratio, cùm fœdior, & turpior sit impudicitia in fœmina quàm in viro, cùm major castitas secundùm mores hominum exigatur à fœminis, quàm à viris; & quia *d. §. fin.* dicitur, nec alendum esse à parentibus: licèt contrarium, & matrem habentem unde illos alat, teneri spurios alere Jure Civili, per textum *in l. si quis à liberis, §. Ergo & matrem, ff. de liberis agnoscendis*, asserat Hotomanus *allegata disput. de spuriis*, §. *Vt in pauca congeram.*

181 At longè verius videtur, Jus Civile in dictis textibus, dum præfatis spuriis denegat alimenta, intelligẽdum non esse de alimentis, sine quibus hujusmodi filii spurii vitam amitterent; sed illis negare alimenta cùm possunt aliunde ali præterquàm à patre, quia proprio labore, & industria, vel aliqua alia via possunt vitam conservare, & alimenta ultra præcisam vitæ necessitatem habere, nempe lautiora ad personæ dignitatem, & familiæ honestatem. Ita Molina *de justitia, tom.1. disputat.168. initio*, Azorius *p.2. lib.2. cap.4. q.7.* Fagundez *de præc. Dec. lib.4. c.17. n.6. fine*, & alii Theologi *suprà n.6. & ibid.* allegati: & ex Jurisperitis Covarruvias *de spons. p.2. c.8. §.6. n.8.* Humada ad Greg. Lop. *l.2. tit.2. p.2. in glos.1. n.4.* & Matienzo *l.8. tit.8. lib.5. ordin. glossa 1. n.10.* Quod igitur in dictis juribus lex civilis non privet filios hos spurios alimentis vitæ simpliciter necessariis, probatur quia id manifestè esset contra jus naturale, ex vi cujus filiis quibuscumque talia alimenta à parentibus debentur, ut suprà *n.17. & seq.* ostensum est, & consequẽter esset evidenter iniquum, præsertim cùm alii in defectum parentum sub mortali tenentur hujusmodi alimenta, sine quibus vitam amitterent, iisdem filiis spuriis præbere. Non videtur verò sentiendum de optimis Imperatoribus, quod legem apertè iniquam voluerint condere. Confirmatur, quia alimenta vitæ simpliciter necessaria, & jure naturali stricto debita, nulla lege, statuto, vel consuetudine, aut pacto partium tolli possunt, ut alios allegans probat Covarruvias *de spons. p.2. c.8. §.6. n.3.* Ioan. Nicolaus Lucidorus *de illegitimis clericor. c.15. n.7. & 8.* de qua re latè infià, *c.20. n.1133.* & ita etiam Hotomanus *loco suprà allegato*, asserit patrem spurii jure civili, juxta textum *in l. si quis à liberis, § sed si filius, ff. de lib. agnosc.* posse cogi exhibere illi alimenta vitæ necessaria, si mater non habeat unde illum alat; secus si mater sit dives, seu habeat unde illum alat.

§. V.

Iure Canonico an alimenta sint quibuscumque spuriis, etiam incestuosis, & ex coitu damnato procreatis à parentibus præstanda.

CEterùm sive Jus Civile in prædictis Authenticis filios spurios ex coitu damnato procreatos alimentis absolutè privaverit, sive solùm quãdo aliunde vitam possunt conservare, cõtrovertitur an illud Jus Civile sit correctum per Jus Canonicum *in c. cùm haberet, in fine, de eo qui duxit in matrimonium*; ita ut ea dispositione Juris Canonici, de qua *in d. c. cùm haberet*, præfatis filiis spuriis ex coitu damnato, adulterio, incestu, &c. natis debeantur alimenta, & ad illa iisdem præbẽda pater cogi possit, ac si præfata dispositio Iuris Civilis nunquã extitisset. Verba autem finalia dicti capitis *cùm haberet*, sunt: *Sollicitudinis tamen tuæ intererit, ut uterque* (scilicet pater, & mater) *liberis suis secundùm quod eis suppetũt facultates, necessaria subministret.* 182

Prima ergo sententia negat, Jus Civile in dictis Authenticis negans alimenta filiis spuriis, ex adulterio, incestu, & quocumque alio coitu dãnato natis, corrigi *in d. c. cùm haberet*, asserens S. Pontificem, sive is fuerit Cœlestinus tertius, ut putavit Paleotus *de nothis, c.46. n.2.* sive Clemens III. ut existimavit Joan. Lupi *de illegitimis, comm.2. §.1. n.2.* dum decernit filiis illegitimis ex muliere adultera susceptis fore præbenda alimẽta, non loqui de filiis adulterinis, scilicet natis ex illa muliere pellice (de qua ibi) vivente prima uxore patris eorum, sed post ejus mortem; & ita ibi non decerni, à parentibus subministranda alimenta quibuscumque filiis spuriis; sed illis, qui juxta Jus Civile erant simpliciter spurii, & ex coitu non damnato, & punibili eodem jure civili procreati; non verò ex coitu damnato, & punibili nati, ac proinde vel ibi decerni contra dispositionem Juris Civilis in dictis Authenticis, in quibus juxta Doctores magis communiter, ut suprà *n.178.* probatum est, solùm filiis spuriis ex coitu damnato, & punibili procreatis alimenta denegantur. Ita Paleotus *d. c.46. num.5.* & latiùs Merenda *controv. juris lib.13. c.1. n.2.3. & 4.* & reipsa ita sentit etiã Joan. Lupi *d. §.1. n.3.* ubi licèt dicat, parentes posse compelli ad danda alimenta omnibus filiis spuriis Jure Canonico, non quia S. Põtifex *in d. c. cùm haberet*, promulgaverit, ac decreverit alimẽta præfatis spuriis esse præstanda, sed quia Scribentes per interpretationem hoc ita acceperint, ac si expressis verbis fuisset inductum, ut in simili habetur *in Institut. de legitim. patr. tut.* cùm tamen illi decem filii, de quibus in dicto textu, nati fuerint post mortem uxoris. Hujus quoque sententiæ videtur fuisse Baldus *in d. auth. ex complexu, C. de incest. nupt.* dũ dixit textum *in d c. cùm haberet*, decernere tantùm spuriis semper à parentibus esse alimenta subministrãda, non verò spuriis, incestuosis, nefariis, vel natis ex dãnabili coitu; quia in his, inquit, nil reperitur dispo-

situm

situm in dicto textu, ac proinde quoad eosdem erit servandum Jus Civile.

184 Igitur quod filii illi decem (de quibus *in d.cap. cùm haberet*) ea pellice ab eo, qui eam per adulterium priùs polluerat, & S.Pontifici supplicaverat pro dispensatione, ut jam defuncta uxore posset cum illa matrimoniũ legitimum contrahere, fuissent procreati, & nati post mortem legitimæ uxoris, & sic non fuerint adulterini, probatur quia in dicto textu dicitur, quod supplicans pro dispensatione ad contrahendum matrimonium cum illa, quam per adulterium polluerat, legitima uxore de præsenti luce subtracta, cum adultera per decennium fuit moratus, & de illa decem filios procreaverat; ex quibus videtur satis apertè colligi, illos decem filios non natos esse vivente prima uxore, sed post ejus mortem. Quod Merenda confirmat primò, quia alioqui illa ratio Summo Pontifici, ut faciliùs dispensationem ad contrahendum concederet, proposita, quod decennio cohabitaverant, ac decem filios susceperant, fuisset valdè imprudenter allegata, si aliquis ex illis decẽ filiis vivente uxore fuisset susceptus, & educatus à supplicante; nam quo majorem (inquit Merenda) primo matrimonio intulit injuriam, eo minor existebat occasio rigorem Iuris relaxandi, & dispensandi. Confirmat secundò ex eo quod S. Pontifex præfatæ rat oni respondens, ait: *Cùm multiplicitas prolis ita suscepta magis eorum crimen exaggeret*; illa enim verba, *ita suscepta*, patem ostendunt (subdit idem Merenda) hujusmodi filiorum conditionem, & ita omnes post mortem uxoris fuisse natos. Confirmat tertiò, quia S. Pontifex ibi in eo totus est, ut gravitatem culpæ ejus exaggeret, ex quo infertur satis manifestè, nullum ex dictis filiis fuisse adulterinum, cùm de hoc nullam faciat mentionem: certum autem videtur, gravitatem culpæ ipsius ex eo factam fuisse majorem, si vivente uxore filios adulterinos suscepisset, & pro suis agnovisset: neque id S.Põtifex diluens illam rationem omisisset, cùm inde majori pœnitẽtia dignum se reddidisset. Confirmat quartò ex illis verbis textus: *Et postmodùm juramento contempto, vivente legitima, cum ea matrimonium contrahere, & ipsi diu cohabitare præsumpsit: demùm prædicta uxore de præsenti luce subtracta, cùm memoratus I. cum adultera per decennium esset moratus, de qua decem filios procreavit.* Cùm enim (inquit Merenda) diligenter, & distinctè omnes hujus casus circumstantiæ in textu memorentur, non est verisimile, confusè authorem tractavisse de hujusmodi filiorum susceptione, cùm plurimùm intersit inter filios vivente uxore susceptos, & eos qui ea mortua nati fuere. Ita Merenda, per quæ existimat evidentissimum textum illum non loqui de filiis adulterinis, & solùm obstare concordem Doctorum sensum interpretantium eundem textum de spuriis adulterinis.

185 Præterea probatur Ius civile in dictis authenticis non fuisse *d.cap. cùm haberet*, correctum, in eodemque capitulo non esse sermonem de spuriis adulterinis; nam Innocentius III. *in cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi, fine*, ibi: *Secularibus quoque legibus non solùm repellentibus eos* (scilicet spurios ex coitu damnato procreatos) *à successione paterna, sed negantibus ipsis etiam alimenta*, videtur approbasse præfatum jus civile in prædictis authenticis præfatis, spuriis ex damnato coitu genitis alimenta denegans: & correctio in legibus non est admittenda, nisi verba apertè demonstrent. Bartolus *in l. Plautius, ff. de auro, & arg. leg.* & Paleotus *d. cap.46. n.1.*

186 Altera sententia omninò tenenda asserit, de jure canonico *in d.cap. cùm haberet*, condito, omnibus, & quibuscumque filiis spuriis, etiam adulterinis, & ex quovis coitu damnato natis, à parentibus alimenta necessariò præstanda esse, & ad id eos cogi posse; & sic textum in præfato capite cùm haberet, intelligi etiam de filiis spuriis adulterinis. Ita communiter Doctores, tum sacrorum Canonum interpretes, qui omnes ita textum illum intellexerunt: tum Iurisperiti, tam in dictas authenticas scribentes, quàm alii omnes; tum Theologi & Summistæ. Ex Theologis ita sentiunt Azorius *p.2. lib.2.c.4. quæst.7.* Molina *de justitia, tom.1.disp.168.initio*, & alibi, Vasquez *opusc. de testam. c.5.n.7. dub.9.* & cæteri omnes suprà *num.16.* relati. Ex Canonistis, & Iurisperitis Glossa *in d. cap. cùm haberet, verbo Secundùm facultates*, ibidem Panormitanus, & Cardinalis, & scribentes *in d. caput*, Simon de Pretis *de interp. ultim. vol. lib.3.interpr.1. dub.3. solut.1. num.7.* Rolandus à Valle *cons.74 num.39. vol.1. & cons.54.num 59.& seq. vol 2, & de lucro dotis quæst.94. n.1.* Vasquius *de success. lib.2. cap. 20. num.413.* Menochius *cons.60. n.6.* Navarrus *de spoliis cler. §.18. n.9.* Covarruvias *de spons. p.2.c.8. §.6.* Luduv. Molina *de primog. lib.2.cap.15. n.42. & 49.* Spino *in speculo testam. glossa 16. n.98. & 99.* Joan. Garxias *de expens. cap.3. num.8.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. idem rescripsit, à num. 13. ff. de liber. agnosc.* Igneus *in l. necessarios, §. non aliàs, 2.p. n.146. ff. ad Syllan.* Ioan. Petrus Ferrarins *in sua practica, in forma libelli pro hæreditate ab intestato delata, versiculo Nullisque superstitibus ex eo liberis, num.17.* Padilla *in Auth. res quæ, num.64. C. comm. de leg.* Mantica *de tacitis, & ambig. lib.12. tit.16. num.20.* & *lib.13. tit.12. num.5* & *tit.37. num.26.* P. Barbosa *in l.1. part.4. n.64. & seq. ff. soluto matr.* Gomez *in l.9. Tauri, num.36. & 37.* Matta *de jurisd. p.4. cent.2. casu 162. num.11. & 12.* Merlinus *de legit. lib.5. tit.1. q.3. num.3.* Surdus *de alim. tit.1. quæst.10. num.4. & seq. & num.28.* Marescotus *var. lib.2. c.83. n.33.* Stephanus Gratianus *tom.1. cap.60. num.31.* & *cap.154. num.15.* & latiùs, *tom.3. cap. 567. num.22.* Capycius *decis.164.* Benintendus *decis.22.* Gamma *decis.11. num.9. & decis. 201. & 225.* Gayllus *observat. pract. lib.2. observat.88.* Gasp. Ant. Thesaurus *qq. for. lib.1.c.25.num.2. & num.9.* Paschalis *de patria potestate, p.2.cap.3.n.30.* Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.18. n.55. & 69.* Benedictus Ægidius Lusitanus *in repet. l. ex hoc jure, p.1. in initio, num.31. ff. de just. & jure*, Molfesius *ad cons. Neap. tom.1. part.5. quæst.30. num.7.* Augustinus Barbosa *collectaneo in d. cap. per venerabilem, num. 51. & collectaneo in d. Auth. ex complexu, num.26. C. de incestis nuptiis*, Vincent. de Franchis *decis.283. & 605. num.7. decis. 645. n.5.* Antonius Thesaurus *decis.211. num.2.* Gama *decis.343.* Aloysius Riccius *in collect. decis. collect.97. & 110. n.1099. & 1212.* Rota Rom. *decis.487. num.3. par.1. diversor. decis. 58.* apud Seraphinum *decis.747. p.4. diversorum*, scilicet *in noviter novissimis Farinac.* & alibi, ut videre est apud Gratianum *d. c. 567. num.2.* novissimè post hæc scripta Ioannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. cler. cap.15.num.9.* & præter hos idem docent mille alii jurisperiti, quos præallegati, præsertim Surdus, Spino, P. Barbosa, Ludov. Molina, Gratianus, & August. Barb. referunt, quos nimis prolixum est enumerare sigillatim: & ab hac sententia non esse recedendum ob communem Doctorum ita sentientium, & dictum caput *cùm haberet*, interpretantium, & intelligentium de spuriis adulterinis, & quibuscumque aliis ex quocumque coitu de lege civili damnato procreatis, aiunt etiam Paleotus *d.c.46. n.5. fine*, Joannes Lupi *d. comment.2. §.1. n.25. & seq.* & Lucidorus *loc. cit.*

Hæc communissima, & in praxi recepta sententia probatur pro rejiciendo id quod Doctores primæ sententiæ sibi tanquam certum persuaserc, nempe decem illos filios, quibus *in d.c. cùm haberet*, decisum fuit alimenta necessaria ab utroque parente debuisse subministrari, non fuisse adulterinos, & ex coitu damnato; sed ex illa pellice ab nobili illo Pessulano, de quo *in d.c.* procreatos, & natos post mortẽ legitimæ uxoris ejusdem viri. Cùm enim *in d.c.* dicatur, & exprobretur ipsum vivente uxore diu cohabitasse cum illa pellice quam per adulterium cognoverat, non potest dici citra verisimilitudine, quod eo tempore cohabitationis 187

diuturna

diuturno saltem aliqui ex ipsis vivente uxore, si non omnes illi decem filii, fuerint procreati, & nati, esto post uxorem mortuam etiam decennio cohabitaverint. Si enim illo decennio post uxoris mortem, quo uterque erat senior, juxta Doctores primæ sententiæ procrearunt filios, cur non etiam ante uxoris mortem, quo tempore erant juvenes, & aptiores ad generationem. Cur igitur textus solùm dicat, præfatum virum cum adultera per decennium commorantem, de ea decem filios procreasse, & nõ dicat procreatos illo decennio. Et licèt numerus filiorum correspondeat numero annorum, quibus mortua oxore tanquam vir & uxor cohabitarunt, non potest inferri omnes illos decem filios natos esse post uxoris legitimæ mortem; cùm etiam ante illius mortem diu cohabitaverint, & cõstet se coitu adulterino commiscuisse; & sic cùm tunc fortiores essent ad generandum, rectè præsumendum est filios fuisse ex eis eo tempore genitos, & natos, hosque fuisse vel omnes illos decem, vel aliquos ex eisdem. Dixi *vel omnes*, quia nil vetat, quin etiam ante uxoris mortem cohabitatio cum illa pellice fuerit ita diuturna, ut omnes a potuerint procreari, & nasci; & ex textu contrarium non constat, quia solùm dicit, mortua prima uxore eos matrimonio contra Ecclesiasticas sanctiones nulliter contracto, decennio cohabitasse, ac decem filios suscepisse: quæ susceptio cùm non exprimatur sequuta intra illud decennium, potest referri ad tempus cohabitationis, dum prima & legitima uxor vivebat. Neque obstat prima confirmatio Merendæ, quia injuria matrimonio primo illata fuerat per coitum adulterinum à dicto supplicante commissum vivente uxore, qui notus erat, ex eo enim ortum fuit impedimentum matrimonii secundi cum pellice contracti dirimens: ex effectu autem ejusdem coitus, qui est susceptio prolis, non augetur intrinsecè injuria, neque culpa, etsi multiplicitas illa prolis arguitivè aggravat delictum, quia ostendit diuturniorem perseverantiam in illo gravi crimine consuetudinis turpis cum illa muliere adultera tempore uxoria viventis, & in matrimonio nulliter contracto cum eadem adultera, defuncta jam priore uxore; ob quam perseverantiam ita diuturnam S. Pontifex judicavit illos indignos dispensatione ad contrahendum, non obstante illa prolis, seu filiorũ multiplicitate, quanvis aliàs quandoque favor filiorum dispensationem inducat. Glossa *in d. c. cùm haberet, verbo Multiplicitas*. Non obstat quoque secunda confirmatio, verba enim illa ita sumpta respiciunt tam coitum adulterinũ habitum tempore primæ uxoris vivens, cui superinduxit vir ille pellicem, cui (ut inquit textus) etiam eadem prima vivente, quasi matrimonialiter mœchæ mœchus adhætere præsumpsit, & sacramentum suum temetè violare, quàm cohabitationem post primæ uxoris mortem cum illa adultera, quam præsumpsit ducere in uxorem; & cum ea
187 tanquam maritus ita diuturnè perseverare: & sic falsum est, ex necessitate ostendere parem illorum filiorum conditionem ex parte natalium. Non obstat etiam tertia confirmatio, quia ut dictum est ad primam, exaggeratio culpæ intrinsecè fundatur tum in coitu adulterino vivente prima uxore, & cohabitatione cum adultera, eadem uxore vivente, tenovata, & assumpta post eam semel ejectam, & juramentum de non amplius ei adhætendo; tum in eo, quod defuncta prima uxore absque ulla dispensatione super impedimento dirimente, orto ex adulterio, vir ille adulteram duxerat in uxorem, & decennio in tali matrimonio nulliter contracto perseveraverat, cum eadem cohabitans, quare ad exaggerationem culpæ non erat opus mentionem facere de ipsis filiis, an vivente uxore essent nati omnes, vel aliqui; cùm culpa consistat tota in adulterio, & cohabitatione utriusque tempori s & tam diuturni; & susceptio filiorum nun contineat culpam, sed sit effectus actum culpabilem consequens. Denique non obstat quarta confirmatio, quia ad intentum Summi Pontificis, ostendendamque culpæ gravitatem, ob quam meritò judicavit denegandam dispensationem petitam, sat fuit illa ponderatio, quod tandin publicè in adulterio, & perjurio ex certa scientia perdurantes Ecclesiam in gravi scandalo permturbaverint. Dum autem decernit, prædictis decem filiis ex illa muliere adultera susceptis alimenta subministranda, quanvis videretur non omnes fuisse natos vivente prima uxore, nullam tamen facit distinctionem, sed absolutè omnibus statuit ab utroque parente præbenda necessaria alimenta, quia (ut omnes Doctores tradunt) S. Pontificis decretum fundatur in pietate, æquitate, & jure naturali obligante parentes ad alendos proprios filios: ex quo naturali jure à parentibus quicumque filii etiam illegitimi, naturales, & spurii, non solùm ex coitu non damnato, sed etiam ex damnato procreati, & nati debent alimenta habere, cùm quoad hoc jus omnes filii legitimi sint pares, & æquales, ut supra, *num.* 17. latè probatum est: & nasci ex illicito coitu, quantumcumque nefario, & damnato, sit vitium patentum, non filiorum, qui absque eorum culpa non debent, nec possunt jure illo alimentorum à natura sibi competenti privari.

Quapropter Rota *allegata decis.* 747. *num.* 3. & 4. 188 rectè dixit, quod licèt filii spurii, & illegitimi cum peccato generentur, sine peccato tamen aluntur: & quanvis jus civile castitati providens, filiis spuriis alimenta denegaverit, *d. auth. Ex complexu*; jus tamen canonicum, quanquam peccata maximè detestetur, & charitatem nedum commendet, sed & præcipiat, naturalem rationem sequens, pietatem, & æquitatem castitati prætulit, & filiis illegitimis alimenta *in d. cap. cum haberet*, præstari jussit.

Præterea probatur S. Pontificem *in d. cap. cùm haberet*, loquutum fuisse de filiis etiam adulterinis, seu ex adulterio, & consequenter ex coitu damnato, & per leges punibili natis; quia illum textum semper sacrorum Canonum interpretes, & alii Doctores omnes, præter paucos illos præallegatos pro contraria sententia, Iurisperiti, Canonistæ, & Theologi sapientissimi ita intellixerunt. Quare sicut ille existimatur verus sensus sacræ Scripturæ, ubi textus non est ita quoad verba clarus, quem Sancti Patres, & Interpretes communiter approbarint: ita in præsenti existimandus est verus intellectus præfati textus *in d. cap. cùm haberet*, quem ab antiquo tempore, & successivè scribentes ibi, & reliqui utriusque juris Doctores, & Theologi sunt sequuti, qui est quod ibi jus canonicum decrevetit alimenta quibuscumque filiis spuriis, etiam adulterinis, incestuosis, & ex quovis alio magis odioso, & damnato coitu susceptis, maximè accedente illa ratione, quod jus canonicum ibidem nititur pietate, æquitate, ac jure naturali, quod est commune omnibus filiis, qui absque eorum culpa, & peccato non debent, nec possunt alimentis privari; cùm enim nihil ipsi peccent, quòd procreentur ex illicito coitu, non debuerunt, nec poterant tam acriter puniri, sed æquali jure cum legitimis frui, cùm communis sit utriusque natura, æqualis venia, & æqualis innocentia.

Neque prædictæ communissimæ sententiæ, & traditis in præcedentibus numeris, obstat textus *in cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi, suprà n.* 185. pro 190 contraria sententia adductus; nam ibi sensus, & mentio Summi Pontificis est, ostendere detestabiles esse, & odiosos spurios legibus Divinis, & humanis: & in ejus confirmationem post allegatas sacræ Scripturæ authoritates, adducit etiam leges civiles, quæ eos adeo odio habuerunt, ut etiam eis alimenta denegent, non earum rigorem approbando, sed potiùs, & solùm eas referendo, ut eis sententiam suam magis adjuvaret: ex his enim quæ hodie antiquata sunt, cùm aliàs in usu essent, licet semper argumentum ad aliquid demonstrandum, ex Glossa *in cap. nevit, verbo Quicumque, de Iudæis*, & Bartolo *in l. fin. ff. de fals.* Pontifex

ergo

ergo illas leges spuriis alimenta denegantes allegans non voluit illas approbare, ideoque etiam cùm de sacris ordinibus ageret, dixit Canones vetare illos ad sacros ordines promoveri: de alimentis verò agens secularibus legibus id tribuit, non autem canonicis. Ita Paleotus *d. cap.* 46 *n.* 3. Cujacius *in d. c. cùm haberet, in fine*, & Augustinus Barbosa *ad Decretales, collectan. ad idem cap. cùm haberet, n.* 51.

192 Quod verò etiam de jure Canonum spurii aliquando non dicantur, seu vocentur filii, ut canone *dicat*, 32. *q.* 4. *& can.* 1. 35. *quæst.* 7. id accipiendum est respectu successionis, quam habet filius ex justis nuptiis; si enim filii dicerentur, iidem & hæredes esse putarentur; & hi spurii non succedunt, *dictis can. dicit, & can.* 1. at verò ratione alimentorum spurii retinent nomen filiorum, ut ostendit Decius *in cap. per tuas, num.* 7. *de probat.* Gozadinus *conf.* 13. *num.* 47. *&* 55. Paleotus *de c.* 46. *fine*, & Joan. Lupi *de illegit. com.* 2. §. 1. *n.* 8. *&* 9.

193 Advertendum etiam, prædictis non obstare rigorosam constitutionem Pii V. incipientem, *Quæ ordini*, quæ est 117. in novo Bullario (cui annectitur ejusdem Pii V. extensio ejusdem constitutionis etiam ad bona patrimonialia) in qua revocantur omnes facultates testandi, & disponendi de bonis Ecclesiasticis, & etiam quoad Clericos de bonis patrimonialibus ad favorem quorumcumque illegitimorum; nam Pius V. ibi aufert tantùm facultates speciales, non autem facultatem jure communi competentem: quare non tollit ibi alimenta, nec facultatem, seu jus disponendi in illegitimos ex causa alimentorum, quæ juri naturali, & canonico, juxta *d. caput cùm haberet*, quibuscumque filiis debentur; non enim verisimile est (inquit Rota *d. decis.* 747. *n.* 12. *part.* 4. *diversorum*) tam pium Pontificem id cogitare voluisse, ne pietatis, & æquitatis, & rationis naturalis lex læderetur. Idque post hæc scripta latè prosequitur Ioan. Nicolaus Lucidorus *de illegit. Cleric. cap.* 26. *num.* 1. *& seqq.* ubi cum Navarro *loco mox citando*, & aliis ostendit, Pium V. in dicta priori Bulla non abstulisse spuriis Clericorum beneficia à Jure cõmuni, tam Cæsareo quàm Canonico concessa; sed solùm prohibuisse, ne in damnum Ecclesiarum, & scandalum aliorum Clerici beneficiarii suis illegitimis bona beneficiorum darent, aut relinquerent.

194 Et ita quod dispositio *in d. cap. cùm haberet*, non fuerit sublata per dictam constitutionem Pii V. & ea non obstante clerici teneantur alimenta præstare filiis spuriis, & in eorum favorem ex causa alimentorum, & dotis pro alimentorum quantitate disponere ex bonis patrimonialibus, & etiam ex ipsis bonis Ecclesiasticis, seu fructibus, & redditibus Ecclesiasticis in subsidium, ubi non adessent patrimonialia, tradidit Rota *d. decis.* 747. *num.* 12. *&* 13. *part.* 4. *diversorum*, & antea *decis.* 487. *num.* 3. *part.* 1. *diversorum*, *& decis.* 214. *part.* 2. *diversorum*, & docuerunt Navarrus *in tract. de spoliis Clericorum*, §. *ult. num.* 9. P. Barbosa *in l.* 1. *part.* 4. *n.* 65. *ff. soluto matr.* Paschalis *de patria potestate, part.* 2. *cap.* 3. *num.* 31. Ioan. Lupi *de illegitimis, comm.* 2. §. 1. *num.* 11. Marescotus *var. lib.* 2. *cap.* 83. *num.* 33. Flavius Cherubinus *solut.* 2. *in d. constitutionem Pii V.* Augustinus Barbosa *collect. ad d. cap. cùm haberet, num.* 6. Surdus *de alimentis, tit.* 1. *dicta q.* 10. *num.* 29. Comitolus *respons. mor. lib.* 1. *quæst.* 45. Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 7. Fagundez *in Decalogum, lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 8. & alii recentiores ab Augustino Barbosa *d. n.* 6. relati, & post hæc scripsit Ioan. Nicolaus Lucidorus *de illegit. Clericor. cap.* 15. *num.* 11. plures alios Iurisperitos, & Theologos cumulans, ante editam dictam constitutionem Pii V. clericos posse, & teneri ex fructibus beneficii alere etiam filios spurios in Clericatu susceptos, & dotem dare filiabus spuriis ad mensuram alimentorum, tradidere Panormitanus *in cap.* 1. *num.* 4. *de cohabit. cler. & mulier. & in cap. pervenit, de arbitr.* Lupus *in cap. per vestras, in tertio notabili*, §. 33. *n.* 13. *de donat. inter virum & uxorem, reg.* 367. *ampl.* 3. *ad finem*, & alii à Fagundez *d. cap.* 17. *n.* 6. & Lucidoro *d. cap.* 15. *n.* 11. relati.

§. VI.

Ius Canonicũm de præstandis alimentis filiis spuriis, an sit observandum etiam in terris Imperii, & aliorum Principum Christianorum.

QUamvis autem Imola *in l. Lucius*, §. 1 *ff. de leg.* 1. 195
Alexander *in l.* 1. *ff. soluto matr. & conf.* 74. *vol.* 3. Aretinus *conf.* 47. Iason *in Auth. res quæ, C. commun. de leg.* Felinus *in cap. quæ in Ecclesiarum*, & *in cap. Ecclesia S. Mariæ, num.* 45. *de constit.* quos Capycius, & Paleotus *locis infrà citatis* ad id referunt, Vasquius *de successionum creat. lib.* 2. §. 20. *num.* 13. *versic. Sed horum opinio*, & Joan. Petrus Ferrarius *loco suprà num.* 186. citato, & nonulli alii à Ioan. Lupi loco infrà citato allegati asseruerint præfatum jus canonicum de alimentis filiis spuriis à patre præstandis, *in d. cap. cùm haberet*, contentum, habere locum tantùm in terris Ecclesiæ jurisdictioni temporali subjectis in utroque foro, civili, & Ecclesiastico, & ubique in foro Ecclesiastico; non verò in terris Imperii, & aliorum Principum sæcularium in foro laicali.

Nihilominus cæteri Doctores Canonistæ, & Iurisperiti affirmant dictum jus canonicum esse observandum in utroque foro, Ecclesiastico, & laicali, etiam in terris Imperii, & Regum, ac Principum in toto Christiano orbe. Ita Glossa *in d. cap. cùm haberet, fin. de eo qui duxit in matr.* ibidem Panormitanus, Fortunius, Angelus, Socinus, Ripa, Corrasius, Decius, & plures alii à Paleoto, Capycio, P. Barbosa, Gomezio, Surdo, Mantica, & Marta locis mox allegandis relati, & ex Doctoribus *n.* 186. allegatis Covarruvias, Ludovicus Molina, Simon de Prætis, Mantica, Marta, Capycius, Benintendus, Rolandus à Valle locis *d. num.* 186. citatis, Antonius Thesaurus *d. decis.* 211. Gaspar Ant. Thesaurus *lib.* 1. *quæst. for. dicta quæst.* 25. *num.* 2. Padilla *in d. auth. res quæ, num.* 65. *C. de leg.* P. Barbosa *d.* 4. *p. num.* 64. *fine*, Paleotus *de nothis, cap.* 47. *n.* 1. *& seq.* Gomez *ad d. l.* 9. *&* 10. *Tauri, num.* 37. Peregrinus *d. tit.* 18. *num.* 55. Marescotus *d. cap.* 83. *n.* 33. Ioan. Lupi *d.* §. 1. *num.* 12. 13. *&* 14. Surdus *d. quæst.* 10. *num.* 7. Benedictus Ægidius *d. num.* 31. Augustinus Barbosa *collectaneo ad d. auth. Ex complexu, num.* 2. *C. de incestis nuptiis*, Stephanus Gratianus *d. cap.* 60. *num.* 30. *& d. cap.* 154. *num.* 14. *&* 13. & Molfesius *d. quæst.* 3. *n.* 7. & novissimè alios Doctores cumulans Ioan. Nicol. Lucidorus *de illegit. Cler. d. c.* 15 *n.* 23. & ratio est, quia præfatum jus canonicum innititur naturali juri, naturalique rationi: quoties autem decisio, & æquitas canonica fundatur super naturali ratione, naturalique jure, quod omnes obligat in conscientia, innititur, cùm concernet peccati materiam, relicto juris civilis rigore, observanda est etiam in foro laicali ubique in orbe Christiano, ut omnes præfati Doctores, & latiùs Marta *loco allegato*, concludunt. 196

Hinc pater in testamento non potest filium suum spurium privare alimentis necessariis, sed debebuntur ab hæredibus, quamvis ipse pater prohibuisset illa dari eidem filio spurio. Ita post alios Covarruvias *d.* §. 6. Paleotus *d. cap.* 37. *num.* 6. Rolandus à Valle *d. conf.* 54. *num.* 68. *lib.* 2. Thesaurus *d. decis.* 211. *num.* 3. Surdus *d. quæst.* 10. *n.* 8. & P. Barbosa *ad l.* 1. *parte* 4. *soluto matrim. num.* 74. An verò pater etiam uxorem filii spurii non habentem unde se alat, teneatur alere, explicatum est *suprà*, *n.* 97. *fine*. 197

Filio

Filio spurio pater potest donare, & relinquere ex causa alimentorum, pro modo alimentorum eidem filio debitorum.

197 PRæterea pater potest donare, vel relinquere spurio ea causa, seu ratione alimentorum; & donatio, vel legatum sustinetur in utroque foro, Ecclesiastico, & laicali ubique, si filius sit pauper, & aliunde non habeat unde vivere possit, quatenus capit verum debitum alimentorum. Ita Bartolus *in d. auth. ex complexu, C. de incestis nuptiis, & in l. fin. num. 7. ff. de his quibus ut indig.* Covarruvias, Craveta, Stephanus Gratianus, Calcaneus, Dreius, Ludovicus Molina *de primogeniis*, Sanchez, Rebellus locis suprà, *n.* 40. 41. relatis, Thesaurus *d. decis.* 211. Rolandus *d. cons.* 74. n. 40. *vol.* 1. *& d. cons.* 54. *n.* 68. & *de lucro dotis citata quæst.* 94. *n.* 2. *&* 3. *vol.* 2. Simon de Prætis loco suprà *n.* 168. *citato*, Paleotus *de nothis*, *cap.* 45. *n.* 8. Additionator ad Molinam *de primog. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 56. *versic. limitatur primò, & c.* 15. *num.* 54. *&* 55. Mantica *de tacitis, & ambig. lib.* 13. *dicto tit.* 37. *num.* 26. Gamma *decis.* 343. P. Barbosa *in d. l.* 1. *p.* 4. *n.* 65. *ff. soluto matr.* Benintendus, & Capycius *locis suprà citatis*, Surdus *d. q.* 10. *n.* 10. Ciarlinius *controv. juris cap.* 33. *n.* 60. Rota *decisionibus suprà num.* 193. *citatis*, & alii Iurisperiti communiter, quos Surdus, Mantica & Ciarlinius allegant.

198 At verò filio spurio, qui ea arte, & operis suis potest honestè se alere, possit pater aliquid relinquere causâ alimentorum, explicatum est *suprà n.* 39. *&* 40. sicut etiam cessare obligationem alimenta præbendi filio spurio, quando aliunde ex propriis bonis, vel arte, aut industria propria potest sine dedecore victum ille sibi quærere, ostensum est *suprà n.* 27. *cum pluribus seqq.* & quod spurio non teneatur pater alimenta præbere, ubi propria industria vivere posset, dummodo sine dedecore, & injuria suæ personæ, aut conditionis valeat exercere, tradidere alios allegantes Ludovicus Molina, Gaillus, Spino, Ioan. Lupi, Peregrinus, P. Barbosa, Surdus, August. Barb. *locis suprà d n.* 27. *citatis*, Benintendus *d. decis.* 22. *n.* 10. Gomez *decis.* 543. Thesaurus *d. decis.* 211. *n.* 3. 13. *&* 14. Paschalis *de patria potestate, p.* 2. *cap.* 3. *n.* 34. *&* 35. ubi præterea ex Jacobo Æmilio *cons.* 146. ait alendam à patre non esse filiam spuriam, quæ sana & idonea est ad serviendum pro pedissequa: quod tamen intelligendum procedere quando esset talis quæ posset famulatum, vel aliam artem exercere sine dedecore, ut modò dictum est, & idē Paschalis notat, & etiam notatum est *suprà, n.* 33. & docent præter Doctores ibidem citatos, Thesaurus *loco mox citato*, Rolandus *d. cons.* 54. *num.* 79. *vol.* 2. Lodovicus Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 47. P. Barb. *in d. l.* 1. *p.* 4. *n.* 62. *ff. soluto matr.* & alii ab iisdem relati. Item intelligendum si famulatum, vel artem possit exercere sine periculo infirmitatis, ut *suprà n.* 32. notatum est, & tradunt Doctores *ibidem* citati, & in terminis filiæ spuriæ Paschalis *d. c.* 3. *n.* 36. Quare quod Rolandus *d. cons.* 54. *n.* 70. dicit, nempe quod hujusmodi alimenta filiis spuriis debentur absque ullo onere, ita ut non possit eis mandare, quod teneantur operari in domo, & servire aliis fratribus legitimis, ut sit verum, debet intelligi ubi non possent servire sine dedecore, & injuria suæ conditionis, ut post alios Thesaurus *d. decis.* 212. *num.* 3. & Paschalis *locis citatis*. Sed redeamus unde discessimus.

199 Legatum, vel donatum si quid fuerit à patre spurio non habenti aliunde unde vivat, non expressa causa alimentorum, intelligitur factum pro alimentis, & pro eo jure, cujus ipse spurius est capax, ita quod intelligitur fecisse animo compensandi, cùm aliud ei legari nequeat, nisi alimentorum causa. Ita Craveta *cons.* 219 *n.* 7. Ruinus *cons.* 124. *num* 6. *vol.* 1. Simon de Prætis *de interp. ult. volunt. lib.* 3. *interpr.* 1. *dub* 3. *solut.* 2. *n.* 7. Benintendus *decis.* 22. *num.* 15. Thesaurus *decis.* 211. *n.* 5. Mantica loco suprà *n.* 197. citato, Surdus *de alim. tit.* 1. *quæst.* 10. *num.* 11. Menochius *de arbitr. casu* 169. *n.* 8. *& cons.* 421. *n.* 2. *vol.* 5. Joan. Lupi *de illegitimis, comm.* 2. §. 1. *num.* 41. & alii ab eodem relati, & nonnullos alios allegans Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis cler. cap.* 23. *n.* 27. Ad id confirmandum Simon de Prætis adducit illud, quod legatum nihil habenti factum, præsumitur in dubio factum causâ alimentorum, secūdùm Bartolum *in l. servus, ff. de ann. legat.* & Paulum de Castro *cons.* 5. *n.* 6. *lib.* 1. Ruinus, & post eum Surdus afferunt duplicem aliam rationem. Prima, quod debitor necessarius legando vel donando censetur facere animo compensandi, ut Doctores *in auth. præterea, C. unde vir, & uxor*: pater autem est necessarius debitor alimentorum filio spurio pauperi, & inopi, ut probatum est. Altera causa est, quod fieri debet interpretatio, per quā sustineatur actus, *l. quoties, ff. de rebus dub.* Ampliant Ruinus, & Surdus, ut id procedat etiam quando in legato, vel donatione sit facta meritorum mentio; quia ea posthabitâ (aiunt) sustinetur legatum, vel donatio causa alimentorum, quando spurius non est dives, sed egenus. Imò propter benemerita vera ejusdem filii, patrem posse validè ultra alimenta aliquid in vita, vel in morte dare filio spurio, quod benemeritis sit proportionatum, alios plures allegantes tradunt Tiraquellus *in l. si unquam, verbo. Donatione largitus, n.* 22. & Sanchez *in consiliis moral. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 38. & videtur certum, quia hæc non censetur donatio, sed remuneratio; & inter eos, inter quos est prohibita donatio, ut inter patrē, & filium, inter virum, & uxorem, non censetur prohibita donatio remuneratoria, modò de meritis constet, & donatio sit æqualis meritis, ut tradunt Doctores communiter, quos referunt Tiraquellus *loco citato, n.* 20. & Sanchez *lib.* 6. *de matr. disp.* 6. Advertunt autem iidem Tiraquellus *ubi suprà, n.* 21. *fine, &* 106. & Sanchez *d. dub.* 38. *& d. dub.* 6. post alios, ut dicatur donatio remuneratoria, debere esse talia merita, seu servitia, ad quæ donatarius aliàs non tenebatur: quæ enim debentur ex necessitate, vel officio, jubente lege, non debent censeri beneficia quæ exigant præmium, aut remunerationem: v. g. uxor, filius, libertus debent marito, patri, patrono certas operas, & obsequia, quæ si præstita fuerint, non habētur pro meritis, ex Tiraquello *d. n.* 106.

Dixi autem suprà *num.* 197. *Quantum capit verum de-* 200
bitum alimentorum; nam relictum, vel donatum, vel promissum filio spurio, sustinetur tantùm pro quantitate alimentorum, quæ pater obstrictus est illi dare. Quare si quantitatem prædictam excedat, censetur factum in fraudem; & quod excedit, revocari posset. Ita Bartolus *in l. fin. n.* 7. *ff. de his, quibus ut indignis*, Bald. *in l. eam quam, n.* 41. *C. de fideicom.* Simon de prætis *loco superiùs n.* 286. *citato*, Paleotus *d. c.* 45. *n.* 8. Rolandus *d. cons.* 74. *n.* 40. *vol.* 1. Rota *decisionibus n.* 193. *citatis*, Gayllus *lib.* 2. *observ.* 88. *n.* 8. Peregrinus *de jure fisci, lib.* 3. *tit.* 18. *n.* 71. Gaspar Ant. thesaurus *quæst. for. lib.* 1. *quæst.* 25. *n.* 3. Surdus alios allegans *de alim. tit.* 1. *d. q.* 10. *n.* 15. Gomez *ad l.* 9. *&* 10. *Tauri, n.* 35. Sanchez *consil. mor. lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 40. & alii qui infrà citantur, asserentes dotem spuriæ constitui posse, & deberi solùm juxta modum alimentorum, & quoad excessum non valere, & posse revocari. Ratio cur sic legatum, vel donatum aut promissum, sicut & dos filiæ spuriæ constituta, non debeat excedere quantitatem alimentorum, est quia quod ob causam promittitur, ab ea causa limitatur, *l. manumissiones, ff. de just. & jure*, & ibidem Baldus *n.* 3. Gayllus *d. n.* 6. & Surd. *d. n.* 15. Quando verò sit excessus, vel servatus debitus modus alimentorum, judex arbitrari debet, ut tradunt Baldus, & Paleotus *locis citatis*, & Menochius *de arbitr. dicto casu* 179. *n.* 9. An verò judex in hujusmodi arbitrio, & in universum in taxatione alimentorum filiis spuriis debitorum debeat attendere, ac inspicere solam naturæ necessitatem, an verò etiam dignitatem personæ, ac patrimonii paterni quantitatem, discutitur *infrà*.

§. VII.

§. VII.

Pater tenetur, & cogi potest dotare filiam spuriam usque ad quantitatem alimentorum.

201 QUanvis Alexander *in l. 1, num. 18. ff. soluto matrim.* Campegius *de dote, 1. part. quæst. 17. ad fin.* & Ludovicus de Sardis *tract. de naturalib. lib. cap. de obligatione inter patrem, & filium, num. 5.* & ex Theologis Fagundex *in Decalog. lib. 4. cap. 1. num. 7. & cap. 17. n. 9.* sentiant patrem, etsi teneatur alere filium spurium ex coitu damnato natum, stante præfata provisione juris canonici *in d. cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim.* non tamen teneri, nec posse compelli dotare filiam spuriam: quod idem Vasquius *de successión. creat. lib. 2. §. 20. num. 314.* asserit *quoad terras Imperii in foro laicali*; dicens tamen patrem dotare posse, si velit. Fundatur autem Alex. præcipuè quod argumentum de alimentis ad dotem non semper valet, ut exemplis ostendunt Paleotus *de nothis, cap. 49. num. 1.* & Molina *de justitia, disput. 224. num. 22.* Quare licèt pater teneatur alere filiam spuriam, non inde sequitur, quod eam teneatur dotare, ob diversitatis rationem; nam alimenta dietim, & per singulos menses, & annos præstantur, Bartolus *in l. fin. num. 1. ff. de his, quibus ut indignis*, & aliis locis relatis à Paleoto *d. c. 49. num. 3. lit. H.* Dos autem utplurimùm uno cumulo, seu unica numeratione præstatur; ac proinde in dote agitur de majori præjudicio, seu onere patris. Non ergo est invitus compellendus spuriam dotare, sicut potest cogi illam alere. Confirmat Fagundex aliis argumentis nullius, aut parvi momenti, quæ etiam remanebunt soluta ex mox dicendis.

202 Nihilominus alii Doctores communiter affirmant, quod juxta præfatum jus canonicum ubique in orbe Christiano observandum, ut *suprà num. 195.* probatum est, sicut pater tenetur filiam spuriam pauperem alere, ita etiam tenetur illam pro modo, & qualitate alimentorum debitorum dotare. Ita Bartolus *in auth. ex complexu, C. de incestis nupt. d. l. fin n. 7. ff. de his quibus ut indign.* & aliis locis à Paleoto *d. cap. 49.* & P. Barbosa *ad l. 1. p. 4. n. 65. ff. soluto matrim.* relatis. Rolandus *consil. 74. n. 40. vol. 1. cons. 54. vol. 2. & cons. 85. n. 4. vol. 3. & de lucro dotis, d. q. 94. n. 4.* Ripa *in d. l. 1. n. 66. ff. solut. matrim. ibid.* Socinus *n. 23.* Covarruvias *de spons. part. 2. c. 8. §. 6. n. 11.* Boërius *decis. 127. n. 21.* Gayllus *lib. 2. observ. 88.* Paleotus *d. c. 49. per tot.* Simon de Prætis, & Vincentius de Franchis *decis. 183. n. 14.* Matescorus *var. lib. 2. c. 83. n. 34.* Mantica *lib. 12. de tacitis, & ambig. tit. 16. n. 20.* Ludovicus Molina *de primog. lib. 2. cap. 15. n. 45.* Peregrinus *de jure fisci, lib. 3. tit. 18. n. 56.* Thesaurus *decis. 211.* Paschalis *de patria potestate, p. 2. cap. 3. n. 37. & seq.* P. Barbosa *d. n. 65.* Mantica *de tacitis, & ambig. lib. 13. tit. 37. n. 26. & lib. 12. tit. 16. n. 19.* Surdus *consil. 310. n. 2. & de alim. tit. 1. quæst. 10. n. 10. cum pluribus seqq.* Joan. Lupi *de illegitimit. comm. 2. §. 1. n. 37. & 45.* Gomez *decis. 549. n. 7.* Capicius *decis. 164. num. 2.* Rota apud Seraphinum *decis. 58. & decisionibus suprà, n. 186. relatis*, Augustinus Barbosa *collectaneo ad cap. cùm haberet, num. 10. de eo qui duxit in matrim.* Gomez *ad l. 9. & 10. Tauri, n. 43.* Spino *in speculo, gloss. 16. n. 119.* Merenda *tom. 3. lib. 13. c. 2. n. 9.* & innumeri alii ab iisdem, & à Vasquio allegati, & novissimè Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis clericor. cap. 15.* Probatur, quia *in d. c. cùm haberet*, filiis spuriis non solùm providetur de alimentis, sed decernitur illis omnia necessaria ab utroque parente subministranda pro modo facultatum: inter necessaria autem quoad filiam continetur dos ad textum *in l. 1. ff. soluto matrimonio, & in auth. res qua, communia de legatis*; cùm sine dote non possit nubere, & sic ea carens plerumque cogatur turpiter vivere. Bartolus *in d. auth. ex complexu*, P. Barbosa *ubi suprà*, & Paleotus *d. cap. 49. num. 3.* Boërius *d. decis. 127. num. 14.* & cum aliis P. Barbosa. Quare ubi dos loco alimentorum succedit, & solùm præstari potest, à pari procedunt alimenta, & dos. Baldus *in d. l. 1. num. 8. ff. soluto matrim.* ibidem Ripa *num. 79.* Panormitanus *consil. 12. septimo dubio, vol. 1.* Surdus *de alimentis, tit. 1. q. 27. num. 3.* & Rota *d. decis. 88. num. 6.* apud Seraphinum. Imò major necessitas incumbit patri in constituenda dote filiæ spuriæ, quàm in præstandis alimentis, propter periculum pudicitiæ, & honoris, quod imminet. Vincentius de Franchis, & P. Barbosa *locis citatis*, & Baldus ex Tello *ad l. 10. Tauri, num. 10.* à P. Barbosa relatus. Hinc ad fundamentum Alexandri respondetur primò *in d. cap. cùm haberet*, includi æquè alimenta, & dos: & cùm dispositio Pontificia ibi facta sit in favorem filiorum, ut eis parentes necessaria tribuant, attendenda est filiorum necessitas, non commoditas, servato modo facultatum: præter quam quod, ut respondet P. Barbosa, illud majus onus patris in providenda dote toleratur, ut evitetur majus malum, nempe ut conservetur pudicitia filiæ spuriæ, quæ minimè patri incumbit. Neque etiam huic communissimæ sententiæ obstat textus *in l. uxorem, §. pater naturalis, ff. de legatis 3.* ubi Scævola videtur respondisse juxta priorem sententiam; nam ibi, ut rectè notat Paleotus *d. cap. 49. num. 5.* loquitur in casu, quo pater naturalis ex alia causa, nempe ex fideicommisso eidem debito, erat debitor filiæ; tunc enim ait, patrem non esse cogendum ei dotem dare, cùm ex propriis bonis, quæ illi à patre debebantur, eam sibi posset constituere, ac proinde respectu patris naturalis non dicebatur necessaria: quod secus est in legitimo patre, qui tenetur dotare filiam, etsi divitem. Ex quibus fit, ut etiam filia spuria clerici à patre sit dotanda ex fructibus beneficii, si aliunde dotare non possit, ut *suprà numero 193.* dictum est, & præter Rotam, & alios Doctores ibidem citatos, tradunt Vasquius *de successionum creat. libro 2. §. 10. numero 500.* & Corduba de Lara *in l. si quis à liberis, §. idem rescripsit, numero 25. & 96. ff. de liber. agnoscendis*, & alios allegans Augustinus Barbosa *ad Decretales, collect. ad caput pervenit, numero 4. de arbitris*, & *citato capite 15.* Joannes Nicolaus Lucidorus, & etiam *capite 21. num. 18.* Hinc etiamsi spuriæ simpliciter legetur, in causam dotis relictum videri, ut actus valeat, tradunt Alban. *consil. 44. ad finem*, & P. Barbosa *d. part. 4. num. 75.* Quid verò si dotem semel datam filiæ spuriæ amiserit, an pater debeat iterum eam dotare, vide *infrà, num. 564.*

§. VIII.

Dos filia spuria à patre relicta, vel constituta, si excedat modum, seu quantitatem alimentorum, non valet in eo quod excedit alimenta filia debita.

DIxi, *pro modo, & quantitate alimentorum*; nam relictum, vel datum, aut promissum pro dote filiæ spuriæ, non debet excedere quantitatem alimentorum ei à patre debitorum, in quorum loco dos ipsa succedit, sed ad prædictam alimentorum quantitatem taxari; & ideò si quid ampliùs notabiliter fuerit relictum, vel datum, aut promissum ex causa dotis, excessus tanquam in fraudem legis excludentis filios spurios ab omni paterna successione, revocari posse per proximiores consanguineos, seu hæredes patris, tradidere Doctores communiter. Ita præter Doctores *suprà num. 200.* relatos, Decius *consil. 457. numero 1. lib. 5.* Panormitanus *consil. 50. numero 2. lib. 2.* Rolandus *de lucro dotis, quæst. 94. num. 44.* Capicius 203

decis. 181. *n.* 1. Ioan. Lupi *de illegitimis, com.* 2. §. 1. *n.* 45. Marescotus *var. lib.* 2. *cap.* 83. *num.* 34. Ludovicus Molina *de primog. lib.* 5. *cap.* 15. *n.* 50. P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *n.* 69. *ff. soluto matr.* Merenda *d. cap.* 2. *n.* 11. Fragosus *de Rep. Chr. p.* 3. *lib.* 2. *disp.* 5. *n.* 50. plures alii ab iisdem relati, & alii à Simone de Prætis, Surdo, & Peregrino *locis suprà d. n.* 200. *citatis*: idque ob eam rationem *ibidem* adductam, scilicet quod id quod conceditur ex causa, ab ea causa limitatur, ac proinde cùm dos permittatur, & debeat dari filiæ spuriæ loco, seu ob causam alimentorum sibi debitorum, juxta alimentorũ debitorum quantitatem, & modum taxari (in qua taxatione an inspicienda sit sola necessitas, an verò conditio, & dignitas personæ, infrà explicatur) arbitrio Iudicis debet. Quæ communis doctrina vera est quando aliquid dotis nomine filiæ spuriæ à patre in testamento relinquitur, aut inter vivos donatur, tunc enim notavit Paleotus *de nothis c.* 50. *fine*, citra omne dubium quidquid ultra honesta alimenta judicis arbitrio pater pro dote reliquerit, vel donaverit filiæ, & incapaci successionis paternæ, invalidum est, nec illius dominiũ filia spuria acquirit. Decius *cons.* 611. *sub n.* 7. dum vult communem opinionem videri, quod dos filiæ spuriæ debeat constitui usque ad legitimam; nam id, ut contra eundem Decium ait Marescotus *d. c.* 83. *n.* 35. debet intelligi respectu filiorum legitimorum, quibus legitima debetur, non respectu spuriorum, quibus nulla legitima est debita, sed solùm alimenta præstari debent miserationis causâ, ut dicitur *d. cap. cùm haberet.* Etsi autem Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis clericorum cap.* 21. *n.* 18. videatur supradictæ sententiæ communi contradicere, dum ait in constituenda dote filiæ spuriæ patrem posse excedere alimentorum metam, si talis excessus fuerit necessarius ad inveniendum honestum, ac dignum virum pro filia; re tamen ipsa non contradicit, nam videtur intelligendus juxta tradita *infrà, n.* 268. si tradita ab eo conferantur cum traditis *eodem n.* 268.

§. IX.

Dos filiæ spuriæ quantitatem alimentorum ei debitorum excedens à patre data an constante matrimonio possit quoad excessum à marito revocari.

Sed non exigua controversia est, an si pater filiæ spuriæ dotem promiserit, & tradiderit ipsi marito notabiliter majorem summam, quàm & alimentorum ratio, & ejus conditio (supposito quod hæc sit in alimentis, & dote spuriorum attendenda, de quo infrà) patiatur; hujusmodi excessus revocari possit à marito constante matrimonio; & est multiplex sententia.

204 Prima tenet absolutè, quod etiamsi maritus ignoraverit inculpabiliter filiam esse spuriam, dotis excessum posse statim, & constante matrimonio ab eodem marito revocari, sive dos sit data immediatè ipsi filiæ, & filia dederit marito, sive fuerit promissa, & data immediatè ipsi marito. Ita P. Barb. *in d. l.* 1. *p.* 4. *n.* 79. Stephanus Gratianus *tom.* 3. *cap.* 472. *n.* 4. *cum seq.* & ex Theologis Rebellus *de obligat. justitiæ, p.* 2. *lib.* 5. *q.* 8. *sect.* 4. *n.* 17. & 18. & Fragosus *de Rep. Chr. p.* 3. *disp.* 3. *n.* 50. Ita sensisse videtur etiam Bartolus *in l. fin. n.* 7. *ff. de his quibus ut indignis*, ubi simpliciter, & indistinctè dicit, quod quidquid datur ultra modum alimentorum, statim potest ab agnatis revocari: & hoc idem tenent Molina *de justitia, tom.* 1. *disp.* 168. §. *in dotem filiæ*, Sanchez *in consiliis moralibus, lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 39. *n.* 13. & 14. si pater qui dotavit spuriam, habebat filios legitimos; hoc enim casu volunt excessum posse statim à marito revocari, licèt maritus ignoraverit esse spuriam; quia tunc ille excessus debitus est filiis legitimis, quibus ignoratio, nequitia patris, & ignorantia generi nocere non potest. Secus verò si pater donans non habebat filios legitimos, & maritus ignorabat esse spuriam; hoc enim casu dicunt non posse excessum dotis exigi constante matrimonio, sed solùm postquam mortuo marito dos fuerit reversa ad ipsam spuriam; quia tunc excessus non cedit in damnum filiorum, & pater ex parte damni injustè dati teneretur illum excessum restituere de bonis, de quibus pro libito poterat disponere. Probatur, quia quod pater filiæ spuriæ relinquit, vel dat excedens alimenta, quoad excessum non valet, *auth. ex complexu, C. de incestis nuptiis*; at id totum, quod datur marito, censetur datum contemplatione filiæ, *l. dotem dedit, ff. de collatione donatorum.* Ergo cùm tantam quantitatem, seu summam pater in initio non potuerit dare filiæ spuriæ constante matrimonio, poterit revocari id solùm, quod præter congruam summam alimentis æqualem traditum fuit, alioqui facilè fraudem contra legem committere posset pater spuriæ. Confirmatur, quia vel maritus ab initio quam volebat ducere in uxorem, scivit esse spuriam, vel neglexit culpabiliter investigare ejus conditionem: & sibi imputare debet, quod filiam spuriam duxerit, cui lex prohibet relinqui, vel dari ultra quantitatem alimentorum debitorum: vel facta diligentia ignoravit esse spuriam, & adhuc hæc ignorantia non potest illi prodesse, inquit P. Barb. *d. n.* 9. & universali ratione probat, scilicet quia etiam patre volente, & consentientibus filiis legitimis, nihil potest spurius habere ex bonis patris ultra congrua alimenta, ut probat Ang. *cons.* 223. *n.* 2. *fin.* Alexander *cons.* 129. *n.* 15. *lib.* 6. Surdus *decis.* 249. *n.* 25. & 26. Tellus *l.* 10. *Tauri, n.* 6. & Sanchez *d. c.* 3. *dub.* 30. *n.* 3. & novissimè Joan. Nicol. Lucidorus *de illegitimis clericorum, in præludio, n.* 37. eo quòd spurii non excluduntur à successione patris in favorem filiorum legitimorum, sicut filii illegitimi naturales, quibus propterea consensus expressus filiorum legitimorum approbantium relictum illis à patre ultra quod à lege taxatum est, prodest, ut sentiunt iidem Doctores; sed ex causa publica, scilicet odio damnati coïtus: ideo filii legitimi, aliive hæredes legitimi, juri derogare non possunt suo consensu, licèt expresso, etiam jurato. Surdus *d. n.* 26. tametsi iidem legitimi in favorem eorundem spuriorum possint de bonis paternis ad ipsos perventis, seu spectantibus, disponere. Lucidorus *d. n.* 38. post Sanchez *cons. mor. c.* 3. *dub.* 30. *n.* 4. Ergo pariter, neque ignorantia mariti potuit efficere, ut valeat dos ultra illam quantitatem alimentorum. Si dicatur id verum, quando dos legatur, & traditur filiæ spuriæ, non autem quando pater spuriæ dotem promittit, & tradit genero, eo quòd illi dare possit socer quantum velit, cùm lex prohibeat solùm dare filiæ spuriæ ultra alimentorum quantitatem, & maritus efficiatur dominus dotis, non filia, quæ etiam cùm dos est promissa immediatè marito, ex hac promissione agere non potest, *l. pater pro te, C. de dotis promiss.* & Jason *cons.* 5. *lib.* 4. contrà urget idem P. Barbosa, quia quando datur dos excessiva, videtur facta fraus legi, ex Bartolo *loco suprà citato*, ac proinde licèt data sit genero, seu marito, magis credendum est valorem fuisse quæsitum, & quasi per interpositam personam fuisse dotem excessivam datam filiæ spuriæ, *arg. leg.* 1. *C. de naturalib. lib.* Ad textum *in lege fin.* §. *si à socero, fin. ff. quæ in fraudem creditorum*, ubi decernitur à creditoribus nõ revocari dotem à socero illi datam in fraudem eorundem creditorum, si maritus ignoravit fraudem, quia maritus titulo oneroso dotem accipit, & uxorem indotatam non duxisset, præter alias responsiones à Bæza *tractatu de non meliorandis filiabus, capite* 32. *num.* 10. respondet P. Barbosa, & post eum Rebellus *d. num.* 18. textum *in d.* §. *à socero*, loqui in dote data in fraudem hominis, hic verò sermonem esse de dote data in fraudem legis; & sic ipso jure excessum esse nullum, *l. si libertus minorem, ff. de bon. libert.* & ideo statim posse revocari.

Nec

Nec obstare inquiunt, quod hoc modo gener ignorans remaneret deceptus, quia hæc ratio, addūt, tātùm evincit, quod tanquam deceptus possit agere adversus socerum, ejusve hæredes, ut hoc damnum ei resarciant, *arg. l. pen. ff. de dolo*, Navarrus *in apol. de reddit. q. 2. monit. 26. n. 2.* non autem evincere potest ut valeat dos, & tanquam talis retineatur contra prohibitionem legis; ac proinde si dos fuerit in tot bonis stabilibus constituta, & traditus excessus illorum bonorum, poterit revocari, & illius loco ad damnum resarciendum dari pecunia. Advertit autem Rebellus *d. sect. 4. n. 20.* quod quantumcunque excessum dotis spuriæ pater tradat, non continebit culpam mortalem talis dotis excessus, si non concurrat ulla injuria creditorum, nec præjudicium uxoris, aut filiorum. Nec obstat extrema, aut gravis necessitas proximi, qui per hujusmodi excessum bonorum ex præcepto charitatis sit adjuvandus; quanvis, inquit, peccatum veniale sit juxta communem, quod contra legis prohibitionem fieret: quare, subdit, nec tunc lethaliter peccabit gener, vel filia dotem acceptando, nec excessum dotis retinendo quandiu donator in eadem voluntate perstiterit; secus verò si invito jam donatore, vel hærede post ejus mortem retineat excessum, cùm hujus excessus dominium nunquam in eos fuerit translatum, sed penes dotantem, & eo mortuo ad hæredes transeat; & ita etiam Molina *d. §. in dotem*, ait quod cùm dictus dotis excessus sit nullus, non solùm repeti potest ab hæredibus patris dotantis, sed etiam tam ipsa filia spuria, quàm maritus (scilicet quando non fuit deceptus, sed sciens illius conditionem, illam duxit in uxorem) tenentur illum excessum restituere in conscientiæ foro antequam petatur, scilicet si invitis eisdem hæredibus retineretur, seu hæredes illum vellent, vel præsumendum esset velle.

205 Secunda sententia loquens cum distinctione, asserit dotem excessivam pro filia spuria traditam marito, nō posse quoad excessum revocari constante matrimonio, si maritus quando eam duxit, ignoravit eam esse spuriam; posse verò stante, & constante matrimonio revocari, si tempore contractus matrimonii sciebat esse spuriam. Ita Lupus *in cap. per vestras, not. 3. §. 24. n. 1. de donat. inter virum*, Nicolaus de Ubaldis *in tractatu de successione ab intestato*, 1. *part. §. successionum*, *n. 50.* Ripa *in l. 1. n. 68. soluto matrim.* Covarruvias *de spons. p. 2. c. 8. §. 6. n. 12.* Rolandus *cons. 85. n. 13. vol. 3.* Antonius Gomez *ad l. 9. & 10. Tauri, n. 43.* Surdus *de alim. tit. 1. q. 10. n. 23. & duob. seq.* Ioan. Lupi *de illegit. com. 2. §. 1. n. 47.* Navarrus *in d. Apolog. de reddit. q. 2. monito 26. n. 2.* & alii Doctores communiter apud ipsos, & præsertim Iurisperiti Hispani, Baeza *de non meliorandis filiabus, c. 37. n. 5. & 10.* Matienzo *ad l. 8. tit. 8. lib. 5. ordinam. glossa 1. n. 36.* & Corduba de Lara *in l. si quis à liberis*, *§. idem rescripsit, à n. 30. ff. de liber. agnoscendis*, asserentes propterea, si pater dotem filiæ spuriæ constituat, & marito scienti eam esse spuriam tradat summam excedentem quintum bonorum, excessum posse à marito revocari. Hæc sententia quoad primam partem, in qua Surdus *d. q. 10. n. 25.* dicit omnes convenire, scilicet quod excessus à marito, qui ignoravit uxorem esse spuriam, non possit constante matrimonio revocari, probatur primò argumento dicti textus *in l. fin. §. si à socero, fin. ff. quæ in fraudem creditorum*: præterea, quia cùm maritus habeat dotem titulo oneroso, & pro oneribus matrimonii sustinendis, Glossa *in l. si donaturus, ff. de condictione ob causam datorum*, Bartolus *in l. si constante, n. 67. ff. soluto matr.* & Doctores communiter, ut testatur Surdus *d. q. 10. n. 23.* cùm ipse maritus ignoraverit, & consequenter non potuerit esse particeps fraudis, ab eo non debet revocari dos, quantumcunque socer fraudem commiserit; error enim facti non debet nocere marito, qui putavit legitimam uxorem ducere, *cap. lusor, & cap. ex tenore, qui filii sint legitimi*; & qui sine ea dote non contraxisset cum ea matrimonium, ut dicitur *in d. §. si à socero*, & propterea non debet manere deceptus. Declarat tamen Surdus *d. q. 10. n. 26. & tit. 5. quæst. 7. n. 14.* id intelligi debere quando, constaret maritum servasse diligentiam, ut mulieris conditionem investigaret; nam sine tali diligentia non excusaretur à culpa, & contra eum staret præsumptio, quod sciens mulieris conditionem, cum ea contraxisset, *arg. l. qui cum alio, ff. de reg. Iuris*; & hæc sententia quoad hanc primam partem juxta eosdem Doctores procedit, etiamsi dos nōn sit immediatè promissa, & tradita marito, sed ipsi filiæ relicta, aut donata, quæ postea fuerit marito tradita; nam jam maritus habet ex titulo oneroso, & sine tali dote eam non duxisset, nec præfati Doctores distinguunt, an bona dotalia sint relicta, & donata filiæ, & postea ad maritum pervenerint; an verò immediatè promissa, & tradita marito.

Secunda pars, quod constante matrimonio possit excessus dotis filiæ spuriæ revocari à marito, qui sciēs esse spuriam duxit, probatur: quia ex quo lex non permittit, sed prohibet dari filiæ spuriæ pro dote ultra quantitatem alimentorum ei debitorum, quam legem maritus scire debebat, sibi imputare debet, quod spuriā duxerit; & cùm talis excessus censeatur à patre constitutus, & datus in fraudem legis, maritus scienter spuriam ducens, censetur particeps fraudis, & consequenter non apparet ulla ratio, ob quam non possit, & debeat statim admitti revocatio dotis quoad excessum; alioquì, inquiunt Covarruvias, & alii, mille fraudibus locus esset in constituenda dote spuriarum, seu in dotalibus instrumentis. Præterea constitutio dotis quoad excessum, utpote contra legem, à principio non valet; unde omnes fatentur, quod defuncto marito, & dote reversa ad filiam spuriam, potest excessus revocari: ergo potest statim revocari. Demùm quia etsi dos marito datur pro oneribus matrimonii ministrandis, non tamen inde, aiunt Lupus, & Covarruvias *locis citatis*, sequitur maritum consequi dotem omnino titulo onerosi contractus quia ratione conjugii tenetur alere uxorem, unde dos marito promissa, nec defertur verè gratia lucri, nec omninò contractus onerosi conditionem sequitur. 206

Tertia sententia absolutè, & indistinctè, nec distinguens an maritus sciverit mulieris conditionē, an ignoraverit, vel an dos excessiva, & ultra quantitatem alimentorum fuerit relicta, vel donata ipsi filiæ spuriæ, vel promissa, & tradita ipsi marito, asserit dotem excedentem mensuram alimentorum pro filia spuria traditam marito, non posse constante matrimonio ab hæredibus revocari, cùm illam habeat ex titulo oneroso; licèt mortuo marito, & postquam eadem dos ad mulierem reversa fuerit, possit excessus ab ea revocari, cùm habeat ex titulo lucrativo. Ita Bartolus *in d. l. fin. §. si à socero ff. quæ in fraudem*, per illum textum *ibid.* Angel. & Bald. *in auth. ex complexu, C. de incestis nuptiis*, Rolandus à Valle *cons. 74. n. 49.* Alexand. *cons. 54. n. 12. vol. 3.* Panorm. *cons. 115. vol. 2.* Bernard. *cons. 54.* ab eodem Rolando ibidem relati, Mantica *de tacitis & ambig. lib. 13. tit. 37. n. 29.* Capycius *decis. 181.* novissimè Ioan. Nicol. Lucid. *de illegitimis clericorum, c. 22. n. 24.* & plures alii Baëza *d. c. 32. num. 3.* P. Barbosa *d. p. 4. n. 78.* à Lucidoro *d. c. 22. n. 21.* allegati; & esse communem sententiam dixerunt Bertradus *loco citato*, & Lupus *loco suprà n. 205.* citato, & eam etiam ut magis æquam videntur amplecti Surdus *d. tit. 5. q. 7. n. 14. & seq.* & Paschalis *de patria potest. p. 2. c. 3. n. 39. fine*: & ex Theologis eandem sententiam videtur tenere Fagundez *de præceptis Decal. lib. 4. cap. 1. num. 9.* Probatur hæc sententia ea ratione, quod licèt dos mulieri acquiratur titulo lucrativo, tamen maritus habet eam ex titulo oneroso, *cap. salubriter, de usuris*, *l. ex promissione, ff. de act. & obligat.* Glossa, & Bartolus *locis suprà n. 205. relatis*. Rolandus, Capicius, Mantica *locis allegatis*, Paleotus *de nothis, c. 50. n. 4. fine*, & alii apud eosdem & Surdum *loco num. 205. citato*; ac proinde quanvis 207

quamvis quoad excessum dos fuerit in fraudem legis filiæ spuriæ relicta, vel donata, aut marito promissa, postquam tamen ad maritum pervenerit, non potest ab eo constante matrimonio revocari: quæ ratio absque dubio fortiùs urget, & concludit, si maritus quando consensit ignorabat eam mulierem esse spuriam, vel illegitimam, ut notavit etiam Rolandus *d. n.49. fine*, vel si scivit esse spuriam, ignoravit tamen jus prohibens excessum illum, seu controversiam Juris inter Doctores, an talis excessus à marito posset revocari, eo quòd error juris controversi æquiparetur errori facti, prout tradunt Cravetta *cons.*279.*num.*2. Gabriel *cons.*90. *num.*25. *lib.*2. Rota *decis.* 132. *num.* 2. *part* 2. *diversorum*, *& decis.*84.*n.*2. *& decis.*41.*n.*4. apud Corderium; quia iste error causat bonam fidem. Rota *decis.* 101. *num.*10. *& decis.*559.*n.*6.*p.*1. *Recentiorum*, *in additionibus* apud Rubeum, ac proinde si ignorantia facti (scilicet quod filia esset spuria) ex vi bonæ fidei excuset virum à restitutione excessus dotis, etiam excusare debet ignorantia juris controversi.

208 Quarta, & ultima sententia, supposità illà distinctione, quod pater spuriæ, vel ipsi genero, seu marito acceptanti promisit, & tradidit dotem excessivam ultra alimenta congrua, vel nomine dotis aliquid ultra dicta alimenta congrua legavit, vel donavit ipsi filiæ spuriæ, quæ pro se tradat marito, juxta legem *Pomponius, ff. famil. ercisc.* affirmat, quod si dos sit à patre spuriæ promissa, & tradita immediatè ipsi marito ab ejus manibus, & non à filia, dotis excessum à proximioribus, seu consanguineis non posse constante matrimonio revocari; si verò dos sit relicta, & donata filiæ spuriæ, & per ejus manus accepta à marito, excessum semper posse revocari. Ita Paleotus *de nothis*, *d. c.*50. *per totum*, qué in effectu sequuntur Rolandus *d. cons.*85. *n.*13. *vol.*3. Surdus *de alimentis tit* 5. *q.*7. *n.*14 *& duob. seq.* & Paschalis *loco num. præcedenti citato.* Hæc sententia quoad primam partem probatur, quia nulla est lex prohibens quin pater ab initio in collocanda filia possit erogare quamcunque patrimonii partem, quæ constante matrimonio eadem semper & integra conservabitur, nec in ulla parte diminuetur: quod ideo permittitur, seu rectè permissum à lege censetur, quia maritus eam dotem titulo oneroso capit, juxta legem *ex promissione*, & Doctores relatos *num præcedenti*, & *n.* 205. dictum est. Et licèt dos detur contemplatione filiæ, nó tamen acquiritur filiæ, sed ipsi marito, qui ejus dotis verus dominus efficitur, & est. *Instit. quibus alien. licet, in principio*, & *l. quoties. C. de jure dot. & l. dote*, *C. de rei vindic.* Et ipse solus possidet, & solus usucapit, nec attenditur persona uxoris, *l.* 1. *ff. de usucap. pro dote*, & pater extraneis non prohibetur dare, sed tantùm filiis spuriis; unde nulla fraus subest, aut fit legi, quia nihil in filiam spuriam transfertur, sed in maritum, qui fructus lucratur, dominium, & possessionem nanciscitur, & ad spuriam nihil præter alimenta pertinet, quæ necessariò illi debentur: quare etiam pater (ait Paleotus *n.* 5.) in dotanda filia, etsi quid fraudis committat, nihil tamen doli adhibuisse videtur, cùm sit commendanda potiùs paterna pietas, *l.* 1. *§. sed si liberi*, *ff. si quid in fraud. fia.* Idem Paleotus patri spuriæ hanc cautelam proponit, scilicet ut si illi cupiat magnam dare dotem, maritum deligat, cui nomine dotis poterit dare quæcumque bona voluerit: marito autem defuncto, cùm tunc filia causâ lucrativâ incipiat dotalia bona possidere, poterit excessus dotis revocari, juxta Bartolum, & alios *num. præcedenti* relatos: quod an sit indubitatum, infrà *post n.*216. discutitur. Quare secunda pars ejusdem sententiæ probatur, quia quando in testamento relinquitur filiæ spuriæ, vel eidem donatur, & immediatè traditur nomine, seu dotis causâ, ipsa spuria acquirit dominium, & titulo lucrativo habet: & ita quoad excessum relictum, vel donatum est irritum, & nullum, utpote contra legis prohibitionem. Et licèt perveniat ad maritum, tamen cùm ab initio relictum, vel donatum quoad illum excessum non valeat, etiam constante matrimonio potest revocari.

209 Hanc sententiam quoad primam partem longè veriorem existimo quàm oppositam, & eo magis quando maritus tantam dotem congrua alimenta filiæ spuriæ excedentem mereretur, vel ipsa filia spuria sine tanta dote non potuisset maritum invenire, ut etiam notavit Rolandus *d. cons.*85. *n.*13. *circa fin.* Franchus *decis.* 283. *n.* 24. Ioan. Nicolaus Lucidotus *d. c.* 22. *n.*27. & in tali casu non posse hæredes revocare dotis excessum, quandiu vivit maritus, cujus contemplatione alis dos constituta est, docuit etiam Gulielmus Benedictus *in cap. Raynutius*, *verbo Et uxorem nomine Adelasiam, num.* 116. *de testam.* Quod verò ad secundam partem, ubi maritus ab initio novit conditionem uxoris, Paleoti sententia convenit cum secunda sententia quoad secundam illius partem: ubi verò maritus absque sua culpa ab initio contractus matrimonii ignoravit uxoris illegitimitatem, si velit Paleotus etiam in hoc casu dotem immediatè relictam, seu donatam filiæ spuriæ, & per ejus manus perventam ad maritum, posse quoad excessum constante matrimonio revocari à marito, ut verè ita sentire videtur, ejus sententia discrepat ab eadem secunda sententia quoad primam partem, quam Paleoti sententiæ in praxi præferendam puto, utpote magis æquam, & rationabilem, ne maneat deceptus maritus, qui sine tanta dote eam mulierem non duxisset in uxorem: & videtur satis convinci per illum textum *in l. fin. §. à socero, fin. quæ in fraudem*, ubi decernitur, ut notatum est *suprà*, *n.*204. dotem filiæ constitutam, & in fraudem creditorum datam marito ignoranti fraudem, non posse constante matrimonio revocari, quia sine ea dote maritus non contraxisset matrimonium: & idem videtur sentiendum, si maritus habuit ignorantiam juris controversi, per tradita *suprà n.* 207. *fin.*

§. X.

Dos inofficiosa filiæ legitimæ à patre constituta, & ejus marito tradita, an constante matrimonio possit à marito recusari quoad excessum.

210 CÆterum in favorem primæ sententiæ contra primam partem secundæ, contra tertiam sententiam, & contra primam partem quartæ sententiæ objicitur primò, quia si parentes filiæ legitimæ dederint dotem immensam, & inofficiosam, scilicet legitimam filiorum lædentem, constante matrimonio potest excessus revocari à marito. Ita Lupus *in d. cap. rursus*, *notab.* 3. *§.* 14. *de donationib. inter vir. & uxor.* & plures alios allegantes Antonius Gomez *ad l.* 29. *Tauri*, *n.* 34. *versic. Sed his non obstantibus*, & Sanchez *in consil. moralibus*, *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 39. *n.* 3. qui fundatur in eo, quod jure communi *in l. unica*, *C. de inofficiosa dote*, cautum est, dotem inofficiosam posse revocari, sicut donatio pota lædens legitimam: nec lex distinguit, an matrimonio constante, vel soluto; quia censetur dos, & donatio inofficiosa facta in fraudem legitimæ filiorum: Ergo multò magis licebit etiam constante matrimonio revocare dotem excessivam, inofficiosam, seu excedentem quantitatem alimentorum à lege permissam, cùm lege *in d. auth. ex complexu*, cautum sit, nihil posse filiis spuriis relinqui.

211 Sed respondetur contrarium, & dotem inofficiosam, & immensam filiæ legitimæ datam marito, constante matrimonio non posse revocari, cùm maritus habeat eam ex titulo oneroso, scilicet ut matrimonii onera sustineat, ut *suprà n.* 205. 207. & 208. dictum est, tradidere Surdus *d. tit.* 14. *q* 7. *num.* 12. Bartolus, Baldus, Aretin. Angelus, Campegius, Antonius Neguzantius, Marienzo à Sanchez *d. dub.* 39 *n.* 2. relati, Bernardus Diaz *reg.* 215. & præter alios ab eodem Sanchez

12 chez relatos, Afflictus *decif.86. ad fin.* afferens ex causa onerosa posse inferri præjudicium in legitima: quare decisio dictæ legis unicæ, *C. de inofficiosa dote*, intelligitur quando dos datur filiæ, non quando datur marito, quia filia habet eam dotem titulo lucrativo, & sic revocari potest quatenus lædit legitimam filiorũ, juxta eosdem Doctores, & præsertim Surdum *d.n.*13.

§. IX.

Si ei, cum quo filius spurius contraxit societatem universalem, pater spurii relinquat, vel donet, an valeat relictum, aut donatio.

213 Objicitur tertiò, quia si filius spurius contraxit societatem universalem cum aliquo, & hunc socium pater ejusdem spurii instituat hæredem, vel illi bona sua daret, institutio, aut donatio non valet, sed revocari potest, quia cùm dimidia pars ratione societatis ad spuriũ perveniat, seu pervenire debeat, institutio, aut donatio in dubio præsumitur facta in fraudẽ legis, & ut quasi per interpositam personam filius spurius obtineat bona paterna. Ita Capella *cautela* 38. secundùm ultimam computationẽ, & 64. secundùm primam, Ludovicus de Sardis *in tractatu legitimationum*, Covarruv. *de sponsal. p.2.c.8.§.5.n.11.ad fin.* P. Barbosa *ad l.1.p.4.n.8.ff.solut.matrim.* & ex Theologis Rebellus *de oblig. just. p.2.lib.5.q.8.sect.4.n.21.* Ergo etiam dos excessiva, cõstituta, & tradita à patre marito filiæ spuriæ, censeri debet quoad excessum nulla, quia præsumitur facta in fraudem legis, & ut ille dotis excessus per interpositam mariti personam perveniat ad filiam spuriam: ex quo Rebellus ait, dictam institutioné in foro conscientiæ esse moraliter illicitam, si in hæredis, sive successoris præjudicium notabile redundaret.

214 Respondetur in hoc casu contrarium, & institutionem, seu donationem esse validam, licet dimidia pars perveniret ad filiam spuriam, asseruit Bartolus *in l.15. §.qui duos, in fin.ff.de liberat.legat.* Baldus *in l.1.C.pro socio*, Tiraquellus *de retractu lignag.§.26.glossa 1.n.33.&* 35. Paleotus *de nothis, d.c.50.n.5.* Joan. Lupi *de illegit. com.2.§.1.n.26.* Corsetus, Crotus, & plures alii Jurisperiti à Tiraquello, Covarruvia, & P. Barbosa *locis citatis* allegati. Probant quia fraus in dubio non præsumitur, *l.marito, ff.pro socio*, & aliis juribus adductis per Tiraquellum *d.n.35.* & tradunt alii à Tiraquello *ibid.* allegati: delictum enim in dubio non præsumitur, quare juxta eosdem Doctores deberet constare de fraude, ut dicta institutio, aut donatio tanquam nulla posset revocari. Juxta etiã Doctores omnes valida foret institutio in utroque foro, ubi ex conditione personæ institutæ, aliisve circumstãtiis verisimiliter præsumeretur instituendus à patre spurii, etiamsi cum eodẽ spurio talem universalem societatem non contraxisset, ut si qui cum spurio filio contraxit omniũ bonorũ societatẽ, esset patris filius legitimus, & naturalis, vel affinis, vel alia ratione cum patre strictam conjunctioné haberet; tunc enim propter cõsanguinitatem, vel affinitatem, & amicitiam verisimiliter præsumeretur spurii socium fuisse institutum hæredem, etiamsi illam societatem non habuisset. Ita Paleotus *c.45.n.1.* exemplificat. Iterum in universum potest probari, talem institutionem esse validã in utroque foro, quia leges civiles prohibentes institutionem filiorum spuriorum, vel aliquid eis relinqui, sunt pœnales, quia factæ in odiũ delicti paterni, ut suprà *n.*180. dictũ est; atque ideò non sunt extendendæ ad spurii socium, esto ex quadã consequentia aliquid hæreditatis ad spurium perveniat.

Pater spuriæ, vel spurii an possit instituere generum, vel nurum.

215 Objicitur tertiò, quod pater spuriæ, vel spurii, si maritum filiæ spuriæ, vel uxorem filii spurii instituat, vel ei bona donet, institutio, & donatio nulla esset, & invalida ob præsumptam fraudem, scilicet quia censeretur institutio & donatio à patre genero, vel nurui facta in fraudem, & quasi per interpositam personam bona data fuisse spuriæ, vel spurio. Ita P. Barbosa *in d. l.1.p.4.n.79.fin.& 81.ff.solut.matrim.* Rojas *epitom.successionum, c.20.n.30.* Joan. Lupi *d.§.1.n.27.* Hostiensis, Cardinalis, & Joan. Andreas *in c.1.de testamentis*, à Sanchez *conf.mor.lib.4.c.3.dub.42.n.2.* ad id relati, & nonnulli alii relati à Larrea *decif.95.n.3.* Ergo etiã censeri debet nulla dos excessiva data marito filiæ spuriæ, & sic revocabilis constante matrimonio, utpote præsumptivè constituta in fraudem legis quoad excessum.

Respondetur contrarium, & patrem posse validè 216 instituere maritum filiæ spuriæ, vel uxorem filii spurii, eive pro libito conferre quæcumque bona, sustinent Antonius Gomez *ad l.9.Tauri, n.17.versic. Ex quo etiam*, ubi etiam refert, quod cùm esset Assessor Judicis cujusdam recusati, & tractaretur matrimonium inter spurium filii Clerici, & quandam fœminam, conventum fuit, ut pater Clericus certa bona expressè, & simpliciter donaret patri, vel matri uxoris spurii, vel ipsimet spuriæ, & judicavit donationem esse validam. Larrea *d.decif.95.à n.4.ad fin.* qui *n.6.* refert decisionẽ Senatus Granatensis in favorem mariti spuriæ filiæ Clerici instituti hæredis ab eodem Clerico patre. Dueñas *reg.366.fine*, Sandoval, Parlad. & Plaza, quos refert, & sequitur Sanchez *d.dub.42.n.2.* præter quos plures alios refert Larrea *d.decif.95.n.5.* Idque præcipuè ob rationem *n.214.in fine* adductam, scilicet quod leges prohibentes institutionem spurii sunt pœnales, ac proinde cùm tantum prohibeãt institutionem spurii, non sunt extendendæ ad uxorem spurii, aut maritum spuriæ. Confirmat Sanchez *ex l.ult.ff.de his quibus ut indignis*, ubi sic dicitur: *Si gener socerum hæredem reliquerit, taciti fideicommissi suspicionem sola ratio paternæ affectionis non admittit.* Ergo idem erit in socero, cùm correlativorum eadem sit disciplina. Plura in cõfirmationem hujus sententiæ Larrea, apud quem videri poterunt. Limitatur tamen hæc doctrina, seu responsio quoad Clericos, attenta allegata constitutione Pii V. contra illegitimos filios Sacerdotum, & Clericorum, suprà *n.*192. relata; quia in ea §.4. interdicitur eis quocumque titulo relinquere non tantùm filiis suis spuriis, verùm & illorum conjugibus, parentibus, descendentibus, & ascendentibus, vel cognatis, quasi voluerit S. Pontifex omnibus fraudibus obviare. Et prædicta de revocando excessu dotis pro filia spuria marito traditæ matrimonio constante, sufficiant.

§. XII.

Dissoluto matrimonio per mortem mariti filiæ spuriæ, excessus dotis à patre eidem marito traditæ an ab hæredibus patris possit revocari, sive marito supersint filii, sive non.

An verò dissoluto matrimonio per mariti mor- 217 tem, excessus dotis, quã pater spuriæ tradidit ejus marito, præsertim illius illegitimitatem ab initio ignoranti, possit ab hæredibus patris revocari, Bartolus *in d. l. fin. §.1.ff. quæ in fraud. creditor.* Paleotus *de nothis, cap.51.n.2.* Fragosus *loco suprà n.204.citato*, & alii cõmuniter censent, talem excessum posse revocari, & dotem reduci ad mensuram, seu quantitatem alimentorum eidem spuriæ debitorum: quia mortuo marito filia spuria incipit habere illum excessum ex causa lucrativa, & veluti titulo donationis à patre; nam dum pater marito dotem dedit, voluit post suam, & mariti mortẽ ad filiam pertinere, *l.1.§.Videmus, ff.de rei uxor. actione*: & ita filia non habet illam dotem à marito, sed à patre, veluti ex causa fideicommissi, & titulo lucrativo, & quasi donationis; lex autem prohibet patrem aliquid donare filiæ spuriæ, aut relinquere ultra dotẽ

necessariam, & alimenta congrua, & talis excessus est nullus, & revocabilis, sicut si ab initio dos illa ipsi filiæ fuisset relicta, donata, & tradita.

218 Baldus *conf.* 456. à Paleoto relatos existimavit, non posse revocari à filia spuria viduo præfatum excessum dotis ejus marito ab initio per patrem traditum, eo quod cùm ea dos semel rectè, & validè fuerit constituta, quia pater spuriæ non prohibetur tradere ejus marito quæcumque bona voluerit, ut suprà *n.* 208. dictum est, & tradit etiam Rolandus à Valle *de lucro dotis q.* 94. *n.* 15. *fin.* debet semper valere, & perpetuam eandem causam retinere, *arg. l. pater*, §. 15. *ff. de legat.* 3.

219 Ludovicus Molina *de justitia & jure tom.* 1. *disp.* 168. §. *in dotem filia*, *fin.* asserit dissoluto matrimonio hæredes posse illum dotis excessum marito traditum repetere à filia, & hæredibus illius, si ex eodem marito non sint suscepti filii, vel si fuerint suscepti, matre spuria adhuc vivente obierint: negat verò posse repetere, si proles sit suscepta, & matri supervixerit; quia, inquit, id in mariti injuriam cederet, eo quòd filii ejus ex ea suscepti privarentur bonis sibi cum uxore in dotem datis: & hanc sententiam, utpote maximè æquam, puto esse approbandam, præsertim supposita opinione, de qua infrà, quod dos spuriæ ea mortua spectet ad ejus filios & descendentes, & non debeat reverti ad patrem, vel ad patris hæredes; maritus enim qui ignorans conditionem uxoris illam duxit cum tali dote, aliàs eam non ducturus, in suis filiis remaneret deceptus, si post ejus mortem filii ejus parte illius dotis privarentur.

§. XIII.

An filius, & filia spurii possint præscribere sibi relicta, vel tradita ultra quantitatem alimentorum debitorum.

220 CAsu verò, quo excessus illius dotis post mortem mariti ad filiam spuriam perventus sit nullus, & revocabilis propter legem prohibentem relinqui, & donari filiis spuriis; controvertitur an filia post viri obitum possit talem excessum præscribere: cujus controversiæ resolutio pendet ex universali, an spurius, vel spuria possit longi, vel longissimi temporis possessione præscribere bona relicta, vel donata à patre ultra alimenta congrua. In qua controversia distinguitur, nempe quod vel spurius putat se esse legitimum, vel naturalibus per legitimationem restitutum, vel scit se esse spurium.

221 Igitur si putat se esse legitimum, vel ritè legitimatum, licèt contrarium respondisse Alexandrum *consil.* 74. *vol.* 2. referat Paleotus *d. c.* 51. *n.* 3. nihilominus Doctores communiter sentiunt spatio, seu possessione longissimi temporis, nempe triginta, vel quadraginta annorum, illa opinione, seu credulitate legitimitatis, vel legitimationis semper perseverãte, posse præscribere, eo quòd se habeat instar possessoris bonæ fidei. Ita Paleotus *d. c.* 51. *num.* 3. Sanchez *in consil. moralibus*, *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 47. apud quos alii. Dixi, *Longissimi temporis, &c.* nam nequiret præscribere præscriptione longi temporis, scilicet decem, vel viginti annorum, quia non habet titulum verum, sed titulum lege reprobatum. Tradunt Rojas *epitomes successionum* c. 20. *n.* 123. Plaza alios allegans *lib.* 1. *de delictis*, *c.* 41. *num.* 16. & alii plures, quos refert, & sequitur Sanchez *d. dubio* 47. *num.* 1. & idem sentire videtur Paleotus *loco citato*. Ad hanc autem præscriptionem longi temporis inducendam quid requiratur, videndus P. Barbosa *ad rub. tit. C. de præscriptione* 30. *vel* 40. *annorum*, præsertim *n.* 71.

222 Si autem spurius scit se esse spurium, tunc non posse præscribere à patre relicta, vel donata, etiam possessione longissimi temporis, & ultra quadraginta annos, & ampliùs, post Bartolum *conf.* 119. docent Paleotus *d. c.* 51. *n.* 2. & Simon de Prætis *de interpr. ult. vol. lib.* 4. *interpr.* 1. *dubit.* 1. *n.* 84. *fine*, & probat Paleotus, quia aut ab initio possessionis sciebat relictum, vel donatum esse nullum, & contra legem illud prohibentem, & irritantem, & consequenter se non esse capacem; & sic esset in mala fide, quæ impedit præscriptionem quamcunque cujuscumque temporis, *cap. possessor, de re jud. in* 6. *& cap. fin. de præscriptionibus*, P. Barbosa *ad d. rubricam*, *n.* 40. *& seq.* alios allegans: aut putabat spurius se justè possidere, & retinere posse relictum, vel donatum; & tunc etiam non potest ullo unquam etiam longissimo tempore præscribere, eo quòd error juris, saltem ubi versatur circa legem ab initio actui resistentem, non sufficiat ad inducendam præscriptionem etiam longissimi temporis, ut notat Paleotus *d. c.* 51. *n.* 3. & Doctores magis communiter, quos allegat P. Barbosa *ad d. rubr. n.* 67. *&* 78. quamvis ipse, & alii quos *n.* 75. *&* 85. refert, contrariũ teneant, sentiatque errorem juris etiam actui resistentis sufficere ad præscriptionem longissimi temporis. Quam sententiam in foro conscientiæ, si error juris verè fuerit invincibilis, & à parte rei inculpabilis, puto veram. Sed in his non oportet hîc latiùs immorari, cùm requirant altiorem indaginem: sufficiat prædicta tetigisse.

§. XIV.

Utrum si pro alimentis filio spurio traditus sit fundus, vel quid aliud ex quo percipi possit annuus redditus, ipso mortuo debeat fundus statim ad patrem, vel ejus hæredes reverti, vel transmittatur ad filii hæredes.

UTrum autem dos relicta, seu constituta filiæ spuriæ in certis bonis immobilibus, seu fundo aliquo, quem pater spuriæ ei reliquerit, vel tradiderit, aut ejus marito pro dote illi debita, ipsâ mortuâ deberet dos ipsa statim ad patrem, vel ejus hæredes reverti, an verò transmittatur ad filiæ spuriæ hæredes, est quæstio valdè inter Jurisperitos controversa, ante cujus solutionem priùs resolvenda est alia controversia, scilicet an si filio spurio pater pro alimentis reliquit, vel donavit fundum, vel rem aliam usque ad debitam alimentorum quantitatem, vel Judex illi constituerit, eodem spurio mortuo fundus relictus, sive relictum fuerit signatum, sive solutum, sive Judicis authoritate constitutũ, devolvatur ad spurii patrem, vel ejusdem patris hæredes, an verò ad spurii descendentes, vel hæredes transeat. Et cùm alimenta morte alimentarii cessent & extinguantur, *l. cùm hi*, §. *modus*, *ff. de transactionibus*, *l. Mela*, *ff. de alimẽtis, & cibariis, & l. dominus*, §. *fin. ff. de usufructu*, latissimè Surdus *tit.* 9. *q.* 5. Doctores infrà citati, & cæteri omnes, & certum est, ut notavit P. Barbosa *ad l.* 1. *q.* 4. *n.* 75. *initio*; videtur absque contradictione dicendum, fundum relictum, vel constitutum pro alimentis spurii, eo defuncto debere reverti ad patrem, vel ad ejus hæredes, non verò ad descendentes, vel hæredes spurii; sed secernendo quæ videntur certa, & communia, ab iis quæ sunt controversa. 223

Si juxta formam legis *hæreditatum*, *ff. ad l. Falcid.* 224 quam certum est habere locum in alimentorum taxatione, quantitatéve constituenda, *d. l. cùm hi*, §. *modus*, & *ibid.* Glossa, P. Barbosa *ad l.* 1. *q.* 4. *n.* 74. & alios allegans, Vincentius de Franchis *decis.* 283. *n.* 17. alimenta spurio sint taxata, eademque summa non sit annuatim percipienda, neque in fundi usufructu assignata, sed ad exemplum extinctæ pensionis vel datus, seu constitutus fuit fundus æstimatus secundùm valorem, seu æstimationem omnium alimentorum, quæ in spurii vita juxta computationem dictæ legis *hæreditatum*, debebãtur, vel pro una vice certa pecunia persoluta, juxta eandem æstimationem alimẽtorum omnium, ita quod fundi

fundi valor, aut pecuniæ summa, habita computatione prædicta, non excedat quantitatem, & valorem alimentorum totius vitæ, videntur in hoc casu convenire Doctores, spurium habere fundi proprietatem, & sibi absolutè acquirere illam pecuniæ summam, cùm non excedatur quantitas alimentorum debitorum; & post ejus mortem, etiam ante præsumptam computationem dictæ legis *hæreditatum*, transmittere illam ad suos hæredes. Ita Baldus *conf.* 488. *n.* 5. *lib.* 1. Bermondus *de publica concubina, vers. Qui etiam filio, num.* 61. Boërius *decis.* 127. Lupus *in cap. per vestras*, §. 24. *n.* 7. *de donat. inter virum, & uxorem*, Peregrinus *de jure fisci, lib.* 3. *tit.* 18. *n.* 77. Vincentius de Franchis *d. decis.* 283. *n.* 16. & 25. ubi asserit ita fuisse in causa ardua judicatum. P. Barbosa *d. n.* 74. Surdus *de aliment. tit.* 5. *q.* 7. *n.* 54. Rodericus Xuarez *in l.* 1. *fori, tit.* 6. *lib.* 3. *n.* 24. Covarruvias *de spons. p.* 2. *c.* 8. §. 6. *n.* 15. *circa finem*, Corduba de Lara *in l. si quis à liberis*, §. *idem rescripsit, n.* 32. *ff. de liber. agnosc.* Gaspar Anton. Thes. *quæst. for. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 7. & 10. & alios allegans Ant. Gabriel *com. concl. lib.* 6. *tit. de alim. concl.* 1. *n.* 12. & ex Theologis Rebellus *de obligat. just. p.* 2. *lib.* 5. *q.* 2. *sect.* 3. *n.* 15. & Molina *de just. tom.* 1. *disput.* 68. §. *alimenta patrem, &c. versic. quando etiam*, ubi ita habet: *Quando fundus esset traditus (scilicet filio spurio) æstimatus, quia valor illius censebatur sufficere ad competentia alimenta ad tempus totum futurum, & quasi interveniente pacto, ut ille esset contentus, sive paucioribus, sive pluribus alimentis in futurum indigeret, tunc mortuo spurio fundus transiret ad illius hæredes.* Probat P. Barbosa ea ratione, quod alimenta ad hoc dantur, ut consumantur, neque pro illis consumptis aliquid peti potest, aut restitui debet. Craveta *conf.* 219. *n.* 8. *ad fin.* & Bermondus *d. tract. de publicis concubin. verbo Qui etiam filio, n.* 61. quos idem P. Barbosa allegat addens, non aliter posse videri satisfactum obligationi alimentorum præstandorum. Si igitur à principio detur fundus, qui ferat fructus tenues, & insufficientes ad alimenta spurii, & totus ejus valor cum fructibus non excedat quantitatem alimentorum debitorum, & quæ debebant consumi, non est cur non in dominium spurii transferatur, præsertim cùm fundus relictus, datus, & acceptus sit pro justo valore omniũ alimentorum totius vitæ, & interveniat pactum, saltem implicitum, ut nihil amplius petat, etiamsi in posterum pluribus alimẽtis fortè indigeat. Quare etiamsi spurius aliunde habuit postea alimenta, vel decesserit ante præsumptam computationem dictæ legis *hæreditatum*, quasi pro alimentis consumptis nihil peti, aut restitui debet, *arg. l. de fideicommisso, C. de transact.* & ad dicta apertè facit textus *in l. si id quod*, §. *illud, ff. de donationibus inter virum, & uxorem.* Ex quibus, tum id quod Surdus addit *d. q.* 7. *num.* 56. scilicet fundum unà cum fructibus non excedentem æstimationem omniũ alimentorum totius vitæ, non transire ad hæredes spurii, sed repeti posse, si spurius sine eo vixit ex industria, vel arte, aut operis, eo quia datum in causa alimentorum repeti possit, tanquam causâ non sequutâ, *l.* 1. *ff. de condict. ob causam*, vel condictio indebiti, quia alimenta non debentur spurio, qui aliunde seipsum potest alere, ut suprà probatum est: tum id quod dixit Scaccialupus *in auth. si qua illustris, C. fam. ercisc. n.* 6; nẽpe fundum ad alimenta præstitum repeti, si efficiatur dives, non est admittendum, si fundus spurio datus sit verè pro æstimatione omnium alimentorum vitæ; nam tunc statim efficitur spurii proprietas, ut aiunt præallegati Doctores, præsertim P. Barbosa; secus si fundus non daretur æstimatus, nec expresse, nec tacitè. Quoties ergo fundus relictus, seu res legata spurio est modicæ æstimationis, ita ut fructus ob eorũ tenuitatem, adjuncto ipsius rei valore, seu cum pretio proprietatis, non excedant quantitatem alimentorum debitorum, sed vix sufficiant ad alimenta, tunc proprietas remanet penes spurium, & eo mortuo transmittitur ad quoscumque ejus hæredes, juxta præfatos Doctores, quos latiùs prosequitur P. Barbosa *d. num.* 74.

Difficultas ergo est quando fundus pro alimentis filio spurio à patre relictus, seu datus ferat tot fructus seu redditus annuos, qui soli sufficiant ad congrua spurii alimenta; & similiter si quid aliud relictum, vel datum spurio pro alimentis reddat, vel aptum sit reddere annuos fructus, seu redditus ad justa alimenta, an tunc fundi, seu illius capitalis dominium pertineat ad spurium, & eo defuncto ad illius hæredes devolvatur; an verò tantùm ususfructus ad eundem spurium spectet, durante ejus vita; & eo mortuo fundus, seu capitale illud relictum, ad patrem, vel ejus hæredes pertineat. 225

Et prima, eaque communis sententia absolutè asserit, spectare ad patrem, vel patris hæredes, non verò ad hæredes, sive descendentes, & filios, sive extraneos spurii defuncti. Ita Baldus *in l. eam quam, n.* 41. *C. de fideicom.* Paleotus *de nothis, c.* 45. *num.* 8. Covarruvias *de spons. p.* 2. *c.* 8. §. 6. *num.* 15. Simon de Prætis *de inter. ult. vol. lib.* 3. *interpr.* 1. *dub.* 3. *solut.* 2. *n.* 7. & *lib.* 4. *interpr.* 1. *dub.* 2. *n.* 84. Menochius *de arbitr. casu* 169. *n.* 10. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *idem rescripsit, n.* 73. *ff. de liber. agnosc.* Antonius Gomez *in l.* 9. & 10. *Tauri, n.* 42. Rolandus à Valle *conf.* 74. *n.* 51. & 52. *lib.* 1. Merenda *tom.* 3. *lib.* 13. *c.* 2. *n.* 17. Surdus *de alimentis, tit.* 5. *quæst.* 7. *n.* 2. P. Barbosa *in l.* 1. *p.* 4. *num.* 74. & 75. Vincentius de Franchis *decis.* 283. *n.* 7. & 9. *fine*, & *decis.* 720. Capycius *decis.* 181. Benintendus *decis.* 22. Dueñas *regul.* 346. & 347. *ampl.* 7. Ant. Gabr. *allegata conclusione* 1. *n.* 37. Peregrinus *loco numero præcedenti citato*, Salgado *in labyrintho creditor. concurr. p.* 1. *c.* 29. *n.* 79. Azo, Decius, Bartolus, Scaccialupus, Ripa, Bonacosa, Chassaneus, Pallacius Rubeus, Tello, Castillo, & alii Jurisperiti apud eosdem, præsertim Surdum, Gabrielem, Dueñam, & Sanchez *loco mox citando*; & alii Jurisperiti, qui infra allegantur, asserentes dotem spuriæ post ejus mortem non devolvi ad ejus hæredes, sed ad patrem, vel patris hæredes pertinere: ex Theologis idem sentiunt Molina, Rebellus *locis numero præcedenti allegatis*, Azorius *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 14. Sanchez *conf. mor. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 35. *n.* 2. & Fragosus *de Rep. Christ. p.* 3. *lib.* 2. *disput.* 5. *n.* 50. *versic. Hinc sequitur*, & *versic. Nihilominus.* Ratio hujus communis sententiæ desumitur ex traditis in præcedentibus, scilicet quod pater filiis spuriis non potest relinquere validè, nisi ex causa alimentorum, juxta modum eorundem alimentorum; & sic quando relinquit, vel tradit fundum filio, vel filiæ spuriæ, non relinquit, vel tradit in proprietate quæ transmitti possit, alioqui relictum esset nullum, sed necessariò debet relinquere, & dare loco alimentorum, utque ex fundo, seu redditibus fundi vivere possit: & sic mortuo spurio non transmittitur ad hæredes spurii, sive habeat, sive non habeat filios; sed ad patrem, vel ad ejus hæredes, utpote causa alimentorũ jam cessante; nam cùm unum in locum alterius subrogatur, idem debet judicari de subrogato, quod de illo, in cujus locum subrogatur, *l. filia*, §. *Attia, ff. de condit. & demonstr.* & *l. si eum*, §. *qui injurias, ff. si quis cautionibus*: alimenta autem morte alimentarii extinguuntur, juxta tradita suprà *n.* 223. item cùm spurius non sit capax proprietatis fundi relicti, ut dictum est, sed tantùm ususfructus fundi, quando fundus non datur spurio æstimatus pro omnibus alimentis totius vitæ spurii, juxta tradita numero præcedenti: & succedit alia regula, scilicet quod usufructus extinguitur morte usufructuarii, §. *finitur, Instit. de usufructu*; & ideò spurium teneri cavere de non alienando fundo, sed de eo restituendo post mortem, *arg. l. Titio centum, in principio, ff. de cond. & demonstr.* tradunt Craveta *alleg. conf.* 219. *num.* 8. *fin.* Benintendus *d. decis.* 22. *fin.* Corduba *d.* §. *idem rescripsit, num.* 72. & P. Barbosa *ubi suprà, num.* 72.

226 Quare ut bona à patre spurio pro alimentis relicta transeant eo mortuo ad spurii filios, Bartolus *in l.fin. num.7.ff.de his quibus ut indignis*,tradit cautelam,quam Ripa *ad l.1.num.69.ff.soluto matrim*.Paleotus *de nothis, cap.45.num.8.& cap.51.num.7.* & alii Jurisperiti communiter approbant, ut pater spurii in testamento relinquens, vel inter vivos dans eidem spurio bona, quorum ususfructus sufficit ad alimenta, expressè disponat in favorem filii spurii,seu suorum nepotum, qui ex spurio nascentur, illis post mortem spurii relinquens, super fideicommissum ea bona spurio relicta jubens restitui.

227 Secunda sententia prædictæ communi directè, & ex toto opposita tenet bona à patre relicta,vel tradita spurio pro alimentis, ei acquiri quoad dominium; & eo defuncto etiam sine filiis transmitti ad illius hæredes. Ita Rodericus Xuarez *ad præallegatam l.fori, tit.de todo home*,ubi tractat de naturalibus liberis *n.24.*à Covarruvia, & P.Barbosa *locis num.præcedenti citatis*,& à Gaspare Anton.Thesauro *suprà allegata quæst.25.n.5.* relatus, ubi resolvit bona à patre spurio pro alimentis relicta, sine ullo gravamine, & libera in spurium transire; & sic transmitti eo mortuo ad illius hæredes. Probat Xuarez primò, quia legatum alimento-

228 rum incertis prædiis constitutum, pleno jure quoad proprietatem legatario acquiritur, & ad hæredes illius transmittitur,*l.libertis,ff.de aliment.& cibariis.* Sed respondet Thesaurus *d.q.25.n.10.* hujus legis rationem non militare in præsenti casu,in quo odio particulari legatarii statutum est,ut nihil omninò percipere possit; & tantùm intuitu pietatis ex benignitate canonica inductum est, ut alimentorum causâ aliquid capiat: quæ benigna concessio ad hæredes saltem extraneos transire non debet.

229 Probat secundò Xuarez,quia si bonorum legatorum dominium non spectaret ad spurium,talia bona essent restitutioni subjecta,ac proinde spurius non posset ea alienare,quamvis ex usufructu non posset se alere,unde fame periret,quod esset absurdum. Verùm respondet P.Barbosa, quod si ususfructus fundi non sufficit ad competentia alimenta,potest spurius cogere hæredes patris, vel avi, quod aliunde illa suppleant, cùm alimenta ita spuriis debeantur, ut nec ex voluntate patris eis tolli,aut minui possint,ut suprà notatum est; & etiam hæredes patris, vel avi, si pater spuriis nihil reliquit, vel non reliquit alimenta congruentia, teneatur congrua alimenta illis præstare, ut Doctores ab eodem P.Barbosa *n.74.* Ant.Gabriel *d.conf.1.n.10.* relati, & alii communiter tenent,ut *infrà.* Thesaurus etiam *d.q.25.n.10.* addit,quod si ob defectum alimentorum sufficientium foret necessaria alienatio, judex causâ cognitâ concedet alienationem, quæ & minoribus, & mulieribus contra juris prohibitionem concedi solet, ut etiam ego ipse *tom.3. mor. var. tit.6.* agens de alienatione bonorum Ecclesiæ ex causa necessitatis notavi.

230 Tertia sententia media distinguit de spurio decedente nullis relictis filiis, aut descendentibus; & de spurio cui decedenti supersint filii, vel descendentes ab eo; & si spurio desint filii, & descendentes, negat cum sententia communi, legatum spurio relictum jure alimentorum,vel illud quod illi judicis authoritate loco alimentorum fuit constitutum, transmitti ad illius hæredes; si supersunt filii, aut descendentes ab eo, tunc æquius ducit,ad eosdem descendentes transmitti. Ita Thesaurus *d. q.25.n.9.* qui in secundo casu transmissionem ad hæredes admittit, ea motus ratione,quia eisdem descendentibus, eadem juris naturalis ratione suadente,& æquitate canonica urgente,spurii pater alimenta subministrare tenetur, ut alios allegantes tradunt Covarruvias *d.§.6.n.16.*& Vincentius de Franchis *allegata decis.283. n.15.* novissimè Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit.cleric.cap.23.n.3.* & alii Jurisperiti communiter,de qua re *infrà*: sicuti & ipse pater, deficientibus filiis legitimis, nepotes ex spurio instituere potest, ut infrà *n.246.* probatur: & præfatam distinctionem recepisse Consilium Neapolitanum, teste Minadoo *decis.21.*refert idem Thesaurus *eodem num.9.* addens ita etiam judicasse Senatum suum Augustæ Taurinorũ. Verùm fundamento Thesauri respondet P.Barbosa *ad d.l.1.p.4.n.71.*illud non concludere, fundum pro alimentis spurio relictum transmitti ad filios spurii; sed tantùm eosdem filios ex propria persona posse cogere avum, & ejus hæredes, ut eis inopibus alimenta præstent, quæ poterunt præstari in pecunia, vel alio modo.

Ex iis sententiis secunda, cùm sit contra communem receptam, & ab omnibus reprobata, nullo modo videtur posse admitti in praxi, quando spurius decedit sine filiis, & descendentibus, relictis tantùm hæredibus extraneis. Tertiam verò sententiam, licèt contra habeat communem, quæ de rigore juris indistinctè, scilicet sive spurio supersint filii,sive non,videtur vera; nihilominus si spurio sint superstites filii, aut descendentes ex eo inopes, & alimentis egentes, ut maximè æquitati consentaneam, & cùm alioqui avus, vel ejus hæredes teneantur nepotes ex spurio alere,libenter approbo.Quod si quis urgeat cum Vincentio de Franchis *d. decis.282. num.9. fine*, quia aut proprietas est translata in spurium, aut non; si est translata, non est curandum an supersint spurio filii, sed ad quoscumque ejus hæredes transmittitur; si verò non, non potest transire; neque etiam ad filios. Respondetur id tantùm ad summum probare, non transire ad filios,si non sint egeni,& non transire irrevocabiliter,ita quod si postea efficiantur divites filii ejusdem spurii, proprietas sit restituenda. 231

Et prædicta intelliguntur quando fructus fundi, seu rei relictæ spurio pro alimentis, sufficiunt ad integra alimenta annua.Quod si non sufficiunt ad integra alimenta, tunc pro parte deficiente proprietatem fundi debere spurio, & ad ejus hæredes devolvi, & excessum fore restituendum patri, vel ejus hæredi, tradunt Afflictus *decis.99.*Capycius,Benintendus,Rebellus *locis suprà num.224. relatis*, P. Barbosa *loco ibid. allegato, num.74. circa finem*, ubi etiam allegat Minadoum *d. decis.21.* & ita dicendum juxta communem, de qua *num.225.* 232

§. XV.

Fundus à patre traditus filio spurio pro alimentis, an possit à patre gravari, ut mortuo filio alteri restituatur.

EX traditis potest facilè resolvi illud dubium, an pater relinquens,vel dans filio spurio fundum,seu rem aliam pro alimentis, possit eum gravare, ut post ejus mortem ejusdem patris hæredibus, vel alteri restituat. Si enim fundus, aliáve res pro alimentis relicta ferat tenues fructus, ita ut cum valore ipsius rei, seu proprietatis,juxta computationem dictæ legis *hæreditatum,ff.ad Falcidiam,* non excedant æstimationem omnium alimentorum totius vitæ spurii,cùm tũc proprietas debeatur ipsi spurio,ut cõstat ex traditis *n.224.* non potest pater tale gravamen imponere,& ita proculdubio sentiunt Doctores *eodem n.224.*citati: si verò fructus fundi annui sufficiunt ad congrua alimenta annua,potest pater imponere præfatum gravamen restitutionis: tum quia juxta tradita *n.225.* etiam non imposito tali gravamine, post spurii obitum devolveretur fundus ad patrẽ,vel ejus hæredes: tum quia cùm pater pro alimentis non teneatur fundũ,vel rem aliam frugiferã spurio dare,sed possit in singulos annos,vel menses alimenta illi præbere, dum relinquit, vel dat fundum, potest imponere gravamen illud, post spurii 233

obitum

obitum restituẽdi alteri, prout ipsi libuerit, & id etiam in terminis tradunt Antonius Gomez *in l.9.& 10.Tauri,n.42.* Vincentius de Franchis *decis.720. per totam,* P.Barbosa *l.1.p.4.num.75.ff.soluto matrim.* Thesaurus *d.lib.1.quæst.for. q.25.n.5.* & ita oportet sentiant Doctores *n.225.* allegati, & omnes Doctores Hispani, qui tenent patrem posse tale gravamen imponere in quinto bonorum, quod filio spurio juxta legem 10. Tauri in regno Castellæ tenetur relinquere, licèt in dicto quinto contrarium alii teneant.

§. XVI.

Quintum omnium bonorum, quod juxta legem Hispanam Tauri pater tenetur relinquere, vel dare filio illegitimo naturali, & spurio, an liberè sit relinquendum, vel dandum, & sine ullo gravamine.

234 ET ratio difficultatis est, quia dicta lege 10. Tauri expressè cautum est, quod pater possit quintam partem bonorum dare, vel relinquere filiis illegitimis, etiam spuriis, in proprietatem, & de ea possint ad libitum disponere: quæ lex in duobus discrepat à receptis opinionibus jure cõmuni, primò quoad certam quantitatem, usque ad quam pater possit nomine alimentorum spuriis relinquere etiam proprietatem, cùm jure communi nulla sit certa quantitas taxata, sed id relinquatur judicis arbitrio, inspecta vel sola naturæ necessitate, vel conditione spurii, & patris, ac patrimonii quantitate, de quo *infrà*, & clarè constat ex dicto capite *cùm haberet, de eo qui duxit,* ubi nulla certa quantitas pro alimentis spuriorum decernitur. Secundò discrepat à jure communi dicta lex 10. Tauri, dum disponit, spurium de illo quinto posse ad libitum in vita, aut in morte disponere.

235 Cùm igitur ex dispositione dictæ legis 10. Tauri pater de necessitate pro alimentis debeat spurio quintum bonorum dare, aut relinquere, & efficiatur spurii, etiam quoad proprietatem, qui in alio quinto non posset de eo pro libito disponere; hinc etiam spurio mortuo illud quintum transmitti ad ejus hæredes, tradunt Covarruvias *de spons.p.2.cap.8.§.6.n.15.* Antonius Gomez *ad d.l.10.Tauri,n.42.* Ludovicus Molina *de primogen.lib.2.cap.11. n.32.* Spino *in speculo testam.glossa 16.n.106.* Tellus *in d.l.10. Tauri,* Avendaños *glossa 3.n.4.* Matienzo *lib.5.ordin.tit.8.l.8 glossa 3. n.4.* Baëza *de non meliorandis filiabus,cap.27.n.7.* Rojas *de successiõn.ab intest.cap.21.à n.85.* Thesaurus *d.q.25. n.5.* Vasquez *opusc.de testam.cap.6.§.7. dub.13.* & Sanchez alios allegans *in cons.moralibus,lib.4.c.3.dub.35. n.3.* & propterea in dicto quinto non posse spurium gravari à patre illud post ejus obitum restituere ejusdem patris hæredibus, vel alteri, in terminis tradunt Gomez *d.n.42.* Molina *d.n.32.* Sanchez *d.dub.35. n.4.* & idem tradidisse Tello, & Matienzo *locis citatis*, testantur Ludovicus Molina, & Sanchez.

236 Quibus nihilominus contradicit P.Barbosa *allegato n.75.* asserens quod si constaret patrem reliquisse alimenta filio spurio, etiam in regno Castellæ, morte censerentur extincta, juxta regulam legis *cùm hi, §. modus autem,ff.de transact.* & aliorum textuum, de quibus *suprà, num.224.* & quod non obstante dicta lege Tauri 10. pater relinquendo quintum pro alimentis filio spurio possit imponere onus, ut post mortem suã restituat alteri, tradit in terminis contra Gomezium Garzias *de expensis, c.3.n.54.* idem docere Xuarez *ad l.fori,tit.de todo home,n.26.* Matienzo *d.glossa 3.n.14.* & Tellum *ad d.l.10.Tauri,n.17.* testatur præfatus P.Barbosa: volunt enim Garzias, & P. Barbosa, & Tellus, prout illum refert idem P. Barbosa, sensum illius legis 10. Tauri esse, quod spurius acquirat, seu habeat proprietatem quinti, & possit de illo disponere, & ad hæredes illius transmittatur, si simpliciter nulla addita conditione illud quintum à patre relinquatur; ita ut in dubio censeatur pater ei relinquere proprietatem, & sic transmittatur ad ejus hæredes. At verò si pater quintum relinquens spurio addiderit conditionem, ut post mortem illud alteri restituat, illud gravamen non prohiberi dicta lege Tauri, eo quòd quintum filio naturali, & spurio non debeatur, inquit Garzias, quemadmodum legitima filiis debetur. Sed ego priorem sententiam tale gravamen excludentem, probabiliorem existimo; nam stante dispositione dictæ legis, quintum naturalibus, & spuriis videtur debitum ad instar legitimæ filiis legitimis, & naturalibus debitæ, quæ à patre non potest gravari onere restitutionis in alterius favorem, *l. quoniam in prioribus, C.de inofficios. testam. & l. scimus, §.cùm autem, C. eod.* Vincentius de Franchis alios allegans *decis.525.n.20.* & Jurisperiti communiter.

Limitatur tamen eadem prior sententia à Sanchez 237
d dub.35.n.5. & Vasquez *d.dub.13.* post Tello, & Matienzo, ubi illud quintum excederet quantitatem alimentorum ad ea necessariam; in illo enim excessu aiunt posse gravari illegitimum, quia cùm tantùm teneatur (inquiunt) pater alimenta exhibere, id quod superest, voluntariè dat, & sic potest gravare: quam tamen limitationem puto non admittendam, per tradita suprà *num.43.* & Covarruviam, ac alios Doctores *ibid.* relatos, asserentes patrem juxta dictam legem 10. Tauri posse filio illegitimo, naturali, & spurio, etiam habenti aliunde, alimenta relinquere, vel dare illud quintum. Et prædicta circa controversiam, an à patre relictum, vel datum spurio pro alimentis, eo mortuo transmittatur ad illius hæredes, vel ad patrem ipsum, ejusve hæredes.

§. XVII.

Dos filiæ spuriæ, vel ejus marito à patre data in fundo, vel alia re reddente fructus annuos sufficientes ad congrua alimenta, ea mortua, an transeat ad patrem, ejusve hæredes, vel ad hæredes spuriæ.

REsolvamus modò aliam controversiam initio 238
n.223. propositam, scilicet an dos à patre filiæ spuriæ data, ad filios, aut descendentes suos, vel hæredes post ejus obitum transmittatur, vel debeat patri, ejusve hæredibus restitui.

Pro indubitato tenendum, si fructus, seu redditus fundi relicti, vel dati in dotem, vel alterius rei legatæ, vel traditæ pro dote spuriæ, unà cum valore proprietatis, seu capitalis non excedant æstimationem, seu valorem omnium alimentorum totius vitæ spuriæ, juxta computationem, & formam legem *hæreditatum. ff. ad Falcidiam*, proprietatem acquiri spuriæ, & ea defuncta transmitti ad quoscumque illius hæredes. Constat ex traditis suprà, *n.224.* & affirmant Doctores *ibid.* relati, & omnium latissimè P.Barbosa *ad d.l.1. p.4.ff.soluto matrim.n.74.* ubi in fine post Bermundum *loco suprà d.n.224.citato*, addit quod si res data in dotem spuriæ sit vilioris æstimationis, ut quia modica pecunia data est in dotem, hæredes patris nihil repetent, cùm illa consumpta sit pro alimentis; & in universum, si unica vice pro dote spuriæ pecunia sit persoluta in ea tantùm quantitate, quæ unà cum reddito, qui possit ex ea implicata percipi, non excedit quantitatem, & æstimationem omnium alimentorum totius vitæ, inspecta dicta computatione, spuria efficitur absolutè domina dictæ dotis in pecunia constitutæ, & illam transmittit post suum obitum ad hæredes suos, ut etiam in terminis tradit Gaspar Ant. Thesaurus *loco*

citato

citato, *num.* 224. *allegato*, & novissimè alios referens Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis clericorum*, *cap.* 23. *num.* 2.

239 Ubi etiam annui fructus fundi dati in dotem, vel redditus qui perciperentur, vel percipi possent ex capitali pecuniæ, quæ data est in dotem, sufficerent ad integra alimenta spuriæ, si extet statutum, quod uxore sine liberis decedente, maritus lucretur dotem, si spuria præmoriatur vivente viro, dos non revertitur ad patrem dotantem, aut ejus hæredes, sed acquiritur marito, juxta formam statuti, ut latissimè probat Rolandus *cons.* 74. *à n.* 53. *usque ad finem*, *lib.* 1. *& in tract. de lucro dotis*, *quæst.* 94. & tradunt Aymus Craveta *consil.* 186. Menochius *cons.* 60. *n.* 29. Peregrinus *de jure fisci*, *lib.* 3. *tit.* 18. *n.* 80. Joannes Lupi *de illegitimis*, *comment.* 2. §. 1. *num.* 48. *versic. Declaratur etiam*, Antonius Gabr. *com. concl. lib.* 6. *tit. de aliment. concl.* 1. *n.* 42. Merenda *tom.* 3. *lib.* 13. *cap.* 2. *n.* 25. & apud eosdem alii, & Lucidorus *dicto tract. de illegit. clericor. comment.* 22. *n.* 28. contractus enim censetur initus juxta statuta; & faciens eum, videtur se obligare legibus de illo actu loquentibus; & lucrum statuti generaliter habet locum in quacumque persona, quæ possit liberè disponere. Has rationes adducit Rolandus, & approbant communiter alii, licèt eas in dote spuriæ non admittat Surdus, qui proinde addit aliam rationem suprà *n.* 208. adductam, scilicet quia pater prohibetur filiæ spuriæ dare, non alii, & in lucro quod acquiritur genero, cessat ratio prohibitionis. Quod dictum est stante præfato statuto, dicendum est (quidquid secus sentiat Merenda *tom.* 3. *lib.* 13. *cap.* 2. *n.* 22. *&* 23.) si pacto expresso pater in constitutione dotis filiæ spuriæ cavisset, quod filia vivente marito sine liberis decedente, vir lucretur dotem; eveniente enim casu maritus lucrabitur dotem, & nullo modo transmittetur ad hæredes: ita Rolandus à Valle *de lucro dotis*, *q.* 94. *n.* 15. *&* 16. Peregrinus, Menochius, Antonius Gabriel, Lupus, Joannes Lupi *locis citatis*, & Surdus *d. q.* 7. *num.* 44. *&* 45. valet enim pactum prædictum, cùm nullibi in jure pater prohibeatur relinquere, vel donare marito filiæ spuriæ, ut dictum est suprà, *n.* 208. *&* 216. quod enim lex non dicit, nec nos dicere debemus, *l. illam*, *C. de collat.* & in odiosis non admittitur extensio; & cùm tale pactum non concernat commodum filiæ spuriæ, sed mariti, non potest censeri prohibitum jure civili, quia solùm prohibet ultra alimenta nihil filiis spuriis dari à patre posse: quare inanis est illa distinctio Merendæ, quod quidem pater possit marito filiæ spuriæ donare, non autem nomine dotis, paciscendo de lucro dotis, eo quòd in hoc casu extat juris prohibitio; nam verè nulla est prohibitio talis pacti in favorem mariti. Quod tamen pactum admittit ipse Merenda, quando alioqui sine eo filia non posset recipere maritum idoneum ad ejus pudicitiam tuendam.

240 Secluso verò pacto, & statuto, & persistendo in jure communi, præfatam dotem constitutam in fundo, seu capitali, cujus annui redditus ad congrua spuriæ alimenta sufficiunt, sine expressione patris spuriæ, quod ea defuncta ad illius filios, vel hæredes transeat, post mortem spuriæ spectare ad patrem, vel ejus hæredes, non verò ad hæredes spuriæ, etiamsi hæredes sint ejus filii, aut descendentes ex ea, tradidere Doctores magis communiter. Bartolus *in l. fin. n.* 7. *ff. de his quibus ut indign.* Baldus *in l. eam quam*, *n.* 41. *C. de fideicom. & consil.* 91. *lib.* 1. Panormitanus *cons.* 50. *& cons.* 115. *lib.* 2. Ripa *in l.* 1. *num.* 67. *ff. soluto matrim.* Craveta *cons.* 186. *n.* 16. Calcaneus *cons.* 59. Jacob. Puteus *cons.* 62. *n.* 17. Alba *cons.* 44. Menochius *cons.* 60. *num.* 29. Rolandus à Valle *cons.* 74. *n.* 51. P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *n.* 71. *ff. soluto matrimon.* Marescotus *var. lib.* 2. *n.* 36. Capicius, & Benintendus *locis suprà num.* 225. *citatis*, Gayllus *observ. pract. lib.* 2. *observ.* 88. *n.* 13. Ant. Gabriel *commun. concl. lib.* 6. *tit. de alim. concl.* 1. *n.* 29. Corduba *in l. si quis à liberis*, §. *idem rescripsit*, *n.* 30. *ff. de liber. agnosc.* Evaredus *cons.* 156. Merenda *d. cap.* 2. *n.* 17. *& seq.* & alii apud eosdem, & Joannem Nicolaum Lucidorum *allegato cap.* 23. *num.* 1. qui fundantur in eo, quod dos spuriæ succedit loco alimentorum, & ideò illorum naturam assumat, *l. filia*, §. *Attia*, *& l. si eum*, §. *qui injuriarum*, suprà *num.* 225. *allegatis*. Alimenta autem morte alimentarii finiuntur, ut ex juribus *num.* 223. adductis constat, sicut & ususfructus, §. *finitur*, *Instit. de usufructu*: & spuria non est capax proprietatis fundi dotalis, sed tantùm ususfructus pro alimentis; & consequenter dos ipsa non transmittitur ad spuriæ filios, aut descendentes, vel hæredes; sed morte spuriæ censebitur extincta, & sic redibit ad patrem, vel ejus hæredes. Confirmat Surdus *n.* 5. quod jure communi inspecto, etiam dos filiæ legitimæ, & naturalis à patre constituta, & tradita, ea mortua etiam cum filiis relictis redit ad patrem dotantem, vel ad ejus hæredes, non verò ad filiæ liberos, & hæredes, *l. dos à patre profecta*, *ff. solut. matrim.* Bartolus, & alii Scribentes *in l. post dotem*, *ff. soluto matrim.* Picus *l.* 4. *n.* 212. *ff. ad l. Falcidiam*, Franciscus Molina alios latè allegans *de ritu nuptiarum lib.* 3. *q.* 54. *n.* 34. & alii quos idem Surdus *n.* 6. refert, dicens esse communem opinionem. Ergo multò magis servari idem debet in dote filiæ spuriæ, cùm esset absurdum ei plus favoris impendi quàm legitimæ. Quamvis autem illi juris communis decisioni derogatum sit ex consuetudine Martini in scholis, & in judiciis per universum orbem recepta, & approbata, juxta quam dos redire non debet ad patrem, neque ad ejus hæredes, si supersint filii ipsi mulieri dotatæ, sed apud eosdem filios debeat remanere, ut tradunt Glossa *in d. l. si dos à patre*, *in versic. Filiafamilias*, Bartolus *in d. l. post dotem*, *num.* 28. *versic. Quintò quæro*, *ibid.* Jason *n.* 102. Capicius *decis.* 176. *num.* 22. Menochius *cons.* 238. *n.* 18. Borg. Cavalcanus *decis.* 44. *n.* 131. *p.* 1. Franciscus Molinus *d. q.* 54. *n.* 36. Joannes Lupi *de illegitimis*, *comm.* 2. §. 1. *num.* 49. & alii à Molino, & Surdo relati: nihilominus idem Surdus *n.* 7. ait dictam consuetudinem in filiabus legitimis non debere extendi ad filias spurias, in quibus subest diversa ratio, & non tanta militat læsio juris communis.

Quare Bartolus *in d. l. fin.* proposuit maritis cautelam, quam Capycius *decis.* 181. Ripa, & Peregrinus *ubi suprà*, Paleotus *de nothis*, *cap.* 51. *fine*, Sanchez *in cons. mor. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 45. *num.* 12. & alii communiter approbant, ut curent à soceris dari magnam dotem filiabus spuriis, quam post mortem illarum pater ipse filiis ex eis nascituris conferat, seu relinquat, restituive jubeat; cùm possit avus nepotibus ex spuria relinquere, & donare; præsertim si careat legitima sobole, *l. fin. C. de naturalibus lib. & cap. cùm haberet, de eo qui duxit*, dum loquitur per verbum *Liberis*, ut post alios Vincentius de Franchis *d. decis.* 283. *num.* 13. & plures alios referens Joannes Nicolaus Lucidorus *allegato cap.* 23. *num.* 9. & longè Parladorius *rerum quotid. lib.* 1. *cap.* 16. de quo *infrà*. 241

Alii è contra absolutè censent, dotem filiæ spuriæ, ea mortua transmitti ad illius hæredes. Ita Bartolus *cons.* 56. *num.* 9. *lib.* 5. Berous *cons.* 165. *num.* 23. *vol.* 2. & Vincentius de Franchis *d. decis.* 283. *à num.* 10. *ad* 16. Probant, quia dos semel à bonis, seu patrimonio patris separata, efficitur, & est proprium filiæ patrimonium, *l. Pomponius Philadelphus*, *ff. familiæ ercisc.* & *l.* 3. §. *ergo etiam filiusfamilias*, *ff. de minoribus*. Ergo de sui natura est, ut ad filiæ hæredes transeat, non verò ad patris patrimonium redire deberet. Neque obstat illud, quod dos succedat, & detur loco alimentorum, quæ morte finiuntur, & sic etiam dos subrogata. Primò enim est differentia inter alimenta, & dotem: tum quia dos de sui natura transit ad hæredes, ut modò dictum est; alimenta verò non: tum quia dos præstatur unica præstatione, quæ unica præstatio liberat 242

patrem

patrem à futuris alimentis, ad quorum præstationem non potest unica promissione impelli, juxta Doctores, quos Vincentius de Franchis *num.*13. refert, & alios communiter. Postquam autem dicta præstatio dotis inducit dictam solutionem alimentorum, & liberationem ab eis in futurum, non debet iterum ad dotantem redire; quia in effectu si rediret, nihil solvisset: tum quia non est verum, dotem dari, seu subrogari loco alimentorum, sed ex causa publica, ut mulier virum inveniat, & ne periculo meretricandi exponatur: nec illa subrogatio etiam in dote filiæ spuriæ probatur ullo jure; nam textus *in d. cap. Cùm haberet*, tantùm providit filiis spuriis de alimentis per patrem præstandis, quod Doctores extenderunt ad dotem filiorum, ne meretricandi periculo remanerent expositæ, ratione cujus periculi evitandi major est necessitas dotis, quàm alimentorum, unde non valet consequentia: Ergo unum succedit loco alterius. Sed imò unumquodque remanet in sua propria natura, nempe alimenta in propria natura alimentorũ, quoad morte finiantur, & dos quoad transeat ad hæredes juxta ejus naturam. Quod magis confirmatur, quia supposito contrario, admissaque præcedenti opinione communi, nemo reperiretur qui vellet filiam spuriam ducere in uxorem, si postea eo superstite, præsertim cum magno filiorum numero, cogeretur dotem restituere, & ita per indirectum daretur spuriæ materia delinquendi, scilicet meretricandi: ad quod evitandum fuit provisum, quod dos daretur filiabus spuriis, & provisio ipsa esset frustratoria. Prædicta Vincentius de Franchis.

243 Ad quæ respondet P. Barbosa *loco suprà allegato, n.*71.*circa finem:* & primò dicit, quod cùm spuria sit incapax bonorum paternorum, dos debet videri separata sub qualitate, & natura alimentorum, & ita habere locum regulam legis *cùm hi*, §.*modus ff. de transact.* Dicit secundò, dotem per se non censeri, sed imò necessariò debere considerari in filia spuria tanquam subrogatam loco alimentorum, cùm pater filiis spuriis solùm ex causa alimentorum relinquere, & dare possit. Tertiò dicit illud inconveniens, de quo in ultima confirmatione, tolli facilè, si maritus illa Bartoli cautela utatur.

244 Alii denique asserunt, dotem spuriæ decedentis sine liberis, reverti ad patrem dotantem, vel ejus hæredes; si verò illi supersint liberi, ad eosdem liberos, vel descendentes ex eis transmitti. Ita Paleotus *de nothis, c.*51. *n.*6. *&* 7. Peregrinus *de jure fisci, lib.*3.*tit.*18.*n.*81.*versic. Sed contrà*, Ruinus *consf.*124.*n.*11.*vol.*1. Minadous *decis.*21. Joannes Lupi *de illegit. d. comm.*2.§.1.*n.*49. & Gaspar Ant. Thesaur. *q.*4.*for. lib.*1.*q.*25.*n.*9. Molina *de justitia, tom.*1.*disput.*168.§.*in dotem filiæ, in fine*, & plures alii, quos Joannes Nicolaus Lucidorus *d.c.*23.*n.*3. refert: & id potissimùm voluerunt Baldus, & Berous *locis allegatis*, & Vincentius de Franchis *d. decis.*283. *n.*14.*&* 15. & juxta hanc sententiam testatur Thesaurus se judicasse, dum esset judex civitatis Augustæ Taurinorum, juxta eandem etiam Sacrum Consilium Neapolit. pronunciasse refert Minadous *d. decis.*21. ita etiam fuisse decisum per Rotam Florentinam scripsit Joannes Lupi *d.n.*49.*versic. Sed Berou*m. Hæc sententia probatur primò à Paleoto, & Vincentio de Franchis, quod dos datur pro oneribus matrimonii, quæ onera non concernunt tantùm sustentationem viri & uxoris, sed etiam sustentationem, & educationem filiorum, præsertim ubi viri facultates ad illos alendos, & educandos non sufficerent, ac proinde iniquum, & injustum esset eos privari, cùm ab initio eis pars dotis tacitè sit obligata. Secundò probatur à Vincentio de Franchis, Thesauro, Peregrino, & Joan. Lupi, quia existentibus filiis post mortem filiæ spuriæ, alimenta non finiuntur, sed perseverant; nam durat adhuc patris debitum alimentandi filios spuriæ filiæ ipso vivente, & eo mortuo talis obligatio ligat ejus hæredes, ut suprà *num.*230. dictum est. Probatur tertiò à Peregrino, quod allegata consuetudo Martini, ut dos filiæ à patre data, ea defuncta spectet ad ejusdem filiæ liberos, & descendentes, sit observanda etiam in dote filiæ spuriæ, sicut consuetudo, aut statutum de lucro dotis favore mariti, ut suprà *n.*58. notatum est: quod idem ait Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis cler. cit. cap.*23.*n.*5. addens rationes suprà *n.*239. ex Rolando adductas ad probandum dotem spuriæ, & mortuæ sine filiis, remanere apud maritum, stante statuto, quod lucrum dotale marito deferatur, deficientibus filiis, fortiùs applicari ipsis filiis extantibus, ne maritus sit pejoris conditionis extantibus filiis, quàm ipsis deficientibus, quatenus ipsis extantibus lucro dotali non esset locus, & sic privaretur tota dote, quæ tunc potissimùm est necessaria ad sustentanda onera matrimonii, scilicet filios superstites alendos. Demùm addi rectè potest ratio illa ab inconvenienti deducta, nempe quod nullus vellet contrahere cum filia spuria, & ab hac sententia puto non esse recedendum, & videtur ubique in praxi observari.

Tutius tamen esset in constitutione dotis filiarum spuriarum adhiberi cautelam, scilicet quod pater dotem constituens, adjiceret expresse quod post filiæ mortem vult illam debere transire ad ejus filios, descendentes, & hæredes. Quanvis Lucidorus *d. cap.*23. *num.*6. asserat, patrem censeri, & dici, velle dotem ad filios spuriæ transire, dum expresse non reservat eam, Rota *decis.*251. *num.*10. apud Duran. & *eodem cap.*23.*num.*10. post Joannem Lupi, & Gasparem Thesaur. *locis suprà allegatis*, non addat sufficere, quod tacitè, & ex conjecturis eliciatur, patrem in constitutione dotis spuriæ ejus filias fuisse contemplatum. 245

§. XVIII.

Avus nepotibus legitimis ex filiis spuriis an possit ad libitum relinquere, & eos instituere.

POtest enim avus nepotibus legitimis ex spuria, vel ex spurio relinquere quidquid voluerit, ut est communis Doctorum sententia, quidquid secus sentiat Hotomanus allegata disputatione de spuriis. Ita Bartolus *in l. Gallus*, §.*quod si* 13. *ff. de liber. & posthumis:* ibidem Dynus, Jason, Paulus de Castro, & Alexander. Idem Alexander *cons.*158.*n.*1. *lib.*7. Paleotus *de nothis* latissimè *cap.*53.*per totum*, Rolandus *cons.*74. *n.*64.*lib.*1. Federicus de Senis *cons.*57. *in sexto dubio*, Clarus §. *testamentum, q.*32. Gayllus *observ. pract. lib.*2. *observ.*88. *num.*13. *& seq.* Vincentius de Franchis *decis.*283. Antonius Gomez *ad l.*9.*&*10. *Tauri, num.*17. Minadous *decis.*31. P. Barbosa *ad l.*1.*p.*4.*n.*76.*ff. soluto matrim.* Surdus *de alim. tit.*1.*quæst.*12.*n.*10.*& seq. tit.*5. *q.*7.*n.*21. Covarruvias *de sponsf.p.*2.*cap.*8.§.5.*num.*13. Peregrinus *de jure fisci, lib.*3.*tit.*18.*n.*8. Gaspar Antonius Thesaurus *lib.*2. *q.*25.*n.*9. Joan. Lupi *de illegitimis, comm.*2.§.1.*n.*48. Capycius *decis.*181.*n.*4. Benintendus *decis.*22. *n.*6. Sylvester *verbo Filii, n.*4. *versic. Quintum*, Sanchez *in concl. moralibus, lib.*4.*c.*3.*dub.*45. *num.*2. Molina *de justitia, tom.*1.*disput.*167.*concl.*9. Parladorus *rerum quotid. lib.*1.*allegato cap.*16.*n.*10. & Jurisperiti communiter à Surdo, Barbosa, Sanchez *locis citatis*, & à Dugno *reg.*366. *limit.*2. & August. Barbosa *collect. ad l. ult. n.*8. *C. de naturalibus liberis*, relati: qui omnes id probant ex textu *in d. l. fin. C. de naturalibus liberis*, ubi Justinianus decrevit, licere avo nepotibus suis legitimis ex filio naturali quodcumque libuerit relinquere: quam decisionem habere locum etiam in nepotibus legitimis ex spurio, eadem de qua *in d. leg. fin.* ratione suadente, intellexere, & sensere Glossa *ibid.* Bartolus *ibid.* §. *quid si is*, Paleotus *d c.*53.*n.*4. & cæteri Jurisperiti præallegati, & alii. Ratio enim prohibitionis 246

hibitionis relinquendi spotiis filiis cessat in nepotibus ex spurio legitimè natis; nam fuit delictum paternum, scilicer turpitudo, & incontinentia pattis, ad quam cohibendam lex statuit, non posse pattem aliquid relinquere filio sputio, nec instituere filium naturalem: patet autem, seu avus nihil deliquit quoad nepotem ex spurio, vel naturali filio legitimè natum, sed tantùm quoad filium ipsum, & consequenter non punitur avus quoad neptem legitimam. *Nulla* (inquit Justinianus *in d.l fin.*) *In neptem legitima est consequentia, cùm leges paternum tantùm vitium in filio cohibere voluerint.* Et ideò juxta leges potest avus relinquere quod illi libuerit nepoti legitimo nato, sive ea naturali, sive ex spurio. Confirmant Paleotus, & Federicus de Senis, & Surdus, quia nullibi in jure reperitur prohibitum, avum posse nepoti legitimè ea filio sputio relinquere, illumve instituere. Quilibet autem institui potest, qui expressè prohibitus non reperitur, *arg. l. extraneum, C. de heredibus instituendis.* Addit Paleotus, leges vetãtes quid filiis illegitimis relinqui, esse odiosas, nec extendendas ad nepotes, quorum diversa est causa, *arg. l. cùm quidam, ff. de liber. & posthumis.*

247 Quamvis autem Baldus *in d.l. Gallus, §. quidam rectè, ff. de liberis, & posthumis*, Molina *loco citato*, & nonnulli alii censeant institutionem nepotis legitimi ea illegitimo, tam naturali, quàm spurio simpliciter factam, in dubio censeri factam contemplatione filii spurii, scilicet ut medio nepote filio spurio bona paterna acquirantur, & sic judicandam nullam, tanquam factam in fraudem legis; conveniunt enim omnes Doctores allegati, ubi certum sit, nepotem legitimum ex filio spurio ab avo esse institutum, vel ei relictum contemplatione patris, seu spurii, non neptis, nempe ut hæreditas, vel relictum ad eundem filium spurium perveniat, institutionem, seu relictum non sustineri; quia sicut est per se incapax, ita etiam est incapax mediante persona alterius, argumento textus *in l. 1. C. de natur. lib.* ibi, *Sive itaque*; & ibi, *Sive per interpositam personam*, & aliorum jurium, quæ Antonius Gomez *d. n. 17.* refert.

248 Nihilominus longè verius est, in dubio institutionem nepotis legitimi ab avo factam præsumi potiùs contemplatione ejusdem nepotis, quàm patris ipsius, seu spurii, & valere; & sive nepos sit in potestate sui patris, sive non. Ita Bartolus *loco suprà num. 246. cit.* Jason *in d. l. fin. ff. de his quibus ut indignis*, Gomez *d. n. 17.* Gayllus *d. observ. 88 n. 15.* Covatruvias *d. num. 13.* Paleotus *d. cap. 53 n. 6. & 7.* Surdus *d. q. 7. n. 29. & 30.* Lartes *decis. 95. num. 8.* & est communis sententia Jurisperitorum, ut testantur Jason, & Gayllus. Probat Paleotus primò per textum *in l. fin. C. de usufruct. & in lege si verò, §. 5. ff. mandati.* Probatur secundò, quia nemo præsumitur delinquere, nec eligere sibi viam, per quam dispositio, seu actus infirmetur, *l. si miles qui destinaverat, ff. de milit. testamento, l. 3. C. eod. & l. quoties, ff. de reb. dubiis*; neque etiam dolus præsumitur, sed est evidenter probandus, ut post alios probat Mascardus *de probat. conclus. 532. num. 5.* Menochius *lib. 5. præsumpt. 3. num. 44.* & Lartea *d. decis. 95. citato num. 8.* Denique quia hodie omnia, quæ ab avo in nepotem conferuntur, censentur adventitia, non profectitia, & ut nepoti ipsi, non ejus patri acquirantur. Glossa, Bartolus, Castrensis, Alexander, Jason, & alii *in l. qui aliena, §. interdum, ff. de acquir. hær. & in l. quæsitum, ff. de leg. 1.*

249 Citra autem omne dubium, & certò constaret avum nepti, & filio spurio reliquisse contemplatione ejusdem nepotis, si disposuisset quod nec ususfructus ad patrem spurium perveniret: item si tempore institutionis, & relicti, Ipse pater spurius non viveret: item si nepos esset emancipatus. Ita Doctores utriusque sententiæ.

Præfata autem communis sententia, quod avus nepoti legitimo ea filio spurio possit ad libitum relinquere, vel dare, an procedat etiam in nepotibus legitimis ex filio spurio incestuosè nato, asserunt Gomez *ad d. l. 9. Tauri, dicto num. 17. initio, ibid.* Castillo *§. ex testamento*, Castrus *in d. l. Gallus, §. quid si, num. 6. ff. de liber. & posth.* & *ibidem* Jason *num. 15.* quos ad id refert Sanchez *d. lib. 4. cons. mor. cap. 3. dub. 46. num. 1.* At negant communiter Doctores, avum posse instituere neptem ex filio spurio incestuoso. Ita Baldus *in l. si quis incerti, C. de incestis nupt.* Paleotus *d. c. 53. num 9.* Covartuvias, Gayllus *locis num. 248. citatis*, Surdus *d. quæst. 7. num. 35.* Sanchez *d. dub. 46. num. 2.* & communiter alii Doctores à Covarruvia, Surdo, Sanchez, & August. Barbosa *collect. ad l. fin. num. 9. C. de natur. liber.* relati, per textum *in d. l. si quis incesti*, ubi expressè statuitur, ut committens incestas nuptias, non testetur nisi in certis personis, de quibus ibi fit mentio, inter quas non comprehenditur nepos ex filio incestuoso, quia aut ratio ob quam contrahentes incestas nuptias non possunt testari, nec donare, est quia eorum bona pertinent ad fiscum, & hoc exigit sententiam judicis, saltem criminis declaratoriam, ut *in tom. 2. mor. var. tit. 22.* latiùs probavi; ideò si ante talem sententiam donent, tenere factum, nec donatarium teneri restituere ante judicis sententiam, tradit *d. dub. 46.* Sanchez post Angelum *verbo Donatio 1. num. 25.* Sylvestrum *eod. tract. 1. quæsito 1. versic. 8.* Tabienam *eod. num. 1. versic. Undecimò.*

Eadem communis limitatur in nepote ex spuria filio clerici, attenta constitutione Pii V. de qua suprà *num. 595.* in ea enim expressè prohibentur clerici de acquisitis ea bonis Ecclesiasticis, & de aliis aliquid dare, nedum ipsis filiis illegitimis eorundem, sed nec conjugibus, nec ipsorum parentibus, filiis descendentibus, ascendentibus, &c. Sed de hac materia, an clericus stante dicta constitutione Pii V. possit instituere nepotes legitimos ex filio spurio natos, agunt Clarus, Covartuvias, Sanchez *locis n. 146. relatis*, alii apud eosdem, & apud August. Barbosam *d. collect. ad d. l. fin. num. 10. C. de natur. liber.* & novissimè Joannes Nicolaus Lucidorus *de illeg. clericor. c. 30.* & id quod controvertitur inter Doctores, est an Pius V. solùm vetet clericos de acquisitis ex bonis Ecclesiasticis, vel aliis relinquere nepotibus legitimis ex filio spurio, aliisve conjunctis, affinibus, consanguineis, intuitu & contemplatione ejusdem spurii, ut tandem per circuitum bona ad spurium perveniant; an verò vetet absolutè, & etiamsi legatum, vel institutio fiat nullo habito respectu ad spurium, sed solùm propter ipsos nepotes, &c. Et vetare solùm quando legatum, vel institutio fieret intuitu, & contemplatione spurii, tenet cum pluribus aliis Joannes Nicolaus Lucidorus *d. cap. 30.* ad quem, & ad alios præallegatos Doctores remitto lectorem pro pleniori intelligentia præfatæ Bullæ Pii V. 250

Denique eadem communis declaratur procedere quando avus non habet filios legitimos, quia si illos haberet, non posset neptibus, tametsi legitimis, ea filio illegitimo naturali, vel spurio bona sua relinquere, eosve hæredes instituere. Constat expressè *in d. l. fin. C. de natur. liber.* ibi: *Nulla sobole legitima subsistente*: & tradunt Decius *cons. 465. num. 20.* & Doctores *suprà num. 146.* pro eadem communi relati, & alii communiter, quos referunt Surdus *d. quæst. 7. num. 31.* & Sanchez *d. lib. 4. cons. mor. cap. 3. dub. 45. num. 8.* & pro sobole legitima avi *in d. l. fin.* intelliguntur non solùm ejus filii, sed etiam nepotes, & descendentes ex filiis legitimis, ut in terminis Craveta *consil. 200.* Paleotus *d. cap. 35. num. 9.* & Surdus *d. quæst. 7. num. 32.* unde rejiciendus est omninò Ant. Gabr. *com. concl. lib. 6. tit. de aliment. conclus. 2. num. 41.* dum asserit, avum posse relinquere pro libito nepotibus 251

ea

ex filia spuria. Nec Capicius *decis.*181. *num.*5. id absolutè dicit, sed tantùm quod avus, existente ei sobole legitima, potest nepoti legitimo ex spurio relinquere unam unciam, juxta *l.*2. *C. de naturalibus liberis.*

53 Et quod avus existentibus filiis legitimis, vel nepotibus ex filiis legitimis, possit nepotibus ex filiis spuriis relinquere unam unciam, docent etiam Glossa *in d.l.fin.C.de naturalibus liberis*, Paleotus *d.cap.*53.*n.*9. P. Barbosa *ad d. l.* 1. *part.*4. *num.*76. *ff.solut.matrim.* & alios allegans Surdus *de alim. tit.*5. *d.quæst.*7. *num.*33. *&* 34. Et ratio est, quia minùs odiosus est nepos legitimus ex filio spurio, quàm filius illegitimus naturalis: unde si uncia filio naturali relinqui potest, juxta *d.l.*2.*C. de naturalibus liberis*, multò magis poterit relinqui nepotibus legitimis ex filio spurio.

54 Prædicta autem procedunt cùm avus in testamento nepoti legitimo ex filio spurio reliquerit; nam ab intestato præfatus nepos non est capax successionis avi, ad quem pater suus spurius ei aditum ab intestato exclusit, ut tenet Paleotus *d.cap.*53. *num.*10. post Castr. *in d.l.fin.* Socinum *in d.l.Gallus*, §.*quid si* 15.*n.*4. *ff. de liber. & posth.* & Decium *cons.*85. *fine.*

Sequitur Summarium Capitis VI.

*Filiis spuriis an præstanda sint alimenta secundùm divitias paternas, & conditionem, ac qualitatem, seu dignitatem personæ patris, & filii. Negativa sententia n.*255.*& duobus sequent. Affirmativa n.*258. *ad* 265.

Intellectus ad caput cùm haberet, *in verbis finalibus, de eo qui duxit, n.*256.257.259.260.*&* 272.*ad* 275.

*Alimenta quæ miserationis causâ debentur, ut quæ marito vergenti ad inopiam, an præstanda secundùm qualitatem, & dignitatem ejus, cui præstari debent. Negativa, num.*256. *Affirmativa num.*261.

*Spuriis non sunt præstanda alimenta ita ampla, ut filio legitimo, & naturali, num.*264.

Servis, & famulis alimenta, cibaria, & vestes sunt præstanda secundùm eorum conditionem, & statum, ibid.

Servi alii sunt digniores aliis, ibid.

Dignitas in servis intelligitur pro meliori statu, & conditione, non pro publico honore, cujus sunt incapaces, ibid.

*Spuriis qualiter arbitrio judicis sint taxanda alimenta, & dos constituenda, num.*265.

*Filio spurio præstanda sunt cibaria, vestitus, habitatio, & cætera ad corporis conservationem necessaria, & ad disciplinas, honestasque artes percipiendas, n.*266.

Præstanda etiam sunt alimenta pro ejus uxore, liberis, famulis, & ancillis, si illis indigent, juxta suam conditionem, & dignitatem, ibid.

*Dos filiæ spuriæ constituenda, & danda habito respectu ad patris divitias, & dignitatem, & patriæ consuetudinem, & semper tanta, quanta opus est, ut inveniat maritum, evitetque periculum impudicitiæ, & meretricandi, num.*267. *&* 268.

*Filiæ spuriæ non debetur tanta dos, quanta dari solet legitimæ, & naturali, num.*269.

*Nepotibus, fratribus, & sororibus spuriis pauperibus tenetur avus, & frater dives præstare alimenta, & dotem, attentis divitiis, & honore, dignitate, ac generis splendore, num.*270.

*In concursu filiorum spuriorum, & legitimorum, ac naturalium priùs sunt alendi legitimi quàm spurii, si pater non potest omnes, vel angustiora alimenta spuriis danda, num.*271.

*Patrem, & matrem æquè teneri alere filios spurios docuerunt Panormitanus, & alii, num.*272.

*Merenda opinatus est solam matrem teneri, num.*273.

*Communis, & recepta sententia est, patrem principaliter obligari alere filios spurios, quando pater est certus; matrem verò solùm in subsidium patris, num.*274. *&* 275.

*Quoad obligationem alendi filios non spectatur patria potestas, neque agnatio, neque jus succedendi in bonis filiorum, neque solus instinctus naturæ patri, & matri communis; sed quod pater sit certus, num.*276.

*Quando certum est spurium esse filium Caii, vel Petronii, sed dubitatur à quo determinatè sit procreatus, quis eorum debeat illi præbere alimenta, num.*277.

*Pater tenetur alere filium naturalem, aut spurium legitimatum, num.*278.

Privilegium auget jus, non adimit, ibid.

Legitimatus nihil differt à legitimis: debet institui, & præteritus rumpit testamentum, ibid.

§. XIX.

Pater an teneatur præstare alimenta filiis spuriis, habita ratione dignitatis paternæ, & divitiarum, an verò tantùm alimenta vitæ necessaria.

Porrò cùm in præcedentibus pluries dictum sit, fundum pro alimentis à patre spurio filio relictum, vel datum, & pariter dotem filiæ spuriæ à patre constitutam debere commensurari quantitati alimentorum congruorum debitorum, nec modum alimentorum excedere, examinandum hoc loco est, quæ alimenta filiis spuriis pater dare teneatur, stante dispositione, & æquitate canonica capitis *cùm haberet, de eo qui duxit, &c.* an solùm alimenta necessaria ad sustentandam vitam, nulla habita ratione dignitatis paternæ, & divitiarum; an verò juxta qualitatem, & dignitatem personarum, scilicet patris, & filii, & quantitatem patrimonii paterni, juxta tradita suprà *num.*70.*&* 71.de alimentis debitis filiis legitimis, & naturalibus: *& num.*162. de alimentis præstandis filiis illegitimis naturalibus.

Prima sententia asserit, spuriis alimenta à parentibus deberi solùm juxta necessitatem, nulla habita 255
ratione divitiarum, & dignitatis personæ patris, aut ipsius spurii, cùm alimenta sunt præstanda. Ita in his terminis Craveta *cons.*219.*num.*8. Rolandus *cons.*74. *num.*41.*lib.*1.& *de lucro dotis, quæst.*94.*num.*3. Chassaneus *cons.*39.*num.*55. Palacius Rubeus *in c.per vestras, de donat. notab.*3. §.24. *num.*3.*& in rubr.de donat.* §.65. *num.*52. Benintendus *decis.*22. *num.*8. Baëza *de non meliorandis filiabus, cap.*8.*num.*30. Thesaurus *decis.*211. *num.*36. Gama *decis.*201. *fin.* & *decis.*225. latè *num.*1. *&* 2. *decis.*304.*num.*2. *fine, & decis.*343. *num.*4. P. Barbosa *ad l.*1.*part.*4.*num.*65.*&* 68.*ff.solut.matrim.* Menochius *de arbitrariis, casu* 182.*num.*33. Corduba *in l.si quis à liberis*, §. *idem rescripsit*, *à num.*48. *ff. de liber. agnosc.* Merenda *controv.juris tom.*3.*lib.*13.*cap.*1.*à n.*6. *ad* 11. Riccius *in collect. decis. p.*6. *collect.*2435. *vers. Neque præstanda, & p.*7.*collect.*3077. & nonnulli alii à P. Barbosa *d.num.*65. Merenda *d.cap.*1.*num.*9.& à Surdo *de alim.tit.*4.*quæst.*18.*num.*50. & Stephano Gratiano *discept.for.tom.*1.*cap.*112.*num.*4. *& tom.*4. *cap.*613. *num.*6. relati: & ita videntur etiam sentire Paleotus *de nothis, cap.*47.*fin. & cap.*49.*fin.* & Andreas Gayllus *observat.pract.lib.*2.*observ.*88. *num.*9. & ex Theologis ita sentit Rebellus *de obligat. justitiæ, part.*2.*lib.*5. *q.*8. *sect.*2. *num.*6. & in facti contingentia Senatum Granatensem decrevisse filiæ spuriæ clerici fuisse debita alimenta, & dotem solùm juxta indigentiam naturæ, refert Larrea *decis.*95. *num.*7. Probatur primò, quia alimenta quæ debentur ex causa miserationis, ut sunt quæ spuriis filiis à parentibus præstari debent, debentur tantùm juxta necessitatem vivendi, & præcisam indigentiam naturæ, non secundùm dignitatem, ut docet Baldus *in l. maritus, ff.solut. matrim.* ubi viro vergente ad inopiam, docet esse ex dote uxoris soluto matrimonio præstanda alimenta solùm necessaria ad

vitæ sustentationem, non juxta illius dignitatem, cùm dentur ea causa miserationis, non ea aliqua obligatione. Jason *in §. item si de dote, num.* 8. *Instit. de actionib.* Decius *consf.* 311. 376. *&* 681. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, *§. sed si filius*, *num.* 69. sequens sententiam Baldi, Roland. *ubi suprà*, & alii à P. Barbosa *d. num.* 65. Peregr. *de jure fisci, lib.* 3. *tit.* 18. *num.* 71. relati, & Rota Romana *decis.* 581. *num.* 1. *p.* 1. *in recentior. Farin.* & plures alios refert Salgado *in labyrintho credit. part.* 1. *cap.* 24. *num.* 20. Secundò probatur *in cap. cùm haberet*, *de eo qui duxit in matrim.* in quo corrigitur jus civile, & decernitur alimenta non esse deneganda, sed præstanda filiis spuriis; ibi enim S. Pontifex dicit, ut uterque parens filiis spuriis necessaria subministret: quibus verbis voluit, seu innuit se comprehendere solùm necessaria vitæ subsidia, scilicet illa, sine quibus vivere filii non possunt: quod probant P. Barbosa *num.* 67. & Merenda *n.* 9. per textum *in l.* 3. *ff. de alim. & cibar. leg.* ubi necessaria fuerunt relicta libertis, & subdit Jurisconsultus, *Hæc minimi æris*
256 *esse*, scilicet minimæ impensæ, quasi restricta censeantur ad necessaria secundùm indigentiam naturæ: & quod id tantùm voluerit Summus Pontifex, confirmatur, quia ibi alimenta spuriis præstanda decrevit corrigens jus civile, quod illis in odium paternæ incontinentiæ alimenta jure naturæ aliàs eisdem debita denegavit, ac proinde vult S. Pontifex, ea alimenta spuriis filiis debere præstari, quæ illis jus civile *in auth. ex complexu, C. de incest. nupt.* denegaverat, scilicet alimenta jure naturæ illis debita. At juxta Doctores communiter, jure naturali inspecto debentur tantùm alimenta ad necessariam vitæ, & naturæ sustentationem, non secundùm personarum qualitatem, ut suprà *num.* 16. dictum est. Ergo attenta dispositione dicti capitis *cùm haberet*, spuriis filiis debentur tantùm alimenta necessaria secundùm naturæ indigentiam, & non secundùm dignitatem personæ patris, & ipsorum filiorum; cùm hoc pertineat ad jus civile, quod alimenta spuriis denegavit. Quare licèt jus civile circa præstationem alimentorum consideret personarum qualitatem, & facultates eorum, qui ea præstare tenentur, ut constat ex textibus suprà *num.* 71. adductis; tamen circa alimenta spuriorum ex coitu damnato progenitorum, non est attendendum jus civile, cùm illis expressè alimenta denegaverit, & jus canonicum *in d. cap. cùm haberet*, correxerit jus civile solùm quatenus *in d. auth. ex complexu*, juri naturali de alimentis naturæ sustentationi necessariis adversabatur.

257 Et quanvis *in d. cap. cùm haberet*, expressè dicatur, quod parentes filiis spuriis necessaria subministrent secundùm eorum facultates, id huic sententiæ non obstat, quasi Summus Pontifex voluerit alimenta quoad quantitatem taxanda fore, habita ratione divitiarum patris, aiunt iidem Doctores: & primò P. Barbosa *num.* 47. respondet textum in illis verbis, *secundùm eorum facultates*, posse habere hanc interpretationem, scilicet quod in constituendis filio spurio alimentis debetet haberi respectus ad facultates, & divitias patris; ita tamen ut ultra necessaria ad victum, nil aliud præstandum sit: onde si pater sit dives, necessaria præstentur filio spurio, qualia conveniunt personæ diviti, seu ut dives familiam suam alere solet: si verò est pauper, ea præstentur necessaria, ut pauperes solent eorum familiam alere; & sic filios pauperis aletur pane, & oleribus; filius autem divitis diverso ciborum genere, ut in simili dixit Glossa *in l. servis urbanis* 97. *verbo Cibariis, ff. de leg.* 3. & Panormitanus *in cap. nobis, num.* 6. *de jurepatr.* & dictum est suprà *num.* 80. *&* *num.* 81. Secundò idem P. Barbosa *ibidem*, & Merenda *num.* 9. respondent veriorem, & germanam illorum verborum interpretationem esse, quod scilicet dum in dicto textu dicitur, parentes teneri filiis spuriis necessaria præstare secundùm quod suppetunt facultates eorum, hoc intelligi statutum in beneficium ipsorum parentum, ita ut teneantur filios spurios alere solùm quatenus possunt, & salvis sibi necessariis consuetis, ita quod non teneantur alimenta propria contractare pro alimentis filiorum; sed eatenus tantùm, quatenus eorum facultates patiantur, quæ si utrique sufficiunt, tunc necessaria alimenta filiis spuriis præstentur.

Et juxta hanc sententiam Thesaurus *d. decis.* 117. 258
num. 17. testatur judicasse Senatum Taurinensem in causa Marchionatus Cenæ, 8. Novembris 1586. Eandem sententiam, & solam necessitatem considerandam esse, tenuisse Rotam in Romana assertæ dotis, 29. Novembris 1593. coram Orano, refert Stephanus Gratianus *tom.* 1. *discept. for. in additione ad c.* 112. posita post repertorium; licèt ibi dos spuriæ, ut idem Gratianus testatur, fuerit taxata scutis quatuor millibus, quod tamen est ultra necessitatem.

Altera sententia magis communis, & tenenda af- 259
firmat, filiis, & filiabus spuriis à parentibus, & ab aliis, qui loco parentum eos alere tenentur, deberi, & esse præstanda alimenta, attentis divitiis paternis, & personarum patris, & filiorum conditione, generis splendore, honore, & dignitate. Ita ex Theologis Molina *de justitia*, *tom.* 1. *disputat.* 168. *§. jure tamen canonico*, Azorius *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 9. Megala *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 24. *quæst.* 1. *num.* 3. & latiùs *eodem lib.* 2. *cap.* 8. *quæst.* 2. *num.* 3. Sanchez *in consiliis moral. lib.* 4. *cap* 3. *dub.* 34. Fagundez *in Decalogum*, *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 12. Lessius *de justitia*, *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 67. *&* 68. Vasquez *opusc. de testamen. cap.* 5. *§.* 7. *dub.* 9. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 7. *numero* 7. Diana *part.* 1. *tract.* 2. *resolut.* 85. *& part.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 131. & Cardin. Lugo *de justit. & jure*, *tom.* 2. *disput.* 24. *num.* 123. ex Jurisperitis Glossa *in d. cap. cùm haberet*, *de eo qui duxit*, *verbo Secundò facultates*: dum enim ibi dicit, hoc regulare esse, ut filiis præstentur alimenta secundùm patris facultates, & allegat textum *in l. si quis à liberis, primo responso, & §. si quis ex his, ff. de liber. agnosc. & l. si competenti, & l. ult. C. de alend. lib.* in quibus legibus decernitur alimenta esse præstanda juxta quantitatem patrimonii, & personarum conditionem; apertè ostendit se sentire id habere locum etiam in alimentis, quæ filiis spuriis ex æquitate canonica debentur: *ibidem* Hostiensis, Butrius, Anchatanus, Præpositus, Ruinus *consil.* 27. *lib.* 3. Corsetus *in singularibus*, *verbo Spurius secundò*, Covarruvias *de spons. part.* 2. *cap.* 8. *§.* 6. *num.* 8. Corduba à Lara *in §. idem rescripsit*, *num.* 52. 53. *&* 90. *l. si quis à liberis*, *ff. de liberis agnosc.* Ludovicus Molina *de primogenit. lib.* 2. *capite* 15. *num.* 55. & *ibi*: Additionator alios allegans, Spino *in speculo testament. glossa* 16. *num.* 101. *versic. Contrarium tamen*, Gomez *ad leg.* 10. *Tauri*, *num.* 39. Tello *ad eandem l.* 10. *num.* 2. Vincentius de Franchis *decis.* 283. *num.* 18. Peregrinus *de jure fisci, lib.* 3. *tit.* 18. *num.* 72. Surdus *de alim. tit.* 4. *quæst.* 18. *num.* 51. *& tit.* 7. *quæst.* 9. *fine*, Joan. Lupi *de illegitimis*, *comm.* 2. *§.* 1. *num.* 43. Anton. Gabr. *com. concl. lib.* 6. *tit. de aliment. conclus.* 1. *num.* 31. *versic. Contrarium*, Stephan. Gratianus *tom.* 1. *cap.* 112. *à num.* 6. & *tom.* 4. *cap.* 613. *num.* 6. *& sequent.* Paschalis *de patria potestate*, *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 47. August. Barbosa *ad decretales*, *tom.* 2. *collectaneo ad d. cap. cùm haberet*, *num.* 11. *de eo qui duxit*, *& ad C. lib.* 5. *collectaneo ad l. si patrem*, *num.* 8. Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. cler. cap.* 21. *num* 3. *& seq.* Larrea *allegat. decis.* 95. *num.* 6. Rota Romana *decis.* 92. *num.* 13. *part.* 5. *diversor.* apud Paulum Rubeum *decis.* 30. *num.* 22. *part.* 7. apud eundem, *& in Albanensi alimentorum*, 13. *Octobris* 1578. *coram Seraphino*, relata à Stephano Gratiano *in addit. ad d. caput* 112. *posita post repertorium primi tomi*, & plures

alii

alii Jurisperiti apud præfatos Doctores, præsertim Sanchez, Gabrielem, Surdum, Stephanum Gratianum, Lucidorum, & Larream; & juxta hanc sententiam fuisse judicatum in facti contingentia, testatur Vincentius de Franchis, Ludov. Molina, Joan. Lupi *locis allegatis*, & Gomez *d.decis.*225.

259 Probatur hæc sententia primò, quia jus civile *in d. auth. ex complexu*, *C. de incestis nuptiis*, filiis spuriis non negavit alimenta simpliciter necessaria ad vitæ sustentationem jure naturali debita, sed alimenta quæ filiis legitimis, & naturalibus, & aliis illegitimis naturalibus jus concedit. Ergo dum jus canonicum correxit jus civile, quatenus spuriis alimenta denegat, voluit illis esse præstanda ea alimenta, quæ non extante dicta dispositione juris civils *in d. auth. ex complexu*, facta, filiis naturalibus forent præstanda, quibus præstanda sunt attentis facultatibus, & qualitate personarum; facta enim revocatione juris civilis *in d.auth.ex complexu*, per jus canonicum *in d. c. cùm haberet*, quæ antea circa alimenta filiis naturalibus præstanda jure civili fuerant constituta, ad filios spurios censentur extensa, ut rectè notavit Molina *d.disput.*168. & Panormitanus *c. cùm haberet.*

260 Secundò omnes prællegati Doctores probant eandem sententiam *in d. c. cùm haberet*, quatenus ibi decernitur, alimenta filiis spuriis esse subministranda secundùm facultates patrimonii: quare ibi dicitur, quod non solùm præstentur alimenta secundùm necessitatem naturalem, sed etiam adduntur illa verba, *Secundùm quod eis suppetunt facultates*, & sic habita ratione divitiarum, & conditionis personarum. Et licèt ibidem fiat mentio necessitatis, dum dicitur, *necessaria subministret*; nihilominus id non obstat, quia etiam dicuntur necessaria quæ respiciunt dignitatem ejus qui debet ali, ut constat *ex l.*1. ubi Glossa, *C.de alend. lib.* & tradunt etiam Glossa *in c.Episcopus* 4.*verbo Necessaria*, & ibi Franchus, & Anchar anus, *de præbendis*, & in his terminis Surdus *d.quæst.*18.*cit.num.*51.& Stephanus Gratianus *d.cap.*112.*num.*12.& *d.c.*613.*n.*12. & certè iniquum, & rationi dissonum esset, ut Vincentius de Franchis, Surd, & Sanchez notarunt, quod æquè stricta alimenta consequatur spurius alicujus Comitis, vel Equitis, aut etiam Principis, sicut cujusvis mercatoris, aut alicujus alterius personæ privatæ; quodque Ducis filio spurio præstatentur à patre panis & olera, quæ ad naturæ solius sustentationem sufficiunt. Quare meritò hæc sententia in praxi recepta est, & à judicibus fori externi servatur, ut notavit Ludovic. Molina *d.num.*55.

261 Neque obstat illud, quod alimenta quæ causâ miserationis præstantur, non debeantur ultra necessitatem naturæ, in eisque præstandis non habeatur ratio divitiarum, & conditionis personæ, cui sunt præstanda. Nam contrarium, & quod etiam in his præstandis sit habenda ratio conditionis, & dignitatis personæ, ut in alimentis marito ad inopiam vergenti ab uxore, vel alio præstandis, tradunt magis communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Surd. *d. quæst.*18.*num.*45. & Steph.Gratian. *d.cap.*112.*num.*21. & *d. cap.*613.*num.*14.& 15. & idem docuit Bæza *de inope debitore, cap.*17.& *num.*67.& *seq.* relatus à Salgado *d.cap.*24. *num.*24. qui *ibid.* fatetur, id verum esse; addens tamen juxta communem sententiam Doctorum, quos *num.*20. refert, non esse præstanda tam ampla alimenta iis quibus tantùm ex causa miserationis debentur, sicuti præstatentur quando illa iidem possunt consequi jure actionis, legati, aut officio judicis.

262 Non obstat etiam illud, quod jus canonicum *in d. cap.cùm haberet*, correxerit jus civile solùm quatenus negans spuriis etiam alimenta vitæ simpliciter necessaria, juri naturali adversabatur, & continebat iniquitatem. Nam jam suprà ostensum est, jus civile non negasse spuriis alimenta jure naturali illis debita, Præterea jus canonicum juris civilis dispositionem quoad alimenta spuriorum absolutè revocavit, decernens alimenta à parentibus illis danda, & secundùm quod eis suppetunt facultates; atque adeò quæ circa alimenta filiis naturalibus præstanda jure civili fuerant constituta, censentur ad spurios filios extensa, ut suprà dictum est: qualiter etiam illud verbum, *Necessaria*, comprehendat necessaria respectu dignitatis, jam probatum est.

Posterior etiam interpretatio illorum verborum, *Prout eis suppetunt facultates*, ex P. Barbosa, & Merenda *num.*257. adducta, non est admittenda; nam S. Pontifex voluit favere filiis spuriis ibidem, & data illa interpretatione, frustra Summus Pontifex illa verba addidisset; cùm certum in jure sit, & decantandum, parentes in alendis etiam filiis legitimis, & naturalibus, non teneri nisi ad id, quod facere possunt, salvis iis quæ in suos necessarios usus eos oportet impendere, ut infrà dicetur. 263

Si dicatur, spurios esse deterioris conditionis quàm sint legitimi, atque adeò non esse illis ita favendum quoad alimenta. Respondetur hinc solùm inferri, quod licèt etiam filio spurio pro ejus qualitate, & dignitate sint præstanda alimenta, ut probatum est; non tamen debentur ita ampla, ut filio legitimo ejusdem dignitatis, atque qualitatis forent; ut notavit Ludovicus Molina *d.num.*55. & dictum est suprà, *num.*163. traduntque alii Doctores *ibidem* citati. Non potest autem inferri, sola alimenta vitæ sustentandæ simpliciter necessaria spuriis, ob illorum conditionem, & natalium illegitimitatem fore præstanda; nam ut ait Gratianus *d. cap.*112.*num.*22. & *d.c.*613. *num.*16. servi sunt deterioris conditionis quàm spurii, & tamen etiam in illis tractandis, alendis, & vestiendis debet haberi respectus dignitatis, & non solius necessitatis, *l. sed & si quid inædificaverit*, §. *mancipiorum, in fine, ff. de usufructu*, ubi Vlpianus mandat servum ali, & vestiri sufficienter secundùm ordinem, & dignitatem mancipiorum; ex servis enim alii dicuntur digniores, & magis nobiles alii, prout nobiliori, vel minùs nobili servitio sunt destinati, ex Rebuffo *in l. censoria* 203. §. *itemque de servis, versic. Atrienses, ff. de verborum sign.* intelligendo ita dignitatem, non pro publico honore, cujus servus non est capax, *l. generali, C. de tabular. lib.*10. sed pro meliori statu, & conditione, juxta Glossam *in d.* §. *mancipiorum, verbo Dignitatem*, & Rebuffum *in l. nepos Proculo* 125. *verbo Dignitas, ff. de verb. significat.* Unde etiam Florianus *in d.* §. *mancipiorum*, infert famulis quoque conductis sine conventione salarii, vel mercedis deberi alimenta, & vestes secundùm conditionem personarum: multò magis ergo quàm in servis, idem erit dicendum in filiis spuriis. 264

Etsi igitur alimenta filiis spuriis præstanda sint taxanda judicis, seu boni viri arbitrio, ut Covartuvias, Spino, Ludovic. Molina, Peregrinus, Gratianus, & alii ex Doctoribus *num.*158. citatis, & etiam alii superiùs *num.*75. relati docent; nihilominus judex in illis taxandis debet considerare divitias paternas, & statum, ac dignitatem spurii, ut iidem Doctores, & alii à Gratiano *d.cap.*112. *num.*9. relati censent, & ad id faciunt tradita suprà *num.*76. de modo à judice servando in taxandis alimentis filiorum legitimorum, & naturalium. 265

Ex prædictis infertur, non solùm ipsimet filio spurio à patre exhibenda esse cibaria, vestitum, habitationem, & cætera ad corporis ipsiusmet filii conservationem necessaria, necnon quæ ad disciplinas pertinent, honestasque artes percipiendas, ut in his terminis filiorum spuriorum alendorum notavit Paleotus *de nothis, cap.*47.*num.*7. cùm hæc omnia alimentorum nomine comprehendantur; ut constat ex traditis suprà *à n.*45. *ad* 63. sed etiam præstanda esse alimenta 266

pro omnibus personis,quas filius alimentandus tenetur alere, si aliunde non possit eas alere, & facultates paternæ suppetant; & sic patrem spurii teneri providere alimenta pro ejusdem spurii uxore, liberis, famulis, & ancillis, quibus juxta suum statum indiget; cùm hæc omnia ad statum,& conditionem spurii pertineant,& in his taxandis capressè tradunt Molina *d. disp.* 168. *citato* §. *Iure tamen canonico*, Lessius *d. n.* 67., Sanchez *d. dub.* 34. Vincentius de Franchis *d. decis.* 283. *n.* 20. Stephanus Gratianus *d. cap.* 613. *n.* 18. Tello ubi suprà, *n.* 20. Matienzo *loco suprà allegato, n.* 15. *&* 16. & alii Jurisperiti à Sanchez *d. dub.* 34. allegati, & nonnullos alios allegans Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. clericor. c.* 22. *n.* 14. *&* 15. & etiam Paleotus *d. n.* 7. supposito quod spuriis alimenta sunt præstanda secundùm dignitatem,& statum illorum,non secundùm præcisam naturæ necessitatem; & constat ex traditis superiùs *n.* 83. *& tribus seq.* quanvis in specie,quod alimenta uxori filii spurii inopi sint danda,contradicant Thesaurus *allegat. decis.* 211. *n.* 12. & Merenda *d. cap.* 1. *n.* 13. dicens decisionem dicti capitis *cum haberet*, non loqui de ea,quam si vir non potest nutrire,non nubat: contra quos stant tradita suprà *n.* 95. quæ supposita revocatione juris civilis circa alimenta spuriorum, procedere debent etiam in uxore filii spurii; facta enim illa revocatione,spurii quoad alimenta sunt veluti filii observandi, ut ait Paleotus *c.* 48. *n.* 3. & idcò illorum onera pater sustinere debet,ut *d. n.* 95. probatum est, & consequenter, filii spurii inopis uxori aliunde non habenti alimenta præstare, ut in his terminis tenet etiam Joan. Lupi *de illegit. com.* 2. §. 1. *n.* 25.

267 Infertur quoque ea traditis, cùm dos filiæ spuriæ in locum alimentorum succedat, minorque alimentis dari non possit,in ea constituenda à patre,vel à judice taxanda, & arbitranda habendum esse respectum ad paternas divitias, & ad patris, & filiæ dignitatem, conditionem, & statum, & ad patriæ consuetudinem circa dotes filiarum illegitimarum; & non solùm ad alimenta vitæ sustentandæ simpliciter necessaria. Ita oportere sentiant omnes Doctores *n.* 285. relati, & in terminis Vincentius de Franchis *d. decis.* 283. *num.* 18. *& seq.* & plures ex Doctoribus supra *num.* 202. *&* 203. relati, & cum aliis Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. cleric. cap.* 21.

268 Imò admissa etiam sententia, quod alimenta, etiam juris canonici dispositione attentâ, spuriis filiis non debeantur nisi secundùm necessitatem naturalem, adhuc filiæ spuriæ dotem esse constituendam,aut judicis arbitrio taxandam, habito respectu ad divitias, & dignitatem patris,patriæ consuetudinem, & etiam ad necessaria ad filios alendos ex eo patrimonio procreandos, quanvis excederet alimenta, quæ pro quotidiano victu filiæ spuriæ cœlibi deberentur, tradunt Paleotus *de nothis, cap.* 10. *n.* 2. ubi ex Decio *consil.* 611. dotem trium millium, & quingentorum scutorum filiæ spuriæ clarissimi, & locupletissimi viri constitutam, fuisse visam convenientem patriæ consuetudine attenta,cùm indecorum sit filiæ ex nobilissimo,& locupletissimo patre genitæ illud sibi dotis nomine dari, quod cœlibi solùm sufficeret ad victum quotidianum. P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *n.* 70. *&* 71. *ff. soluto matrim.* Merenda *d. lib.* 13. *cap.* 2. *n.* 28. & Rebellus *de obligat. justit. lib.* 5. *q.* 8. *sect.* 2. *n.* 6. Ratio est primò, quis ut inquit P. Barbosa *d. num.* 70. aliter debentur alimenta spuriæ nuptæ, aliter quando est cœlebs; siquidem nuptæ majora videntur deberi alimenta, quia debet haberi etiã respectus ad filios,& ancillas, *l. ius alimentorum, ff. ubi pupillus educari debeat: & l. habitatio, ff. de ventre in possessionem mittendo.* Etenim prout patri legitimo incumbit hujusmodi onus, *l. si quis à liberis*, §. *non tantùm, ff. de liber. agnosc.* ita incumbit quando dotat filiam spuriam,ut constat ex traditis suprà, *num.* 244. & tradunt Paleotus *loco ibid. citato*, & Vincentius de Franchis *d. decis.* 283. *n.* 14. Secundò, quia si filiæ spuriæ pro dote ea tantùm quantitas daretur,quæ ad quotidianum victum, fi cœlebs mansisset, sufficere posset, facilè invenire non posset maritum, & sic aperiretur ei via ad meretricandum, quod maximè evitandum esse Doctores omnes docent. Tanta igitur dos, inquiunt præfati Doctores, præsertim Barbosa, & Merenda, est danda filiæ spuriæ, quanta opus est, ut maritum qui honestatem ipsius tueri possit, invenire queat; ipsaque evitare possit pudicitiæ perdendæ periculum, etiamsi alimentorum vitæ sustentandæ simpliciter necessariorum quantitatem ea cederet.

Secundùm omnes tamen spuriæ non datur tanta dos quanta dari solet legitimæ,& naturali,sed minor, ut suprà *num.* 163. *&* 164. notatum est, & post alios tradit Lucidorus *d. c.* 21. *n.* 19. *&* 20. 269

Advertendum præterea,quæ in præcedentibus tradita sunt de alimentis,& dote filiis,& filiabus spuriis præstandis, procedere quando avos, & frater in subsidium,vel defectum parentum tenetur nepotibus, fratribus, & sororibus spuriis alimenta præstare, juxta tradenda §. *sequenti*, talibus enim nepotibus, fratribus, & sororibus spuriis præstanda erunt alimenta non solùm secundùm necessitatem naturæ,sed habito respectu ad divitias avi, vel fratris, & ad qualitatem personarum, honorem, dignitatem, & generis splendorê, ut in terminis docet Fagundez *loco suprà n.* 285. *cit.* cùm parentum obligatio in ipsos transferatur, & quia quoties alimenta debentur ea dispositione legis, vel hominis,præstari debent secundùm statum,& qualitatem illius, cui præstanda sunt, & facultates illius qui solvere debet,juxta tradita *suprà, num.* 70. *&* 71. & Doctores *ibid.* citatos: spuriis verò ex dispositione Pontificia, & æquitate canonica debentur, ut suprà probatum est. Suprà etiam *n.* 261. dictum est, alimenta ex causa miserationis debita præstanda esse juxta qualitatem illius, cui debentur, considerata divitiis illius, qui præstare debet; & in iis terminis post hæc scripta reperi sentire Joan. Nicol. Lucidorum *allegat. cap.* 21. *num.* 5. *& seq.* 270

Advertendum quoque quoad hujusmodi alimenta spuriorum,quod considerandum semper est, an facultates priùs suppetant filiis legitimis, & naturalibus, quàm ipsis spuriis; nam in concursu istorum est habenda solùm ratio legitimorum, cum ipsis aliis illegitimis, tam naturalibus, quàm spuriis,quando utrique non sufficiunt redditus, vel si suppetant, angustiora alimenta sunt danda illegitimis, sive naturalibus, sive spuriis. Ita Corduba *in l. si quis à liberis*, §. *idem rescripsit, num.* 59. *ff. de lib. agnosc.* Surdus *de alim. tit.* 7. *q.* 11. *num.* 26. & Stephan. Gratian. *tom.* 3. *cap.* 562. *num.* 55. Megala *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 1. & positum est etiam supra *num.* 167. *fin.* & tradit quoque *d. cap.* 21. *num.* 24. Licèt enim attento jure naturali in præcepto quarto Decalogi contento, æqualis sit parentum erga omnes filios obligatio naturalis illos alendi; nihilominus quia hæc obligatio quoad filios legitimos,& naturales, ex legitimo matrimonio procreatos, ex duobus principiis naturalibus provenit, nempe ex ipsa generatione, & ea matrimonio, quod in officium naturæ, nempe ad conservationem humanæ naturæ antè peccatum fuit institutum, præferenda est obligationi, quæ quoad illegitimos,& solùm naturales habent, cùm sit arctior obligatio, siquidem duo vincula magis ligant, *cap.* 1. *de tregua, & pace*, & *l. pen.* §. *si verò, C. de adopt.* quæ obligatio tollit obligationem erga filios tantùm naturales, esto etiam sint priùs nati quàm legitimi: data autem hujusmodi inopia parentum, onus alendi filios illegitimos naturales, vel spurios incumbit aliis consanguineis proximioribus, juxta superiùs tradita, si illis facultates suppetent: id quod etiam in terminis notavit Joan. Nicol. Lucidorus *d. cap.* 22. *num.* 25. 271

§. XX.

§. XX.

Filiis spuriis an uterque parens teneatur alimenta præstare.

NUm verò filiis spuriis uterque parens æquè teneatur alimenta præstare, ut non per prius pater, & mater post triennium ablactationis tantùm in subsidium, si pater ob paupertatem nequeat illa præbere; an verò ad illa præstanda æqualis obligatio, parque onus sit patris, & matris, difficultatem faciunt illa verba textus *in d. cap. cùm haberet, de eo qui duxit*, ibi: *Vterque liberis suis secundùm quod eis suppetunt facultates, necessaria subministrent.* Illa enim verba, *liberis suis*, non possunt rectè referri ad alios liberos, quàm ad illos, quos vir ille, de quo ibi, ex muliere adultera, seu quam per adulterium cognovit, suscepit.

Prima igitur sententia asserit, dictum onus alendi filios spurios incumbere tam matri, quàm patri, ita ut uterque æqualiter concurrere debeat ad præstationem alimentorum, prout illis facultates suppetunt, ita quod quoad hæc sit differentia inter legitimos & naturales, & illegitimos naturales, ac inter spurios, quod illos tenetur per se & solus pater alere, mater verò solùm in subsidium, ut *in seq.* §. explicatur; spurios verò etiam mater æquè ac pater tenetur alere, & necessaria ad vitam subministrare. Ita Panormitanus *in d. cap. cùm haberet, num.9. & ibid.* Ancharanus, Præpositus, Scaccialupus *in l. si qua illustris, num.93. ff. ad Orfic.* Joannes Lupus *in c. perversus, notab.3. §.23. num.12.* Vitalinus *in tract. de clausulis, an alimenta renunc. poss.* Corduba *in l. si quis à liberis, §. idem rescripsit, num.33. & in §. si mater, ff. de liber. agnosc.* Ant.Gabr. *com.concl.lib.6.tit.de alim.conclus.1.num.4.* Gregor.Lopez *l.3. tit.19. part.4. in glossa 2.* Thesaurus *decis.3. num.7.* & alii Jurisperiti à Gab. relati, & ex Summistis Sylvester *verbo Filii, num.4. versic. Quintum*, & Layman *lib.5. tract.10. p.3. cap.5. num.5.* Fundantur Panormitanus, & alii, primò illis verbis textus, *Vterque liberis suis necessaria subministret.* In quibus verbis mens S. Pontificis videtur fuisse, ut pater, & mater in præstatione alimentorum concurrere deberent: & dicit Corduba, illa verba ibi addita, *Prout eis facultates suppetunt*, non fuisse posita ut alimenta ampla, vel angusta juxta facultates paternas præstarentur, sed uterque ad alimenta tantùm naturæ necessaria subministranda concurrere deberet secundùm facultates cujusque, ut scilicet pater, si sit ditior matre, plus conferat, & eodem modo si mater sit ditior patre, plus conferat. Probat secundò quasi adducens rationem, qua motus fuerit S. Pontifex ad decernendum, matrem æquè ac patrem debere concurrere ad spuriorum alimenta; quia cùm spurii non sint de agnatione patris, Bartolus *in l. Tutelas, ff. de cap. dimin.* nec sub ejus potestate, *§. si adversus, Instit. de nupt.* neque illis pater succedat, sed mater ab intestato, *§. fin. Instit. ad Tertyll.* & alimenta eisdem spuriis debeantur ex instinctu naturæ, secundùm quam filii non minùs obligantur matri quàm patri; non videtur æquum, ut solus pater gravetur hujusmodi filiis alimenta præbere, sed par est ut æquè, imò magis teneatur ad illa subministranda concurrere. Et hanc sententiam videtur tenere Garsias *de expensis, cap.5. num.33. fine*, quatenus dicit, regulam de matre quoad alimenta filiis præstanda omninò in spuriis locum non habere.

275 Antonius Merenda *tom. 3. controv. juris, lib.13. cap.1. num.6.* supponens de jure civili filios spurios non esse alendos à patre, juxta textum *in §. si quis sanè non habens, auth. quibus modis naturales efficiantur legitimi*, eo quòd spurii non veniant nomine naturalium, de quibus ibi, cùm inter eorum parentes matrimonium esse non possit, sed computentur inter vulgò quæsitos, & consequenter esse à matre alendos, juxta textum *in l. si quis à liberis, §. idem in liberis, ff. de liberis agnoscendis*, ubi sic dicitur: *Ergo & matrem cogemus præsertim vulgò quæsitos liberos alere, nec non ipsos eam.* Hoc, inquam, supponens Merenda dicit S. Pontificem *in d. cap. cùm haberet*, in illis verbis, *Vterque liberis suis*, habuisse respectum ad filios, quos vir ille susceperat ex legitima uxore, & ad eos, quos ex illa, quam per adulterium polluerat, procreaverat; eumque per illa verba voluisse designare quemadmodum onus alendi hos filios partiri opporteret, ut nempe maritus suos, scilicet eos, qui ex legitima uxore nati erant, aleret, alios verò mulier. Hic enim intellectus, inquit idem Merenda, est verbis illis omninò conformis, & dispositioni juris civilis, à qua canones non solent discedere, *cap.1. & 2. de oper. novi nuntiat.* & durum est verba canonum præter eum sensum qui ipsorum proprius est, exponere, ut per ipsos juris civilis correctio inducatur. Confirmat hanc sententiam lex Hispanica Regia *5. tit.19. part.4.* quæ dicit filios spurios alendos esse à matre, avo, & proavo materni generis. Verùm hæc interpretatio sicut est nova, ita non admittenda uti voluntaria: tum quia nec mater jure civili cogitur alere spurios ex coitu damnato natos, juxta tradita suprà, *num.180. fine*: tum quia *in d. cap. cùm haberet*, nulla fit mentio legitimorum filiorum, qui ex legitima viri uxore fuerint suscepti; sed tantùm illorum decem, quos ex muliere illa pellice genuerat, quibus solis, licèt spuriis, S. Pontifex voluit provideri debere, & necessaria à parentibus subministrari: esto jus civile aliud statuerit, denegando illis alimenta, & consequenter juxta idem jus civile iidem spurii sint alendi à matre, & ejus ascendentibus maternis, attenta dispositione dicti *§. idem in liberis*, quod à matre sint alendi vulgò quæsiti, qui propriè dicuntur, quorum pater ignoratur.

Igitur magis communis sententia Doctorum, & 274
tenenda affirmat, patrem juxta regulas generales principaliter teneri ad alendos filios spurios, matrem verò ultra primum triennium teneri solùm in subsidium. Ita Covarruvias *de spons. part.2. cap.8. §.6. numero 13. fine*, Paleotus *de nothis, cap.48. ferè per totum*, Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.18. num.59.* Gama *decis.304.* P. Barbosa *ad l.1. part.4. num.67.* Valascus *consultat.92.* Padilla *in auth. Res qua, num.66. C. commun. de legatis*, Surdus *de aliment. tit.1. quæst.14. num.6. fine*, Joannes Lupi *de illegitimis, comm.2. §.1. num.22.* August. Barbosa *collectaneo ad d. caput Cùm haberet, num.7.* & Molina *de justitia, tom.1. disputat.168. §.1.* Panormitanus *cap. cùm haberet*, ubi ait esse communem sententiam, quam quoque nonnullos alios allegans novissimè amplexus est Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis clericorum, cap.17. num.4.* Igitur cùm regula generalis sit, quod pater principaliter teneatur alere filios legitimos, & naturales, *l. Nesennius, ff. de negotiis gestis, l. alimenta, C. eodem, l. si quis à liberis, §. si mater, ff. de liberis agnoscend.* & etiam filios illegitimos naturales, *auth. licèt, C. de naturalibus, §. si quis sanè, auth. quibus modis natural. efficiantur legitimi, §. penultimo*, juncta Glossa *verbo Legitimi, auth. quibus modis naturales efficiantur sui*; probatur eandem regulam hodie, & ex dispositione, & æquitate canonica juxta dictum caput *cùm haberet*, habere locum etiam in filiis spuriis; nam eo ipso quod dispositio juris Cæsarei, permittens, seu decernens patrem non teneri, aut non posse alimenta filio spurio præbere jure canonico, *in d. cap. cùm haberet*, revocata est, & dispositio præfata juris canonici in foro Cæsaris ubique recepta est, filii spurii quoad alimenta non differunt à

legitimis, & naturalibus, neque ab illegitimis naturalibus, sed quoad jus alimentorum censendi sunt, & tractandi tanquam filii, ita quod quæ antea circa alimenta filiis legitimis, & naturalibus tantùm ipso jure civili decreta fuerunt, ad filios spurios censeantur extensa, ut in terminis tenet Decius *in cap. per tuas, num.7.de probat.* Paleotus *d. cap.48. num.3.* Molina & Joannes Lupi *loc. cit.*& sic etiam in ipsos non haberet locum dispositio juris civilis, facta *in d. §. idem in liberis, ff. de liber. agnosc.* nisi quando pater spurii est ignotus, & incertus omninò, vel quando pater, ejusve ascendentes spurio alimenta dare non possunt, ut expresè docet Covarruvias *de sponsf part.2.cap.8.§.6. num.16.fin.* Molina *de just. tom.1. disput.168. §. non solum parentes*, & alii qui referuntur infrà, *num.283.* ubi iterum de hac re, & etiam de illa lege Regia §. quæ juri canonico cedit, & correcta est quoad hoc, quod alimenta spurio à patre non debentur, ut *n.283.* dicitur.

275 Quare textus *in d. cap. cùm haberet*, utique parenti injungens onus filiis spuriis alimenta ministrandi, intelligitur non ordine conjunctivo, sed successivo, ut scilicet pater per prius teneatur, mater verò in subsidium, prout præfati Doctores, & in terminis Peregrinus, & August. Barbosa *loc. cit.* docent.

276 Neque quoad hujusmodi obligationem alendi filios attenditur prima potestas, vel an filii sint de agnatione, & familia, cùm naturales non sint sub potestate patris, vel de ejus agnatione, & familia propriè. Jason *l.fin.num.13.C.de verb.signi.* Paleotus *d.n.3.* & à solo patre ali debent, *d.auth.licet, C.de natural.liber.* non à matre, nisi in subsidium, *d.l.Nesennius, d. l.alimenta,& d. §.si mater*: aut jus succedendi ab intestato; nam alioqui filius ab ea sola semper esset alendus, ad quam spectat luctum; & cùm filius naturalis moritur vivente patre, mater non esset particeps successionis illius, contra textum *in d. auth. licèt, C. de nat. lib.& l.penult. C.ad SC. Orfic.* & tradita à Paleoto *cap.39.* cùm eum viventem ipsa non nisi in subsidium alere teneatur; & similiter si filii legitimi decedant, non esset mater æquè ac pater ad eorum hæreditatem admittenda, contra authenticam *defunctô, C. ad Tertyll.* quia ipsa eos vivente patre non tenetur alere, & nec pater, nec mater teneretur alere filios adulterinos ex incestu natos, cùm neuter illis succedat, ut notat Paleotus *d. cap.48. num.4. & cap.41. num.3.* & Surd.*tit.1.quest.15.num.15.* quateous concludunt, filios spurios ex coitu punibili natos non succedere matri; mutua enim in hac re est successionis causa, ut censet Paleotus *d.cap.41. citato num.3. post medium*, aut solus instinctus naturæ; nam alioqui etiam filii legitimi, & naturales æquè ab utroque parente forent alendi, cùm tamen pater principaliter teneatur eos alere, ut dictum est. Igitur attendendum tantùm est, si ne pater certus, consideratis conjecturis inducentibus filiationis præsumptionem, vel quia pater spurium uti à se procreatum agnoverit; nam cùm tunc jus canonicum jubeat, quoad alimenta spurium uti filium censeri, & observari debere, sunt juris communis Cæsarei regulæ quoad præstationem alimentorum observandæ, *arg. text. in l.1. §. lex Falcidia etiam, ff. ad Falcidiam*: & advertendum, textum *in d. §. idem in liberis*, ibi, *erga matrem*, non procedere ubi pater est certus, & de eo constat vel confessione patris, vel alia probatione; tunc enim vulgò quæsitus non est alendus à matre, sed à patre etiam, juxta jus civile, nisi sit ex coitu punibili natus, per tradita à Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. idem rescripsit, à num.43. ff. de liber. agnosc.*

§. XXI.

Quando constat spurium esse procreatum à Caio, vel Petronio, & ignoratur, seu dubitatur, à quo determinatè, quis ex his duobus debeat illi præbere alimenta.

Quid autem si constet spurium esse filium hujus, vel illius, scilicet Caii, vel Petronii; quia constat matrem solùm ab illis duobus fuisse carnaliter cognitam; dubitetur autem, seu ignoretur, cujus ex duobus prædictis sit filius, quisnam illorum teneatur alimenta dicto filio spurio præbere? De hac difficultate latè egi *tom.1.mor.var.tit.1.§.45.à num.1557.ad 1563.* & ad ibi tradita recurrat lector pro pleniori cognitione; hic enim in gratiam eorum, qui fortè dicto tomo carebunt, summariè tantùm referam responsiones, quibus ibidem dixi posse difficultatem resolvi. 277

Prima responsio fuit, quod si respectu unius est spurius, & respectu alterius est naturalis, hujus solius filius censendus est, & ab eo alendus; cùm legitimus præsumatur in dubio naturalis, non spurius.

Secunda responsio, si respectu utriusque est spurius, censendus est filius illius, respectu cujus existunt verisimiliores conjecturæ.

Tertia responsio, propter incertitudinem censeri neutrius filium, & sic neutrum teneri ad alimenta illi præbenda, sicut dicitur de vulgò conceptis, *l. vulgò, ff. de statu homin.*

Quarta responsio, si alter eorum sit ditior, & nobilior, censendus est filius ditioris, & nobilioris, quasi in dubio judicandum sit, quod est filio favorabilius, & honorabilius: quam tamen responsionem reprobant Vasquez, Salas, & alii Theologi.

Ultima responsio, & communis Theologorum est, utrumque teneri æqualiter alimenta tali filio præstare, & si alter eorum sit ditior, & nobilior, teneri pro facultate largiùs alimenta præbere: si verò unus præ inopia nihil possit conferre pro alimentis, vel nolit partem suam præbere, & mater sit dives, & possit, eam debere supplere defectum illius: quod si & ipsa mater sit pauper, & nihil possit præbere, alterum solum, si ei facultates suppetunt, teneri spurium alere.

§. XXII.

Pater tenetur alere filium naturalem, vel spurium legitimatum.

Ex dictis in præcedentibus de obligatione patris alendi filium illegitimum, naturalem & spurium, infertur, multò magis teneri patrem præbere alimenta congruentia filio naturali, aut spurio legitimato, quod tradidit Alciatus *cons.109. num.5.* & latissimè probat Surd. *de alim.tit.1.quest.8.per tot.* legitimatio enim accedens non debet quicquam filio detrahere, sed favorem superaddere, ut dicitur de privilegio, quod non adimit jus jam competens, sed auget, *l. fin. C. de præpositis agentium in rebus, lib.12.* ubi Bartolus notat, per concessionem novi privilegii non tolli ea, quæ antea fuerant concessa. Præterea legitimatus nihil differt à legitimis, *§. sit igitur, auth. quibus modis naturales effic. legit. & §. quoniam varia, auth. quibus modis natur. efficiant. sui.* Unde debet institui, & potest rumpere, & dicere nullum testamentum inofficiosum, ut legitimos, prout aliis relatis tenet Surd. *d.quest.8.* Quapropter etiam urget ad id ratio illa, quod justè alimenta ei denegari non possunt, qui futurus est remo dominus, *l.1. §. sed etsi incertum sit, ff. de ventre in possess. mitt.* 278

SUMMA

SVMMARIVM Capitis VII.

Quando est filius dives, vel ex sua industria, vel artificio alimenta sibi potest lucrari, avus, & alii à patre, qui aliàs in patris defectum tenerentur, non obligantur illum alere.

Si quis egenus habeat patrem, & filium divites, debet à patre consequi alimenta, & non à filio, n.280.

Patri permittitur vendere filium in necessitate, idque ratione patria potestatis, ibid.

Avus paternus (& idem de cateris ascendentibus majoribus virilis sexus) tenetur alere nepotem legitimum ex filio legitimo natum, n.281.

Avus venit appellatione patris in favorabilibus, secus in odiosis, ibid.

Avus tenetur neptem ex filio dotare, n.282.

Tenetur alere nepotem spurium ex filio legitimo, n.283.

Idque etiam non obstante lege Hispaniarum volente esse alendum ab avo materno, ibid.

Nepos spurius ex filio legitimo non est odiosus legibus respectu avi, ibid.

Avus potest donare, vel relinquere nepoti spurio ex filio legitimo non solùm usque ad congruam alimentorum quantitatem, sed etiam quantum vult, num.284. & 285.

Macula patris non nocet filio in iis, qua sibi quaruntur alio medio quàm per patrem, n.285.

Avus paternus tenetur alere nepotem legitimum, & etiam spurium ex filio spurio, vel aliter illegitimo, numero 286.

Nepos venit appellatione filii in favorabilibus, ibid.

Nepoti legitimo, & etiam spurio ex spurio avus potest ad libitum relinquere, remissivè, n.287.

Avus tenetur dotare neptem spuriam ex filio legitimo, & neptem legitimam, & etiam spuriam ex filio spurio, n.288.

Nepos ali debet à patre divite, & non ab avo paterno, qui non habet nepotem in sua potestate, num. 289. & 290.

Si nepos sit sub potestate avi, ab eo, & non à patre, licèt divite, ali debere docet una sententia, n.291.

Contrarium, & nepotem alendum esse à patre, quando est dives, & non ab avo eum habente in sua potestate, sentiunt communiter Doctores, n.292.

Avus paternus an teneatur dotare neptem, quam habet sub sua potestate, si pater, aut ipsa sit dives, n. 291. & 293.

Patre defuncto nepotes egenos teneatur ne mater, an avus paternus, si uterque sit dives, alere. Teneri matrem asserit una sententia, n.294.

Altera verior docet, teneri avum, sive illos habeat in potestate, sive non, n.295. & 296.

In Regnis Hispania, in quibus nullus avus paternus habet nepotes in potestate, an avus paternus, vel mater in defectum patris teneatur nepotes alere, & neptes dotare, n.297. & 298.

Fœmina jure natura tenentur ablactare suos filios, num.299.

Omnia animantia suos nutriunt filios, ibid.

Lac maternum est proximè proprium pueri recenter nati alimentum, & melius infantem maternum nutrit, quàm alterius, magisque sanum, ibid.

Plurimùm ad sanitatem confert cibis nutriri similibus, & convenientibus, ibid.

Quemadmodum semen, ita & lac, quo puer nutritur, multùm confert ad inducendam corporis, & morum similitudinem, ibid.

Malè faciunt mulieres, qua post partum curant ubera obturari, & exsiccari, num. 299. fin.

Peccant matres, qua sine ulla justa causa proprios filios non ablactant, sed aliis nutricibus lactandos tradunt, num.300.

Non est tamen peccatum mortale, si filii lactandi nutricibus bona vita, ac morum tradantur, licèt sit veniale non leve, num 301.

Justa causa excusans ab omni culpa matrem non lactantem filium suum, est corporis imbecillitas, aut infirmitas, vel si lacte careat, n.302. & 303.

Item si sit egena, & debeat aliunde sibi victum quarere, virque non possit illi alimenta ministrare, vel nolit secus si possit, & velit, n.304. & 305.

Si etiam pater sit egenus, nec matri egena possit alimenta ministrare absque peccato, possunt exponere filium lactandum, & educandum hospitali, n.306.

Item si in lactando filium infamiam contraheret, num.307.

Item si mulier esset monasterium ingressura, n.308.

Mater à culpa excusatur non lactando proprium filium, si id ei juxta mores patria dedecori sit, juxta Doctores magis communiter, putà quia sit nobilis, & illustris, num. 309.

Contrarium sentiunt alii, n.310.

Nullum dedecus est matrem, quamvis nobilem, etiam Reginam, lactare proprium filium, ibid. n.311.

An à culpa excusentur mulieres, prasertim nobiles, non ablactantes, ut vacent aliorum filiorum procreationi, quibus Respublica civibus repleatur, num.310.

Sola, & pracisa consuetudo inducta, ut matres nobiles, aut divites non ablactent proprios filios, an excuset ab omni culpa. Affirmativa, 312.

Negativa per se loquendo, n.313.

Consuetudo potest jus naturale minuere, augere, distinguere, non in totum auferre, & abrogare; atque adeo contra jus naturale inducta non valet, ibid.

Non valet consuetudo, quod filii à parentibus non alantur, ibid.

Consuetudo inducta, ut matres nobiles, vel divites non ablactent suos filios, per accidens excusat à culpa ob ignorantiam probabilem obligationis naturalis, numero 314.

Consuetudo publica aliquid faciendi, licèt irrationabilis, excusat solùm in foro externo à delicto, & à pœna, ibid.

Licèt consuetudo longava inducta ut matres nobiles non ablactent filios, sit in se prava, non expedit tamen admonere mulieres de pravitate, n.315.

Eadem consuetudo limitatur non procedere quando imminet necessitas filii, ibid.

Mater jure positivo inspecto, primo triennio tenetur alere, seu lactare suos filios, tam legitimos, quàm illegitimos, naturales, & spurios, n.316. & 317.

Primo triennio mater potest invito patre penes se filium nutrire, n.317. fin.

Eodem primo triennio mater non tenetur alere, seu lactare filium, si sit pauper, qua suis laboribus deberet sibi victum quarere, nisi pater nolit illi alimenta prastare, n.318. & 319.

Nec si sit, non possit lactare absque periculo notabili salutis: neque si non sit lactaria, aut alia justa causa impediatur lactare, n.320.

In his casibus, & quotiescumque mater est inhabilis ad lactandum, etiamsi sit dives, non tenetur suis expensis apud nutricem alere filium, sed has expensas facere debet pater, ibid.

Mater nobilis, cui juxta mores, seu consuetudinem patria dedecus existimatur propriis uberibus alere filios, si nolit lactare, an ipsa, vel pater teneatur ad expensas pro lactatione, n. 321.

Mater dives, quando sine causa legitima recusat lactare filium, tenetur solvere impensas nutricis, n.323.

Matris onus alendi filium intra primum triennium, com-

prehendit solùm alimentum lactis proprii, quo verò ad alia necessaria ad infantis educationem, vestes, &c. tenetur pater, n.322.

Matrimonio bona fide contracto, dissoluto ob defectum impedimentum dirimens, filii nati vel concepti ante dissolutionem, tam intra primum triennium, quàm ultra, an sint alendi communibus expensis patris, & matris, numero 325.

Quid si matrimonium fuit nulliter contractum mala fide unius, vel utriusque conjugis, num. 326. & 327.

Ultra primum triennium onus alendi filios, etiam illegitimos, regulariter incumbit patri, n. 328.

Cur ad patrem potiùs quam ad matrem spectat tale onus, n.329.

Mater vivente patre divite prastans alimenta filio, eorum astimationem potest à patre, vel ab avo paterno repetere, n.330.

Quo moderamine fiat talis repetitio, & quid Index in facienda dicta astimatione inspicere debeat, ibid.

Defuncto patre, & non superstite alio ad quem spectet onus alendi filium, si mater de suo alat filium, ab eo non potest alimenta repetere; nisi fecerit protestationem repetendi, vel bona filii administraret, numero 331.

Mater dives ultra triennium tenetur in subsidium alere filium aliunde non habentem, si pater, & avus paternus sint inopes, nec ullus eorum possit alere, n. 332.

Neque alimenta filio prastanda mater repetet, ibid.

Mater dives tenetur etiam dotare filiam, quando nec pater, nec avus paternus ob inopiam possunt, n.333.

Matri debetur eadem reverentia, qua patri, eique parère debent filii, sicut patri, n.332.

Mater non potest in jus vocari sine venia, ibid.

Mater dives in subsidium, & defectum patris tenetur alere etiam filios illegitimos, & naturales, & spurios, licèt sit mater illustris, n.334. & 335.

Filius spurius ex damnato coitu non succedit matri, nec ei mater, n. 335.

Mater non potest tali spurio relinquere ultra alimenta, ibid.

Avus maternus, & avia materna regulariter non tenentur ad prastanda alimenta nepotibus ex filia, neque ad neptem dotandam, numero 336. & 337.

Avus maternus tenetur alere nepotes, & neptes dotare in subsidium, quando pater, & mater non sunt solvendo, n.338.

Idque extenditur etiam ad nepotes naturales, & spurios, n. 339. & 340.

Naturales filii, & etiam vulgò quasiti, non ex coitu damnato nati, etiam jure civili ab intestato succedunt matri non illustri, & avo materno, ac avia, n.339.

Tradita de avo materno quoad obligationem alendi nepotes in subsidium, procedunt etiam in proavo, & in aliis ascendentibus, ibid. vers. Cæterùm.

Alia summaria vide post numerum 341.

CAPUT SEPTIMUM.

Quinam alii à patre teneantur filiis alimenta præstare, præsertim an avus, mater & cæteri ascendentes, hæres, monasterium, fiscus, donatarius, &c.

279 ADvertendum, quod quæ in sequentibus traduntur de obligatione aliorum à patre alendi filios, intelligenda sunt quando filius sit inops, nec aliunde ea propriis bonis, vel industria, aut artificio potest honestè congrua alimenta habere, seu sibi comparare; non verò quando esset dives, vel ea industria, & officio, seu artificio honesto alimenta competentia sibi lucrari posset; nã si in hoc secundo casu pater ipse non astringitur alimenta præbere filio, ut suprà *n. 27. & pluribus seqq.* probatum est, nec alii qui defectu patris solùm obligantur, ac proinde cessat eorum obligatio in omnibus casibus, in quibus cessat, seu cessaret patris obligatio: id quod est de mente omnium Doctorum, qui in sequentibus quæsitis allegantur.

§. Primus.

Si quis egenus habeat patrem, & filium divitem, quis horum teneatur illum alere.

QUæsitum primum, si quis inops habeat patrem, & filium divites, quis eorum teneatur, & cogi debeat illi præstare alimenta. Ad hoc quæstiõ Ioan. de Lignano *in tract. de amicitia*, §. *hinc insurgit dubium*, *n. 3.* à Surdo *de alim. tit. 1. q.101.* relatus, respondit utrumque teneri contribuere in alimenta patris, & filii respectivè. Sed verior, & tenenda responsio est, quod solus pater teneatur. Ita Angelus *verbo filius*, *n.24. ad fin.* Sylv. *verb. filii, q.12.* Azorius *p. 2. lib. 2. c. 5. q. 13.* Joseph Rocafull *in sua praxi Quid agendum*, *p. 3. lib. 2. n.45.* & ea Iurisperitis Bartolus, & Jacobus de Arena *in l. nam quemadmodum*, *ff. de liber. agnosc.* Paleotus *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit*, *&c.* Merlinus *de legitima*, *lib. 1. tit. 3. quæst. decis. 5. n. 32.* latè Surdus *d. q. 101.* & Franciscus Maria Pratus *in lib. practicarum observ. observat. 891. & in annotatione ad num. 65. c. 3. part. 2.* Arturus Paschalis *de viribus patria potestatis* 280
Ratio est, quia urget magis debitum ascendentium in descendentes, quàm descendentium in ascendentes, onde dici solet, quod amor descendit, & obligatio alendi descendit ab æquitate, & ratione naturali, *l. si quis à liberis*, *ff. de liber. agnosc.* & superiùs sæpè dictum est: naturale autem jus magis obligat patrem alere filium, quàm è contra, ut probat Albericus *in l. penult. in fin. C. de alendis liberis*, & Alexander *in l. suis*, *n.7. ff. de liber. & posth.* qui enim dat esse, debet & illud conservare: & patet etiam conservatur in filio, ut in prima parte *capitis* 10. agendo de bona educatione filiorum, ex Aristotele traditum est: quilibet autem primò tenetur ad sui, suarumque rerum conservationem, *l. prases*, *C. de servitutibus*, *& aqua.* Demùm attendenda est prioritas obligationis paternæ, quæ cùm à principio subsistat, non debet tolli per superexistentiam filii. Neque obstat, patri permitti vendere filium in necessitate, *l. 2. C. de patr. qui fil. distract.* filio autem non concedi vendere patrem. Non enim ideò infertur, non esse majorem obligationem quoad alimenta in patre erga filium, quàm in filio erga patrem; id enim fuit inductum ratione patriæ potestatis, ex Baldo *in d. l. 2. num. 1.* & aliis scribentibus *ibidem*: ex quibus satis constat, ea, quæ Diana *p. 10. tract. 13. resolut. 3. versic. Sed ego in favorem Alphonsi de Castro* (qui ex Corduba *in l. si quis à liberis, in principio n.7.* asserit onus alendi in hoc casu spectare ad filium, non ad patrem) asserit, non procedere in præsenti casu, sed tantùm in casu extremæ necessitatis patris, & filii, ita ut quis uni tantùm possit subvenire, scilicet tantùm patri, aut forsan filio; tunc enim juxta communiorem succurrendum est potiùs patri, quàm sit filio subveniendum, de quo infrà *n. 1215. ad* 1219. & tenet Diana *d. resolut. 3.*

§. II.

§. II.

Avus paternus tenetur alere nepotes legitimos ex filio legitimo genitos in defectum patris.

281 QUæsitum secundum, an avus paternus teneatur nepotem legitimum natum ex filio legitimo, & naturali, & similiter an proavus, & cæteri ascendentes ex linea virili teneantur pronepotes, & cæteros descendentes alere. Certa conclusio est, avum paternum (& idem de proavo, & cæteris ascendentibus) teneri alere nepotes legitimos ex filio legitimo, & naturali natos, quos illorum pater non potest præ inopia alere, nec ipsi aliunde habent unde se alere possint. Glossa, Bartolus, Albericus *in l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* Corduba *ibid. §. non tantùm, n.41.* Bartolus pariter *in tractatu de alim.* & alibi, Pontanus *de alimentis, cap.11. n.11. & 12.* Paleotus *de nothis, c.47. n.6.* Ioan. Garzias *de expensis, c.3. n.33.* Surdus *de alim. tit.1. q.12.* Seraphinus *decis. 447. n.5.* Stephanus Gratianus *tom.1. cap.259. n.14.* Vincentius de Franchis *decis.178. n.10.* Fachineus *controv. juris lib.10. cap.40.* Rojas *de successionibus, cap.23. n.30.* Rota *decis.431. n.3. p.4 diversorum*, & Jurisperiti communiter, quos Surdus *d. q.12. n.1.* refert, & idem docent Summistæ, & Theologi, præsertim Azorius *p.2. lib.2. cap.4. quæst. ultima*, & Rebellus *de oblig. justit. p.2. lib.5. q.4. n.23.* & à fortiori omnes Doctores asserentes avum paternum teneri alere nepotes spurios ex filio legitimo natos, qui infrà citantur. Constat hæc conclusio *ex d. l. si quis à liberis, §. utrum autem*, ubi ita Vlpianus: *Verum autem tantùm patrem, avumque paternum, proavumque paterni avi patrem, cæterosque virilis sexus parentes alere cogamur; an verò etiam matrem, cæterosque, & per illum sexum contingentes cogamur alere, videndum est? Et magis est, ut utrobique se judex interponat, quorundam necessitatibus faciliùs succursurus, quorundam ægritudini; & cùm ex æquitate hæc res descendat, charitateque sanguinis, singulorum desideria perpendere Iudicem oportet.* Hæc Vlpian. & *in Auth. ut liceat matri, & aviæ, §. illud*, de avis maternis simile habetur. *Quod autem* (dicitur ibi) *de alenda matre, & filiis indigentibus definivimus, hoc quoque in omnibus ascendentibus, descendentibusque personis utriusque naturæ valere præcipimus.* Quod Authenticum refertur *in auth. si pater, C. de divortio facto.* Probatur etiam *ex §. non tantùm alimenta, d. l. si à liberis*, ubi quod pater non solùm tenetur alere filium, sed etiam alia onera sustinere, & consequenter etiam nepotes ex filio, cùm numerentur inter onera filii: eadem enim ratio, & æquitas naturalis, quæ dictat, & suadet filium esse alendum à patre, dictat etiam eùm alendum ab avo, & cæteris ascendentibus in patris defectum: super qua ratione naturali fundatur dictæ legis dispositio. Procedunt autem prædicta non solùm patre vivente, sed etiam mortuo, ut post Ruinum *cons.94. n.8. vol.5.* & Aretin. *cons.17. n.11.* notavit expressè Surdus *d. q.12. n.2.* & est de mente aliorũ: & est ad id textus expressus *in l. penult. ff. de liber. agnosc.* ubi dicitur, quod nepos, seu filius est patri oneri, nisi aut pater non sit superstes, aut egenus est. Confirmatur prædicta conclusio ex eo, quod avus veniat appellatione patris, *l. justa interpretatione, de verb. signific.* Gratianus *d. c.259. n.15.* & latè Surdus *d. q.12. n.3.* quod est verum in dispositione favorabili, ut post alios asserit Surdus; licèt secus in correctoriis, & odiosis, ut idem notat Surdus ex Beroio, Dueña, & Ascanio *de patria potestate, effectu 1. n.21.*

282 Ex hac conclusione infertur, avum teneri dotare neptem ex filio, de qua re Surdus latè *d. q.12.* Pontanus *d. cap. 11. num.12.* Fachineus & Rebellus *locis citatis*, & Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. non tantùm, n.69.* & infrà cùm de obligatione parentum dotandi filias pertractabimus.

§. III.

Avus & proavus paterni tenentur alere neptem spuriam ex filio legitimo procreatam.

AN verò avus teneatur alere etiam nepotem spurium ex filio legitimo natum in defectum patris? 283
Negavit Vasquius *de success. creat. lib.2. §.20. n.160. & n.318 & 319.* asserens esse alendum tantùm à conjunctis ex parte matris. Sed cæteri Doctores communiter affirmarunt, attenta æquitate canonica, seu dispositione juris Canonici *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit*, juxta cætera in præcedentibus explicata. Ita Socinus *cons.161. n.9.* Nicolaus Ubaldus *in tract. de successionibus ab intestato, p.1. in 4. specie liberorum*, Covartuvias *de spons. p.2. c.8. §.6. n.16.* Gama *decis.11. n.7.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis. §. idem rescripsit, n.42.* Carpanus *ad statutum 313. n.15.* Ludovicus Molina *de justitia, tom.1. disp.168. §. non solùm parentes*, Surdus *d. quæst.12. n.6. & duobus sequentibus*, Ioannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis Clericorum, c.17. n.9.* Azorius *loco suprà citato*, & alii. Eadem enim æquitatis ratio, quæ viget in patre spurii, locum etiam habet in ejus avo, proavo, & cæteris majoribus: ac proinde sicut hodie pater juxta dispositionem juris canonici *in d. cap. cùm haberet*, in foro seculari ubique receptam, ut superiùs ostensum est, tenetur alere filios spurios ex coitu punibili procreatos: ita etiam avi paterni in defectum patris eos alere tenentur; quemadmodum enim lex civilis, quæ matrem cogit ad alendum filium illegitimum, extenditur per identitatem rationis ad ascendentes per maternam lineam, ut docet etiam Vasquius ipse *loco citato*: ita non apparet ratio, cur non eodem modo extendenda sit ad ascendentes per lineam paternam lex canonica, quæ ex æquitate compellit patrem alere filios spurios, maximè quia respectu avi sunt minùs odiosi, *arg. l. fin. C. de naturalibus liberis.* Quare legem Regiam *5. tit.19. p.4.* dicentem filios spurios esse alendos à matre, avo & proavo ex linea materna, in defectum matris (in quo sequuta est rigorem Juris Cæsarei, *§. idem in liberis, ff. de liber. agnosc.*) corrigi per jus Canonicum, illique cedere, tradunt Covarruvias, Molina, Padilla *in auth. res quæ, n.66. commun. de legatis*, & alios allegans Surdus *d. q.12. n.9.* licèt non rectè secus sentiant Vasquius *d. n.319.* & Gregorius Lopez *l.5. tit. 19. p.4.* & Corduba à Lara *in §. idem rescripsit, n.46. & 47. l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* addens dictam legem regiam non habere locum; si spurius probaverit se esse nepotem, nam tunc avus paternus etiam juxta illam legem 5. cogitur præstare alimenta.

Ex quibus infertur, avum posse relinquere nepoti 284
spurio ex filio legitimo nato, eo prorsus modo quo pater potest illi relinquere, scilicet usque ad congruam alimentorum quantitatem, juxta tradita *in præcedentibus*, & Iason. *cons.26. n.12. vol.1.* cùm id possit pater juxta dispositionem juris canonici *in d. c. cùm haberet.*

Imò avus paternus eidem nepoti spurio ex filio legitimo, & naturali potest relinquere, & donare quantũ vult, ut tenet Surd. *de alim. tit.1. d. q.12. n.10. & quatuor seqq.* & cæteri Iurisperiti ab eodem Surdo *n.12.* relati, & idem Surdus *cons.84. n.14.* Non enim reperitur lege aliqua cautum, quod avus non possit relinquere nepoti spurio, & solùm patri prohibetur relinquere filio spurio, non verò avo interdicitur relinquere nepoti spurio, *in auth. Ex complexu, C. de incestis nuptiis, & l.10. C. de naturalib. liberis*: & cùm dicta lex sit odiosa, non est extendenda, & in avo cessat

ratio,

ratio, qua lex civilis prohibuit à patre relinqui, *l. fin. C. de natur. lib.* Nec macula patris nocet filio in iis quæ sibi quæruntur alio medio, quàm per patrem, *l. divi fratres, ff. de jure patronatus.*

§. IV.

Avus tenetur alimenta præstare nepotibus legitimis, & naturalibus, ac etiam spuriis ex filio spurio, vel naturali procreatis.

286 QVemadmodùm autem avus, & proavus paternus, & cæteri majores tenentur alere nepotem spuriū ex filio legitimo: ita eadem ratione in defectum patris viventis, vel defuncti avus (& sic de reliquis majoribus paterni generis) paternus eadem ratione tenetur alere filium legitimum, & naturalem natum ex filio spurio, vel aliter illegitimo. Ita Ruinus *cons.* 124. *num.* 11. *vol.* 1. Rolandus à Valle *cons.* 54. *n.* 62. *vol.* 2. Paleotus *de nothis, cap.* 47. *num.* 6. & *cap.* 51. Vincentius de Franchis *decis.* 283. *num.* 15. & *decis.* 686. *n.* 1. P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *num.* 71. *ff. soluto matr.* Peregrinus *de jure fisci, lib.* 3. *tit.* 18. *n.* 64. Gama *d. decis.* 11. *num.* 7. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. idem rescripsit, num.* 39. & *seq.* Surdus *de alim. tit.* 1. *quæst.* 13. *n.* 1. & 2. Gaspar Ant. Thesaurus *quæst. for. lib.* 9. *quæst.* 25. *n.* 9. Augustinus Barbosa *collect. ad c. cum haberet, n.* 8. *de eo qui duxit*, Doctores alii suprà *n.* 283. relati, & alii plures apud præcitatos, præsertim Peregrinum, Surdum, & Franchum. Probant Franchus, & Surdus *ex d. cap. cùm haberet, fin.* dum dicitur, quod pater liberis suis tenetur alimenta ministrare; liberorum enim appellatione veniunt non solùm filii, sed etiam nepotes, *l. liberorum, ff. de verborum sign.* præterea in favorabilibus dispositio loquens de filiis extenditur ad nepotes, ex Bartolo *in d. l. liberorum:* præterquam quod major est ratio alendi nepotes legitimos ex filio spurio, quàm nepotes spurios ex filio legitimo, cùm non sint ita odiosi legibus ob legitima natalia; & cessat in eis causa, per quam jure civili denegantur alimenta, ut scilicet pater puniatur in filio. Imò etiam nepotibus spuriis ex filio spurio in defectum patris tenetur avus alimenta præstare, ut in terminis tenet Gomez *d. decis.* 11. *num.* 8. & Joannes Nicolaus Lucidorus *d. cap.* 17. *num.* 10. cùm & hi nepotes spurii ex spurio nomine liberorum contineantur, & quoad hos etiam habeat locum eadem æquitatis naturalis ratio in avo, quæ in patre: & si juxta *dictum c. cùm haberet, de eo qui duxit,* &c. quoad alimenta præstanda idem jus naturale respicit tam spurios, & incestuosos, quàm legitimos; non minùs cogitur avus nepotem, quamvis spurium, & ex spurio alere, quàm cogitur avus alere nepotem legitimum ex filio legitimo.

287 Posse autem avum hujusmodi nepotibus legitimis, & naturalibus, vel spuriis ex filio spurio progenitis, quantum voluerit, legitimis filiis sibi non extantibus, relinquere, ostensum est præcedenti §. *à n.* 246.

§. V.

Avus tenetur dotare neptem spuriam ex filio legitimo, & neptem legitimam, vel spuriam ex filio spurio.

288 EX traditis *num.* 283. & 286. sequitur, quod qua ratione avus in defectum patris tenetur alere nepotem spurium ex filio legitimo, & nepotem legitimum, & naturalem, vel spurium ex filio spurio, eadem quoque eum teneri dotare neptem spuriam ex filio legitimo, & neptem legitimam ex spurio, cùm dos succedat loco alimentorum, & ubi dos loco alimentorum succedit, à pari procedunt alimenta, & dos, ut suprà *n.* 202. notatum est. Ubi probatum est, patrem ex eo, quod tenetur alere filium spurium, teneri etiam dotare filiam spuriam, & ita etiam avus obligatur dotare neptem ex spurio, quia pater debet sustinere onera filiorum, *l. si quis à liberis, §. non tantùm, ff. de liberis agnosc.* Surdus *d. quæst.* 13. *n.* 2. & Lucidorus *d. cap.* 17.

§. VI.

Avus paternus an teneatur alere nepotem, quando filius est dives.

QVæsitum tertium, an avus paternus dives teneatur alimenta præstare nepoti, vel nepti, quando filius est dives; an verò ipso filio diviti incumbat onus alimentorum.

Prima sententia distinguit inter avum paternum habentem nepotem, vel neptem in potestate; & inter avum non habentem in potestate. Si ergo avus paternus non habeat in potestate nepotes, & pater sit dives, ait hæc sententia non avum, sed patrem divitem teneri illos alere; si verò habeat in potestate, ipsum avum teneri illos alere, etiamsi pater sit dives. Ita expressè P. Barbosa *l.* 1. *p.* 4. *n.* 112. *versic. Secundò urget*, & *n.* 121. *initio, ff. soluto matrimonio*, & Socinus junior *in d. l.* 1. *n.* 92. ab eodem Barbosa *d. n.* 121. relatus: & pro hac sententia videntur posse allegari omnes Doctores asserentes avum paternum teneri dotare neptem, quam habet in potestate, etsi pater sit dives, vel etiam ipsa sit dives, quos referunt idem Barbosa *num.* 112. Fachineus *contr. juris lib.* 10. *cap.* 40. & Surdus *de alimentis, tit.* 1. *quæst.* 102. *n.* 8. & sequitur Rebellus *de oblig. just. p.* 2. *lib.* 5. *quæst.* 4. *n.* 23. 289

Primam partem hujus sententiæ probat Barbosa *d. num.* 121. quia quando avus non habet nepotes in potestate, quia sunt emancipati, tunc eis debet alimenta ex æquitate, & charitate sanguinis, *l. si quis à liberis, §.* 1. Consonantius autem æquitati, & charitati sanguinis esse videtur, quod priùs pater cogatur alere filios quàm avus etiam paternus, ut docent Alexander *in l. alimenta, in fine, C. de negot. gestis*, & Boërius *cons.* 17. 290

Secundam partem, quod avus, etiam existente patre divite, teneatur alere nepotes, quos habet in potestate, probat Barbosa, primò per textum *in l. penult. ff. de liberis agnosc.* ibi enim ait, legem constituere differentiam inter descendentes per lineam masculinam, vel fœmininam; & in hoc secundo casu velle, quod avus teneatur alere nepotes, nisi filius sit inops. Quare (subdit idem Barbosa) ut is casus differat à primo, intelligendum est, avum per lineam masculinam teneri alere nepotes, etiamsi filius sit dives, dummodo nepotes sint sub potestate avi. Secundò *d. n.* 121. probat, quia quando avus habet nepotes in potestate, concurrit in eo duplex vinculum, scilicet naturale proveniens ex charitate sanguinis, & civile proveniens à patria potestate, atque adeo propter hoc duplex vinculum cogitur alere nepotes, juxta dictam legem penultimam, *ff. de lib. agnosc.* Tertiò probatur, quia avus paternus tenetur dotare neptem, quam habet in potestate, si ipse sit dives, & etiam filius sit dives, ex regula legis *qui liberos* 19. *ff. de ritu nuptiarum*, quæ generaliter loquens ita habet: *Qui liberos, quos habet in potestate, injuria prohibuerit ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, coguntur in matrimonium collocare, & dotare.* Ex quibus verbis videtur manifestè constare, onus dotandi principaliter provenire ex patria potestate. Ergo à fortiori tenebitur nepotes alere, licèt sit dives, cùm majus incommodum sit in dote danda, quàm in alimentis suppeditandis, ut *suprà, n.* 201. & 202. dictum est, & tradunt Alexander & alii *d. num.* 201. relati, quia alimenta dantur singulis mensibus 291

ſibus, dos enim ſemel una ſolutione numerari ſolet, ut ibidem dictum eſt: & regulariter valet argumentum de dote ad alimenta, juxta Doctores. Plura alia cumulat Surdus *d.q.*102. ad idem probandum, quæ apud ipſum videri poſſunt, & ab ipſo, utpote à longè deducta, exiſtimantur nullius momenti, nec opus eſſe refelli à tenentibus contrarium.

292 Altera ſententia indiſtinctè, & abſolutè aſſerit, quando pater eſt dives, avum paternum, quantumvis divitem, non obligari nepotibus præſtare alimenta, ſed ipſum patrem. Ita Bartolus *in l. pen. ff. de liber. agnoſc. & & in l. nam quemadmodum, ff. eod.* Socinus *conſ.* 161. *vol.*2. Ioan. Lupi *in cap. per veſtras, notab.*3. §.24. *de donat. inter vir. & uxor.* Aſcanius Clem. *de poteſt. patria, effectu* 17.*n.*17. Pontanus *de alim.c.*11.*n.*12. Peregrinus *de jure fiſci, lib.*3.*tit.*18. *n.*64. Corduba de Lara *in l. ſi quis à liberis, in princip.n.*36. *ff. de liber. agnoſc.* Surdus *d.q.*102.*n.*6. *& ſeq.* Fachineus *allegato c.*41. Ioan. Lupi *de illegitimis, com.*2. §.1. *num.*26. Ioannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis clericorum, d. cap.*17.*n.*8. & cæteri Iuriſperiti communiter, quos latè refert Surdus *d.n.*6. ubi dicit eſſe veriorem, & communem ſententiam, qui omnes probant ratione ſuprà *n.*290. tacta, ſcilicet quod obligatio alendi oritur ex charitate, & ſanguinis conjunctione, atque naturali ſtimulo, ſeu inſtinctu, quo pater impellitur filios educare: ſuper qua charitate, & ſanguinis conjunctione, atque inſtinctu naturali fundatur legis diſpoſitio *in d.l. ſi quis à liberis, ff. de liber. agnoſc.* Hujmodi autem obligatio priùs afficit patrem, utpote filio magis conjunctum, & immeditam illius cauſam, & proximum principium, & cujus filius eſt pars & imago; atque adeo ipſe pater, cùm poteſt, debet filios ſuos alere, ipſa naturali ratione ſic dictante: avus autem in defectum patris inopis, & qui alimenta filiis non poſſit miniſtrare, ut in præcedentibus quæſitis oſtenſum eſt. Confirmatur *ex d. l. ſi quis à liberis, §. utrum autem,* ubi ex contentis in linea recta maſculina obligatis ad alendum liberos, primo loco enumeratur pater: *Vtrum autem tantùm pater, avuſque paternus, &c.* Item *d. l. ſi quis à liberis, §. ſed ſi filius,* ibi: *Filium divitem non cogimur alere.* Cenſetur autem dives, qui patrem habet divitem. Surdus *d. tit.*1.*quaeſt.*103.*n.*3. & Doctores *in auth. preterea, C. unde vir.* Rurſus *d.l. penult. ff. de liber. agnoſc.* avus maternus non cogitur alere neptem, niſi quando pater defunctus eſt, vel eſt egens. Ergo nec paternus: tantùm enim abeſt, ut *d. l. pen.* colligatur, legem velle avum paternum teneri alere neptem, ſi pater ſit dives, ut priùs Doctores, quod dicitur de avo materno, licèt non habeat in poteſtate nepotes, intelligant etiam de avo paterno, ut Aretinus *conſ.*17.*n.*11. & Surdus *tit.*1. *q.*17.*n.*2. maximè quia legum correctio evitanda eſt, nec inducenda, ubi non eſt expreſſa, vel adſit urgens conjectura. Quare cùm *ex d. l. ſi quis à liberis*, onus alendi liberos primò incumbat patri, & in ejus defectum avo paterno, nec *in d.l. penult.* adſit verbum indicans contrarium, non poteſt cenſeri correctà diſpoſitio ejuſdem legis *ſi quis à liberis.* Neque etiam in avo poteſt conſiderari duplex illud vinculum ad alimenta obligans, ſcilicet naturale, & civile ex patria poteſtate proveniens; nam obligatio alendi filios non provenit ex patria poteſtate, ut conſtat ex traditis *c.*1. *n.*5. & ſuperiùs *n.*276. ſed ex naturali ratione, ipſoque inſtinctu, & ſtimulo naturæ impellente parentes ad proprios partus educandos, & & conſervandos, cui innititur legis diſpoſitio.

293 Demùm quod dicebatur de obligatione avi paterni dotandi neptem, quam habet in poteſtate, ſive pater, ſive ipſa neptis ſit dives, magis communiter à Doctoribus negatur, quos referunt idem P. Barboſa *d. p.*4. *num.*11. Menochius *conſ.*183. *num.*14. *lib.*2. & Surdus *d. quaeſt.*102. *num.*8. qui & illos ſequitur, & eandem ſententiam latè defendit Fachineus *d. c.*4. ubi teſtatur eſſe communem Doctorum, de qua controverſia in ſuo loco, ubi agendum de obligatione parentum dotandi filias. Præterea dato, quod dicta lex *qui liberos*, ſit generalis deciſio, quod qui habet in poteſtate filios, teneatur dotare, non ſequitur quod lex voluerit etiam avum teneri præſtare alimenta nepotibus omnibus, cùm ſit diverſa ratio alimentorum, & dotis, quando hæc non eſt danda ex miſeratione, & pietate, & præciſè loco alimentorum jure naturæ debitorum: & ita non ſemper valet argumentum de dote ad alimenta, ſicut nec ſemper valet de alimentis ad dotem, ut in præcedentibus dictum eſt, & notavit Paleotus *de Nothis, c.*49.*n.*1.

§. VII.

Patre defuncto nepotes egenos teneanturne avus paternus ſuperſtes, vel mater, ſi ambo ſint divites, alere.

QVæſitum quartum, filiis egenis, patre defuncto, avuſne, aut proavus paternus, an verò mater, 294
quando uterque, ſcilicet & avus, & mater eſt dives, teneatur præſtare alimenta? Teneri in hoc caſu matrem aſſerunt Molina *de juſt. tom.*1. *diſp.*168. §. *in defectum patris, & diſp.*228. §. *ſecundum eſt*, Azorius *p.*2. *lib.*2. *c.*4.*quaeſt.*8. *verſic. praterea*, Bonacina *tom.* 2, *diſp.*2.*p.*6. §.1. *num.*3. Villalobos *tom.*2. *tract.* 41.*diffic.*8. & Ægidius Trullench *in Decalog. lib.*4. *c.*1. *dub.*3.*num.*23. Hi enim Theologi ſtatuerunt hunc ordinem circa filiorum alimenta, ut primò pater ad illa præſtanda teneatur, in defectum ipſius impotentis, onus alimentorum transferri in matrem, in defectum verò matris ad alimenta præbenda obligari avum & proavum, & cæteros aſcendentes ex parte patris, & ex patre matris; ita tamen, ut primò teneantur avi, & aſcendentes per virilem ſexum; & his deficientibus avi per fœmineum ſexum: & eandem ſententiam videtur tenere Antonius Gomez *ad l.*40. *Tauri, n.* 57. quatenus abſolutè dicit, mortuo patre matrem teneri de jure alere filios; & ipſe, ac prællegati Theologi probant per textum, quem Gomez dicit eſſe formalem, & expreſſum, *in l. ſi quis à liberis, §. utrum autem, ff. de liber. agnoſc.* Azorius probat, etiam ex textu *in §. ergo & matrem, ff. eodem.* Aliam rationem ipſi non adducunt. Sed probatur præterea, quia obligatio alendi filios deſcendit ex æquitate naturali, charitate, & ſanguinis affectione, ut dicitur *in l. ſi quis à liberis, dicto §. utrum autem*: mater autem plus filios diligit, eiſque proximior eſt ſanguinis communione, quàm avus paternus; & conſequenter in matre urget potentiùs jus ſanguinis, quàm in avo. Ergo jure naturali eoſdem alere priùs, & potiùs tenetur, quàm avus. Rurſus mater filio decedenti ſuccedit, excluſo avo paterno: ergo & illum alere debet.

At tanquam verius aſſerendum, avum, & cæteros 295
aſcendentes priùs teneri, non matrem. Ita ex Theologis Angelus *verbo Alimenta, num.* 1. Sylveſter *verbo eodem, num.*2. *& verbo Filii, quaeſt.*21. *verſic. Mater tamen*, Layman *lib.*5.*tract.*10. *p.*3. *oppoſit.* 5.*n.* 7. Megala *part.*2.*lib.*2.*c.*23. *q.*1.*n.*23.*fine*, & Ioſeph Rocafull *in praxi Quid agendum, part.*3. *lib.*2. *num.*44. Ex Juriſperitis Ruinus *conſ.*94. *num.*9. *&* 10. *vol.*5. Caſtro *in l. Neſennius, ff. de negot. geſt. & conſ.*186. *num.*3.*vol.*1. Corduba à Lara *in d. l. ſi quis à liberis, §. ſi mater, num.*37. *& duobus ſeqq.* P. Barboſa *in l.*1. *p.*4. *num.*123. *ff. ſoluto matr.* Stephanus Gratianus *tom.*2. *cap.* 259. *num.*14. & Surdus *de alimentis, tit.* 1. *quaeſt.*103. *per totam.* Probatur hæc ſententia in primis ratione ducta ex ipſa natura, quia ſicuti pater conſervatur in filio, ita & avus: quare eodem naturali inſtinctu, atque ſtimulo, quo inclinatur homo ad diligendum filios, impellitur ad diligendos nepotes, & non non minùs intensè, imò magis, cùm in ipſis conſervetur, *l. liberorum* 220. *§. fin. de verb. ſignif. Etenim*

(inquit

(inquit Rex) *idcirco filios, filiásque concipimus, atque edimus, ut ex prole eorum, earumve æternitatis nobis memoriam in ævum relinquamus*. Unde ibidem dicitur, quod naturali ratione docente, nepotes, & omnes ex nobis descendentes filiorum nomine continentur, & quod non possumus dulciore nomine nepotes nostros, quàm filiorum appellare: quapropter argumentum illud pro contraria sententia adductum de charitate, & affectione sanguinis, retorquetur; nam non minùs ardenter, imò ardentiùs, ut post alios notavit Surdus *d. q.* 103. descendit amor in nepotes, quàm vigeat in filiis: & experientiâ ipsâ constat, avos, & proavos non minùs gaudere de nepotum, & pronepotum nativitate, quàm de filiorum ortu, eosdemque nepotes non minùs intensè diligere. Ergo etiam attenta propria conservatione, & ipsa charitate, & sanguinis conjunctione, avus tenetur potiùs, & priùs quàm mater, alere nepotes, sicut & tenetur alere filios, quorum etiam nomine, ita natura ipsa dictante, iidem nepotes continentur. Et ex hac ratione rejicitur sententia Cordubæ *d.* §. *si mater*, *n.* 39. dicentis jure naturæ potiorem esse causam matris in alendo filio, quàm avi paterni in alendo nepote, hoc tamen jus naturale contrariâ ratione à natura ducta, constituitúque esse jure civili, ne matri oneri sit filius, sed avo paterno jure patriæ potestatis, cùm nepos in avi sit potestate, *l. liberorum*, *ff. de adoptionibus*, & §. 1. *quibus modis jus patr. potest. solvitur*; & ususfructus eorum, quæ filius quærit, si castrensia non sunt, avo acquiritur jure patriæ potestatis, *l. cum oportet*, *l. fin. in princ. C. de bonis quæ liberis*, & *Instit. per quas personas nobis acquir. in princ.* Unde secundùm naturæ regulas, avus qui sentit cōmodum, quia ei nepos quærit, sentiat incommodum alendi, nec cogatur mater alere, cui filius non quærit, *l. secundùm naturam*, *ff. de reg. juris*. Ita Corduba, contra quem ulteriùs est, quod onus alendi filios non attendatur ex patria potestate, ut sæpè in præcedentibus dictum est, alioqui pater non cogeretur alere illegitimos filios; nec successione, seu jure succedendi, & lucri acquirendi, ut pariter in præcedentibus ostensum est, & tradunt Ruinus *d. consf.* 54. *fin.* P. Barbosa *d. p.* 4. *n.* 124. & Surdus *d. q.* 103. *fine*, cùm pater & mater æquè filio succedant, & tamen alere tenetur pater, non mater, ut constat *ex l. si quis à liberis*, & clariùs *l. penult.* ubi dicitur, filium esse patri oneri quoad alimenta, *ff. de liber. agnosc.* præterea data doctrina Cordubæ, nepotes quos in sua potestate non haberet avus paternus dives, essent alendi à matre divite; & ita non esset universaliter vera sententia, quam ipse ibid. *n.* 37. approbat, quod avus paternus alere teneatur nepotem, non mater.

296 Confirmatur eadem sententia attento jure civili, & primò quia appellatione filii venit nepos, ut constat *ex d. l. liberorum*, *ff. de verb. signif.* & dictum est suprà, *n.* 86. sicut & nomine patris veniunt etiam in hac materia alimentorum cæteri ascendentes per sexum virilem, ut sentiunt Angelus, & Sylvester *locis suprà citatis*. Secundò quia pater præter alimenta filii tenetur etiam alia filii onera sustinere, *l. non tantùm*, §. *si quis à liberis*, *ff. de liber. agnosc.* & filii sunt onus patris, & consequenter avi, qui nepotes propter filium cogitur alere. Tertiò quia mater ultra primum triennium non tenetur alere filium habentem aliunde unde possit ali, ut quæsito sequenti videbitur: non dicitur autem non habere quando adest avus dives, qui ad hoc tenetur; & quia non dicitur pauper, qui patrem, vel avum habet divitem. Surdus *d. q.* 103. *n.* 3. & dictum est suprà *n.* 292. Quartò *ex d.* §. *utrumque autem*, *Inst. si quis à liberis*, ubi obligatio alendi liberos injungitur primo loco patri, & ejus ascendentibus per lineā maternam: ergo avus paternus priùs quàm mater tenetur nepoti in defectum patris alimenta præstare. Quod magis cōfirmatur, quia cùm principalis obligatio alēdi semel à lege injuncta sit patri, & ita constituta in ascendentium sexus virilis linea, faciliùs per eandem lineam excurrit in avum, quàm ut transeat in aliam lineam maternam, quia in habentibus symbolum facilior est transitus: ad quod ostendendum Surdus *d. q.* 103. *n.* 6. & 7. adducit illud de feudo, scilicet quod postquam feudum pervenit ad unam lineam per divisionem, vel per aliam licitam viam, in ea succedunt quicumque descendentes ab illa linea, exclusis agnatis conjunctis per aliam lineam, quanvis proximioribus, *c.* 1. *de natura success. feud.* Bartolus, Baldus, & Doctores communiter, quos idem Surdus allegat. Demùm confirmatur eadem sententia ex eo, quod si neptis habeat avum paternum divitem, & matrem eāl divitem, priùs cogendus est avus, etiam non habens eam in potestate, dotare quàm cogatur mater, ut ex P. Barbosa *d. n.* 123. Corduba *d.* §. *si inter*, *n.* 3. Gratianus *d. cap.* 259. *num.* 12. *ad* 21. Surdus *d. quæst.* 13. *n.* 2. alii apud eusdem, & Doctores communiter *in tit. ff. solut. matr.* per textum *in l. dedit dotem*, *ff. de collat.* & *l. fin. C. de dotis promissione*: de qua te infrà cùm de dote, & ex traditis manet satisfactum fundamentis prioris sententiæ.

§. VIII.

Cùm in Regnis Hispaniæ nullus avus habeat nepotes in potestate, utrum avus paternus, vel mater in defectum patris teneatur eosdem nepotes alere.

ET prædicta jure civili, & communi attento; sed cùm in Hispania ex dispositione legis 47. Tauri, filius, aut filia matrimonio cum Ecclesiastica benedictione conjunctus, habeatur omnibus in rebus in perpetuum emancipatus, patrisque potestate liberatus, & consequenter filii ab eo geniti in avi potestate non sint, mortuoque patre liberi sunt, §. 1. *Instit. quibus modis jus patria potest. solvitur.* Difficultas est, an attenta *d. l.* 47. mortuo patre avus ipse dives, an verò mater pariter dives teneatur in his priùs alere nepotes inopes? Et teneri matrem affirmat Corduba *in d.* §. *mater*, *n.* 40. *l. si quis à liberis*, *ff. de lib. agnosc.* Et ejus sententiæ esse etiam Gregorium Lopez *in l.* 4. *part.* 4. *verb. Qualquier dellos*, ait P. Barbosa *p.* 4. *num.* 123. *fine*. Probat Corduba, quia cùm stante dicta lege 47. nepotes non quærant avo usumfructum, cessat causa ob quam avus jure civili cogebatur alere nepotes: ergo cessabit & ipsa alimentorum præstatio, cogeturque mater alere, cujus causa est præcipua in successione filii, *auth. defuncto*, *C. ad Tertyll.* Præterea, alet (inquit) mater, quæ arctiori sanguinis nexu filio cohæret, quàm avus, juxta *dictam legem si quis à liberis, in principio*. 297

At contrarium rectiùs sustinet P. Barbosa *d. l.* 1. *p.* 4. *n.* 4. *ff. solut. matr.* asserens & in Regnis Hispaniæ avum paternum divitem, & non matrem teneri in defectum patris alere nepotem, & dotare neptem, eo quòd officium paternum sit alere, & dotare suam sobolem, non autem maternum, juxta jura suprà *n.* 295. & 296. adducta: & quamvis nepotes, & neptes descendentes per lineam masculinam in Hispania non sint in potestate avi, sunt tamen etiam nepotes, & neptes de ejus familia, & agnatione, *l. sunt autem*, *ff. de legitim. tutor.* §. 1. *Instit. de success. agnat.* & *l. Iurisconsultus*, *ff. de gradibus*. Descendentes autem per lineam fœmineam non sunt de familia matris, vel avi materni; qua ratione fœmina dicitur principium, & finis suæ familiæ, & agnationis, *d. l. Iurisconsultus, in principio*, & *l. pronunciatio*, §. *familiæ*, *ff. de verbor. signif.* ac proinde ex consequenti avus paternus priori loco tenetur, & cogēdus est alere nepotes, & neptes, utpote de ejus familia, & agnatione, quàm mater, aut avus maternus, de quorum familia non sunt. Neque obstat illud, quod matris causa sit potior in successione, quia obligatio alendi (& idem de obligatione dotandi) non oritur, seu attenditur ex jure successionis, ut suprà *n.* 295. *fin.* & in præcedentibus dictum est; sicut etiam non oriti ex patria potestate, 298

jam

jam sæpiùs ostensum est: ex quibus corruunt Cordubæ fundamenta.

§. XI.

An, & quando mater teneatur alere filios, & an jure natura obligetur lactare suos filios, & non ablactando sine justa causa peccet.

QVæsitum quintum, an, & quando mater teneatur alere filios. Pro quæsiti explicatione plures sunt enodandæ difficultates, scilicet an jure naturæ mater teneatur proprios filios per se ipsam lactare, an primo triennio onus alendi filios ad matrem spectet, & post triennium qua ratione obligetur ad præstanda filiis alimenta.

Difficultas prima, an mater jure naturæ teneatur lactare filios, & peccet, si absque justa causa aliis nu-
399 tricibus lactandos tradat, seu lactari curet.

Communis Doctorum sententia est, de jure naturæ, & pietatis officio matrem teneri per se ipsam lactare filios suos, & consequenter peccare, si absque justa causa excusante lacter per alias nutrices. Ita ex Theologis Azorius *p.2. lib.2. cap.4. quæst.5.* Saytus *lib.7. Clavis, cap.7.n.6.* Reginaldus *tom.2. lib.20. n.33.* Layman. *lib.15. tract.10. p.3. cap.5. n.6.* Bonacina *tom.2. disp.6. quæst. unica, puncto 6. §.1.n.4.* Filliucius *tom.2. tract.28. p.2.cap.2. n.43.* Megala *p.2. cap.23. quæst.1. n.12. ad 20.* Fagundez *in Decalog. lib.4. cap.1. n.12.* Villalobos *tom.2. tract.41. diff.8.* & Trullench *in Decalog. lib.4.cap.1. dub.3 n.23. & 24.* ex Iurisperitis Panormitanus *in cap. cùm haberet, num.8. de eo qui duxit in matrimonium* Dominicus Benedictus, *in cap. Raynutius, num.45. de testam.* Cardinalis Alexandrinus *in can. ad ejus, dist.5.* Navarrus *in man. c.14. n.17.* Paleotus *de nothis, c.48. initio,* Covarruvias *de sponsf. p.2 [c.8.§.6. n.13.* Tiraquellus *de nobilitate, c.20. n.78.80. & seqq. ad 93.* Pontanus *de alimentis, c.8. n.1.* Garzias *de expens. cap.3. num. 30.* Didacus Rodericus Alvaradus *de conjectur. mente testatoris, lib.2. §.1. num.83. versic. Quod etiam,* Surdus *de alimentis, tit.1. quæst.13. n.2. & 3.* Augustinus Barbosa *ad decret. collect. ad can. Ad ejus, dist.5.* & alii à Tiraquello *d.n.78. & 83.* & Surdo relati. Probatur primò *eod. can. Ad ejus, dist.5.* ubi sive ille sit Divi Augustini, ut ponit Gratianus, sive D. Gregorii ad Augustinum Cantuariensem Episcopum, ut vult Tiraquellus *d.c.20. n.83.* tanquam prava reprehenditur consuetudo lactandi filios per aliam nutricem, quàm per matrem propriam. *Prava consuetudo* (ait textus) *in conjugatorum moribus irrepsit, ut filios, quos gignunt, nutrire mulieres contemnant, eosque ad nutriendum aliis mulieribus tradant, quod videlicet ex sola carnis incontinentia videtur fuisse inventum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.* Secundò quia natura ipsa impellente, cætera animantia suos nutriunt partus; nullum est enim animantis, aut plantæ genus, ut ex Erasmo *in colloquio,* & ex Plutarcho refert Tiraquellus *d. cap.20. num.85. & 90.* quod non alat suos fœtus. *Vlulæ, leones, & viperæ educant partus suos.* Ergo etiam similis instinctus, & impulsus est in hominibus. Tertiò, quia ad hunc effectum, ut mater propriis uberibus, quos genuit enutriat partus, ipsi matri unà cum partu lactis præsidium ab ipsa naturæ præstatur in ipso primo filii vagitu, cui propterea est meritò debitum velut alimentum, quod ipsemet filius in sua nativitate secum attulerit; atque adeò materno affectu ei est exhibendum per tempus conveniens, quod juxta leges est triennium, *l. filium, C. de patria potestate.* Hac ratione usus est Phavorinus Philosophus ad suadendum nobili fœminæ, ut liberos quos peperisset, proprio, non alieno lacte nutriret, ut est apud Gellium *lib. 10. noctium Atticarum, cap.1,* & refertur à Tiraquello *d. cap. 20. num.86. Nonne in hac quoque re* (sunt verba Phavorini admirantis naturæ providentiam) *solertia natura evidens est, quod posteaquam sanguis ille opifex in penetralibus suis omne corpus hominis finxit, adventante jam partus tempore, in supernas se partes profert, & ad fovenda vitæ, atque lucis rudimenta præsto est, & recens natis notum, & familiarem victum offert. Nec enim* (paulò post subditur) *fœminis mammarum ubera quasi quosdam nævulos venustiores, aut ornandi pectoris causâ, sed alendorum liberorum gratiâ natura dedit.* Eandem rationem consideravit Plutarchus à Tiraquello *d. numero 85.* relatus. *Quod autem matres* (scribit idem Plutarchus in libro de educandis liberis) *quos progenuerint, nutrire, atque alere conveniat, ipsa etiam natura demonstrat; unicuique enim animantium generi, quæ pariunt, idcirco simul & lactis alimenta suppeditavit: ejus quoque* (subdit) *sapientem fuisse providentiam constat, quæ duplices mulieribus mammas addidit, ut si gemellos peperisse contigerit, duplices ad alendum fontes haberent.* Addendum est, lac maternum, utpotè cibum non diversum ab eo, quo in utero matris nutritur fœtus, à sanguine enim, dum partus in utero gestatur, alitur, ex sanguine verò lac gignitur exiguam in mammillis mutationem accipiens, juxta Philosophos, & Medicos esse veluti continuatum & maximè proprium pueri recenter nati alimentum, quod proinde meliùs nutrit infantem, quàm lac alterius, ut inquit Galenus *lib.1. de sanitate tuenda;* ac proinde infantibus magis salubre, & nullus æquè sanus eligi potest infanti cibus illo, quo fuit in ventre matris coagulatus; siquidem plurimùm ad sanitatem confert cibis nutriri, qui conveniant cum alendi natura. Quare Galenus *in 3. Tech. cap.2. seu comm. 44.* inquit, *Calidiora corpora calidioribus indigent alimentis, frigidiora frigidioribus, sicciora siccioribus, humidiora humidioribus.* De quo latè cum aliis Tiraquellus *ad leg.5. connubialem, glossa 1. parte 5. numero 23.* pertractans illud, *Similia similibus convenire, & salubria esse.* Ex quibus etiam Phavorinus apud Gellium *loco suprà citato,* dixit non esse simpliciter dicendas matres, sed tantùm dimidiatas, seu non esse integras matres filiorum suorum, quæ illos non lactant ipsæ, quia non conferunt tantundem ad esse filiorum, quantum cæteræ, à quibus proles nata lactatur, & proprio lacte alitur; & propterea ait esse contra naturam, matrem non alere proprio lacte partum, sed aliis nutricibus lactandum tradere. *Oro te* (ait Phavorinus ad matrem, quæ pepererat) *mulier, sine eam totam integram esse matrem filii; sui hoc est enim contra naturam, imperfectum, atque dimidiatum matris genus, genitos peperisse, ac statim à sese abjecisse.* Adjungit idem Phavorinus, multùm conferre lac, quo puer nutritur, ad mores pueri inducendos. *Quamobrem non frustra* (inquit) *creditum est, sicuti valeat ad fingendas animi, corporisque similitudines vis, & natura seminis, non secus ad eandem rem lactis quoque ingenia, & proprietates valere. Neque in hominibus id solùm, sed in pecudibus quoque animadvertendum; nam si ovium lacte hœdi, aut caprarum agni alerentur, constat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. In arboribus etiam, & frugibus major plerumque vis, & potestas est ad earum indolem, vel detrectandam, vel augendam aquarum, atque terrarum, quæ alunt, quam ipsius, quod jacitur, seminis. Ac sæpè videmus arborem lætam, ac virentem in locum alium transpositam deterioris terræ succo deperiisse. Quæ igitur ratio est, nobilitatem istam nati modò hominis, corpusque, & animum benignè ingenitis pri-*

merdiis inchoatum, insitivo, degenerique alimento lactis aliem corrumpere, præsertim si ista, quam ad præbendum lac tune adhibebitis, aut serva, aut servilis, & ut plerumque solet, extranea, & barbaræ rationis, si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. Et infrà: *Quoniam in moribus inolescendis magnam fere partem ingenium altricis, & natura lactis tenet, qua jam à principio imbuta paterni seminis concretione, ex matris etiam corpore, & animo recentem indolem configuret.* Cujus rei pleraque exempla refert Tiraquellus *d. cap.20. n.88. & sequentibus.* Denique lac maternum conducit ad amorem inter se, & filium gignendum, & servandum: ad huncque effectum parturientibus naturam subministrare lac scribit Plutarchus *loco suprà allegato. Propterea* (inquit scilicet naturam dedisse mulieribus lactis fontes, seu ubera ad alendum filios) *ut majorem in eos, quos procreassent, amorem, benevolentiamque foverent; quod mediusfidius haud incuria factum est, victus enim, cibique sodalitium quoddam benevolentiæ, & amoris incrementum existit.* Et in eandem rem Phavorinus apud Gellium *loco citato*, post verba suprà adducta: *Præter hæc autem* (ait) *quis illud etiam negligere, aspernarique possit, quod quæ partus suos deserunt, ablegantque à se, & aliis nutriendos dedunt, vinculum illud, cinguinumque animi, atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt, aut certè quidem dilnunt, deferuntque. Nam ubi infantis aliorsum dati facta ex oculis amolitio est, vigor ille materna flagrantia sensim, atque paulatim restinguitur, omnisque impatientissimæ solicitudinis strepitus consilescit: ipsius quoque infantis affectio animi, amoris, consuetudinis in ea sola unde alitur, occupatur.* Et id ultimum confirmat illud, quod ex Iunio Rustico refert Tiraquellus *d. cap.10.num.92.* in hæc verba: *E duobus illis Gracchis fratrem nostrum fuisse bellicosissimum, cui aliquando de bello redeunti multis hostium spoliis onusto obviam fuerunt mater & nutrix ipsa, quibus munus obtulit, matri quidem annulum argenteum, nutrici torquem aureum. Quod cùm mater quereretur: Desine, inquit ille, mater queri, tu enim novem tantum mensibus tuo utero tulisti; hæc me duobus annis suis uberibus sustulit; si quid decoris hac in urbe habeo, ei debeo, quæ me eò provexit; si contrà aliquid dedecoris, id per te factum est, quæ me alieno concubitu concepisti. Hæc me ablactavit ob voluptatem, quam in me educando capiebat; tu me concepisti ex voluptate, quam tu ex alio accepisti: quod ex te habeo corpus est ex minimè honesta ratione mihi datum; quod autem hæc mihi spontè obtulit, ex sincero processit. Cum infans essem, vix ex utero prolatum, cotinnò me à tuo consortio, & oculis tuis relegasti, hæc verò me ita relegatum mox obviis ulnis blandè excepit.*

300 Ex quibus Garsias *d. cap. 3. num. 30. fine*, infert corollarium hoc, scilicet: *Ex his colligi potest, quàm malè faciant matres, quæ fontes illos lacteos quæsitis medicamentis obturant, impiæ, feræ, asperæ, & immites, & in nulla alia re, quàm in oblectamentis, & voluptatibus maires.*

301 Ex eisdem colligitur manifestè, reas peccati constitui matres, quæ nullam habentes causam justam excusantem, recusant filios suos proprio lacte nutrire, sed aliis nutricibus lactandos, & enutriendos tradunt. Faciunt enim contra jus naturæ, ac proinde eas peccare tradunt omnes Theologi suprà *numero præcedenti* allegati, Navarrus, Covarruvias, Dominicus, Benedictus, Augustinus Barbosa *locis ibidem citatis*, Tiraquellus *d. cap. 20. num. 93.* Surdus *tit. 1. cit. quæstione 14. num. 2. & titulo 8. d. privilegio 56. citato num. 25.*

Non esse tamen peccatum lethale, sed tantùm veniale, non tamen leve in hoc genere, si filii lactaodi mulieribu bonæ vitæ, ac morum tradantur, à quibus diligenter ali solent, docent omnes præfati Theologi, Navarrus, Covarruvias, & Augustinus Barbosa *locis suprà, & d. num.299. citatis*, eo quod nec pietas, nec charitas debita filiis graviter violetur, nec filius ob id grave damnum patiatur.

§. X.

Quæ causæ ab omni culpa excusent matres, quæ filios altis mulieribus tradunt lactandos, & nutriendos.

Qvænam autem sint causæ justæ excusantes matrem ut non peccet, si propriis uberibus non lactet filium, certum est primò, justam esse causam, naturæ, seu corporis imbecillitatem, aut infirmitatem, ratione cujus sine gravi suo detrimento corporali non posset puerum lactare. Ita Theologi *num. 299.* relati, Navarrus, Covarruvias, Ponzanus, Barbosa *locis eodem num. 299. citatis*, Paleotus *de nothis, capite 48.num.1.* alios allegans Surdus *tit.7. d. quæst. 13. num.4.* 302

Secundò, si mater lactanea non sit, seu non habeter lac saltem ad alendum filium sufficiens. Ita Covarruvias *eodem loco*, Surdus *d. num.4.* Alvaradus *loco suprà num.299. citati*, & alios plures allegaos Corduba de Lara *in §. si mater, num.6. l. si quis à liberis, ff. de liber agnosc.* in hoc enim casu cessat causa, propter quam tam jure naturæ quàm jure civili tenetur mater lactare filium. 303

Tertiò inopia, scilicet si mater sit ægrota, & pauper, quæ aliunde sibi victum quærere, & parare debeat; ordine enim charitatis priùs sibi consulere debet mater, quàm filio: & ita Theologi *num. 299.* allegati, Covarruvias, Navarrus, Pozanus, Barbosa *locis eodem num. 299. allegatis*, Corduba *in d. §. si mater, num. 5.* Paleotus *d. cap 48. num.1.* Surdus *dicta quæst. 13. num.15.* Covarruvias *allegat. § 6. num.13.* Garsias *de expens. d. cap. 3. num.31.* & alii Iurisperiti communiter, quos *locis citatis* Corduba, & Surdus referunt. Unde etiam jure civili attento, Bartolus *in d. §. si mater*, Baldus *in l. alimenta, num.2. C. de negot. gestis*, Corduba *d. num.5.* Garsias *d. num. 31.* & plures alii Iurisperiti à Corduba allegati aiunt, quod mater paupercula, putà scholastica, cootra legem, qua nutrire tenetur triennio filium, propter paupertatem, qua cogitur sibi alimenta quærere, potest filium scholasticeo etiam intra triennium reddere: quod observatur Salmanticæ, & ex Paulo *in d.l.alim.* ita attestante, refert Corduba *d.n.5.* & etiam Garzias affirmat pluries servatum in suo Senatu, quò sæpius commeabant pauperculæ mulieres, ab his ex quibus filios susceperant postulantes alimenta præstita parvulis, etiam intra triennium, quibus ait succursum ex dicta decisione Bartoli, Baldi, & aliorum. 304

Procedunt autem prædicta, si etiam pater sit pauper, ut non possit alimenta uxori ministrare; at verò si pater possit, & velit alimenta ministrare matri, ut possit filium propriis uberibus nutrire, tunc teneretur mater lactare in foro conscientiæ, & civili, quia cessaret causa excusans. Ita Covarruvias *loco suprà n.299. citato*, Corduba *d. num.5.* & Surdus *d. tit. 7. cit. quæst.13. n.16.* 305

Hinc si non solùm mater sit egena, sed etiam pater vilis, & ita pauper, ut non possit matri lactanti alimenta præstare, uterque à peccato excusabitur, si filium lactandum, & educandum hospitali, aut alteri loco pio ad alendos infantes exposito vel alios pauperes instituto exposuerint. 306

Quartò

307 Quartò est justa caosa, si sine infamia mater filium lactare non possit, quia sic detegeretur delictum ejusdem matris oceultum, seilleet quod ex concubitu alieno, & inhonesto concepisset. Ita Axorius *d.part.*2. *lib.*2. *cap.*4. *quæst.*3. & Molina *d. quæst.*168. & cæteri Theologi *num.*299. relati: & colligitur etiam ex Jurisperitis *eod. num.*299. relatis, & aliis quos Surdus *tit.*7.*d.q.*13.*n.*2. refert.

308 Quintò si defuncto vito, vel divortio facto muliee fuisset monastetium ingressa, vel esset ingressura causâ vitæ religiosæ. Ita Panormitanus *in d. c.cùm haberet, de eo qui duxit*, Pontanos *de alimentis*, *citato cap.*8. *num.*2. & Azorius *d.quæsito* 30.

309 Sextò, esse justam causam à culpa exeosantem matrem non lactantem proprium filium, & alii nutriei lactandum tradendi, si ei dedecus esset per se ipsam lactare, veloti si esset fœmina nobilis, & illustris, quam juxta patriæ mores, seu eonsuetudine'o, filium ablactare non deceat, tradunt Axorius, & alii Theologi *num.*299. relati, & ex Jurisperitis Axo *in summa*, *C. de patria potestate*, *fin.* Bartolus *in tractatu de alimentis*, *num.*13. Angelus *in l. Nesennius*, *ante fin. ff. de negot. gestis*, Nevizanus *in sylva*, *lib.*3. *verbo Est nubendum*, *versic. Stuprator*, Surdus *de alimentis*, *tit.*7. *quæst.*13. *num.*2. & cæteri Jurisperiti communiter, quos teferunt Tiraquellus *de nobilit. cap.*20.*num.*79. Surdus *d. num.*2. & Cotduba de Lara *in d. §. si mater*, *num.*7. *l. si quis à liberis*, *ff. de liberis agnosc.* quod enim honestè, & sine dedeeore facete non possumus, eensetur tanquam impossibile, & non cadit sub obligatione, *l. nepos Proculo*, *ff. de verb. signific.*

310 Contrarium tamen hujusmodi hominum mores damnantes sentiunt, & nullam nobilitatem excusare fœminas à lactandis propriis filiis, etiamsi mater sit Principissa, vel etiam Regina, existimant Tiraquellus *d.cap.*20.*num.*80.*adjunctis sequentibus*, & Covarruvias *loco suprà num.*299. *&* 304. allegati, Alvaradus *d. num.*299. & Garsias *de expensis*, *cap.*3.*d.num.*31. quos sequi videtue Surdus *d. quæst.*13.*num.*3. & de jure canonieo, & in foro conscientiæ, de quo hîc agimus, nobiles fœminas non excusari ab ablactatione, docuit ptiùs Dominieus Benedictus loeo suprà *numero* 299. eitato: fundatur in eo, quod neque etiam Reginæ dedecori esse potest lactate filium, quem ex propriis visceribus eduxit, novemque integtis mensibus plus, minusve in abditissimis uteri reeessibus proprio sanguine aluit: & confirmat Garsias ex eo, quod proprii filii ablactandi obligatio provenit ex pietatis virture, & observatione, seu jute naturæ, ut peobatum est, quæ reliquis fœminis communis est: & Tiraquellus *d. num.*80. *& seqnentibus*, adducit ex historiis profanis, & ex saeta Scriptura exempla matronarum, & oobilium fœminarum, quæ proprios filios ablactarunt. Er eettè nullum dedeeus potest fingi in sola ablactatione: cætera verò sordida, seu vilia ministeria eirca opos infantis possunt mattes nobiles curare, ot per alias fœminas exetceantut: & etiam Corduba de Lara *in d. §. si mater*, *num.*8. dicir illepidum, vel fatuum, existimare dedeeus esse mattem nobilem ptoprium lactare filium; sed nihilominus excusat morem, & consuetudinem, quod nobiles fœminæ, imò etiam aliæ proprio lacte non nutriant filios suos; idqoe ex eo, quod intersit Reipublicæ plures habere cives, *l.*1. *ff. soluto matrimonio*, maximè nobiles, quotom vitibus, & authoritate defendi, protegique possit, *l.*1. *ff. de ventre inspiciendo.* Nec poiset Respublica ingenuis repleri civibus, si matrum oberibus liberi non ablactarentur; nam matres, ioqoit, quæ ablactant, debent à venete abstinere, ne concipiant; quod infantibus lactantibos multùm obest, *d.can. Ad ejus*, *dist.*5. & latè probat Tiraquellus *ad l. connub.*15. *num.*139. & hanc ob causam addit idem Corduba, multarum gentiom moribus introductum esse, ne nobiles fœminæ filios ablactent, ut liberos suseipere possint. Sed hæc doctrina apertè adversatur dicto eanoni *Ad ejus*, ubi D. Augustinus, sive D. Gregorius, consuetudinem illam matrum non ablactandi proprios filios, ut juri naturæ repugnantem reptehendit: & lieèt expediat Rempublicam repleri civibus, id tamen intelligi debet servato modo educandi filios à natura ipsa præscripto, eùm tempus sit vaeandi procreationi filiorum, & tempus filios genitos edocandi. Prætetquam qood ex nova conceptione, dum infans ablactatur, non immineat saltem regulariter infanti lactenti periculum damni, saltem ootabilis, juxta tradita in prima parte, *cap.*1.*n.*214.

311 Hine infertur, nullum esse dedecus matri, quantumvis nobili, & illustri, filium proprium ablactare, & ex hoe eapite dedeeoris solo, non posse per se loquendo exeusari à eulpa veniali matres nobiles; alia justa causa non existente, non lactantes suos filios. Dixi, *per se loquendo*, quia ob ignorantiam probabilem talis obligationis natutaliter communiter excusantur.

312 An vetò sola consuetudo jam inducta, & universalis, ut mulietes nobiles, imò etiam non nobiles, sed divites, quæve habent viros divites (ita crevit iste abusus) non lactent propriis uberibus filios, quos genuerunt, præbeat justam excusationem ab omni culpa, etiam veniali, etiamsi alia justa causa non subsit, affirmat expressè Azorius *p.*2.*lib.*2.*cap.*4.*quæst.*4. & ita videntue sentire plutes ex Theologis suprà *num.*299. relatis, lieèt id non exptessè dicant. Ejusdem sententiæ videntue esse Jurisperiti *n.*309. relati, & alii communiret, quos refert Surdus *d.q.*13.*num.*2. asserentes, mattem non teneri ablactate filium, si juxta patriæ consuetudinem eam non deeeat per se lactare.

313 Contrarium, & hanc consuetudinem per se loquendo non exeusare in foto conscientiæ, esto excuset jure civili solo attento, tenent Dominicus Benedictus *in d.can. Ad ejus*, *verbo Dotem quam ei dederat*, *num.*45. *dist.*5. & Tiraquellus *de nobilitate*, *d.cap.*20.*num.*93. & ita etiam sentire videtur Megala *part.*2. *lib.*2. *cap.*23. *quæst.*1. *num.*20. & colligitur *ex d. can. Ad ejus*, *dist.*5. ubi talis eoosuetudo appellatur prava: ptava autem consuetudo, cùm sit potiùs abusus, & corruptela, *can. Denique*, *dist.*4. per se loquendo non potest à peecato excusare. Ratio autem quod talis consuetudo sit prava, & non valeat, & consequentet per se loquendo non exeuset à peceato, est quia mattes jure naturali obligantut lactare proptios filios, ut eonvineunt tradita suprà, *num.*299. & docent Authores eommuniter: consuetudo verò, etsi potest jus naturale minuere, augete, vel distinguere, secundùm Innocentium *in cap. de consuet. ibid.* à Panormitano, & ab aliis receptum, teste Navarro *cons.*4. *de usuris*, *in novis*, & alios Doctores, quos Augustinus Barbosa *collect. ad d. c. fin. num.*4. refert; non potest tamen omninò tollere, & abrogare jus naturale, quod est immutabile, atque adeò consuetudo contra jus naturale non valet. Glossa *in d.cap.fin.* Covarruvias *de spons. p.*2.*cap.*8.§.6.*num.*3. & alii communiter, quos Barbosa *d. collect. num.*3. cumulat, & suprà dictum est. Quapropter eùm alimenta filiis debeantut naturali jute, ut suprà latè probatum est, non valet consuetudo, quod filii non alantur à parentibus. Covarruvias *loco citato*, Panormitanus *in cap. fin. num.*51. *de consuetudine*, *ibidem* Rochus de Cutte *sect.*3. Surdus *de alim. tit.*8. *privil.*56. *num.*25. & cæteri Jurisperiti, & etiam Theologi *initio hujus operis* relati, & etiam in præeedentibus agendo de alimentis filiis illegitimis, & spuriis debitis, dictum est: de qoa re etiam *infrà*, ubi an alimenta filiis debita possint tolli.

314 Dixi, *per se loquendo*, quia per accidens, ratione ignorantiæ probabilis obligationis juris naturalis, per talem longiorem, & inveteratam consuetudinem inductæ, talis consuetudo excusat mulieres filios suos

non lactantes à culpa transgressionis juris naturalis; universalis enim consuetudo, licèt contraria juri naturæ, præsertim longissima temporum serie continuata, & tolerata, rectè potest inducere ignorantiam obligationis ejusdem juris naturalis, & consequenter excusare à culpa transgressores nescientes consuetudinem esse pravam, sed bona fide credentes esse legitimam (ut in præsenti materia ablactationis filiorum,) ut colligitur *ex d.can. Denique, dist.*4. & notat Glossa *ibidem, verbo Consuetudine*, & *in c.cùm venerabilis, verbo Emigrasse, de consuetudine*. Hac enim ratione consuetudinem publicam faciendi actum, licèt irrationabilem, excusare à delicto, tradunt communiter Doctores, quos refert, & sequitur Augustinus Barbosa *collectaneo ad d. cap.fin. num.*4.*de consuetudine*, & præter illos Navarrus *cons.*34.*num.*4. *de usuris in novis*; & à pœna delicti in foro conscientiæ semper excusat, etsi sciatur esse pravam, & injustam, juxta eosdem Doctores communiter ab eodem Barbosa *ibidem* relatos, & Navarrum *d. num.*6.

315 Quanvis autem talis consuetudo in se sit prava, non expedit admonere mulieres, præsertim nobiles, de tali pravitate, quia nihilominus à tali consuetudine averti non possent: atque adeò cùm admonitio non sit profutura, neque effectum habitura, relinquendæ sunt mulieres in sua bona fide, & suo ingenio, ne fortè detur illis occasio peccandi, ut in simili differit D.Gregorius *d.can.Denique, dist.*4. Eandem verò consuetudinem (admissa opinione regulariter excusante matrem in utroque foro ab ablactatione proprii infantis) limitandam, non procedere quando imminet necessitas filii, putà quia non invenitur alia nutrix, vel infans respuit lac cujuscumque alterius mulieris, & solùm lac matris sugit, & retinet, rectè notarunt Alvaradus *loco suprà num.*299. *citato*, & Gregorius Lopez *in l.*14. *tit.*18.*part.*2. *verbo Vrgentius*, & certum omninò est, in tali enim casu necessitatis pompam honoris deponere debet mater, ut censent iidem Doctores.

§. XI.

Mater jure positivo tenetur primo triennio alere filios suos illos ablactando.

316 Difficultas secunda, an mater, etiam jure positivo inspecto, teneatur primo ætatis triennio alere, seu lactare filios? Et Doctores communiter per textum *in l.penult. C. de patria potestate, in c.fin. de convers. infidel. & in d.can. Ad ejus, dist.*5. affirmant. Ita ex Summistis Angelus, Sylvester, Tabiena, Armilla, Rosella *verbo Alimenta*, ex Theologis Molina, Fagundez, Villalobos, Bonacina, Megala, Trullench *locis suprà numero* 299. *allegatis*, Azotius *p.*2. *lib.*2. *cap.*5. *quæst.*8. Lessius *de justitia, lib.*2. *cap.*19. *n.*20. & Layman *lib.*5. *tract.*10.*p.*3.*cap.*5. *n.*5. atque Joseph Rocafull *d.lib.*2. *n.*44. ex Jurisperitis Glossa *in d.l. penult. verbo Trimo, C. de patria potestate, & in l.alimenta, verbo Materna, C. de negot. gestis*, & *in §. illud, verbo Filius, auth. ut liceat.* Item Glossa *in c.cùm haberet, vers. Secundùm facultates, de eo qui duxit in matrim.* Panormitanus *ibidem, n.*8. Baldus *in d.l.alimenta*, Bartolus *in l.si quis à liberis, §.si mater, ff. de liber. agnosc. & in tract. de alimentis, n.*3. Pontanus *de alimentis, c.*8. Paleotus *de nothis, c.*48. *n.*1. Ludovicus Molina *de primog. lib.*2.*cap.*15. *n.*3. Navarrus *in man. c.*14. *n.*17. Covarruvias *de Sponsalibus, p.*1.*c.*8.§.6 *n.*13. Corduba à Lara *in d.§.si mater, num.*2. *&* 3. Velascus *consultatione* 92. Cancerius *var.p.*1.*c.*16. *n.*13.*&* 14. Garsias *de expensis, c.*3. *n.*29. Nevizanus *in sylva, lib.*3.*n.*26. Antonius Thesaurus *decis.*3 *num.*7. Peregrinus *de jure fisci, lib.*3 *tit.*18.*n.*61. Surdus *de alimentis, tit.*1.*quæst.*14.*& tit.*7 *quæst.*13. Joannes Lupi *de illegitimis, com.*2.§.1.*n.*23. Molfesius *ad consuet. Neap. tom.*2. *p.*5. *quæst.*11. Augustinus Barbosa *collectaneo ad d. l.alimenta, n.*14. *C. de negot. gest.* & alii sexcenti apud eosdem, præsertim Surdum, Cordubam, Garziam, & Joannem Lupi: & solum Zasium *in l.*1.§ *hujus studii, n.*24. *ff. de instit. & jure*, contradicere, & asserere matrem intra triennium non compelli, refert Surdus *d. q.*14.*n.*2. Hujus legalis decisionis, & communis Doctorum sententiæ Glossa *in d.§.si mater, l.si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* ibidem Bartolus, Albericus, Corduba *n.*3. Baldus *in d.l.alimenta, C. de negot. gestis*, & Velascus *d.consult.*92.*num.*2. rationem esse aiunt, quod lactare, seu præstare lac sit modica impensa, *l.sed addes, § si quis mulierem, ff. locati.* Et ob hanc causam dicunt matrem repetere non posse, *arg. l. omninò, ff. de impensis in rebus dotalibus*: quam tamen rationem rectè reprobat Surdus *d. quæst.*14. *num.*2. quia impensæ modicitas non transfert in matrem onus quod patri incumbit. Ratio igitur decisionis, & communis sententiæ sumitur ex traditis suprà *num.*299. scilicet quod per se, & ex rei natura loquendo, mater ex pietatis officio, & jure naturali tenetur proprios filios ablactare, & proprio lacte nutrire. Super hac igitur naturali ratione & obligatione fundatur legalis decisio, & præfata communis sententia. Ita Surdus, & hanc etiam rationem approbat Velascus.

Quæ præterea extenditur, & intelligitur etiam 317
quoad quoscumque filios illegitimos, ut hos etiam mater primo triennio teneatur lactare, & nutrire, ut in terminis docent ferè omnes præallegati Doctores, præsertim Covarruvias, Paleotus, Surdus, Joannes Lupi, & Molina locis suprà *num.*299. *citatis*, Azotius, & alii Theologi, ac Summistæ allegati: quidquid secus sentiat Panormitanus *loco citato*. & post eum Thesaurus *d. num.*3. Corduba *in d. §. si mater*, & Gregorius ab eodem Corduba relatus, asserentes ad alimenta filiorum illegitimorum, & spuriorum pari obligatione, & æqualiter pro rata portione patrem, & matrem, etiam intra triennium teneri, ob textum *in d. c. cùm haberet*, ibi: *Vterque parens liberis suis*; & alia fundamenta suprà *num.*273. adducta: circa quam Panormitani sententiam reprobandam non oportet immorari, cùm jam *suprà, num.*274. *& sequentibus*, sufficienter sit rejecta, & illius fundamentis satisfactum: & eam reprobant etiam *locis citatis* Paleotus, Surdus, & Joannes Lupi. Porrò stante dicta decisione legali, & communi sententia in illa ratione nascendi fundata, inquiunt Doctores, quod mater invito patre potest per primum triennium filium penes se enutrire. Ita Alexander *in d. l. alimenta, num.*4. *C. de negot. gest.* Grammaticus *cons. civili* 33. Antonius Gabriel *com.concl.lib.*6.*tit.de alimentis, conclus.*1. *num.*20. Peregrinus, & Joannes Lupi *locis citatis*, qui addunt, si eo casu mater pro educatione infantis facit impensas, quæ alioqui ad patrem spectant, posse illas repetere à patre.

§. XII.

Quæ causæ excusent matrem ab obligatione legali & civili alendi, seu ablactandi filios suos primo triennio.

Prædicta autem decisio, & communis sententia li- 318
mitatur primò, ut non procedat, si mater sit pauper, & cogatur quærere victum suis laboribus; nam tunc excusatur à lactando, & nutriendo filium, etiam intra triennium. Ita Bartolus, Baldus, & alii Doctores suprà *num.*316 *& num.*304. relati: & sic pater filii illegitimi, etiam spurii, si mater sit egens, tenetur, & cogendus est suis impensis alere filium, vel apud matrem, vel alteri nutrici tradendo, ut Bartolus, Baldus, Corduba, & alii *d num.*304. relati docent.

Sublimitatur ista limitatio, si pater esset dives, & vellet 319
alimenta eidem matri uxori suæ præstare; tunc enim

teneretur

teneretur lactare, cessante alia causa justa, ut dictum est *suprà num.* 305. & tradunt Doctores *ibidem* citati. Quod si non vellet alimenta matri præstare, cogeretur suis expensis tradere infantem alteri nutrici lactandum, ut iidem Doctores, & alii communiter tenent.

Secundò limitatur, si mater sit imbecillis, vel infirma, ut absque periculo nequeat filium lactare, vel careret lacte, seu lactatia non esset, vel aliquo alio justo impedimento per se lactare non posset, ut si esset ingressura monasterium, in foro conscientiæ excusatur à lactando, ut suprà, *n.* 302. *&* 303. dictum est, & etiam jure civili, ut ferè omnes Doctores *n.* 316. relati censent: quare etsi matrem divitem, quæ aliquo justo impedimento proprio lacte non posset nutrire filium primo triennio, teneri propriis sumptibus curare eum ali toto illo triennio, non verò patrem, asserunt Peregrinus, Covartuvias *var. p.* 1. *c.* 16. *n.* 10. & Lessius *locis suprà n.* 316. *citatis*, eo quia cùm onus alendi filium ad triennium matri sit injunctum, *d. l. penult. C. de patria potest.* videtur quod ab eo onere impensâ suâ, si possit, se relevare, debeat, non autem illud onus in patrem referre: nihilominus dicendum est, patrem ipsum, si dives sit, & possit, teneri ad expensas pro alimĕtis infantis faciendas, ut in terminis ex Theologis *n.* 316. allegatis, docent Ludovic. Molin. *de justitia, tom.* 1. *disp.* 168. §. *si mater lacte careat*, Megala *d. q.* 1. *n* 10. Azurius, & Layman *locis eodem n.* 316. *allegatis*: ex Jurisperitis *eodem n.* 316. allegatis tenent expressè Panormitanus *in d. cap. cùm haberet, n.* 10. Baldus *in d. l. alimenta*, Covarruvias *d. n.* 13. Corduba *in d.* §. *si mater, n.* 6. Velascus *d. consult.* 92. Surdus *tit.* 1. *q.* 14. *n.* 17. & latiùs *d. q.* 53. *n.* 10. Paleotus *d. c.* 48. *n.* 1. Ioan. Lupi *d.* §. 1. *n.* 14. Molfesius *d. n.* 316. Nevizanus *d. n.* 26. Idem senserunt Azo *in summa, Cod. de patria potest.* Joannes Faber *Instit. de jure naturali gen.* & alii Iurisperiti communiter à Surd. *d. n.* 10. relati, qui omnes asserunt, quod ubi mater est inhabilis, infans lactatur expensis patris, si sit dives, & possit alimentorū expensas facere. Quod probatur, quia existente matre inhabili ad lactandum infantem proprio lacte, cessat ratio ob quam lex voluit onus alendi filium primo triennio ad matrem spectare, nimirum quia jure naturali, & ex pietatis officio, cessante justa causa excusante, debet mater filium proprio lacte nutrire, quia sic commodiùs, & meliùs nutritur, *ex cap. fin. de convers. Infid.* ac proindè lex voluit matrem obligare primo triennio alere filium, quatenus eum proprio lacte potest nutrire, & etiam solùm ad tribuendō ei lac, & consequenter imposuit matri solùm obligationem personalem; atque adeo si ipsa per se propriis uberibus inhabilis est ad lactandum filium, onus illud alendi transfertur in patrem, qui cùm potest, principaliter, & primò tenetur onus filiorum alendorum sustinere. Si etiam admittatur, quod ratione communis sententiæ, & decisionis legalis sit, quia lactatio est impensa modica, hæc etiam ratio cessat quando mater inhabilis est ad lactandum, quia lactatio per alteram nutricē non esset modica impensa, & ideo infans patris impensâ à patre est alendus. Quoad filios legitimè natos ulteriùs probatur, quia cùm constante matrimonio dotis fructus propter matrimonii onera sustinenda maritus percipiat, *l. pro oneribus*, *C. de jure dotium*, *& l. dotis fructus, ff. eodem*, pater tenetur alere filium, non mater, etiam primo triennio, quando justè excusatur nutrire infantem proprio lacte.

323 Tertiò limitatur, si mater sit nobilis, & consuetudo patriæ sit filios nobilium per nutrices educari, & propterea matris dedecus existimatur, si proprio lacte nutriat. In hoc enim casu etiam infantem impensis patris per nutricem fore alendum, tradunt ex Theologis Molina, Azorius, Layman, Megala *locis n. præcedenti relatis*, Bartolus *in tractatu de alimentis, n.* 9. Azo, Paleotus, Nevizanus *locis num. præcedenti citatis*, Corduba *in d.* §. *si mater, n* 8. *fine*, Velascus *d. consult. q.* 2. *n.* 5.

Surdus *d. quæst.* 13. *n.* 1. & communiter alii Iurisperiti, quos latè refert Surdus *d. q.* 13. *n.* 2. *&* 3. idque propter rationem suprà *n.* 309. relatam, scilicet quia reputatur impossibile, quod honestè, & decenter juxta dignitatē facere non possumus, atque adeo in hoc casu mater nobilis reputatur ut inhabilis ad lactandum, & consequenter infans à nutrice patris impensâ est ablactandus, & educandus.

Hanc tamen limitationem non admittunt Tiraquellus *de nobil. cap.* 20. *num.* 80. Covartuvias, Peregrinus, & Ioannes Lupi *locis suprà num.* 320. *citatis*, asserentes solam nobilitatem, & consuetudinem non ablactandi proprios filios, non solùm in foro conscientiæ, sed nec ne jure civili attento excusare matrem ab ablactatio infantis propriis uberibus; & ita si aliis nutricibus ablactandum puerum tradat, ipsam teneri ad impensas faciendas. Fundatur in eo, quod nullum dedecus sit, matrem quantumcunque nobilem ablactare proprium filium, quem tot mensibus in utero portavit, & proprio sanguine aluit, ut suprà *num.* 310. *&* 315. notatum est. Consuetudo etiam non ablactandi proprios pueros per se, sed per alias nutrices, prava, & irrationabilis per se loquendo existimatur, ut suprà *n.* 313. probatum est; & sic non videtur posse excusare fœminas etiam nobiles, ne proprio lacte suos nutriant filios; & ideò si aliis tradunt nutricibus, onus expensarum illis incumbere. Verùm etsi matri nobili dedecori non est proprium lactare filium, & etiam consuetudo non ablactandi in se sit prava, & irrationabilis; nihilominus cùm sit longæva, & publica, dicendum eam excusare matres nobiles juxta eam consuetudinem tradentes suos infantes aliis nutricibus ablactandos, & nutriendos, ab obligatione civili, seu juris positivi alendi, & lactandi per se filios primo triennio; quia sicut consuetudo publica actum aliquem faciendi, licèt irrationabilis, in foro civili excusat à delicto, & à pœna, ut suprà *num.* 314. dictum est, & tradunt *ibidem* citati, & alii apud eosdem: ita rectè potest excusare matres nobiles ab obligatione legali, & civilis juris alendi primo triennio proprios filios; cùm obligatio hæc sit tantùm de lactatione propriis uberibus, & ita in praxi ubique servatur, ut filii nobilium, & divitum apud nutrices alantur patris expensis. 324

Ex dictis colligitur, si mater sine ulla ex præcedentibus causis, aut alia justa causa recusat filium propriis uberibus lactare, ipsius expensis filium ab alia nutrice fore lactandum, ut in terminis præter Doctores numero præcedenti relatos, Lessium *loco suprà n.* 316. *citato*, tradunt Panormitanus *in d. cap. cùm haberet, num.* 8. *fine*, & Surdus *de alimentis, tit.* 7. *quæst.* 13. *n.* 13. *&* oportet asserant alii Doctores *eod. n.* 316. allegati, & convincitur *d. l. penult. C. de patria potestate*, *& d. cap. fin. de controvers. infidelium*; alioqui enim non esset verum matrem primo triennio teneri lactare filium suum. 325

Mater primo triennio tenetur solùm quoad nutrimentum lactis, non verò quoad reliqua filiorum educationi necessaria.

Colligitur præterea, decisionem legalem, & communem sententiam asserentem onus alendi filium primo triennio matri incumbere, procedere solùm quoad nutrimentum lactis, ita ut nomine alimentorum à matre infra primum triennium debitorum, lac tantùm intelligatur; quoad alia verò necessaria ad infantia educationem, purà vestes lineas, & laneas, & subuculas, lectum, & similia, ac medicinas, si infirmatur, non obligari matrem, quidquid secus sentiat Jacobus Cancerius *var. part.* 1. *cap.* 16. *num.* 14. sed patrem ipsum infanti providere suis expensis: ita in terminis

Molina *de justitia*, *tom.* 1. *d.disput.*168. §. *mater usque*, Azorius, Rocafull, & Layman *locis suprà num.*316. *citatis*, & Velascus *d. consultatione* 92. *num.*6. & idem sentiunt alii Doctores suprà *num.*316. relati, qui dum asserunt matrem regulariter teneri alere filium intra triennium, loquuntur expresè de lactatione, scilicet quod tenetur lactare. Et probatur ex traditis *eodem n.*316. nempe quod ideò lex civilis dixit, & voluit matrem teneri alere filium trimum, quia ex ratione, & jure naturali, pietatisque officio tenetur illum propriis uberibus lactare; & ita lex voluit matrem obligare solùm ad tribuendum lac proprium tantùm. Unde quamvis dicta lex penultima, *C. de patria potest.* absolutè gravet patrem ad alimenta præstanda filio trimo majori, matrem tamen ante illud tempus nullo modo gravat. Et quoad filios legitimè ex matrimonio natos confirmatur ex dictis suprà *n.*320.*fine*, nempe quia maritus percipit fructus dotis, ut onera matrimonii sustineat, inter quæ onera continentur necessaria ad filiorum educationem, atque adeò mater solùm proprio lacte proprios filios nutrire debet, cessante justa causa non lactandi. Quare si mater etiam intra triennium ultra lactationem pro necessaria educatione filii impensas cogatur facere, quas pater facere tenebatur, poterit in foro conscientiæ, & civili ab eodem patre exigere, cùm utroque jure, naturali, & civili ad eas faciendas obligetur. Ita in terminis Molina, Azorius, Layman *locis suprà allegatis*, & Jurisperiti suprà, *num.*317.*fin.* relati. Quod intelligitur, si pater erat dives, & poterat dictas expensas facere; secus si pauper, & impotens, juxta dicenda infrà.

Matrimonio bona fide contracto, ratione impedimenti dirimentis dissoluto, filii an utriusque parentis communibus expensis etiam infra triennium alendi sint.

325 An verò quando matrimonium bona fide contractum ex causa impedimenti dirimentis detecti dissolvitur, filius ex eo matrimonio susceptus communibus patris, & matris expensis sit alendus, etiam intra triennium? Difficultatem facit textus *in c.*2. *qui filii sint legitimi, in fine*, ubi dicitur, dissoluto matrimonio bona fide contracto, filios ante dissolutionis sententiam natos, vel conceptos, de parentum facultatibus debere nutriri. Ex quibus verbis non videtur posse inferri, esse nutriendos communibus expensis patris, & matris, si utrique parenti facultates suppetant; nam licèt dicatur, ab utroque parente esse alendos, non convincitur utrumque parentem æqualiter, & pro rata portionis debere concurrere ad præstationem alimentorum, quia potest intelligi distributivè, & ordine successivo, ut scilicet pater per prius teneatur, & mater in subsidium, ut suprà *num.*274. *&* 275. cum aliis dictum est, intelligi textum *in c. cùm haberet, de eo qui duxit in matrimonium*; in quo etiam dicitur, utrumque parentem juxta facultates debere filiis spuriis alimenta subministrare. Verùm esto quod ex illis verbis dicti textus non convincatur; nihilominus præfatos filios debere ali, & educari communibus patris, & matris expensis, tradunt Vitalinus *in tract.de clausf. tit.an poss. renunc.alim.num.*6.*casu* 3. Surdus *de alim.tit.*1.*quæst.*14. *num.*8.*& tit.*7.*d.quæst.*13.*num.*19. & Sanchez *de matrim. lib.*10.*disput.*20.*num.*11. idque ob eam rationem, quod cùm uterque parens fuerit in bona fide, non est cur dissoluto matrimonio filii suscepti debeant esse onerosiores uni quàm alteri parenti, sed eorum onus cōmuniter ferendum est: quæ ratio probat etiam quoad primum triennium, & id etiam expresè tradunt iidem Doctores, & ita etiam dictum textum *in citato cap.*2. intelligit Vitalinus; quia cùm ille textus non distinguat de ætate filii, generaliter intelligi debet, ac etiam de filio minore triennio.

326 Quod si alter parentum fuerit in mala fide, cùm alter habuerit semper bonam fidem, tunc Sanchez *ibidem* ait, filium alendum ab eo, qui in mala fide fuit, nisi sit pauper, & alter dives; cessat enim tunc ratio adducta, & non est cur conjux bonæ fidei gravetur alere filium, nisi alterum paupertas excuset: quod magis confirmabitur ex tradendis de obligatione alendi filios post factum divortium.

327 Si verò uterque parens fuerit in mala fide constitutus, cùm tunc filii sint legitimi, de obligatione illos alendi judicandum est juxta in præcedentibus tradita de obligatione patris alendi filios illegitimos naturales, & etiam spurios.

§. XIII.

Ultra primum triennium an, & quando mater teneatur filios alere.

328 Difficultas tertia, exacto triennio, an, & quando mater teneatur præstare filiis alimenta? Regula generalis, & communis sententia Doctorum est, quod ultra triennium pater tenetur ad præstanda filiis alimenta. Ita Summistæ, & Theologi suprà *n.*316. relati. Glossa *locis eodem num.*316.*allegatis*: item *in l. si quis à liberis*, §. *utrum autem tantùm*, *ff. de liber. agnosc.* ibidem Bartolus, Baldus, & Cynus, & alii Scribentes, etiam Doctores communiter *in l.alimenta, C. de negot. gestis*, Paleotus *de nothis*, *cap.*48. Covarruvias, Joan. Lupi, Navarrus, Pontanus, Molfesius *locis suprà d. numero* 316.*citatis*, Ludovicus Molina *loco mox citando*, Peregrinus *de jure fisci*, *lib.*3.*tit.*18.*num.*60.*&* 61. Corduba à Lara *in d.* §.*si mater, num.*9. *d.l.si quis à liberis*. Velascus *d. consultatione* 92.*num.*7. Stephanus Gratianus *tom.*5.*cap.*959.*num.*14.*&* 15. Surdus *de alim.tit.*1. *quæst.*14.*n.*9.*& tit.*60. *quæst.*6. & alii Jurisperiti, quos idem Surdus *d.num.*9. & Ludovicus Molina *de primogeniis*, *lib.*2.*cap.*15.*num.*2. *referunt*: & est textus clarus tum *in d.* §. *utrum autem*, ubi primo loco pater, & ejus ascendentes per lineam virilem coguntur alere liberos, & postea in eorum defectum mater, & ejus ascendentes: tum *ex d. lege penult. C. de patria potestate*, ubi ultra primum triennium lex gravat absolutè patrem filiis alimenta præstare: & procedit regula etiam quoad filios illegitimos, & spurios, ut suprà *num.*274. *& duobus sequentibus*, probatum est.

329 Cur autem lex patrem in alendis filiis matri prætulerit, Paleotus *d.cap.*48. *num.*5. assignat has rationes, scilicet quia pater est principalis, & agens in procreatione, quia est caput familiæ, quia vir bona lucrari potest unde filios alat, ipseque rebus acquirendis, mulier conservandis tantùm incumbat; & quia etiam filius à patre ferè semper denominatur, non à matre. Addi potest quoad legitimos, quia fructus dotis, quæ pro oneribus matrimonii sustinendis datur, percipit.

330 Hinc si mater superstite patre divite filiis alimenta præstiterit ex propriis bonis extradotalibus, putà quia fortè maritus ipse erat absens, & totam dotem asportaverat; vel si præsens, eo negligente ipsa coacta sit eos alere, poterit omnium alimentorum per se præstitorum æstimationem à patre repetere, licèt nulla prævia protestatione præstiterit, de quo est textus expressus *in d.* §. *si mater*, *d.l.si quis à liberis*, & colligitur etiam *ex l. alimenta*, *C. de neg. gest. & ex l. Nesennius*, *ff. eodem*, & tradunt Scribentes *in d.* §.*si mater*, Bartolus, Alexander, Albericus, Odofredus, & alii: idem Bartolus *de alimentis*, *num.*9. Vitalinus *ubi suprà*, Peregrinus *lib.*3. *d.tit.*18. *num.*60. Corduba *in d.* §. *si mater*, *num.*8. Pontanus *de alimentis*, *d.cap.*8. Velascus *d.consf.*92.*num.*7. Joannes Lupi *de illegitimis*, *com.*2.§.1. *num.*24. Stephanus Gratianus *d.c.*959.*num.*15. Surdus *de*

de alimentis, tit.16.quæst.8.num.1. ad 6. & alii Jurisperiti communiter à Peregrino, & Surdo relati. Idem etiam Molina, Azorius, Layman, & Rocafull *locis suprà num.324.citatis.* Qua autem ratione, seu moderatione fiat talis repetitio per matrem, habetur *in d. §.si mater,* ex rescripto D.Marci, qui Antoniæ Mantuanæ in hæc verba rescripsit: *Sed hac quantum alimentorum nomine, quibus necessariò filiam tuam exhibuisti, à patre ejus præstari oporteat, judices existimabunt, nec impetrare debes ea, quæ exigente materno affectu in filiam tuam erogatura esses, etiamsi à patre suo educaretur.* Ex quibus verbis constat, horum alimentorum solutionem juxta judicis arbitrium, & examen faciendam esse matri, quæ illa præstitit; & habendam non esse rationem cujusquam interesse, temporis, aut laboris, sed tantùm ejus quod fuerit effectualiter erogatum cum bursali impendio. Tradit Pontanus ex Baldo *in l.patrem, fin.C. de nuptiis.* Et quod dictum de repetitione alimentorum præstitorum patre vivente, procedit si onus alimentandi spectabat ad alium præter patrê, putà avum paternum divitem, quem mater sciebat, vel credebat vivere quando præstitit filiis alimenta; ab illo enim sic obligato alere, mater repetere potest alimenta præstita, etiam sine prævia protestatione, ut sentiunt omnes præallegati Doctores, & latiùs Surdus *d. n.2. & num.4.* eam adducens rationem, quod cùm inter matrem, & patrem, vel alium qui obligatus sit ad alimenta præstanda, non subsit pietas, mater ipsa non præsumitur præstitisse alimenta animo donandi, sed repetendi, quanvis protestationem non præmisisset.

331 Defuncto autem patre, & non superstite alio, ad quem spectet onus alendi filium, onus ad ipsum filium spectat: si mater illi spontè præstet alimenta sine ulla protestatione repetendi, censetur id ex charitate, & pietate facere, nec repetere potest, *l.1. & 2. l. alimenta, C.de negot. gestis, & l. Nesennius, ff. eodem*, Bartolus *in d. §. si mater*, Pontanus *de alim. d. c.8.num.6.* Surdus *quæst.8. num.41. & 81.* & alii Jurisperiti communiter, quos idem Surdus refert: quod an procedat solùm quando mater pro alimentis filii divitis fecit de suo modicam impensam, an etiam si fecerit magnam impensam, explicatur infrà *n.906. & sequentibus.* Poterit verò repetere à filio divite, si vel bona filii tunc administret, vel protestetur se præstare animo repetendi, *d. §. si mater, & dictis legibus Alimenta, & Nesennius*, Pontanus *loco citato*, & alios allegans Surdus *d. quæst.8. num.46.47. & 64.* de qua re *infra, à num.902.* latiùs.

§. XIV.

Mater dives ultra triennium in defectum patris tenetur in subsidium alere filios, & filias dotare.

332 PRæterea communis sententia, & conclusio est, quod si nec pater ob inopiam, nec alius ex linea paterna, ad quem aliàs de jure spectet, possint alimenta præstare, mater in subsidium, si ipsa dives sit, & possit, tenetur ultra triennium propriis sumptibus filium aliunde non habentem alere. Ita Summistæ; & Theologi *num.316.* relati, Bartolus *in auth. res quæ, num.4. communia de leg. & in tract. de aliment. num.13.* idem Bartolus, Cynus, Baldus, & alii *in d. l. alimenta, C. de negot. gestis*, Pontanus *de alimentis, d. cap.8. num.4.* Ludovicus Molina, Paleotus, Navarrus, Covarruvias, Molfesius, Peregrinus *locis suprà, d. num.316. & 326. citatis*, Ludovicus Molina *de primog. lib.2. cap.15. num.3.* Padilla *in d. auth. res quæ, num.60.* Corduba *in d. §. si mater, num.10. & 14. l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* Velascus *d. consult.92.num.9.* Surdus *de aliment. tit.1. quæst.14. num.9.* & cæteri Jurisperiti, quos Velascus, Corduba, & latiùs Surdus referunt, & constat *ex l. si quis à liberis, §. utrum autem, & §. ergo & matrem, ff. de liber.agnosc. l. penult. ff. eodem, auth. si pater*, ibi: *Nisi pater minus idoneus sit, C. de divortio facto.* Rationem eam rectè assignat Surdus, quia subducto patris, & aliorum lineæ paternæ, qui nomine patris veniunt, subsidio, nemo est ad quem attenta sanguinis conjunctione, & naturali affectione, & charitate magis spectet officium alendi, cùm filius non magis obstringatur patri, quàm matri; ac proinde matri non minor, quàm patri exhibenda sit reverentia, *l.filiæ, C. de patria potest.* & non magis quàm pater vocari debet in jus, *l. parentes, ff. de in jus vocando*; & quia, ut inquit Ascanius Clem. *de patria potest. cap.4. num.18.* licèt patria potestas de jure sit patri tributa, in his tamen, quæ reverentiam, amorem, & pietatem respiciunt, mater est æqualis patri, & filius sicut patrem, ita matrem egentem tenetur alere, & consequenter ipsa quoque filium tot officiis sibi obligatum alere tenetur. Neque in hoc casu repetere potest alimentorum æstimationem à patre, vel ab alio, utpote solo pietatis officio, & affectione, & charitate materna filio præstitam, ut tenent præallegati Doctores, præsertim Corduba *d. num.10.* & alii *duobus numeris præcedentibus* allegati, & constat *ex §. si mater, d. l. si quis à liberis, & ex l. alimenta, & l. Nesennius*, suprà *n.328.* adducta.

Hinc Doctores communiter inferunt, quod mater dives, sicut alere, ita & dotare tenetur filiam, quando pater, vel avus paternus ob inopiam non possunt; alimenta enim, & dos à pari procedunt, ita quod qui tenetur alere, tenetur etiam dotare, ut suprà agendo de alimentis illegitimorum, & spuriorum filiorum probatum est: & ita senserunt communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Pontanus *d. cap.8. num.5.* Corduba *in d. §. si mater, num.14.* Molfesius *loco suprà num.316. citato*, & Surdus *d. quæst.14. num.13.* id etiam colligentes *ex l. neque mater, C. de jure dot.* ubi dicitur, matrem non cogi dotare filiam, nisi ex causa probabili; probabilis enim causa (ut ibi Glossa, & alii) est si ipsa mater dives sit, filia autem pauper patre, vel avo paterno careat, vel eos habeat, utrumque tamen inopem. Sed de hac re latiùs cùm de parentum obligatione dotandi filias. 333

Divortio autem facto, patrine, an matri, an utrique incumbat onus alendi filios, & præsertim si mater suâ culpâ dedit causam divortii, & sit dives; an ejus expensis filii alendi sint apud patrem innocentem, licèt & ipsa sit locuples, actum latè est in præcedenti parte hujus tractatus, *cap.10. §.9. à num.114. ad 118.* 334

Quemadmodum autem in subsidium, & defectum patris mater dives tenetur alere filios legitimos, & naturales, ita etiam filios naturales illegitimos. Ita Summistæ, & Theologi relati *num.316. & 328.* Tiraquellus *in l. si unquam, §. susceperit liberos, num.63.* Paleotus *cap.48.* Surdus *de alim. tit.1. quæst.15. num.1. & seq.* Molfesius *quæstione suprà n.316. citata*, Doctores suprà *n.275.* allegati, & alii communiter. Quoad onus enim alendi filios par est conditio legitimorum, & illegitimorum, inspecto jure naturali, ut suprà *n.17.* notavi, & etiam Canonico, ut suprà *n.187. fine, & 189. & 224.* & tradunt Paleotus *d. cap.48. num.3.* Surdus *quæst.15. num.2.* & alii Doctores *suprà d. num.224.* citati. Cùm ergo legitimi in subsidium à matre divite debeant ali, idem erit dicendum in naturalibus; ubi enim duo æquiparantur à jure, dispositum in uno, locum habet in alio, *l.1.* ubi Doctores, *ff. de leg.1.* Confirmatur, quia alimenta filiis præstanda sunt naturæ instinctu, seu impulsu, naturalique ratione, & charitate, ut suprà *num.7. 8. & 17.* ostensum est de filiis legitimis; secundùm naturam autem nulla est differentia inter legitimos ac naturales, & naturales illegitimos, ut *d. num.17.* probatum est. 335

335 Quare mater dives, in subsidium, & patris defectum debet alere non solùm filios vulgò quæsitos, ut habetur *l. si quis à liberis*, §. *ergo & mater*, *ff. de liber. agnosc.* sed etiam spurios, ut constat *ex c. cum haberet*, *de eo qui contraxit*, & tradunt Doctores suprà *n.* 224. & 225. relati. Surdus *d. quæst.* 15. *num.* 11. Corduba à Lara *in d. l. si quis à liberis*, §. *idem rescripsit*, *num.* 35. Molfesius *ubi suprà*, & alii *suprà num.* 186. relati, jure naturali, & canonico attentis, quidquid sit jure civili inspecto, juxta quod neque matrem cogi filios spurios alere, docuere in terminis Rolandus, & Corduba *locis suprà*, *num.* 180. *fine citatis*, & Aretinus *in §. jus naturale*, *num.* 8. *Instit. de jure natur.* quanvis contrarium teneat Hotomanus *loco citato eodem num.* 180. *fine*: & licèt Speculator *tit. qui filii sint legitimi*, §. 1. *num.* 17. excipiat matrem spurii illustrem; nihilominus rectè rejicit hanc limitationem Surdus *d. quæst.* 15. *num.* 13. quia secundùm jus naturale personarum nulla est distinctio, & solùm mater illustris intra triennium exoneratur à lactatione spurii propriis uberibus, vel per nutricem propriis sumptibus, si pater esset dives, juxta tradita suprà *num.* 321. & 322. Neque obest, quod filius spurius ex damnato coitu non succedit matri, nec ei mater, quæ etiam non potest ei aliquid relinquere, §. *fin. auth. quibus modis naturales efficiuntur sui*, ubi dicitur spurium non esse alendum à parentibus, neque ei posse ab eis aliquid relinqui, & parentis appellatione venit etiam mater, *l. appellatione*, *ff. de verb. signific.* & talem spurium non succedere matri, nec ei matrem, dictum est suprà, *num.* 276. & præter Paleotum, & Surdum ibidem allegatos, tradunt Glossa fin. *in l. si qua illustris*, *C. ad Orfic.* & alibi sæpe, Covarruvias *de sponsf. part.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 15. & plures alii à Surdo *d. quæst.* 15. relati: non obstat, inquam, quia id intelligitur quando à matre relinqueretur spurio ultra alimenta, secus quoad quantitatem alimentorum; qui enim tenetur aliquem alere, potest ei relinquere, ut in præcedentibus probatum est de patre quoad filios spurios; unde idem de matre: nam pater, & mater ad imparia non judicantur, quando certum est eos obstringi ad alimenta præstanda.

§. XV.

Avus maternus, & avia materna an, & quando teneantur alere nepotes ex filia, & neptes dotare.

336 QUæsitum sextum, an, & quando avus maternus, & avia materna teneantur alere nepotes ex filia? Circa hoc quæsitum prima regula generalis est, quod avus maternus, & avia materna, cæterique ascendentes per lineam fœmininam non tenentur alere nepotes ex filia, quando pater, vel avus paternus, cæterique per lineam virilem ascendentes divites sunt, & possunt neptibus alimenta præstare. Ita constat *ex l. si quis à liberis*, §. *utrum autem*, *ff. de liber. agnosc.* ubi pater, & ascendentes per lineam virilem, priùs coguntur præstare alimenta filiis, & posteà mater, & ascendentes per illum sexum. Et clariùs *ex l. non quemadmodum*, *ff. eod. tit.* ubi dicitur, quod filius ex filia non est oneri avo materno, sed patri suo, & avo paterno: & tradunt Bartolus, & alii Scribentes *in d. l. non quemadmodum*, Boërius *consil.* 17. *n.* 14. Covarruvias *de sponsf. part.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 16. Garsias *de expensis*, *c.* 3. *n.* 33. Corduba à Lara *in d. l. si quis à liberis*, §. *non tantùm*, *num.* 69. *ff. de liber. agnosc.* Pontanus *de alim. cap.* 11. *num.* 12. Thesaurus *decis.* 211. *num.* 9. Molfesius *ad consuetud. Neapol. tom.* 1. *part.* 5. *quæst.* 11. *num.* 14. Marescotus *var. lib.* 2. *cap.* 83. *num.* 37. Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 16. *num.* 1. & *duobus sequent.* alii Jurisperiti à Corduba, & Surdo relati, & Theologi suprà *num.* 294. relati *locis ibidem citatis*: & convincunt tradita suprà *num.* 295. & 296. nam si mater non tenetur alere filios, quando pater, vel avus, proavus, & cæteri ascendentes per lineam virilem sunt divites, & possunt alimenta præbere, ut ibi probatum est: neque etiam avus maternus, aut avia materna tunc tenentur ad alimenta.

Quare neque ad neptem ex filia tenetur avus, & cæteri ascendentes ex linea materna dotandam, ubi pater, vel avus paternus sunt divites, & possunt dotare; quia sicut alendi, ita & dotandi munus est paternum, non maternum, ut sentiunt Pontanus, Corduba, Surdus *locis cit.* & alii apud Surdum *d. quæst.* 16. *num.* 2. & 3. de quo infrà de dote. 337

Secundò si pater sit inops, vel mortuus sit, nec alius ex linea virili ascendens possit, & ipsa quoque sit inhabilis ad præstanda alimenta, tunc avus maternus, vel avia materna, si possit, tenetur in subsidium alere nepotes ex filia, ut etiam clarè constat *ex d. §. utrum autem*, *l. si quis à liberis*, & clariùs *d. l. non quemadmodum*, ubi Doctores, & ita tradunt iidem Theologi *suprà*, *num.* 294. relati, Sà *verbo Alimenta*, *num.* 6. & Joan. Valerus *de differentiis inter utrumque forum*, *verbo Alimenta*, *diff.* 6. Bartolus, Boërius, Pontanus, Covarruvias, Garsias, Corduba, Molfesius *locis suprà num.* 336. *citatis*, Marescotus *d. cap.* 83. *num* 38. Carpanus *ad stat.* 313. *num.* 4. & *seq.* & cum aliis etiam Tiraquellus *in l. si unquam*, *verbo Susceperit liberos*, *numero* 63. *C. de revoc. donat.* qui etiam addunt, avum maternum in tali casu teneri etiam dotare neptem ex filia: quod pariter asserit Padilla *in auth. res quæ*, *n.* 58. & *seq. C. communia de legatis*: & confirmatur ex traditis suprà *num.* 332. & 333. Quemadmodum enim mater in subsidium tenetur alere, & dotare, ut *d. numero* 332. & 333. dictum est, ita & avus maternus, vel avia; quia sicut patris appellatione veniunt pater, & omnes ascendentes per lineam paternam, ut suprà *num.* 281. notatum est, sic matris nomine comprehenduntur avus maternus, & avia materna, & cæteri per matrem ascendentes, ut per textum *in §. illud quoque*, *auth. ut liceat matri*, & *aviæ*, tradunt Glossa ibidem, Baldus *in l. Nesennius*, *num.* 2. *ff. de negot. gestis*, Ascanius Clem. *de patria potest. effect.* 1. *num.* 22. Boërius *consil.* 17. *num.* 6. & cum aliis Surdus *d. quæst.* 16. *num.* 7. ubi etiam addit aliam rationem convincentem, scilicet quia onus, & officium parentum alendi filios, & dotandi filias, cessat quando pater ob inopiam non potest: & consequenter æquitas, & ratio naturalis transfert eam obligationem in alios sanguine conjunctos, & proximiores, nempe in matrem, & avum etiam maternum, eo quòd tale esse debet officium avi erga nepotes, & neptes, quale est matris erga filios, & filias, ut suprà *d. num.* 281. & *seq.* dictum est de avo paterno. 338

Quapropter etiam nepotes illegitimos naturales tenetur avus maternus, & avia in subsidium alere, cùm & hos alat in subsidium mater, ut in terminis docet Tiraquellus *allegato num.* 63. Surdus *d. q.* 16. *num.* 8. Molfesius *d. quæst.* 11. & Marescotus *quæst.* 39. & priùs Glossa *in l. si quis à liberis*, §. *item Divus Pius*, *ff. de liber. agnosc.* & idem etiam sentiunt alii *num. præced.* præallegati Theologi, & Jurisperiti, qui loquuntur etiam de neptibus illegitimis ex filia. Glossa *in d. §. item Divus Pius*, idem dicit de neptibus illegitimis quibuscumque, non natis ex damnato, & punibili coitu, & post eam Surdus, & Molfes. *locis citatis*. Has enim neptes illegitimas tenetur in subsidium mater alere, ac proinde etiam avus maternus, vel avia materna: id quod expressè dicitur *in d. §. item Divus Pius*: & facit etiam illud, quod filii naturales, etiam vulgò quæsiti, ex non punibili coitu nati, etiam jure civili ab intestato succedunt, non solùm matri, sed etiam avo materno, & aviæ, *l. Modestinus*, *ff. unde cognati*: & cum aliis 339

aliis Surdus *d.quæst.*16. *num.*10. & etiam Molfesius *d. num.*15. Limitatur tamen si mater sit illustris; nam tunc succedere, tradunt Doctores, ut *ibid.* notat Surdus.

Quinimò etiam nepotes spurios ex punibili coitu natos avus maternus, vel avia in subsidium, patre, & matre deficientibus, alere, & dotare tenentur, ut tradunt Molina, & cæteri Theologi suprà *num.*294. relati, Covarruvias *loco suprà num.*326. *citato*, Surdus *d.quæst.*16.*num.*11. Molfesius *d. num.*15. Carpanus *ad statut.*313.*num.*14. & Speculator, ac Socinus à Surdo allegati, idque attentis jure naturali, & etiam canonico *in cap. cùm haberet, de eo qui contraxit, &c.* Eadem enim æquitas, & ratio naturalis quæ in matre, etiam in avo materno militat: quare sicut avus ex identitate rationis tenetur eos alere, quibus mater jure civili alimenta præstare adstringitur, *d. l.si quis à liberis*, §. *item Divus Pius, ff. de liber. agnosc.* ita avus tenetur eos alere, quos jus naturale dictat, & canonicum præcipit à matre debere ali: & ad id faciunt tradita suprà *num.*283. de obligatione avi paterni alendi nepotem spurium. Eo enim ipso, quod jus canonicum ubique receptum cogit patrem, & matrem alere filios: ita etiam avus paternus, & maternus in defectum patris, & matris eos alere adstringitur, ut ibi notatum est: quare rejiciendus est omninò Vasquius *de success. creat. lib.*2. §.20.*num.*160. asserens quidem de jure canonico *in d.cap.cùm haberet*, ab avo, & avia, tam paterno, quàm materno, spuriis deberi alimenta, & dotem; non tamen de jure civili, etiam hodie, & supposita præfata juris canonici dispositione *in d.cap. cùm haberet*, per quam negat corrigi jus civile *in auth. ex complexu, C. de incestis nuptiis*, & legem Hispanam regiam 5. *tit.*19. *part.* 4. quam Vasquii assertionem communi opinioni contrariam, etiam suprà *d.n.*283. reprobavi, & ibi probatur tam jus civile, quàm dictam legem 5. per jus canonicum corrigi.

Cæterùm quæ *à num.*336. de avo tradita sunt, procedunt etiam in proavo, & aliis per lineam maternam ascendentibus, per identitatem rationis, sicut suprà *num.*281. *& seq.* dictum est de proavo, & cæteris per lineam virilem ascendentibus: & constat ex textu *in* §. *utrum autem, d.num.*281. adducto, & tradunt quoque in terminis Molina, & alii Theologi suprà *num.*294. relati, Covarruvias & Garsias *locis suprà num.*336. *citatis*, & Surdus *d.quæst.*16.*num.*11.*fin.* Prædicta autem *à num.*338. Sà, & Joannes Valerus *loc. d. num.*338. *relatis*, aiunt procedere in foro conscientiæ, in foro verò exteriori non esse in usu. Sed cùm Jurisperiti etiam recentiores tractent de præfata obligatione avi, & aliorum ascendentium per lineam maternam, idque in ordine ad praxim, nescio quomodo possit asseri, non esse in usu; & certè si nepos aliunde non habens, in judicio conveniret avum maternum divitem pro alimentis necessariis, absque dubio cogeretur avus ad ea præstanda. Quantum etiam peccent avi materni non subministrantes alimenta necessaria nepoti egenti, cùm possint, idem Sà ait se non audere dicere, proponit tamen illud Pauli dicentis: *Qui suorum curam non habet, esse infideli deteriorem.* Sed gravitas peccati colligenda erit ex gravitate necessitatis, & ex voluntaria negligentia subveniendi.

Sequitur Summarium Capitis VII.

*Hæredes patris, vel avi, sive ab intestato, sive ex testamento, etiam extranei, tenentur in utroque foro alere filium in subsidium, scilicet quando ipse non potest se alere, nec habet alium conjunctum, aut proximiorem, qui possit illum alere, num.*341.

*Etiam filius naturalis in subsidium debet ali ab hæredibus patris, eod. num.*341. *versic. Extenditur.*

Quin etiam filius spurius, ex coitu damnato, & punibili natus, eodem num. 431. *versic. Item conveniunt.*

Hæredes quoque matris, & avi materni in subsidium, deficientibus aliis conjunctis, vel proximioribus, obligantur alere filium, tum legitimum, & naturalem, tum illegitimum naturalem, aut spurium, ibid. versic. Porrò.

*Onus alendi filios non transire ex sua natura, seu absolutè, & indistinctè in hæredes patris, sed extingui cum persona patris, solùmque teneri hæredes ad alimenta filiorum, si laborent summa egestate, nec adest alia persona conjuncta, quæ sanguinis vinculo illos alere debeat, & possit, tenet una sententia, num.*342.

Neque onus alendi patrem absolutè transit in hæredes filii, juxta eandem sententiam, ibid.

Iuxta eandem sententiam hæredes patris non tenentur alere filium, nec hæredes filii patrem, nisi in extremam deductum egestatem, ibid.

Extrema egestas censetur quando quis non habet à quo alatur, ibid.

*Æqualis est obligatio alendi filium, ac filii alendi patrem, jure naturali, & civili inspectis, num.*342.*versic. Hinc manifestè.*

Intellectus ad legem non quemadmodum, ff. de liber. agnosc. *n.*343. *&* 361.

Non sumitur argumentum à sensu contrario dispositionis negativæ, ibid.

Dictio, Nisi, *posita post negativam, affirmat, ibid.*

Intellectus ad legem si instituta, §.1. ff. de inoff. testam. *num.*344.

Intellectus ad legem 4. ff. ubi pupillus educari debet, *num.*345.

*Hæredes non repræsentant defunctum in iis, quæ cum persona defuncti extinguuntur, num.*346. *& num.*349. *fine.*

*Alimenta à parentibus filiis, & è contra debentur ex solo officio judicis, n.*347. *&* 363.

*Officium judicis an nullam præsupponat obligationem, an verò saltem quasi obligationem, ibid. & n.*363.

*Ubi adest obligatio, datur actio, num.*346. *&* 363.

*Hæredes patris filium, & hæredes filii patrem alere non coguntur, nisi filius, aut pater probet se laborare summa egestate, juxta suprapositam sententiam, num.*348.

Fundamentum intensionis probari debet ab illo, qui in eo se fundat, ibid.

Quando paupertas est fundamentum alicujus, vel causa agendi, qui illam allegat, tenetur illam probare, sicut qui allegat divitias, ibid.

*Hæredes patris non tenentur alere filios ex obligatione descendente ex præceptis juris naturalis, sed tantùm ex judicis benignitate, & jure positivo, juxta Doctorem Merendam, num.*349.

Cur ex benignitate judicis, ibid.

Fratres legitimi hæredes patris, & quicumque patris hæredes tenentur alere defuncti filios naturales jure positivo Cæsareo tantùm, juxta eundem Merendam, ibid.

*Filiis naturalibus, etiam non ad extremam inopiam deductis, cur juxta eundem Merendam jus civile statuerit ab hæredibus patris deberi alimenta; filiis autem legitimis, & naturalibus solùm in extrema egestate constitutis, num.*350.

Non approbatur ratio differentiæ ab eodem Merenda adducta, ibid.

*Sententia asserens onus alendi liberos, absolutè, & indistinctè transire ad hæredes patris, & avi paterni, n.*351. *& seq.*

Intellectus ad §. item rescriptum, l. si quis à liberis, ff. de

de liber. agnosc. *num* 352.

Extrema egestate laborare censetur, qui est egenus, attenta qualitate suæ personæ, ibid.

Officium pietatis an propriè referatur ad ea, quæ spontè, & nulla necessitate præstantur. ibid.

Quis moriendo non potuit eximere bona propria ab illo onere, ad quod jure naturali erant obnoxia, ibid.

Quando quis per legem, vel contractum, aut ultimam voluntatem tenetur alere, illa obligatio transit in hæredem, num, 353.

Onus alendi liberos an sit reale, rebus paternis inhærens, num. 354.

Hæres repræsentat personam defuncti, & tenetur ad onera omnia, ad quæ defunctus tenebatur, ibid. & num. 358.

Non debet esse melioris conditionis quàm defunctus, num. 354.

Pater tenetur alere liberos ex obligatione juris naturalis propria & stricta, num. 355.

Obligationes personales afficientes personam in ordine ad rem, & quatenus habet bonorum dominium, & illorum administrationem, transeunt in hæredem, & qua ratione, ibid.

Voti purè personalis obligatio transit in hæredem, ibid.

Voti realis obligatio transit in hæredem, non ex vi voti, sed ex implicito contractu, ibid.

Hæres patris non tenetur alere ejus filios ex præcepto quarto Decalogi, sed ex vi receptionis, & aditionis hæreditatis, num. 355. & 362.

Hæres paternus tenetur non solùm filiis legitimis, & naturalibus, sed etiam illegitimis naturalibus, & spuriis alimenta præbere, num. 356.

Et multò magis legitimatis, num. 357.

Iisdem filiis hæres patris tenetur præstare alimenta pro modo facultatum hæreditatis, & habita ratione qualitatis personæ, num. 358.

Obligatio alendi filios transit in hæredes patris, etiam vi solius juris naturalis, num. 359.

Defunctus, & hæres censentur eadem persona, num. 343. & 361.

Officium judicis præsupponit quasi obligationem, n. 363.

Officium judicis, seu quod solo judicis officio debetur, transit in hæredes, ibid.

Pro alimentis à patre consequendis, & è contra, cur detur solùm officium judicis, non verò actio, ibid.

Onus alendi filios an absolutè transeat etiam in hæredes matris, & avi materni, num. 364. & num. 365.

Hæredes filii an teneantur absolutè alere patrem pauperem, & sic etiamsi habeat matrem, vel fratres divites, n. 369. & 370.

Si pater filiæ, aut avus paternus nepti dotem reliquit dandam cùm nupserit, instituto hærede universali filio, vel nepote, frater hæres tenetur illam alere, donec nupserit, si careat matre, vel avo materno divite, num. 371.

Quod si habeat matrem, vel avum maternum divitem, aliqui negant à fratre fore alendum, num. 372. Sed contrarium tenendum, n. 373.

Nec alimenta à fratre eidem sorori præstita minuunt dotem, sed frater sibi quærit fructus dotis, num. 374.

Si mater aleret cum protestatione non donandi, repetere potest alimenta à fratre hærede, num. 374.

Eandem filiam, cui pater dotem certam reliquit dandam tempore nuptiarum, an frater hæres teneatur alere, si ipsa sit dives, & habeat bona propria, quibus se alere possit, num. 375. & post num. 375. vide alia summaria.

§. XVI.

Hæredes patris, vel avi paterni tenentur alere liberos in subsidium, quando non habent bona, neque conjunctos, aut proximiores, qui ratione vinculi sanguinis teneantur alimentare.

QUæsitum septimum, an onus alendi liberos transeat ad patris, vel avi hæredes ab intestato, vel ex testamento, etiam extraneos, quando filii sunt inopes, neque ex propria iodustria, oeque ex propriis bonis possunt se alere.

342 Omnes Doctores, qui infra allegantur, conveniunt hæredes patris, vel avi, etiam extraneos, teneri in utroque foro alere filium egenum in subsidium, *scilicet* si filius egenus neminem conjunctum (ubi hæres est extraneus) vel alium proximiorem, & magis conjunctum (si hæres sit consanguineus, putà frater, vel patruus) haberet; id enim saltem convincit textus *in l. si quis à liberis, §. item rescriptum, ff. de liber. agnosc.* quo Bartolus, alii Scribentes ibi, & cæteri Doctores nituntur, cujus verba sunt: *Item rescriptum est, hæredes filii ad ea præstanda, quæ vivus filius ex officio pietatis suæ dabat, invitos cogi non oportere, nisi in summam egestatem pater deductus sit.* Si enim hæredes filii tenentur patrem egenum alere, pari modo patris, vel avi hæredes tenentur alere filium egenum, ut non sit inter eos imparitas, ut in specie tradit Surdus *de alim. tit. 1. q. 23. n. 1.* & eadem æquitas, & ratio naturalis, qua pater cogitur alimenta filio inopi præstare, non videtur cessare in hærede patris, qui ejus personam repræsentat, saltem quando nullus est alius sanguine conjunctus, vel proximior, ad quem alioqui ratione sanguinis, affectionis, & charitatis magis pertineat alimentandi onus; & hanc rationem indicat Surdus *d. q. 23. & eod. tit. q. 24. & q. 104. & 105.* quamvis Merenda *controv. tom. 3. lib. 13. c. 3. n. 11. & 12.* velit obligationem alendi, etiamsi tantùm in subsidium, quoad hæredes non provenire ex jure naturæ, sed vel ex benignitate magistratus, qui humanitate usus, ubi nullus extat qui sanguinis vinculo obligetur, jubet per hæredes provideri de alimentis, ubi filius summa egestate laboret; vel ex jure positivo, quod id ita expresè decreverit, ut respectu filiorum illegitimorum naturaliũ ait sancitum *in § si quis igitur, auth. quibus modis natural. effic. sui,* prout infrà *n. 349.* ex eodem Merenda explicatur.

Extenditur præfatus communis Doctorum consensus, ut etiam hæres patris, vel avi in subsidium, deficientibus cõjunctis, vel proximioribus, teneatur alere filium egenum naturalem, de quo est textus expressus *in auth. licèt, C. de natural. liber.* ibi: *Hujusmodi enim naturales filios pasci boni viri arbitrio est necesse, sive legitimi extant, & succedunt, sive conjuge vivo quilibet alii sunt hæredes.* Idem constitutum esse à Justiniano *in d. § si quis igitur, auth. quibus modis natural. effic. sui,* tradidere Alciatus *cons. 309. n. 3.* & Merenda *d. c. 13. n. 12.* verba textus sunt: *Si quis igitur* (in aliquibus codicibus habetur, *Si quis autem*) *habens filios legitimos, relinquat & naturales, ab intestato quidem nihil eis existere omninò volumus; pasci verò naturales à legitimis sancimus, ut decet eos secundùm substantiæ mensuram à bono viro arbitratam.* Sutdus verò *de alim. tit. 1. d. quæst. 23. num. 14.* ait hunc textum id non probare, sed tantùm textum *in d. auth. licèt.* Verùm licèt non probet ita expresè, tamen rectè potest inde colligi, dum vult naturales esse pascendos à legitimis filiis.

Item conveniunt communiter Doctores, Jure Canonico attento *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit, &c.* etiam filiis spuriis ex damnato coitu procreatis, ab hæredibus patris, vel avi, saltem in subsidium, non

extan

extantibus conjunctis, vel proximioribus, deberi alimenta. Ita Molina Theologus, Covarruvias, Peregrinus, Spino, Petrus Barbosa, Joannes Lupi, Riccius, Gomez, Vincentius de Franchis, August. Barbosa *locis qui infrà citantur*, Thesautus *decis.*211. *in principio, & num.*8. Merenda *d.c.*3.*n.*15. Surdus *d. tit.*1.*q.*23. *n.*14. Paleotus *de nothis, cap.*47.*fine*, Corduba *in l. si quis à liberis, §. idem rescripsit, num.*79.*& seq. ff. de liber. agnosc.* Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis clericorum, cap.*20. & alii communiter, quos refert Vasquius *de successionum creatione, lib.*2.§.20.*num.*315. quanvis Salicetus *in auth. ex complexu, C. de incest. nupt. num.*2. Calcaneus *cons.*62.*n.*7. & idem Vasquius contra communem non rectè dicunt, præfatos hæredes non posse compelli, licèt si velint, spontè possint alimenta eisdem spuriis ex damnato coitu procreatis præbere; nam quoad spurios jure civili non natos ex coitu dãnato, etiam ipsi aiunt hæredes patris posse compelli illos alere: & pro communi facit quod suprà agendo de alimentis illegitimis, naturalibus, & spuriis debitis dictum est, scilicet patrem in suo testamento non posse prohibere, ne filio, quantumvis spurio, alimenta ministrentur: quod præter ibi citatos, tradunt etiam alii, quos Surdus *d. q.*23.*n.*15. refert. Ratio est, quia jure naturali, & canonico filii spurii quoad alimenta æquantur legitimis, ut *suprà* sæpiùs dictum est.

Porrò omnia *in præcedentibus à num.*342. tradita de hærede patris, aut avi paterni, procedunt etiam in hærede matris, & avi materni, ut & ipse saltem in subsidium, deficientibus sanguine conjunctis, vel proximioribus, teneatur filios alere; cùm mater censeatur eodem jure cum patre quoad obligationem alendi liberos, ut in præcedentibus dictum est: quod etiam in terminis docet Covarruvias *de spons. p.*2.*cap.*8.§.6. *num.*14. Rolandus à Valle *cons.*54. *num.*66. *volum.*2. Surdus *d.q.*23.*n.*13.*fin.&* 22. Baldus, Lupus, Scaccialupus, & alii ab iisdem Rolando, & Surdo relati, & Marescotus *var. lib.*2.*cap.*83.*num.*38.

§. XVII.

Onus alendi filios, sive legitimos & naturales, sive naturales, & etiam spurios, an transeat absolutè, & indistinctè in hæredes patris, ita ut hæredes teneantur illos alere, sicut teneretur pater, si viveret.

QUod ergo inter Doctores, præsertim Jurisperitos valdè controvertitur, est an onus alendi filios absolutè, & indistinctè transeat in hæredes patris, & avi, ita quod idem jus alimentorum, quod filiis adversus patrem, vel avum viventes competebat, filii inopes, & qui ex propria industria, vel ex propriis bonis non possunt se alere, habeant contra hæredes patris, vel avi, sive sanguine conjunctos, sive extraneos; hique ad alimenta illis præstanda teneantur in utroque foro, licèt adsint sanguine conjuncti, ascendentes ex patre patris, aut ascendentes ex parte matris, aut descendentes, vel fratres, vel sanguine proximiores (si hæredes sint conjuncti) à quibus alioqui in defectum patris, vel avi juxta jus naturæ, & etiam positivo essent alendi.

Prima sententia.

Prima sententia asserit onus alendi filios ex sua natura, aut absolutè non transire in hæredes patris, sed extingui cum persona ipsius patris, & solùm in subsidium, ubi sanguine conjuncti, vel proximiores sanguine desunt, vel ob inopiam non possunt eos alere, hæredes patris obligari alimenta præstare eisdem filiis egestate laborantibus. Ita Bartolus *in d.§. item rescriptum, n.*2. *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc. & in l. non quemadmodum, n.*1. *eod. tit.* Alexander *in l. alimenta, num. fin. C. de negot. gestis, & cons.*134. *n.*34. *vol.*1. Ruinus *in l.*1. *ff. solut. matrim. n.*173. *& cons.*94.*n.*7. *vol.*5. Boërius *cons.*17.*n.*14.*& cons.*186. Socinus *cons.*134.*n.*34.*vol.*1. Salicetus *in auth. ex complexu, C. de incestis nupt.* Vitalinus *in tract. de claus. tit. an aliment. remune. poss.* Ant. Gomez *ad l.*40. *Tauri, n.*75. Corduba à Lara *in d. §. item rescriptum, n.*7.*&* 8.*& in §. si mater, n.*43. *d. l. si quis à liberis*, Pontanus *de alim. c.*1.*n.*19. Surdus *de alimentis, tit.*1.*q.*23.*n.*13. *q.*104. *&* 105. Antonius Merenda *controv. juris tom.*3. *lib.*13. *cap.*3. *per totum, & tom.*1. *lib.*5. *c.*28.*n.*10.*&* 11.*& tom.*4.*lib.*22.*c.*36.*& lib.*24. *c.*48.*fine*, Gaspar Ant. Thesaurus *qq. for. lib.*2. *q.*47. *n.*21. *fine*, & nonnulli alii à Giurba *decis.*5. *num.*9. relati: & ex Theologis idem asserunt Megala *p.*2. *lib.*2.*c.*1.*quæst.*4. *num.*21. *versic. Item ex dictis*, & Fragosus *de Republica Christiana, p.*3.*disput.*2.*num.*214.*&* 215.

Primò probatur hæc sententia ex textu *in d. §. item rescriptum, l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* ubi hæredes filii non gravantur alere patrem, nisi in summam egestatem sit deductus, & consequenter hæredes filii tenentur tunc solùm alere patrem, quando non habet à quo alatur; hæc enim est summa egestas, *arg. l. ex duobus, ff. de rebus dubiis, l. cum qui, ff. ad Trebell. & l. penult. ff. de aliment. & cib. legat.* ac proinde non premitur summa egestate; qui aliquem habet à quo potest alimenta habere. Ergo si pater habeat aliquos, qui jure sanguinis alere tenerentur, putà matrem, avum maternum, vel fratrem, hæredes filii extranei juxta dictum textum non tenerentur alere patrem: & similiter si hæres esset sanguine conjunctus, extarent tamen alii proximiores, qui jure sanguinis tenentur patrem alere, non teneretur hæres filii illum alere; quia cùm in utroque casu pater habeat à quo possit consequi alimenta, non censetur premi summa egestate, seu necessitate: & ex dispositione dicti textus *in eo §. item rescriptum*, ab hæredibus filii debentur alimenta, si pater extremè egeat. Ergo onus alendi, quod filio viventi incumbebat, juxta dictum textum non transit absolutè in hæredes filii. Quod confirmat Merenda *n.*2. patrem enim filius vivens, inquit, tenetur alere, etiamsi summa laboret inopia, *l. ante, §. mater, & l. fin. §. ipsum, C de bonis quæ lib. & l.*5.*C. de patria potest.* Cùm ergo *in d. §. item rescriptum*, decernatur hæredem filii non cogi alere patrem, nisi extrema egestate pressum, ex eo textu videtur evidenter probari, onus alendi, quod erat penes filium defunctum, non transire absolutè, & suâ naturâ in hæredem ejusdem filii: quod etiam in terminis loquentes de hæredibus filii, tradunt Bartolus *in d. §. item rescriptum, num.*2. Ruinus, Socinus, Boërius, Corduba, Megala *locis allegatis*, & Surdus *de aliment. tit.*1.*quæst.*24.

Hinc manifestè infertur, nec in hæredes patris transire absolutè onus alendi filios, quod penes patrem defunctum erat, cùm inter patrem, & filium quoad alimenta sibi invicem præstanda non sit imparitas, & non major, sed æqualis sit obligatio patris alendi filium, & filii alendi patrem, ut constat *ex d. l. si quis à liberis, initio*, ubi Vlpianus de utraque obligatione conjunctim tractat, & pari jure determinat obligationem alendi filios, & parentes: & eodem instinctu quo pater impellitur alere filios, etiam filii ad alendum parentes impelluntur.

Secundò probatur eadem sententia *ex d. l. non quemadmodum, de liber. agnosc.* ubi dicitur, partum filiæ esse oneri avo materno, quando pater non est superstes, vel est egenus. Ergo patre defuncto, extraneis hæredibus relictis, onus alendi filium non transit in hæredes, nec eos afficit, sicuti obligabat patrem viventem, sed pertinet ad avum maternum, & consequenter verum est, onus alendi filios non transire absolutè in hæredes patris, aut matris. Ita ex eo textu colligunt Bartolus,

Ruinus,

Ruinus, Boërius, Cordubs, Merenda *locis n.246. citatis*, & Surdus *d.q.104.n.2.& 3.* si cum Dyno *ibid.* dicatur, verba illa dictæ legis *non quemadmodum*, nisi pater non sit superstes, debere intelligi ita, scilicet ut nec hæredes reliquerit idoneos, eo quòd paria sint, vivere patrem locupletem, vel hæredes habere locupletes. Contrà urget Bartolus, quod dato hoc intellectu, textus nihil relevaret, & is intellectus repugnat litteræ textus *in d.§.idem rescriptum*, qui loquitur de summa egestate, eo quòd obligatio alendi non transit in hæredem, nisi in subsidium, alio non existente: & præterea, addit Surdus *d.q.104.* est mera divinatio illa subintellectio, quod etiam hæres non sit solvendo. Si etiã dicatur textum *in d. l.non quemadmodum*, negativè dicere partum filiæ non esse oneri avo, patre superstite, non posse autem argumentum à contrario sensu sumi, quod sit oneri avo, quãdo pater non est superstes, cùm non sumatur argumentum à sensu contrario dispositionis negativæ, Baldus *in l.2. in fin. C. de cond.insert.* Cacheranus *Pedem.decis.69.n.28.& decis.178.n.6.* Simon de Prætis *in locis communibus, lit.A,n.133.* Surdus *decis.185.n.24.& de alim. tit.6.q.15.n.7.* Franciscus Molinus *de ritu nupt.lib.3.q.51.n.7.* & alii à Surdo *tit.1. d.q.104.n.5.* relati. Responderi posset primò, contrarium afferri ab Everardo *in sua topica legali, loco 4.* Secundò respondet Surdus *d.q.104. d.n.6.* illationem illam, quod onus alendi spectet ad avum, & non transeat ad hæredes patris, non colligi ex eo textu per argumentum à contrario sensu, sed ab expressis verbis textus, ibi: *Nisi pater non sit superstes*; nam dictio *Nisi*, posita post negativam, affirmat, *l.actione, C.de transact. ibid.* Bartolus, Salicetus, Alexander, Jason, Sanchez *de matr.lib.1.disput.9.n.3.* Francisc. Molinus *de ritu nupt. lib.1.comparat.20.n.40.* Stephan.Gratian.*lib.3.cap.542. n.22.* Seraph.*decis.1.n.3.* & alii quos referunt August. Barbosa *de dictionibus, dict.84.n.3.* & Surdus *d.q.104. n.6.* In proposito igitur dum textus *in d.l.non quemadmodum*, dicit quod nati ex filia avo materno non sunt oneri, nisi pater non sit superstes, affirmat, seu admittit, quod patre non superstite, nepos sit oneri avo, & consequenter quod onus alendi non spectat ad hæredes patris.

344 Tertiò Merenda *n.5.* probat eandem sententiam *ex l.si instituta, §.1.ff.de inoffic.testam.* ubi nepoti contra patruum, vel alium hæredem scriptum agenti querela inofficiosi testamenti, propter ejusdem nepotis pupilli inopiam decernuntur alimenta præstanda ab hærede, non propter obligationem alendi, quæ erat penes patrem defunctum, sed propter præsumptionem boni juris nepotis. Signum ergo est, obligationem parentũ alendi filios, suâ naturâ, & absolutè non transire in hæredes. Si enim propter obligationem paternam alendi translatam in hæredem alimenta fuissent nepoti debita, satis erat probare inopiam, nec opus fuisset præsumptione boni juris ad hæreditatem vindicandam. Verum dici potest, cùm nepos potuisset pro alimentis obtinendis agere contra hæredem scriptum vel tanquam patris personam repræsentantem, vel tanquam injustum detentorem, & possessorem bonorum paternorum ad se spectantium, agit contra ipsum solum hoc secundo modo, petens solùm præstari sibi alimenta ex bonis, quæ ad se spectare in judicio querelæ inofficiosi contendebat; & ideò fuisse decretum, illa esse præstanda alimenta pro modo earundem facultatum, quæ per inofficiosi testamenti accusationem ei vindicabantur; non enim expediebat petere alimenta primo modo, quia agnovisset tanquam legitimos hæredes.

345 Quartò Merenda *d. c.3. n.8.* probat ex textu *in l.qui filium 4.ff. ubi pupillus educ.deb.* ibi: *Existimo, etsi citra Magistratuum decretum tutor sororem pupilli sui aluerit, & liberalibus artibus instituerit, cùm hoc aliter contingere non posset, nihil eo nomine tutelæ judicio præstare debere.* Ponderat enim Merenda illud verbum, *existimo*, à Jureconsulto ibi adhibitum, dum ait expensas pro alimentis sororis pupilli, & ejus instructione factas à tutore, non eidem tutori imputari, sed ex bonis pupilli fuisse justè factas, cùm aliter facere nõ posset; eo enim verbo, ait Merenda, prudentes in rebus exploratis uti non solent, ac proinde eo ibi usus est Jurisconsultus, ut intelligeretur non caruisse dubitatione, an tutori deberet imputari dictæ expensæ, si eas fecisset absque Magistratuum decreto. Ex quo colligitur, ibi non supposuisse obligationem patris alendi filium transisse in hæredem, ut subdit Merenda: nam hoc supposito manifestum fuisset, nihil à tutore hoc nomine præstari debere, quia æs alienum dissolverat. Verùm Doctores oppositæ sententiæ illam ex hoc textu probant; per hanc enim legem *qui filium*, probari quod ubicumque filius masculus est hæres patris universalis, sive ex testamento, sive ex consuetudine, aut statuto, teneri alere sororem, tradunt Baldus *in l.alimenta, C.de negot. gestis, ibid.* Cynus, & Vincentius de Franchis *decis.519. num.2.* Nec obstat ponderatio Merendæ, cùm sapientes *verbo Existimo*, utpote modestiam præseferente, utantur etiam in responsis de rebus, quas omninò veras, & certas judicant.

Quintò Surdus *d.q.24. n.9. & d.q.104.num.8. & d. q.105.n.3.* probat, & eandem rationem approbat Thesaurus loco citato, quia obligatio parentum filios alendi, & filiorum alendi parentes oritur, atque dependet à sanguine, æquitate, & affectione naturali, & charitate: quæ omnia in hæredem non transeunt, sed cum persona extinguuntur, ac proinde ea alendi obligatio non transit in hæredes extraneos, nec etiam in conjunctos, ut hæredes sunt; quia ea sanguinis, æquitatis, & affectionis naturalis ratio cessat quoad hæredes, qui propterea in his non possunt repræsentare defuncti personam, nec videri idem cum illo. Et regula illa, quod hæres repræsentet personam defuncti, inquit Surdus *d.q.104.n.9.* ex Cagnolo *in l.hæredẽ ejusdem, num.14.ff. de reg.jur.* intelligitur quoad ea quæ possunt in hæredem transire; ea autem sanguinis conjunctio, affinitas, & affectio naturalis per mortem extincta non attenditur. Quare etiam contra hæredem extraneum, ubi extant conjuncti, qui filium, vel patrẽ inopem alere possunt, non datur officium judicis pro alimentis, quia ea æquitas, propter quam datur officium contra patrem, vel filium, in hærede extraneo non militat: sicut etiam cessat, seu non militat in hærede conjuncto, quando extat alius proximior, à quo præstari possunt, ut alioqui præstari debent. 346

Sextò, & ultimò probatur eadem sententia, quia alimenta à parentibus filiis, & à filiis parentibus debētur 347
ex solo judicis officio, *l.si quis à liberis, in principio, & ibid.* Glossa *verb.cognosc.* Bartolus, Albericus, & Corduba *à n.44.ad 66.* & communiter Doctores à Surdo *de alim.tit.3.q.1.n.1.* relati, de qua re *infrà suo loco*: officium autem judicis nullam præsupponit obligationẽ; nam ubi datur obligatio, datur actio; & ubi deficit obligatio, deficit actio, cujus ipsa obligatio est mater, *l.licèt, §.11.ff.de procurat.* & Surdus *d.q.1.n.12.* Nulla est ergo obligatio alendi, quæ transeat in hæredem, atque ita hæres patris non cogitur alere filium, neque hæres filii patrem, nisi juxta textum *in d.§. item rescriptum, l.si quis à liberis, ff.de liber.agnosc.* scilicet nisi filius, vel pater sit deductus ad summam egestatem; quod tunc tantùm evenit, quãdo neque habet bona propria unde se alat, neque ascendentes, vel fratres à quibus possit alimenta habere, & exigere, secundùm tradita suprà *n.342.* Quod si dicatur, patrem filio, & filium patri inopi teneri alimẽta subministrare ex obligatione juris naturalis, & sic filio dari actionem, & non solùm officium judicis cõpetere pro alimentis obtinendis, Surdus *d.tit.3.citata q.1.n.12.* prout etiam *suprà n.5.versus finem*, notatum est, negat alimenta filio à patre, & è contra

contra deberi ex propria obligatione naturali, sed tantùm ex ratione naturali, & æquitate quadam à natura insita, quæ communis est non solùm hominibus, sed etiam brutis.

348 Ex prædictis inferunt Surdus *tit.1. quæst.24. num.5.* & Merenda *d. cap.3. num.10.* filium contra hæredes patris, & patrem contra hæredes filii pro alimentis agentem debere probare non solùm eam inopiam, ob quam defunctus teneretur eum alere, sed inopiam extremam, summamque egestatem: quod etiam dicit Hieron. Gabr. *cons.25. fin. vol.1.* Summa enim egestas est fundamentum intentionis patris, vel filii ab hæredibus petentis alimenta patri præbenda à lege *in d. §. item rescriptum, l. si quis à liberis, ff. de lib. agnosc.* quasi ad summam egestatem pater sit deductus: quæ dispositio etiam intelligitur quoad hæredes patris respectu filii, ut suprà *n.342.* dictum est: quod etiam ex eo confirmat Merenda *d.n.10.* quod nullus reperitur qui arctiori vinculo ad alendum aliquem teneatur, quàm teneatur filius erga patrem. Cùm ergo summa egestas sit fundamentum intentionis patris, vel filii petentis ab hæredibus alimenta, debet probari, *l. eum qui, ff. de probat.* & aliis juribus per Gabr. adductis. Et quando paupertas est fundamentum alicujus, vel causa agendi, eum qui illam allegat, teneri probare, sicut qui allegat divitias, tradunt alios allegantes Tiraquell. *de retract. consanguin. §. 32. glossa 1. n.95.* & Surd. *d. q.24. n.7.* Quare juxta eosdem Surdum, & Merendam filius petens alimenta ab hæredibus patris, & pater illa petens ab hæredibus filii, debet probare se non habere bona unde se possit alere, nec alium conjunctum, aut proximiorem, à quo habere, & exigere possit alimenta.

349 Præterea ex prædictis Merenda *d. c.3. n.11.* ait sequi, obligationem alendi non posse ex præceptis juris naturalis exerceri contra heredes patris, aut filii, sed ex benignitate magistratus id pendere, vel ex jure positivo; nam si (inquit) ex jure naturæ descenderet ut obligatio hujusmodi in hærede esset jure repræsentationis, non constitueretur differentia inter defunctum, & hæredem; quæ tamen tanta est (subdit) ut summa desideretur inopia, ut hæredibus hoc onus injungatur, juxta *d. §. item rescriptum*: cùm tamen simplex inopia sufficeret, ut defunctus ad alendum cogeretur. Cùm igitur vinculum sanguinis, ex quo natura deducit hanc obligationem alendi, cum persona defuncti extinguatur, ideoque hæredes non possint conveniri, quasi in ipsos transierit obligatio patris, & è contra, quia hæreditas non continet ea quæ defuncti personæ inhærebant, *l. cùm heres, ff. de acquir. possess.* in casu summæ egestatis recurrendum est ad humanitatem ejus qui jurisdictioni præest, quasi non sit æquitati conveniens, extraneos bonis defuncti omni ex parte frui, dum personæ defuncto sanguinis vinculo conjunctissimæ summa laborant egestate. Iure etiam tantùm positivo teneri hæredes patris alere filium, probat Merenda ex textu *in §. si quis igitur habens filios, auth. quibus mod. nat. effic. sui*, ibi: *Pasci verò naturales à legitimis sancimus, ut decet eos, secundùm substantiæ mensuram à bono viro arbitratam.* Illud enim verbum, *Sancimus*, juris novi introductionem significat, inquit Merenda; cùm sit legum novarum proprium. Quod si novo jure opus fuit, ut hæredes patris filium naturalem alant, constat onus alēdi non transire sua natura in hæredes, cùm natura non constituerit differentiam inter filios, ut §.1. probatum est. Confirmat Merenda ex *§. in quibus enim casibus*, immediatè sequenti, ubi Iustinianus ait, jus succedendi filiis naturalibus tributum, & consequendi alimenta ab hæredibus patris, descendere ex sua lege. Ergo non ex jure naturali, cùm certum sit jus succedendi ex jure naturali non venire. Verùm hic discursus non probat intentum Merendæ; nam Imperator ibi non statuit simpliciter alimenta à fratribus legitimis danda esse fratribus naturalibus, sed statuit danda, habita ratione divitiarum, & dignitatis; hoc enim filiis, tam legitimis, quàm illegitimis quoad alimenta ultra necessitatem, & secundùm dignitatem personarum, ac patrimonii qualitatem, solo jure positivo Cæsareo introductum est, ut suprà ostensum est. Voluit ergo Imperator fratres legitimos hæredes fratribus naturalibus ultra alimenta vitæ simpliciter necessaria jure naturæ debita, teneri etiam præstare habita ratione qualitatis bonorum, personarum, & dignitatis.

Cur autem jure Cæsareo cautum fuerit, naturales filios posse ab hæredibus patris obtinere alimenta, etiam extra extremam inopiam: filios verò legitimos, & naturales non posse hæredes patris cogere pro alimentis, nisi cùm summa laborant inopia? Merenda *d. c.5. n.14.* respondet ideo factum, quòd magna inter filios naturales, & filios legitimos, & naturales extet quoad hanc rem differentia; nam filii legitimi & naturales (inquit) habent certam à legibus definitam partem in bonis patris, qua non possunt privari nisi ex causa ingratitudinis, *§. aliud quoque capitul. Auth. ut cùm de appel. cogn.* ideoque vix est, ut accidat filios hujusmodi egere alimentis, cùm locuples est patris hæreditas, nisi filii ab ea ut ingrati exclusi fuerint; cùm tamen plerumque accidat, filios naturales inopes esse, etiamsi pater locupletem hæreditatem filiis legitimis reliquerit; ideoque non debet videri mirum, si Imperator *d. §. si igitur, & d. §. in quibus casibus*, filiis naturalibus prospexerit solùm, non autem legitimis, quia leges ad ea quæ ut plurimùm accidunt, adaptantur, *l. nam ad ea, ff. de leg.* ita Merenda. At vix credi potest, quod jus civile, seu Imperator voluerit jure ordinario filiis naturalibus aliunde, neque ex propriis bonis, neque ex propria industria habentibus, debere ab hæredibus patris provideri de alimentis, etiam ultra necessitatem simpliciter, secundùm mensuram facultatum paternarum, & personæ dignitatem; nequaquam verò filiis legitimis, & naturalibus, qui nullo modo sunt legibus odiosi, sed maximè favorabiles, etiamsi non ita sæpè accidat filios legitimos, & naturales extremè egere post mortem patris, qui locupletem hæreditatem extraneis, vel aliis conjunctis reliquerit; unde alii Doctores sequentis sententiæ, ex dispositione juris civilis *in d. §. si quis igitur, & in Auth. licet, Cod. de nat. lib.* de obligatione hæredum patris alendi filios naturales, deducunt universaliter hæredes patris teneri, & cogi alere filios, qui aliunde ex propriis bonis, vel ex sua industria sese non possunt alere.

Præter præfatas illationes alia corollaria deducunt ex præfata sententia, de quibus commodiùs sigillatim post explicatam sequentem sententiam.

Igitur altera sententia, & magis communis asserit onus alēdi liberos, si sese non possunt alere ex propriis bonis, vel ex sua industria, absolutè, & indistinctè transire in hæredes patris, & idem de hæredibus avi paterni, defuncto patre, vel eo inhabili facto ob paupertatē ad alendum. Ita ex Theologis Molin. *de just. tom.1. disp.168. §. observ.* Azorius *p.1. lib.2. c.5. q.5.* Rebell. *de oblig. just. p.2. lib.5. q.4. n.13.* Bonacina *tom.2. disp.6. q. unica, p.6. §.1. n.7.* Reginald. *lib.20. n.40. versic.6.* Trull. *in Decal. lib.4. c.1. dub.3. n.20.* & Ioseph. Rosafull. *in praxi quid agendum, part.3. lib.2. n.42.* ex Iurisperitis ita Covarruvias *de sponf. p.2. c.8. §.6. n.14.* Panorm. *cons.115.* Cynus *in l. alimenta, in fin. Cod. de negotiis gest. ibid.* Castrus, Fulgosius, Bald. Alexand. idem Alexand. *in l. mulier, §. cùm proponeretur, n.4. ad fin. ff. ad Trebellian.* & Idem Baldus *in Auth. licèt, num.2. C. de naturalibus liberis*, Capycios *decis.164. num.3. fine*, Vincentius de Franchis *decis.87. num.13.14. & 15. & decis.178. num.6. & 12. decis.283. num.12. decis.645. num.5.* & latiùs *decis.676.* Thesaurus *decis.212. num.1.* Gama *decis.11.* 351

*num.*9. Paleotus *de nothis, cap.*47.*fin.* Ludovicus Molina *de primog. lib.*2. *c.*15. *n.*43. Ant. Gomez *ad l.*9. *Tauri, n.*38 Hieronymus Gabriel *conf.*25. *n.*19. *initio*, ubi quod ad hæredes patris, & aliorum ascendẽtium paternorum descendit onus alendi : Ant. Gabriel *com. contl. lib.*6. *tit. de aliment. contl.*1. *n.*10. Peregrinus *de jur. fisci*, *lib.*3. *tit.*18. *n.*68. *fine*, ubi quod onus alendi transit in hæredes patris, cujus proprium officium est alere filios : Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *idem rescriptum*, *num.*79. *&* 80. *& num.*131. *& in* §. *non tantum*, *num.*56. *ff. de liberis agnoscendis*, Merlinus *de legit. lib.*5. *tit.*3. *quæst.*6. *num.*13. Jacobus Cancerius *var. resolut. tom.*3. *cap.*11. *num.*223. Fontanella *de pactis nupt. tom.*1. *claus.*5. *glossa* 1. *p.*1. *num.*118. Mantica *de tacitis*, *& ambiguis*, *lib.*12. *tit.*16. *num.*36. Mangilios *de imputat. quæst.*76. Marescotus *var. lib.*2. *capite* 83. *num.*38. Spino *in speculo*, *glossa* 16. *num.*106. Rolandus à Valle *conf.*54. *num.*65. *&* 66. *vol.*2. Stephanus Gratianus *tom.*2. *cap.*366. *num.*7. *& tom.*3. *capite* 562. *num.*37. *&* 38. Paschalis *de patria potestate*, *p.*2. *cap.*3. *n.*25. *& seq.* Petrus Barbosa *in l.*1. *p.*4. *num.*6. 7. 8. 9. *&* 73. *&* 157. Joannes Lupi *de illegit. tom.*2. §.1. *n.*30. *versic. contrarium*, Aloysius Riccius *in collect.* 1099 *versic. Infertur tertiò*, *& collect.* 1212. *versic. Amplia secundò*, August. Barbosa *collectan. ad cap. cùm haberet*, *num* 5. *de eo qui duxit*, *& collect. ad auth. licèt*, *num.*9. *C. de naturalibus liberis*, Carpanus *ad stat. Med.*313. *num* 16 Giurba *decis.*5. *num.* 44. Molfesius *ad consuet. Neap. tom.*1. *p.*5. *quæst.*9. *num.*15. Joannes Nicolaus Lucidorua post hæc scripta visus *de illegitimis Clericorum*, *cap.*20. *num.*2. & plures alii Jurisperiti ab Antonio Gabriele, Corduba, Gomezio, P. Barbosa, Giurba, & Lucidoro relati, & alii quos Surdus *de aliment. tit.*1. *quæst.* 104. *num.*2. refert, & pro eadem sententia possunt allegari Doctores asserentes patrem in suo testamento non posse prohibere, ne filiis alimenta præbeantur ; ac Doctores affirmantes, filiæ à statuto exclusæ ab hæredibus patris præstanda esse alimenta. Præfati igitur Doctores Theologi, & Iurisperiti docent quidem jus filiorum petendi alimenta, ex parte petentis, seu recipientis non esse transitorium ad hæredes filii, *l. cùm ii*, §. *modus* 2. *ff. de transact.* ibi : *Constat enim alimenta cum vita finiri* ; ut etiam suprà *hoc eodem capite* notatum est : tamen ex parte parentum esse perpetuum, & transitorium ad hæredes patris, & avi, quorum officium est alere liberos.

352 Quod iidem Doctores hujus sententiæ probant primò *ex d.* §. *item rescriptum*, *l. si quis à liberis*, *de liber. agnosc.* ex quo constat, onus alendi patrem inopem transire ad filii hæredes : quæ lex habet locum etiam in hæredibus patris, juxta superiùs tradita, & Doctores omnes ; cùm inter patrem, & filium quoad alimentorum obligationem non adsit imparitas : & licèt *ibi* dicatur, hæredes filii non cogi ad præstanda alimenta patri, nisi ad summam egestatem deductus sit ; tamen sensus horum postremorum verborum non est, ut hæredes filii non teneantur ad præfata alimenta, nisi quando pater bona non habet, nec ascendentes, aut fratres, vel proximiores sanguinis conjunctione sunt divites, à quibus alioqui esset alendus in defectum filii ; sed alius longè diversus. Et primò verba illa, *Summam egestatem*, juxta Ruinum *conf.*134. *num.*33. *lib.*1. & Petrum Barbosam *d. p.*1. *n* 9. *circa fin.* sunt intelligenda juxta declarationem Vlpiani *in d. l. si quis à liberis*, §. *sed si filius*, ut scilicet hæres teneatur præstare alimenta defuncti parenti, qui egenus sit, attenta qualitate suæ personæ ; neque aliunde, aut ex propriis bonis, aut ex artificio, seu industria sua possit alimenta habere. Secundò cùm textus *in d.* §. *item rescriptum*, loquatur de iis quæ vivus filius patri præstabat ex officio pietatis, ibi : *Hæredes filii ad ea præstanda, quæ vivus filius ex officio pietatis suæ dabat* ; hæc verba duplicem sensum habere possunt, scilicet vel quod filius ex officio pietatis patri præstabat necessaria, ad quæ nempe ex necessitate, & juris naturæ obligatione tenebatur, juxta textum *in can. si quis reliquerit, dist.*30. ubi dicitur, officium pietatis esse necessaria filius præbere ; vel quod filius motus affectione naturali, ex liberalitate, & mera charitate, & animo donandi præstabat patri ultra ea, quæ jure naturali ei præstare tenebatur, quæ magis propriè videntur ex officio pietatis, scilicet ex causa pietatis, & misericordiæ præstari. Officium enim pietatis propriè referri videtur ad ea, quæ nulla necessitate præstantur, sed ex motione affectionis naturalis, seu ex abundantia charitatis, & affectionis sanguinis præstantur ultra id ad quod jus naturæ, vel alia lex obligat, ut post alios plures tradit P. Barbosa *d. p.*4. *n.*7. addens etiam id ex verborum proprietate colligi ; nam verbum *Officium*, solet (inquit) designare illud, quod absque necessitate præstatur, *l. in commodato* 17. §. *sicut*, *ff. commodati*, *l.*1. §. *fin. ff mandati*, & ibi Bartolus *num.*1. & pariter verbum, *Pietas*, propriè referri ad id, quod ex observantia quadam, & exuberanti affectione præstatur, ait idem P. Barbosa, ad id adducens legem 1. *ff. de obsequiis*, legem 1. §. *sed si libertus*, *ff. si quid in fraudem*, & Glossam *in cap. non est sine culpa* 19. *de reg. iur. in* 6. & Calepinum *verbo Pietas.* Et certè quamvis pietas, ut est virtus moralis, respiciat ea quæ ex necessitate, & vi quasi præcepti erga alterum debentur ; tamen sæpè etiam refertur ad ea, quæ non ex necessitate, sed ex charitate, & affectione naturali sponte præstantur. Supposito igitur præfato duplici sensu illorum verborum, Petrus Barbosa *d. p.*4. *num.*8. dicit, quod dictus textus *in* §. *item rescriptum*, loquens de his quæ filius vivus præstabat patri ex officio pietatis, intelligendus est de his, quæ voluntariè, & ex abundantia charitatis filialis parenti præstabat absque ulla necessitate, quæ in hæredem non transeunt, ex regula *l. Stio*, §. *medico*, *ff. de annuis leg.* ex his enim, quæ voluntariè fiunt, non nascitur obligatio in futurum solvendi, seu præstandi, *can. possessiones*, 16. *quæst.*1. & Doctores *d. n.*8 à P. Barbosa relati. Si verò sermo sit de alimentis, quæ filius præstaret, si viveret, ex necessitate, obligatione, sive juris gentium, sive veriùs juris naturalis, juxta dictum caput *si quis reliquerit, dist* 30 *&* *legem* 5. §. *jus naturale*, *ff. de iustitia*, *& iure*, & constat ex traditis suprà de obligatione parentum alendi filios, & præter Petrum Barbosam *ibidem*, tradit cum aliis Corduba à Lara *in d. leg. si quis à liberis*, §. *Parens*, *n.*16. horum alimentorum solvendorum onus pariter transit in hæredem, ut constat ex juribus, quæ *num. sequenti* allegantur ; quia quis moriendo non potuit eximere bona propria ab illo onere, ad quod jure naturali erant obnoxia, *arg. auth. res quæ* 6. *C. comm. de legat.* & ex his P. Barbosa *n.*9. ait textum *in d.* §. *item rescriptum*, dum dicit hæredem filii non teneri necessaria præstare ejus parenti, nisi ad egestatem sit deductus, debere intelligi in eo sensu, ut in prædicto casu hæres filii non teneatur ejus parenti præstare ea, quæ filius dum vivebat, liberaliter ex officio pietatis ei præstabat, nisi ad summam egestatem reductus sit ; quasi ea, quæ voluntariè præstabantur, nunc propter supervenientem egestatem ad necessitatem videantur redacta, ex ratione legis *cùm servus* 82. *ad fin. ff. de condition. & demonstrat.* si autem (subdit idem Barbosa) filius vivus ea ex necessitate præstabat parenti egeno, hæc eadem obligatio transibit in ejus hæredem, juxta tradita, & sequentia.

Secundò ab iisdem Doctoribus hæc sententia, 353
quod onus alendi filium inopem transeat absolutè in hæredem patris, probatur ex textu expresso *in Auth. licèt*, *C. de naturalibus liberis*, ibi :

Hujus

Hujusmodi autem naturales filios pasci boni viri arbitrio est necesse, sive legitimi extant, & succedunt, sive conjuge viva, & quilibet alii sunt haredes. Idem decernitur *in §. si quis igitur habens filios, auth. quibus modis natural. efficiantur sui*, cujus verba suprà *num.* 349. adducta sunt, & etiam juxta ponderationem Merendæ. Si ergo onus alendi filios naturales juxta jus civile in dictis textibus transit in hæredes patris, ita, imò multò magis juxta idem jus civile asserendum erit, onus alendi filios legitimos, ac naturales esse pariter ad patris hæredes transitorium, ne illegitimi filii sint legitimis quoad alimenta necessaria favorabiliores. Et quod onus alendi filios legitimos transeat ad hæredes, satis evidenter probatur etiam *l. 4. ff. ubi pupillus educari debeat*, suprà *num.* 345. adducta. Ex quibus textibus, *juncto §. item rescriptum*, Doctores præallegati, præsertim Gomez, Gama, Vincentius de Franchis, Petrus Barbosa, Cynus, & Molina Theologus *locis citatis*, inferunt conclusionem, quod quando quis per legem tenetur alere, illa obligatio passiva descendit ad hæredes; & idem est quando alimenta debentur ex dispositione hominis per contractum, vel ultimam voluntatem; nam similiter transit ad hæredes, ut est expressus textus *in l. liberis quos, §. 1. ff. de alimentis, & cibariis leg.* ibidem Scribentes, Bartolus *in l. 4. §. Cato, num. 32. ff. de verb. oblig.* Gomez *d. num. 38. fine*, Petrus Barbosa *d. p. 4. num. 6. fine*, & præter alios ab eodem P. Barbosa allegatos, Corduba *in dicto §. idem rescriptum, num. 80. fine*, ubi etiam ex eo quod alimentorum legatorum obligatio transit in hæredem, infert etiam in hæredem transire obligationem legalem alendi, cùm nihil intersit, à testatore relicta sint alimenta, vel legis præcepto debita; quia in hoc articulo par est legis, & hominis potestas, *§. disponat, in auth. de nuptiis.*

354 Tertiò eadem sententia à pluribus ex præallegatis Doctoribus probatur, quia etsi jus alimentorum ex parte petentis sit merè personale, ut suprà dictum est, tamen jus passivum, & ex parte patris, qui tenetur alere, non est merè personale, sed censetur esse etiam in rem, & onus reale: ex eo enim quod pater jure naturali, & etiam positivo obligatur alere filios, fit etiam ut tali obligationi, seu oneri ejus bona jure naturali, & positivo sint obnoxia, & consequenter ut onus alendi sit reale. Ergo etiam cum ipsis rebus ad quemcumque hæredem transit; res enim transit cum onere suo. Doctores *in l. placet, C. de sacrosanctis Eccles.* Ita Cynus, Vincentius de Franchis *d. decis. 87. n. 15. & d. decis. 178. n. 6.* Corduba *d. n. 86. & d. n. 131.* Merlinus, Capycius, Spino *locis citatis*, Castrensis *cons. 8.* Decius *cons. 376. n. 3.* Decius *cons. 8. n. 711. & seq.* alii à Surdo *tit. 8. q. 51. n. 1.* relati, & etiam P. Barb. *d. p. 1. n. 6. fine, & n. 9. initio*, Giurba *decis. 5. num. 45. fine*, ubi ideo ait onus alendi filios, aut patrem transire ad hæredem patris, vel filii, quia quis moriendo non potuit eximere bona propria ab illo onere, ad quod jure naturali erant obnoxia, *arg. l. res quæ, C. communia de legatis:* licèt iidem P. Barbosa *eadem p. 4. citat. num. 73.* & Giurba *d. decis. 5. num. 46.* atque Megala *d. quæst. 4. num. 21.* reprobent hanc rationem; quia si esset vera, inquiunt, sequeretur ex ea, quod filius alendus esset non solùm contra hæredem, & bonorum omnium possessorem, sed etiam contra emptorem, sive particularem successorem bonorum patris, *c. ex litteris*; quod tamen verum non est, ut probatur infrà *hoc cap. n. 484.* Quare juxta eosdem B. Barbosam, & Giurbam, & etiam Panormitanum, Gomez & Gamam *locis suprà alleg.* & alios verior ratio judicatur ea, quod sicut pater erat personaliter obligatus ad præstanda dicta alimēta: ita etiam hæres, sive sit ex collateralibus, sive ex extraneis, conveniri potest ex patris persona, *l. 1. C. si cert. petat. & §. ex his, ff. de verb. obligat.* quæ ratio confirmatur, quia cùm patris hæres in ejus locum succedat, ejusque personam repræsentet, debet etiam illius onera sustinere. Regula enim est, quod hæres repræsentet personam defuncti, *auth. de jurejur. à morient. præstand. in principio*: ideò tenetur ad onera omnia, ad quæ defunctus tenebatur, *l. hæreditatem, ff. mand. l. quoties, C. de hæred. instit.* & non debet esse melioris conditionis, quàm defunctus, *l. in his, §. non debet, ff. de reg. juris*, & cùm hæres patris ex bonis ab eo provenientibus commodum habeat, æquum est, ut sentiat onus alendi liberos, quos idem pater vivens tenebatur, ex eo quod bona illa possidebat; hoc enim exigit æquitas legis *secundùm naturam, ff. de reg. jur.* Verùm etiam alteram rationem Cyni, & aliorum, & quod onus alendi filios respectu patris, & onus alendi patrem respectu filii non sit merè, & tantùm personale, solùm personæ inhærens, sed etiam respiciat bona, illaque jure naturæ, & lege divina afficiat, & consequenter bona tali onere affecta ad hæredem transeant, tenent etiam Azorius *d. p. 2. lib. 2. cap. 3. quæst. 7.* Villalobos *p. 2. tract. 41. diff. 6. n. 14.* Bonacina, Reginaldus, & Trulleuch *locis suprà num. 351. relatis*, & Joannes Nicolaus Lucidorus *d. cap. 22. num. 5.* allegans plures Rotæ Romanæ decisiones. Ratio autem esse videtur, quia illa obligatio juris naturalis, & etiam positivi civilis alendi filios, & è contra, personæ inhærens, non potest impleri nisi per usum bonorum, nisi enim pater vel filius utatur bonis ea impendendo in alimenta, & necessaria pro sustentatione vitæ filii, vel patris, non impletur. Ergo ea obligatio ligat personam ut dominium bonorum habet, respicitque bona ipsa, & illa afficit, dum pater, vel filius, qui tenetur alere, vivit. Ergo etiam eo defuncto eadem obligatio, quatenus bona afficit, cum illis ad hæredem transit. Per hæreditatem enim bona defuncti perveniunt ad hæredem ea conditione affecta, & qualia erant apud defunctum, cujus personam hæres ipse sustinet. Nec verò idem dicendum de singulari successore, & emptore, quia non est eadem ratio in eo, ac in persona hæredis, ad quem solo titulo honorario, & ut defuncti personam repræsentantem, & sustinentem bona deveniunt: unde æquum, & rationi naturali consentaneum est, ut sicuti defuncti personam referens ex illis bonis commodum habet, ita sentiat onus illud alimentorum, quæ dum penes defunctum erant, affecta jure naturæ erant; & quia obnoxia ad ipsum uti hæredem perveniunt, per mortem patris, vel filii solùm non potuerunt illa bona eximi ab illo onere, ad quod jure naturali, & etiam positivo erant obnoxia, ut tradit Petrus Barbosa *ad d. l. 1. p. 4. n. 9. ff. soluto matrim.* Cùm verò in singularem successorem, & emptorem bona deveniant titulo merè oneroso, nec ipsi ut personam patris, vel filii referenti acquirantur, non est mirum, si ad ipsum perveniant ab illo onere alimentorum exempta, tam jure positivo, quàm jure naturali inspectis. Et quia licèt pater filium inopem alere jure naturæ, & positivo teneatur; nihilominus utroque jure inspecto bonorum suorum liberam administrationem habet, potestque vendere, & in quoscumque usus validè prodigere. Dummodo in fraudem legis non prodigat, *l. Imperator, ff. ad Trebell.* ut & notavit Corduba à Lara *in d. §. idem rescripsit, num. 81.*

Quartò, & ultimò probatur hæc sententia, quia 355
pater filium pauperem tenetur alere obligatione stricta, & propria juris naturalis in conscientia, & coram Deo ligante, ut suprà *num. 6.* cum pluribus & sequentibus ostensum est: quæ obligatio non est merè personalis, ut non respiciat ullo modo bona; sed obligat patrem quatenus bona possidet, illorumque est dominus, & administrator, cùm non alio

modo possit tali obligationi satisfieri, nisi per usum bonorum; & sic obligatio illa personalis alendi jure naturæ contrahitur cum respectu ad bona: Ergo ad hæredem patris transit, sicut aliæ obligationes personales contractæ habito respectu ad rem, quibus defunctus dum viveret, erat adstrictus, ad illius hæredem jure naturæ transeunt. Quemadmodum ergo obligatio voti actionis purè personalis, quod votum personale dicitur, quia omninò personalis, etiam ex parte rei promissæ, & afficit solum viventem, ad illius hæredem nullo modo transit; obligatio verò voti realis, putà eleemosinam faciendi, quia non est omninò personalis, utpote habens respectum ad rem promissam, etsi prout se tenet ex parte personæ, estque personalis, cum ea extinguitur, & ut una obligatio solum voventem afficit, ut tradunt Theologi, præsertim Sanchez *in Sum. lib.4. cap.15. num.14.* nihilominus quia respicit rem promissam, obligatque personam voventis, quatenus est Dominus, & administrator rei promissæ (qua ratione est realis,) & hoc dominium & administratio transeunt in hæredem, qui quoad hæc repræsentat omnino defuncti personam; obligatio, inquam, voti realis ideo transit in hæredem, non ex vi voti, ita quod si adimpleat, non est sacrilegus, ex Sanchez *d. num. 14.* sed ex vi impliciti contractus, cùm eo ipso, quod adit hæreditatem, censeatur contractum iniisse solvendi omnia defuncti debita, & sic etiam vota realia, quæ verè sunt defuncti debita, ut cum aliis tenet Sanchez *d. cap. 15. num.25. & 28.* unde licèt defunctus ipse in testamento non jusserit hæredem solvere sua vota realia, ninihilominus idem hæres tenetur illa solvere, sicut cætera defuncti debita realia, ut contra Angelum cum aliis probat Sanchez *d. num. 28.* eodem igitur modo obligatio alendi filium, quatenus se tenet ex parte personæ patris, qui ob strictissimum sanguinis vinculum ex vi quarti præcepti, pietatisque virtute astringitur filiis necessaria vitæ sustentandæ mininistrare, est personalis, illumque solum afficit, & eo defuncto extinguitur; tamen quatenus respicit bona, & obligat patrem, ut possessorem, & dominum, ac administratorem bonorum, transit in hæredes patris, non ex vi quarti præcepti (unde hæredes extranei non obligantur ex virtute pietatis ad alimenta filiorum defuncti, sed ex vi contractus implicitè per aditionem hæreditatis initi solvendi omnia debita realia defuncti, inter quæ certum est enumerari debitum alimentorum, quod verè tenebatur filiis pater egentibus solvere. Licèt ergo hæredes patris, vel filii non obligentur alere filium, vel patrem inopem ex vi quarti præcepti Decalogi, & ex obligatione virtutis pietatis, ut probat etiam Megala *d. q.2. num.21. Versic. Dico nihilominus*; non ideo tamen deobligantur, quia ex ipsa hæreditatis aditione, tanquam ex contractu implicito obligationem alendi ex bonis hæreditatis ipso facto, & jure naturæ contrahunt, sicut contrahunt obligationem solvendi alia patris, vel filii defuncti debita realia. Esse enim hæredem, ut notavit Sanchez *d. num.28.* essentialiter importat recipere bona defuncti repræsentando ejus personam quoad omnem obligationem defuncti habentem respectum ad bona quantumcumque ad eorum administrationem.

356 Ex traditis ad hanc posteriorem sententiam probandam constat, illam procedere non solùm in filiis legitimis, & naturalibus, ut omnes Doctores *n.351.* expressè asserunt, in quibus procedunt textus *d. §. item rescriptum, & dicta lege 4. ff. ubi pupillus educari debeat*; sed etiam in filiis naturalibus, qui quoque pauperes habere debent alimenta ab hæredibus patris, etiamsi ipsi hæredes essent filii legitimi, & naturales, ut expressè decernitur *d. auth. licèt, C. de naturalibus liberis*, & ex allegato *§. si quis igitur habens filios, auth. quibus modis natural. efficiantur sui*, & affirmatunt iidem Doctores *citato num.351.* relati: tum etiam in filiis spuriis ex coïtu damnato, & punibili natis, quos quoque patris hæredes (quidquid secus Salicetus *in auth. ex complexu, Cod. de incestis nuptiis*, Calcaneus, & Vasquius *locis suprà num. 34. cit.* sentiant) obligantur alere, sicut pater, in cujus locum succedunt, cujusque personam repræsentant, vivens eos alere tenebatur, ut in terminis docent ferè omnes Iurisperiti suprà *dicto num.351.* relati, Panormitanus, Paleotus, uterque Molina, Covarruvias, Rolandus, Gama, Spino, Vincentius de Franchis, Corduba, Joannes Lupi, Gomez, Peregrinus, Lucidorus *locis d. num. 351. citatis*, Vasquez *opusc. de testament. op. 5. §.7. dubit. 16.* & alii apud eosdem, & apud Vasquium *loco num. 344. allegato*, & Surdum *tit.1. quæst.23. num.14.* & quidem jure naturali inspecto convincit ratio *num. præced.* adducta. Iure verò positivo Canonico attento probat textus *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim.* ubi decernitur, alimenta filiis spuriis, sicut aliis illegitimis, & etiam legitimis, ac naturalibus esse à parentibus subministranda. Cùm igitur jure naturæ, & etiam Canonico ubique in orbe Christiano recepto, quoad alimenta nulla sit differentia inter legitimos, & naturales, & quoscumque illegitimos, par etiam debet esse jus illa consequendi, tam à patre, quàm à patris hæredibus in ejus bonorum administrationem succedentibus, illiusque personam quoad obligationes reales, seu quæ patrem afficiebant, quatenus erat dominus bonorum, illorumque administrator, repræsentantibus. Quare malè negat Salicetus, valere: *Pater tenetur alere, ergo & ejus hæredes.* Nec rectè ex obligatione patris infertur hæredis obligatio ut ex dictis constat, actiones enim & obligationes personales defuncti, contractæ habito respectu ad rem, seu bona, sive ex contractu, sive ex quasi, sive ex maleficio, seu quasi, & ex promissione facta Deo, transeunt in hæredem, utpote ipsam defuncti personam repræsentantem, ut suprà probatum est, & tradunt communiter Iurisperiti suprà allegati, & cum aliis Surdus *d. quæst.23. num.17.* & etiam docent omnes Theologi, & summistæ. Frivola etiam est alia ratio ejusdem Saliceti, scilicet quia si obligatio alendi spurios transiret ad patris hæredes, posset facilè fieri fraus legi, quia non magis fieri potest fraus contra hæredes, quàm contra patrem; quin imò magis suspicatur lex de patre, uti qui magis diligit filium, quàm de hærede.

Multò verò magis procederet hæc sententia in filio legitimato; huic enim pariter alimenta subministrare tenentur patris hæredes, etiamsi illi sint filii 357
legitimi, & naturales, ut in terminis docet Alciatus *cons.209. num.1.* & post eum Surdus *d. quæst.23. n.8.* nam si hæredes obligantur alere illegitimos non legitimatos, potiori jure obligantur alere legitimatos, qui non differunt à legitimis, sed in omnibus tractandi sunt ut legitimi, ut suprà *num. 278.* notatum est, & latiùs tradit Surdus *de aliment. tit.1. quæst.8.*

Ex dictis etiam asserendum est, filiis tam legitimis, 358
& naturalibus, quàm illegitimis naturalibus, aut etiam spuriis, ab hæredibus præstanda esse alimenta pro modo facultatum hæreditatis, & habita ratione dignitatis, seu qualitatis personarum. Cùm enim eandem obligationem, qua pater vivens tenebatur, contrahant; sicut pater filiis non ingratis alimenta pro modo facultatum, & habita ratione dignitatis præstare cogitur, ut in præcedentibus latiùs probatum est, ita etiam cogitur ejus hæres. Et quod pro modo facultatum teneatur, est expressus textus *in l. si instar,*

§ 11.

§.5. suprà *num.344.* adducta, *in l.4. ff. ubi pupillus educ. deb.* suprà *num.345.* relata, *in d. auth. licèt, C. de naturalibus liberis, & in d. §. si quis igitur habens filios, auth. quibus modis natur. efficiantur sui.*

559 Item ex dictis, præsertim *num.355.* contra Merendam constat, etiam solo jure naturæ attento, obligationem alendi filios transire in patris hæredem, sicut jure naturæ in hæredem defuncti transit obligatio solvendi vota ejus realia, & cætera illius debita, quibus vivens erat obnoxius, ex contractu, vel quasi, vel ex maleficio, aut quasi, & ob quamcunque aliam causam.

560 Porrò sententiæ prædictæ *num.351. & seq.* traditæ non obstant fundamenta prioris sententiæ. Ad primum enim positum *num.341.* desumptum *ex §. item rescriptum*, in illis verbis, *Nisi in summam egestatem deductus*, ex traditis *num.352.* patet quis sit illius textus sensus, & qua ratione non infringit, sed probat secundam sententiam.

561 Ad secundum *num.343.* adductum, sumptum *ex l. non quemadmodum*, rectè respondit Dynus. Cùm enim hæres repræsentet patrem defunctum, qui primo loco alere filium tenetur, ab eodem hærede, uti patris personam repræsentante, & ejus bonorum domino, & administratore, priùs petenda sunt alimenta filii, quàm à matre, vel ab avo materno, qui minùs principaliter, & solùm in defectum patris impotentis, ad alimenta filii tenentur. Quare dicta lex *non quemadmodum*, intelligitur quando pater nullo modo superest, scilicet nec reipsa, nec repræsentativè in persona hæredis; & hunc intellectum confirmare possumus *ex dicta lege qui filium 4. ff. ubi pupillus educari debeat, & in d. auth. licèt, C. de naturalibus liberis, & ex d. §. si quis igitur habens filios, auth. quibus modis natural. efficiantur sui.* Ex quibus textibus constat, filios tam legitimos, quàm naturales, debere consequi alimenta ab hæredibus, etsi collateralibus ipsis filiis: correctio enim jurium evitari debet. Neque huic intellectui obstat dictus §. *item rescriptum*, quia satis in summa egestate, ut notavit etiam Petrus Barbosa *ad d. l.1. part.4. num.10. ff. soluto matrimonio*, potest dici pater filii defuncti, vel filius defuncti patris constitutus, si non habeat unde ex propriis bonis, vel ex sua industria se alat, licèt habeat matrem, aut avum maternum divitem. Et sic ab hæredibus repræsentantibus personam defuncti, qui primo loco tenetor ad alimenta, non ab ipsa matre, quæ secundo loco, & quando ex paternis facultatibus alimenta non possunt haberi, petenda sunt.

562 Tertium, & quartum fundamentum ejusdem primæ sententiæ, de quibus suprà *num.344. & n.341.* non probare eandem sententiam, constat ex ibidem notatis contra Merendam.

563 Quintum fundamentum Surdi suprà *num.346.* adductum, probat solùm obligationem alendi filios, quatenus ortam ex sanguinis vinculo, & præcepto quarto, atque pietatis virtute obligantem, qua ratione afficit solùm personam patris, cum ipsius morte extingui, nec transire ad patris hæredem, ut notatum est suprà *num.355.* quod non impedit quin quatenus respicit patris bona, & eum afficit, ut est dominus bonorum, & administrator, non transeat in hæredem, non ex vi quarti præcepti, sed ex ipsa hæreditatis aditione continente implicitum consensum solvendi omnia debita defuncti, cujus personam adita hæreditate, seu quatenus hæres est, repræsentat quoad ea ad quæ defunctus tenebatur, quatenus dominus bonorum suorum, & illorum administrator, ut *d. num.355.* explicatum est.

Ad sextum, & ultimum fundamentum ejusdem prioris sententiæ *num.347.* positum, P. Barbosa *ad d. l.1. part.4. num.6. ff. solut. matrim.* respondet, quod licèt officium judicis nullam præsupponat obligationem, præsupponit tamen quasi obligationem, juxta Glossam *in l. si servum, quæst.1. in §. fin. verbo Possit*, & Jason. *ibid. num.4.* & alios à Surdo illos sequente, *tit.3. de alim. quæst.1. num.18. & 19.* allegatos, ita ut quod solo judicis officio debetur, quasi æs alienum reputetur, ex Alexandro *in l. à filia, num.12. ff. ad Trebell.* atque adeo hæc quasi obligatio in hæredem transibit, *l. quod si minor, § fin. ff. de minoribus*, adjuncta lege *non solùm, ff. de restitutione in integrum*, & tradunt Paulus *in l. si socer, in princ. num.4. ff. eodem*, Alexander *cons.169. num.1.* & alii, quos idem Pet. Barbosa *ibid.* refert. Secundò ex traditis suprà *num.6.354 & 355.* respondetur, patrem teneri alere liberos ex juris naturalis obligatione vera & propria, ex qua naturaliter oritur actio. Cur autem hoc non obstante, filio in foro externo, non jure actionis, sed solo officio judicis jus civile petere permiserit, plures rationes à Jurisperitis assignantur, de quibus Corduba à Lara *in l. si quis à liber. in principio, à num.44. ad 60.* & Surdus *de aliment. tit.3. quæst.1. à num.2. ad 23.* & infrà suo loco dicetur, interim placet ratio, quam Corduba *d. num.60.* adducit, scilicet quod licèt alimenta à patre filio, & è contra à filio patri debeantur jure naturali, non tamen debentur absolute, & indistinctè, sed sub juris modificationibus, ut suprà *cap.1.* ostensum est, scilicet si filius sit pauper, nec habeat bona, vel artificium, aut officium unde possit alimenta habere, nec suâ industriâ illa possit sibi comparare, ut etiam Ulpianus *d. l. si quis à liberis*, tradit. Et aliquando alimenta non à patre, neque à filio, sed ab avo, patruo, vel à matre, vel avo materno, aut altera persona conjuncta sunt præstanda, juxta pariter tradita in præcedentibus. Quare cùm ex eo præcisè quod petens alimenta sit filius, aut pater, non debeantur alimenta, sed ita si judex discutiat, & cognoscat, an alia etiam interveniant, quæ à jure desiderantur, opus fuit judicis officio ad rem hanc expediendam, cùm ejus cognitionem requirat, per textum *in l. quod si minor, §. ex hoc edicto*, ad id ab eodem Corduba allegata; ideò alimenta peti judicis officio voluit Ulpianus *in d. l. si quis à liberis.* Responderi potest tertiò, licèt alimenta solo judicis officio cogatur pater filio præbere, officium tamen ipsum judicis etiam transit ad hæredes, per Castrensem *in l. si socer, in principio, ff. soluto matrimonio*, & Bartolum *in l. si minoris, §. fin. ff. de administr. tut.* id probantem per textum *in d. l. non solùm, ff. de restitut. in integr.* quos ad id allegat Surdus *tit.1. quæst.24. num.9.* licèt contrarium tenuisse Baldum, & Alexandrum *in d. l. si socer*, dicat Surdus *eod. num.9.*

An verò quod dictum est de hæredibus patris, & avi paterni, dicendum sit etiam de hæredibus matris, & avi materni, ut etiam in eosdem hæredes absolutè transeat onus alendi filios, quando deficiunt pater, & avus paternus, illorumque hæredes; an verò iidem matris hæredes liberos alere teneantur solùm in subsidium, quando scilicet desunt sanguine conjuncti, aut proximiores, ad quos ratione vinculi sanguinis spectaret onus alendi.

Et non absolutè, sed tantùm in subsidium, & quan- 564
do non adsint alii conjuncti, vel proximiores, à quibus ali magis debeant, præfatos matris, vel avi materni hæredes teneri eorum liberos alere, præter Doctores suprà *num.346.* allegatos, ex Doctoribus relatis suprà *n.351.* asserunt Hieronymus Gabriel *d. cons.25. n.19.* & Peregrinus *tit.18. cit. n.68.* & Giurba *d. decis.5. n.45.* dicunt enim expressè, solùm in hæredes patris, & avi paterni descendere onus alendi liberos, etiamsi extet alia persona, putà mater, vel frater, ad quam aliàs in subsidium patris, vel avi paterni onus alimentandi spectaret: qui eam rationem adducunt, quod patris,

& ejus ascendentium sit proprium officium alendi filios, non ita verò matris, & avi materni, nisi in subsidium, *d. l. non quemadmodum*, *ff. de liber. agnosc.* & pro hac sententia possunt allegari plures alii ex allegatis *d.num.* 351. quatenus loquuntur solùm de patris, & avi paterni hæredibus.

365 At ubi pater, vel avus paternus, vel eorum hæres alimenta ministrare non possunt, onus alendi in hæredem matris, & avi materni transire, absolutè, & indistinctè affirmarunt Baldus *cons.* 258. ubi ait onus alendi transire ad sucessorem bonorum maternorum, Panormitanus *d. cons.* 115. Rolandus, & Marescotus *locis suprà num.* 345. *citatis*, Covarruvias, & Molina Theologus *loc. suprà num.* 351. *cit.* ubi absolutè dicunt, liberos alendos fore ab hæredibus parentum: sub quo vocabulo mater includitur, sicut pater. Et idem dixerunt Scaccialupus *in l. si qua illustris, n.* 91. *C. ad Orfic.* & Lup. *in l. per vestras*, §. 23. *num.* 12. Et ratio est, quia post patrem, & avum paternum, & alios patris ascendentes, alendi officium & onus est etiam proprium matris, & avi materni, ob æqualem sanguinis conjunctionem, & naturalem affectionem, ut constat *ex d. l. si quis à liberis*, §. *utrum autem*, *& d. l. non quemadmodum, ff. de liber. agnosc.* in quibus expressè habetur, post patrem, & ex paterna linea ascendentes, onus alendi filios spectare ad matrem, & per fœmineum sexum ascendentes. Et pro hac sententia rectè possunt allegari Doctores suprà *num.* 353. *fine* relati, asserentes quod quando quis per legem tenetur alere, illa obligatio passiva descendet ad hæredes: & in specie, quod sororem uterinam pauperem frater hæres matris teneatur alere, & dotare, docuerunt P. Barbosa *in l.* 1. *p.* 4. *num.* 127. *ff. solut. matrim.* Rebellus *de justit. oblig. p.* 2. *lib.* 5. *quæst.* 4. *num.* 11. & alios allegans Faguodea *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 45.

Ad supradictorum pleniorem explicationem, & intelligentiam sequentia dubia (licèt eorum resolutio ex traditis facilè inferri queat) in terminis, & expressè examinanda, & solvenda supersunt.

Hæredes filii an absolutè teneantur alere patrem habentem matrem, vel fratres divites.

366 Dubium est, an hæres filii teneatur absolutè ejus patrem alere, ita quod ille, si habeat matrem, vel avum maternum, aut fratrem divites, à quibus possit ali, adhuc hæres idem filii teneatur alere patrem, sicut suprà dictum est, hæredes patris teneri absolutè alere filium. Huic dubio, juxta sententiam, & tradita suprà *n.* 346. & ejus assertores respondendum, hæredes filii teneri solùm in subsidium, & ita deobligari si pater habeat matrem, vel fratrem divites, à quibus alimenta habere possit. Ita Bartolus, Ruinus, Socinus, Boërius, Corduba, Merenda, Megala *loc. suprà num.* 342. *citatis*, & Surdus *de alim. tit.* 1. *quæst.* 24. *num.* 8. *& quæst.* 106. probat ex sæpiùs allegato §. *item rescriptum*, *l. si quis à liberis*, *ff. de liber. agnosc.* ubi textus requirit summam egestatem in patre, ut filii hæres cogatur illum alere; ac proinde necesse est quod pater filii defuncti neque habeat bona unde se alat, neque aliam personam, à qua possit jure alimenta exigere; nam hæc dicitur egestas summa, & suprema, per textum *d. num.* 342. *initio* adductum. Confirmat Surdus, quia in hærede filii extranei cessat ratio vinculi sanguinis, & æquitatis, & charitatis naturalis, ob quam principaliter filius tenetur patrem alere.

367 At juxta alteram sententiam *n.* 351. propositam, & tradita *num. sequent.* ad illam probandam, & Doctores *eod. n.* 351. relatos, asserendum est, hæredem filii absolutè teneri alere patrem inopem, etiamsi ille habeat matrem, vel fratrem divites, qui in hoc casu non tenentur ad alimonia patri administranda, ita quod sicut filius dives, si viveret, teneretur patri alimenta præstare, non mater, aut frater patris; ita pari modo ejusdem filii hæres tenetur. Ita Cynus *loco d. n.* 351. *citato*, Imola *in l. Titia cùm testamento*, §. *Imperator*, *ad fin. ff. de legat.* 2. Franciscus Marcus *decis.* 324. *num.* 4. *p.* 1. Vincentius de Franchis *decis.* 559. *num.* 7. P. Barbosa *in d. l.* 1. *p.* 4. *num.* 9. *fin. & num.* 10. *initio.* Idem oportet sensisse alii Jurisperiti suprà *d. num.* 351. relati, dum per textum *in d.* §. *idem rescriptum*, loquuntur de hæredibus patris, & probant onus alendi liberos absolutè transire in hæredem patris. Ex Theologis ita sentiunt Azorius, & Villalobos *locis suprà n.* 334. *citatis.* Probatur ex traditis in præcedentibus; cùm enim tam jure naturali, quàm positivo, æqualis sit obligatio filii alendi patrem, & patris alendi filium, ut suprà *n.* 472. notatum est; sicut hæredes patris ex vi aditionis hæreditatis contrahunt obligationem alendi filium, ita è contra necesse est, hæredes filii adeundo hæreditatem contrahere obligationem alendi patrem, quâ filius afficiebatur, sicut contrahunt obligationem solvendi cætera debita filii, & satisfaciendi obligationibus a filio vivente ex contractu, vel quasi contractu contractis. Igitur quod hæredes filii ad alimenta patris pauperis absolutè teneantur, probant tum textus expressus *in d.* §. *item rescriptum*, juxta ad illius intellectum tradita *num.* 352. tum utraque ratio, præsertim secunda *num.* 354. adducta: tum præcipuè jam latiùs *num* 355. explicata.

Quare non obstat fundamentum Bartoli, quia ut *d. num.* 352. initio notatum est, in egestate potest pater defuncti dici constitutus, si non habeat unde secundùm qualitatem suæ personæ se alat; & quia cùm hæres repræsentet filium defunctum quoad obligationes habentes respectum ad rem, seu bona, & illum afficientes ut illorum dominum, & administratorem, si à matre, vel fratribus petat alimenta, ab illis repelli jure poterit, cùm priùs incipere debeat à repræsentante filium defunctum, qui ut idem filius primo loco tenetur, argumento dictæ legis *non quemadmodum*, *ff. de liberis agnoscendis.* Non obstat etiam aliud fundamentum Surdi, quod solùm, ut suprà *num.* 362. observatum est, probat onus alendi patrem non transire in hæredem filii, ex vi quarti præcepti, & ex obligatione virtutis pietatis: quod verum esse *ibidem*, *&* *num.* 355. dictum est; descendit tamen in hæredes filii ex receptione, & aditione hæreditatis, per quam repræsentant ipsum defunctum, ut explicatum est. 368

§. XVIII.

Habens matrem, vel avum maternum divites, & hæredes sui patris, an debeat habere alimenta à matre, vel avo, vel ab hæredibus ipsis.

Dubium secundum, si quis habeat matrem, vel avum maternum divites, & hæredes sui patris, an debeat alimenta à matre, vel avo materno, an verò petere, & habere debeat ab hæredibus? Juxta sententiam traditam *num.* 346. respondendum, debere petere, & habere à matre divite, vel avo materno divite: & ita in terminis Bartolus, Ruinus, Boërius, Corduba, Merenda, & Megala *locis d. num.* 346. *citatis*, & Surdus *d. tit.* 1. *quæst.* 104. *num.* 3. *& seq. & quæst.* 105. *num.* 3. *& seq.* qui nituntur fundamentis ad eandem sententiam *d. num.* 346. adductis confirmandam, scilicet quia habens matrem, vel avum divitem, non censetur in summa egestate constitutus, & quia patre defuncto, vel egeno, filius est oneri matri, & avo materno, *d. l. non quemadmodum*: & quia in hærede non militat ratio vinculi sanguinis, æquitatis, atque charitatis naturalis. 369

Sed juxta sententiam *num.* 331. *& sequent.* propositam & confirmatam, asserendum est, hæredes quoad 370

hujusmodi

hujuſmodi alendi onus patrem defunctum repræſentantes, eſſe obligatos ad alimenta præſtanda, ſicut pater vivens teneretur, non verò mater, aut avus maternus, qui ſolùm in ſubſidium alere tenentur, quando ſcilicet nullus alius extat potens, vel obligatus alere; in hoc autem caſu extant hæredes patris, qui ſunt domini, & adminiſtratores bonorum patris; & ita hoc debitum paternum alimentorum ſolvere tenentur, ſicut alia debita realia ejuſdem: & ita tradunt Dynus *in d. l. non quemadmodum*, Cynus, uterque Gabriel, Peregrinus, P. Barboſa, Giurba, Vincentius de Franchis, Gama *locis ſuprà d. num.* 351. *allegatis*, & alii Juriſperiti, & Theologi *eod. num.* 551. relati. Et præter hos Doctores ita tenent plures alii Juriſperiti, quos Surdus *d. quæſt.* 105. refert, & ſatis convincunt tradita ſuprà *à num.* 352. hucuſque: neque obſtant fundamenta contrariæ ſententiæ, quibus in præcedentibus jam planè ſatisfactum eſt.

§. XIX.

Filiam cui à patre, vel avo paterno relicta eſt certa dos, an frater, vel nepos inſtitutus hæres univerſalis teneatur alere, etiamſi illa habeat matrem divitem.

371 DUbium tertium, an ubi pater, vel avus paternus inſtituit filium, aut nepotem hæredem univerſalem ſuorum bonorum, & filiæ, ſeu nepti exhæredatæ dotem legavit, quæ ei non debetur antequam nubat, juxta regulam legis *ſtipulationem*, *ff. de jure dotium*, interim debeat alimenta habere à fratre hærede, idque etiamſi habeat matrem divitem.

Reſpondetur, certum eſſe, ſi careat matre divite, & avo materno divite, debere à fratre hærede habere alimenta, ut eſt textus expreſſus *in l. qui filium* 4. *ff. ubi filius educari debeat*, cujus verba relata ſunt ſuprà *num.* 345. & per illum textum tradunt ibidem Gloſſa, Bartolus, & Baldus, Cynus *in l. alimenta*, *C. de negotiis geſtis*, ibidem Caſtrenſis, & *conſ.* 16. *num.* 2. *fine*, Tiraquellus *de primog. quæſt.* 4. *num.* 33. Ludovicus Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 12. P. Barboſa *ad l.* 1. *part.* 4. *tit.* 11. *ff. ſoluto matrim.* Corduba à Lara *in §. ſi mater*, *num.* 33. *& §. item reſcriptum*, *numero* 5. *l. ſi quis à liberis*, *ff. de liberis agnoſc.* Pontanus *de alim. cap.* 10. *num.* 3. Vincentius de Franchis *deciſ.* 87. *num.* 16. *& deciſ.* 559. *num.* 2. Surdus *de alim. tit.* 1. *quæſt.* 26. & alii apud P. Barboſam, & Surdum, qui omnes etiam addunt, ea alimenta à fratre hærede tradita ſorori, non fore imputanda in dotem, quæ integra tempore nuptiarum ei debetur. Hujus reſponſionis, & textus *in d. l.* 4. duplex aſſignatur ratio. Prima fundatur in doctrina generali *à num.* 352. tradita, quod hæres patris teneatur abſolutè alere filios, ſicut teneretur pater ipſe, ſi viveret. Quam rationem tradidit Cynus *loco citato*, ubi dicit fratrem hæredem ideò teneri alere ſororem, tum quia cùm apud filium ſit omne commodum hæreditatis, debet etiam ei incumbere incommodum alendi ſororem, ob æquitatem legis *ſecundùm naturam*, *ff. de reg. juris:* tum quia ſicut pater, ſi viveret, teneretur alere filiam: ita & filius hæres patris, qui illius repræſentat perſonam. Tum quia onus hoc alendi inhærebat bonis patris: ergo cum eodem onere bona tranſibunt de patre ad filium, quia onus reale tranſit in quemcumque poſſeſſorem, ut ſentiunt Doctores *in l. placet*, *C. de ſacroſ. Eccleſ.* Bartolus *in l.* 1. *C. de mulier.* & Natta *conſ.* 149. *n.* 3. Hoc autem ultimum Cyni dictum patitur exceptionem ſuprà *n.* 354. traditam, ſcilicet quod onus alendi tranſiret etiam in ſingularem ſucceſſorem. Altera ratio eſt, quod cùm frater percipiat fructus dotis à patre relictæ interim donec ſoror nupſerit, non ipſa ſoror, jure ſanguinis cogitur illam uti egenam alere; ſecus verò ſi ſoror ipſa fructus dotis conſequeretur. Surdus, & Corduba *locis citatis*, & alii apud Surdum *d. quæſt.* 26. *num.* 2. *fine*, *& n.* 3. quia tunc haberet unde ſe poſſet alere.

Si verò filia, vel neptis ab hæreditate excluſa, ſolo 372
dotis legato ei relicto, dando cùm nupſerit, habeat matrem divitem, non à fratre hærede, ſed à matre debere eam petere, & habere alimenta, tradunt in terminis Corduba *d. num.* 33. & Surdus *d. quæſt.* 26. *n.* 6. fundanturque in doctrina tradita *num.* 346. *& pluribus ſequentibus*, quod onus alendi filios non tranſit in hæredem patris, niſi in ſubſidium, quando non eſt perſona proximior, quæ jure ſanguinis teneatur ad alimenta præſtanda: quando autem filia habet matrem divitem, non cenſetur egena. Et ita Corduba ait, quod ſi mater hujuſmodi filiam apud ſe aluerit, de ſuo non poteſt alimenta à fratre hærede repetere. Nec ait Corduba obſtare dictam legem *qui filium*; nam præſupponit caſum dictæ legis eſſe de filia, cui pater reliquerat dotem, cùm nupſiſſet à fratre hærede tradendam, non ſuperſtite matre, vel non extante matre divite; in hujuſmodi enim caſu, quia ſoror nondum nupta non percipiebat fructus dotis, erat indigens, & egena, & propterea cogebatur frater non ut hæres, ſed jure ſanguinis eam alere.

Sed reſpondendum eſt, non obſtante exiſtentia 373
matris divitis, ſororem debere habere alimenta à fratre hærede. Ita expreſsè Cynus *loco citato*, Craveta alios allegans *conſ.* 189. *num.* 4. & oportet ſentiant alii Doctores *num.* 351. relati. Hoc idem abſque dubio ſentit Pontanus *d. num.* 3. ubi ait, in hoc caſu alimenta peti poſſe jure actionis relicti, etiamſi ſoror ſic dotata non egeat. Idem videntur ſenſiſſe Bartolus *in d. l. qui filium*, ubi ſe remittit ad notata per Cynum *loco citato*, Baldus, Caſtrenſis, & alii Juriſperiti *num. præced.* allegati, & alii à P. Barboſa *d. num.* 11. & Surdo *d. quæſt.* 26. *num.* 2. relati, dum abſolutè & indiſtinctè aſſerunt, fratrem hæredem teneri ſororem alere, donec matrimonio collocetur; idque per dictum textum *in d. l. qui filium*, qui etiam loquitur abſolutè; ibi enim Juriſconſultus nulla facta diſtinctione, an mater ſororis eſſet ſuperſtes, vel dives, dicit impenſas à tutore fratris hæredis pupilli factas in educatione ejuſdem ſororis, non imputandas ſorori, ſed hæredi, quia aliter facere non poterat tutor: ubi autem lex non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere; ideò rectè ſuprà dictum eſt *d. l. qui filium*, probari ſententiam, quod onus alendi filium pauperem tranſeat abſolutè in hæredem patris. Reſponſionem probant omnia tradita ſuprà *à num.* 351. ad confirmandam præfatam ſententiam, & pro eadem reſponſione poſſunt allegari alii Doctores, qui infrà citantur, abſolutè aſſerentes, filiam à ſtatuto excluſam ab hæreditate paterna, à maſculis patris hæredibus eſſe alendam, & dotandam, licèt ſtatutum nullam faciat mentionem de dote, & alimentis; qui etiam aſſertionem fundant *in d. l. qui filium*, qua decernitur filiam à patre ab hæreditate excluſam, à fratre hærede debere conſequi alimenta.

Hinc ſi mater filiam ſic dotatam, quia impubes 374
eſſet, ſecum habuerit, & ei alimenta præſtiterit, æſtimationem à fratre hærede poterit repetere actione negotiorum geſtorum, ut rectè docet Cynus *loco citato*. Nec frater alimenta à ſe, vel tutore ſuo, ſi fuerit pupillus tempore præſtationis, eidem ſorori ſuæ præſtita poteſt in legatum dotis illi à patre relictum imputare; nam ſi tenetur ex bonis hæreditariis alere, non poteſt alimentorum impenſam compenſare cum dote; & ita in terminis tenent Doctores *infrà n.* 377. relati, & Cancerius *var. reſol. part.* 1. *cap.* 16. *num.* 31. fructus autem dotis retinebit frater, juxta tradita infrà *d. num.* 377.

375 Quid verò si filia, seu soror exhæredata, cui pater, cùm nupsisset, legavit dotem certam dandam à filio hærede universali instituto, haberet bona propria unde posset se alere; an tunc frater hæres jussus dare illi nubenti dotem, teneatur adhuc illam alere. Glossa *in d. l. qui filium, verbo Cùm hac aliter*, dicit filiam à fratre alendam quando aliunde non habeat unde sese possit alere, juxta præfatam legem; ita enim interpretatur illa verba, *Cùm hac aliter ei contingere non possent*; idest (inquit) aliunde non poterat ali: & Glossæ conclusionem approbat etiam Surdus *d. q.* 26. *num.* 5. negat tamen, & rectè, deduci ex illis verbis dictæ legis *qui filium*; nam verba, *Cùm hac aliter ei contingere non possent*, referuntur non ad sororem, sed ad tutorem pupilli hæredis, qui ejusdem pupilli sorori dotatæ alimenta præstiterat, quæ Jurisconsultus ibi dicit rectè præstita, nec à pupillo, ejusve hæredibus posse tutelæ nomine propter illa agi contra tutorem; cùm hæc aliter ei contingere non possent, scilicet quia ubi recusasset præstare, fuisset à Magistratu, seu à Judice compulsus; nam qui facit id ad quod faciendum cogi potest, videtur coactè facere, ut probat Surdus *d. num.* 5. post Joan. Andream *in cap. præterea, verbo Extorquentes, de jurepatron.* Baldus *in l. novissimè*, per illum textum, *ff. quod falso tutore authore*, Decius *in l. velle*, & Cagnolus *ibidem, ff. de reg. jur.* Et si frater consideretur tantùm uti hæres patris, & illius personam repræsentans, certùm omninò est, non teneri sorori diviti, & habenti bona propria, ex quibus se decenter juxta statum suum possit alere, cùm nec pater vivens teneretur. Si verò consideretur ut percipit dotis à patre relictæ, & assignatæ fructus, videri posset teneri eum præstare alimenta juxta quãtitatem fructuum dotis assignatæ, ne sentiat commodum dotis sine incommodo. Ita sentit Pontanus *de alim. d. cap.* 10. *num.* 3. dum ait alimenta in hoc casu à sorore, cui pater reliquit dotem, posse jure actionis peti, etiamsi non egeat. Sed etiam juxta hanc considerationem eum non teneri sorori diviti præstare dicta alimenta, asserendum videtur, cùm à patre non gravetur dare dotem, nisi cùm in matrimonio collocabitur, & sic antequam soror in matrimonio collocetur, non habet majorem obligationem quoad alimenta ei præstanda, quàm pater vivens haberet, sed eandem omninò: & ita absque dubio sentiunt Glossa, & Surdus locis citatis.

Sequitur Summarium Capitis VII.

Filia ex consuetudine, vel statuto exclusa à successione cum onere dotandi, hæres masculus tenetur alimenta præstare, nec alimenta minuunt dotem; masculus autem interim percipit dotis fructus, num. 376. *&* 377.

Etiamsi statutum excludens nihil de dote, vel alimentis dicat, adhuc hæres masculus ad dotem, & alimenta congrua juxta statum obligatur, n. 378.

Patruus ex statuto excludens filiam, vel neptem, tenetur sobrinam alere, & dotare, ibid.

Prædicta an procedant, si filia, vel sobrina exclusa habet matrem, vel avum maternum divitem, n. 379.

Primogenitus successor in majoratu à patre propria authoritate instituto super omnibus bonis, non relicta legitima aliis fratribus non consentientibus in institutionem, tenetur præstare legitimam, & alimenta, n. 380.

Item si majoratus fuit institutus auctoritate Principis, cum onere relinquendi aliis filiis competentia alimenta, quæ institutor non reliquerat, vel non reliquerat sufficientia, num. 381.

Imò etiamsi Princeps concesserit absolutè facultatem instituendi majoratum ex omnibus bonis, nulla facta mentione de aliis filiis, adhuc primogenitus successor in majoratu tenetur cæteris fratribus dare alimenta competentia juxta statum, num. 382. *& an quantitas alimentorum debeat adæquare legitimam, ibid.*

Quin etiam ad alimenta eis præstanda tenetur in foro conscientiæ, licèt Princeps concessisset institutionem, cum expressione quod aliis filiis institutor non relinqueret alimenta, n. 383.

Primogenitus successor in majoratu tenetur etiam filiis illegitimis naturalibus, & spuriis, quibus pater non reliquit, alimenta congrua præstare, si egeant, nec aliundè ex propria industria, aut bonis propriis sese alere possunt, num. 384.

Primogenitus successor sororibus legitimis, & illegitimis filiis institutis tenetur congruam dotem dare, n. 385.

Onus dotandi filias an transeat ad hæredes patris defuncti, num. 386.

Primogenitus successor tenetur alere, & dotare fratres, & sorores, quibus pater nihil assignavit, etiamsi superstes sit mater, vel avus maternus dives, num. 387.

Quod si majoratus institutor cæteris liberis assignavit, & præstitit congruentia alimenta, & dotes, si postea ad paupertatem devenerunt, primogenitus successor non tenetur illis præstare alimenta, & dotes, si habeat matrem, vel avum maternum divitem habilem ad præstanda alimenta, & dotes, n. 388.

Sive primus institutor majoratus, vel fideicommissi ex omnibus bonis instituti cæteris suis liberis præstiterit, sive non præstiterit sufficientia alimenta, an majoratus possessores pro tempore teneantur in infinitum alere, & dotare fratres, & sorores, & alios descendentes ex primo institutore, si sint egeni, & habeant matrem, vel avum maternum divitem, qui possint alere, & dotare; an verò teneatur solùm fratribus, & sororibus in subsidium alimenta, & dotes præstare, num. 389. *ad* 401.

Qui post mortem avi conceptus est, an possit dici illi fuisse sanguine conjunctus, & ejus agnatus, vel cognatus, n. 391. *&* 399.

Intellectus ad legem Paulus 47. §. Paulus respondit nepotem, ff. de bonis libertorum, *ibid. fine.*

Intellectus ad authenticam res quæ, C. comm. de legatis, *n.* 394. *&* 396.

Omnis possessor primogenituræ, aut majoratus, qui ex consuetudine, vel ex statuto, aut alio modo defertur ad primogenitum, obligatur alere, & dotare fratres, & sorores inopes, n. 396.

Bona fideicommissi possunt alienari pro alimentis, & dote eorum, qui descendunt à fideicommittente in infinitum, & maximè pro alimentis, & dote fratrum, & sororum cujuscumque possessoris majoratus, n. 398.

Omnis possessor majoratus, saltem ut dives, tenetur alere, & dotare fratres, & sorores inopes, deficientibus matre, & avo materno, n. 401.

Et in regnis Hispaniarum obligari ex vi majoratus, ut rem certam tradit Ludovicus Molina, ibid.

Monasterium liberis, etiam spuriis ingressi & professi, in cujus bonis successit, alimenta, & dotes præstare debet, num. 402. *&* 403.

An pro alimentis teneatur monasterium præstare integrum usumfructum legitimæ, num. 404.

Si pater ante professionem filiis assignavit, & tribuit competentia alimenta, reliquis bonis in monasterium translatis, an eisdem filiis postea ad paupertatem redactis, monasterium teneatur alimenta præbere, num. 405.

Monasterium ad quod per ejus professionem omnia filii bona translata sunt, tenetur alere patrem inopem, numero 406.

Vide alia summaria post num. 406.

§. XX.

§. XX.

Si ex consuetudine, vel statutò filia excludatur à successione paterna, & tota hæreditas masculis devolvatur, an masculus hæres, seu successor universalis in bonis paternis teneatur filiam sic exclusam alere, & dotare.

376 DUbium quartum, an ubi per consuetudinem, vel statutum filiæ excluduntur à successione, seu hæreditate paterna, & tota hæreditas ad masculos defertur, masculi hæredes teneantur illis congruentia alimenta juxta illius statum, & qualitatem, & quantitatem hæreditatis præstare. Dupliciter potest consuetudo, seu statutum excludere filias, scilicet vel excludendo filias dotatas, vel excludendo absolutè, nihil de filiarum dote, & alimentis disponendo.

377 Si consuetudo, vel statutum excludat filias cum onere dotandi, communis Doctorum sententia est, masculos hæredes obligari ad præstanda filiabus alimenta juxta earum qualitatem, & statum. Ita per textum *in d. l. qui filium*, Bartolus, Baldus, Cynus, Castrensis, *in d. l. cui filium*, idem Baldus *in l. alimenta*, *num.* 3. *C. de negot. gestis*, Romanus *conf.* 134. Ruinus *conf.* 65. *n.* 6. *lib.* 3. Craveta *conf.* 189. *n.* 4. *vol.* 1. Parisius *conf.* 108. *n.* 47. *lib.* 3. Everardus *loco de alimentis ad dotem*, *n.* 7. Pontanus *de alimentis*, *cap.* 10. *num.* 3. Ludovicus Molina, Tiraquellus, P. Barbosa, Vincentius de Franchis, Surdus *locis suprà num.* 371. *citatis*, Baldus Novellus *tract. de dot. p.* 6. *special.* 16. Alexander *conf.* 48. *num.* 1. *vol.* 3. Corduba à Lara *in §. idem rescripsit*, *num.* 109. & alii Iurisperiti communiter à Tiraquello, Ludovico Molina, Vincentio de Franchis, P. Barbosa, & Surdo relati, & ex Theologis Azorius *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 4. ubi etiam adducit eam rationem, quod arctius est vinculum juris, quo parentes filiis alimenta debent, quàm illud quo debent hæreditatem. Sed id probat satis evidenter textus *in l. qui filium*, & deducitur ex traditis suprà, *n.* 355. ubi probatum est, onus alendi filios jure naturali transire ad hæredes, quod jus naturale non potest tolli per statutum, & dum statutum vult filiam exclusam à successione, à masculis dotari, vult etiam ab eis debere ali, donec in matrimonio collocetur: tum quia statutum censetur conformari juri communi, *d. l. qui filium*: tum quia dos, & alimenta procedunt à pari, ut *suprà* §. 1. ex Rota, & aliis dictum est: & sic qui à jure cogitur dotare, cogitur & alere. Quare nec impensa alimenta minuent dotem, ut tradunt iidem Iurisperiti, & alii à Surdo *d. q.* 26. *num.* 2. *versus finem*, relati; quæ tamen procedunt, ut interim, donec filia in matrimonio collocetur, hæres masculus percipiat dotis fructus, ita quod licèt alimenta quæ frater hæres præbet sorori à patre, vel avo suo dotatæ, non debeant imputari in dotem, fructus tamen dotis sibi quærat frater, & cum alimentis compenset, ut in terminis tenet Grammaticus *conf.* 146. *n.* 10. Cephalus *conf.* 85. Corduba *in §. si mater, num.* 35. & *in §. item rescriptum*, *n.* 5. *fine*, *l. si quis à liberis*, *ff. de liber. agnosc.* & Surdus *d. q.* 26. *n.* 3. & *tit.* 6. *q.* 12. *n.* 26. ubi post alios, quod si frater debitor sororis pro legitima alat sororem, poterit fructus legitimæ penes se retinere, & cum eis compensare impensam alimentorum: & Cancerius *var. resol. p.* 1. *cap.* 16. *num.* 31.

378 Quin etiam si consuetudo, aut statutum excludat filias à successione parentum, nihil de dote, nec de alimentis disponens, adhuc Doctores communiter concludunt, filias à masculis hæredibus patris esse dotandas, & alendas juxta earum qualitatem, ita quod consuetudo, vel statutum debeat intelligi, & non aliter locum habere possit, quàm si filiabus dotes, seu alimenta competentia ministrentur. Ita ex Canonistis Ioan. Andreas, Hostiensis, Panormit. *in cap. licèt, de voto*: idem Panorm. *in cap. fin. num.* 22. *de consuet.* & *conf.* 12. *n.* 5. *lib.* 1. Covarruvias *de sponsalib. part.* 2. *c.* 8. §. 6. *n.* 3. *versic. Quare*, Guido Papæ *decis.* 476. & *decis.* 487. Rodericus Suarez *in repet. l. quoniam in prioribus*, *lib.* 2. *n.* 1. *pag.* 229. & *limit.* 11. *n.* 22. *pag.* 382. *Cod. de inoffic. testam.* Mantica *de tacitis*, & *ambig. lib.* 12. *tit.* 6. *num.* 36. Mangilius *de imputat. quæst.* 76 *num.* 8. Baëza *de non melior. filiabus*, *cap.* 12. *num.* 9. Bartolus, Baldus, Cynus, Castrensis, Baldus Novellus, Romanus, Ruinus, Craveta, Parisius, Alexander, Tiraquellus, Ludovicus Molina, Corduba, Vincentius de Franchis, P. Barbosa, Surdus *locis suprà numero præcedenti*, & *num.* 371. *citatis*, & cæteri, quos cumulat Tiraquellus *de primog. tit. q.* 4. *num.* 33. statuta enim in dubio sunt intelligenda se conformare juri communi, & nunquam discedere à justitia, & æquitate naturali: & Princeps sua lege, etiamsi vellet, non posset filiis sua alimenta tollere, cùm sint debitum naturale parentum, seu jure naturæ in conscientia verè, & strictè obligante debeantur, ut suprà dictum est, & tradunt Panormitanus *in d. cap. fin. de consuetudine*, Covarruvias *ubi suprà*, & Canonistæ, & Iurisperiti communiter, ut *ibidem* notat idem Covarruvias, & docent omnes Summistæ, & Theologi initio hujus materiæ de alimentorum obligatione relati. Hinc licèt controversum sit an patruus teneatur in subsidium, ubi desunt proximiores, alere nepotem, vel neptem, filium, vel filiam fratris egentem (de qua controversia infrà;) nihilominus si patruus statuti decreto vocetur ad successionem intestati, exclusa filia, vel nepte, hoc casu certum est teneri patruum sobrinam alere, & dotare. Colligitur ex traditis hoc, & præcedenti numero, & in aliis præcedentibus, & in terminis post Bald. Novellum Corduba *in d. §. idem rescripsit*, *n.* 109. *l. si quis à liberis*, *ff. de liberis agnosc.* & Mantica *d. n.* 36.

Tradita duobus numeris præcedentibus Surdus *tit.* 1. *de alimentis*, *d. quæst.* 26. *num.* 6. limitat, scilicet ut filia statuto exclusa non sit dotanda, nec alenda ab hærede patris, quando habet matrem divitem, quæ potest alere, & dotare, quia tunc non censetur egena. Quam limitationem tradit Surdus supponendo sententiam suprà *num.* 346. traditam, quod onus alendi filios non transeat in hæredes patris, quando extant mater, vel avus maternus, aut aliquis alius sanguine conjunctus, vel proximior hærede, à quo habere, & exigere alimenta filii possint. Sed hujusmodi limitationem non posuerunt alii Doctores iisdem duobus præcedentibus numeris allegati, & rejiciendam fore constat ex traditis *num.* 351. *cum pluribus sequentibus*, ubi probatum est, obligationem alendi liberos absolutè transire in hæredes patris, & avi, & talem limitationem, præsertim Ruterus *d. n.* 3. non agnoscit, ubi sorori dos vigore statuti debita est; cùm velit sororem jure actionis statuti posse petere alimenta, etiamsi non egeat. 379

§. XXI.

Primogenitus successor in majoratu an teneatur præstare alimenta cæteris suis fratribus.

DUbium quintum, an frater successor in primogenitura, seu Majoratu, teneatur præstare alimenta aliis fratribus filiis institutoris primogenituræ, seu majoratus, cùm certum sit institutorem majoratus filiis masculis alimenta, fœminis verò dotes competentes relinquere debere, ut latè tradit Ludovicus Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 1. & *cap.* 15. *n.* 1. & alios allegans Additionator ad eundem Molinam *d. c.* 15. *citato n.* 1.

Primò dicendum, si institutor primogenituram, vel majoratum instituit propria auctoritate super omnibus bonis, & nihil, neque etiam legitimā reliquit aliis 380

filiis

filiis legitimis, & naturalibus, ubi in tali institutione non intervenerit filiorum consensus, institutio est illicita, & invalida in foro conscientiæ, & externo, ut probat Molina Iurisperitus *de primog. d. lib.2. cap.1. num.9. versic. In primo casu*, & Molina Theologus *de justit. tom.3. disp.578. num.5.* & Gomez *ad l.40. Tauri.* Cùm enim leges de legitima ascendentibus; vel descendentibus relinquenda loquentes irritum, & inane reddant, quod in contrarium factum fuerit, præfata institutio, utpote facta contra leges, absque Principis auctoritate, & consensu eorum quibus legitima debetur, est illicita, & nulla.

381 Secundò si institutor primogenituræ, seu majoratus habens filios, fecerit institutionem ex facultate principis sui supremi, qui majoratum facere concesserit, relictis tamen omnibus filiis alimentis competentibus, quæ institutor non reliquerit, vel non reliquerit competentia juxta statum & conditionem, esto in foro exteriori valeat, nec possit à filiis rumpi, ut tradunt Molina Jurisperitus *d. lib.2. cap.1. num.27. & cap.15. num.14.* & Molina Theologus *d. disput.678. num.6. initio*, nihilominus in foro conscientiæ, & externo primogenitus successor in majoratu ex ipsis bonis majoratus, seu primogenituræ debet & cogitur alimenta competentia aliis filiis præstare, ut docet Molina Iurisperitus *d.c.1.n.27.& d. cap.15. num.2. & 24.* & Molina Theologus *d. disp.578. citato num.5.* Ratio est, quia seclusa illa facultate Principis, cæteris filiis legitimis, ac naturalibus juxta leges in foro conscientiæ, & exteriori debentur non solùm alimenta, sed etiam integra alimenta: & consequenter cùm facultas data sit, ut tamen institutor aliis filiis relinqueret competentia alimenta, primogenitus successor in utroque foro cogitur ex bonis primogenituræ, seu majoratus fratribus legitimis præbere alimenta competentia, vel si institutor reliquerat quidem alimenta, sed non competentia, tenetur supplere usque ad congruam juxta statum alimentorum quantitatem. Quod etiam tradunt Tiraquellus *de primog. lib.4. num.33.* Covarruvias *de sponsalibus, part.2.c.8.§.6.n.3. versic. quartò*, Corduba *in l. si quis à liberis, §. idem rescripsit, num.131. ff. de liber. agnosc.* Spino *in speculo testam. glossa 8. num.106.* Rolandus *cons.54. n.60. vol.2.* & plures alios allegans Surdus *de alim. tit.1. quæst.17.*

382 Tertiò si princeps concesserit facultatem simpliciter, & absolutè instituendi primogenituram, seu majoratum ex omnibus bonis, non exprimendo quod aliis filiis à primogenito competentia alimenta assignentur & ita de facto majoratus super omnibus bonis fuerit institutus, non relictis cæteris filiis institutoris congruis alimentis, etsi validus erit, nec rumpi poterit majoratus, ut uterque Molina tradit locis numero præcedenti relatis; primogenitus tamen successor in foro conscientiæ, & exteriori tenetur cæteris filiis suis fratribus dare alimenta competentia, attenta ipsorum qualitate. Ita Molina Iurisconsultus *d. cap.1. num.10. & 11.* Mangilius *de imputat. quæst.76. num.8.* Corduba à Lara *in d. l. si quis à liberis, §. si mater, num.55. & 56.* & Molina Theologus *d. disput.578. citato num.5.* addentes etiam fœminis deberi dotem competentem in ratione alimentorum, ut pro ratione sui status nubere possint. Ratio est, quia ea facultas Principis, licèt data absolutè, & simpliciter instituendi ex omnibus bonis majoratum, intelligi debet relictis competentibus alimentis cæteris filiis, ne sit iniqua, & injusta: rescripta enim, & commissiones Principum semper sunt intelligenda, & interpretanda, ut nihil iniquum, & contra rectam rationem, justitiamve fori, & poli contineant, ut locis citatis docet uterque Molina, & alii, quos Molina *de primogeniis d. cap.1.n.12.* latè allegat. Quemadmodum etiam ubi ex consuetudine, vel statuto defertur simpliciter successio parentis primogenito, hujusmodi consuetudinem intelligendam esse, dummodo cæteris filiis priùs alimenta juxta eorum qualitatem, & dignitatem assignentur, traditum est suprà *n.378.* & asserunt Jurisperiti *d. num.378. & 379.* relati, Surdus *de alimentis, tit.1. quæst.27.* & alii communiter apud eosdem, præsertim apud Tiraquellum *de primog. quæst.4. num.33.* & Ludovicum Molinam *citato cap.1. num.11. & 12.* & Surdum *d. quæst.27.* Et licèt in prædictis casibus, ubi Princeps non taxavit quantitatem alimentorum præbendam secundo genito, Vasquius *de successionum creatione lib.3. cap.21. num.136.* dixerit quod minor erit quàm legitima; Corduba tamen *d.§. si mater, num.57.* ait hoc verum esse jure regio, quo aucta est filiorum legitima; jure verò communi, cùm legitima sit triens, si filii sint tantùm tres, vel pauciores; & semis, si plures, *auth. novissima, Cod. de inoffic. testam.* sentit non minorem portionem ipsa legitima esse relinquendam filiis in alimenta, ut tradidisse addit Decium *cons.180.& 181. n.5.*

Imò etiamsi Princeps expressè concesserit institu- 383
tionem majoratus ex omnibus bonis, non relinquendo cæteris filiis legitimam, nec alimenta, & derogando legibus contrarium disponentibus; adhuc tamen primogenitus successor non solùm teneretur in foro conscientiæ, sed in foro exteriori à Principe, vel Magistratu cogi deberet cæteris filiis assignare, seu præstare alimenta, non solùm simpliciter necessaria, sed etiam statui, habita ratione quantitatis paterni patrimonii, competentia. Ita Ludovicus Molina *de primog. lib.2. d.c.1.n.14. cum pluribus sequentibus*, & alter Molina *de justitia, d. disp.578. num.6. versic. Quartam verò partem*, & Corduba *d. §. si mater, citato n.55.* & quoad alimenta simpliciter necessaria, constat ex traditis suprà *cap.1.* & ex traditis de alimentis debitis filiis illegitimis, naturalibus, & spuriis, & etiam ex traditis *num.355.* alimenta enim simpliciter vitæ necessaria, cùm sint parentum debitum naturale ex stricta, & vera obligatione juris naturæ, neque principis rescripto, neque lege ulla possunt tolli, ut dictum est suprà *num.378.* & tradunt Doctores *ibidem* citati, uterque Molina *locis citatis*, & Iurisperiti magis communiter à Ludovico Molina *d. cap.1. num.14. & 16.* allegati, asserentes quod licèt legitima quoad quotam (qua ratione est inducta solùm jure civili) possit per legem, vel statutum tolli; non tamen posse tolli, quoad quantitatem alimentorum, quæ vitæ necessaria sunt, quia hac ratione debetur jure naturæ: & ita nec Principis rescripto, nec lege, vel statuto tolli potest. Quo verò ad alimenta statui competentia juxta utrumque Molinam, explicatum est suprà *n.14.& 15.* ubi fusiùs discutitur, an alimenta statui congrua filiis legitimis, & illegitimis debeantur, an verò solùm simpliciter necessaria vitæ.

An verò primogenitus ex vi consuetudinis, vel ex 384
Principis rescripto vocatus ad majoratum, aut primogenium teneatur præstare alimenta secundogenito diviti, & aliundè habenti unde se possit alere? videnda sunt tradita suprà *n.45. fine, & infrà n.539. & sequentib.*

Porrò successor in primogenio, vel majoratu, ubi pater ejus non reliquerit, aut assignaverit, etiam filiis illegitimis, tametsi spuriis, ipsius institutoris, tenetur alimenta assignare, vel præstare, quando ex propriis bonis, vel sua industria non possunt habere, ut constat ex traditis suprà *n.306.* junctis præcedentibus, & expressè tradunt Covarruvias, & Spino *locis n.380. citatis*, Corduba, P. Barbosa, Vincentius de Franchis *locis n.77. allegatis*, Panormitanus, Gomez, Peregrin. *locis n.351. citatis*, Ludovicus Molina *de primog. lib.2. cap.15. n.44.* Mangilius *d.q.76.n.1.* Ioannes Nicolaus Lucidorus nonnullos alios allegans *de illegitimis cler. c.19. n.7.* & implicitè tradũt omnes alii Doctores suprà *d.n.356.* relati: & ratio est, quia alimenta filiis illegitimis, naturalibus, & spuriis jure naturæ, & etiã positivo, civili, vel canonico erant præstanda, & relinquẽda, ut in præcedentibus

dentibus pluries probatum est, & tradunt præallegati Doctores, tanquam debita ab institutore majoratus, ac proinde sicut cætera debita à majoratus successore pro rata solvenda erunt; quamvis de eis Principis facultas, vel consuetudo, aut statutum non meminerit, id quod in terminis tradidere Celsus *cons.* 117. *num.* 6. & Ludovicus Molina *d. num.* 44. *fine*, & constat ex traditis suprà *n.* 355.

385 In quibus autem casibus primogenitus succedens in primogenio, aut majoratu, tenetur aliis fratribus & filiis ipsius institutoris primogenii, seu majoratus, seu in cuius bona omnia ex consuetudine, vel statuto succedit, alimenta congrua præstare, etiam sororibus & filiabus eiusdem institutoris, tam legitimis, quàm illegitimis, etiam spuriis, congruam dotem pro ratione alimentorum, ut nubere possint, tenetur constituere, cùm par sit dotis, & alimentorum causa, ut *suprà n.* 202. notatum est, & in his terminis tradidere Doctores communiter. Ita Suarez Roderic. *in l. quoniam in prioribus, in secunda limit. num.* 10. *C. de inofficioso testam.* Panormitanus *cons.* 12. *dub. septimo, vol.* 1. uterque Molina locis suprà, *num* 381. 382. & 383. citatis, & Jurisperiti omnes suprà *num.* 377. 378. & numero præcedenti relati, & Surdus *de alimentis, tit.* 1. *dicta q.* 27. *num.* 3.

§. XXII.

Onus dotandi filias an transeat in patris defuncti hæredes.

386 Huius occasione in universum advertendum, quod licèt Baldus, & Alexander *in l. si socer, in principio, ff. soluto matr.* docuerint onus dotandi filias non transire in eiusdem patris defuncti hæredes, hosque minimè cogi illas dotare; idque ob illud fundamentum, quod solo Iudicis officio pater compelli possit dotare filias, quod nullam præsupponit obligationem, iuxta tradita suprà *n.* 347. atque adeo nulla est obligatio, quæ in hæredes patris transeat: tamen longè veriùs asserendum est, quod sicut pater lege naturali, & civili tenetur dotare filias, ut nubere possint, & ne etiam cogantur meretricari; ita etiam si pater non assignaverit eis dotem, onus filias dotandi transit in quoscumque hæredes, & successores universales, ad quos patris defuncti bona devolvūtur. Ita expressè ex Doctoribus in præcedentibus allegatis, Corduba à Lara *in l. si quis liberis, §. non tantùm, n.* 56. *ff. de liberis agnosc.* P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *n.* 6. *ff. soluto matr.* Surdus *de alimentis, tit.* 1. *quæst.* 23. *n.* 13. præter hos Bartolus *in l. sicut, §. penult. ff. quibus modis pignus, vel hypoth. solvitur, & in l. si marito, §. si voluntate, num.* 9. *ff. soluto matrimonio, & in l. post dotem, n.* 23. *ff. eod.* Curtius senior *in l.* 1. *num.* 68. *C. de edendo*, ibidem Ripa *n.* 21. Craveta *in l.* 1. *n.* 201. *ff. de leg.* 1. Menochius *cons.* 81. *n.* 1. *lib.* 1. Baëza *de non meliorandis filiabus, cap.* 15. *n.* 26. & *c.* 11. *num.* 109. & plures alii, quos latè referunt P. Barbosa, & Baëza, & esse sententiam communiter receptam testatur Corduba *d. n.* 56. & hanc eandem sententiam proculdubio tenent cæteri Doctores *numero præcedenti, & num.* 377. & 378. allegati, imò etiam alii Doctores *n.* 351. relati, & probant tradita *à num.* 352. & *sequentibus*, & præsertim tradita *num.* 354. & 355. & confirmat P. Barbosa tum ex regula *l.* 2. *§. ex his, ff. de verborum obligat.* tum quia hæres recusare non potest onus, quod defuncto incumbebat, ut expressè habetur *l. postulante* 44. *ff. ad Trebell.* Ad hæc accedit ratio, de qua suprà *n.* 355. & 384. quod cùm dos filiæ sit debitum à patre solvendum, in patris defuncti hæredem & successorem universalem, ad quem defuncti bona devolvuntur, sicut & cætera eiusdem defuncti debita transire debet dotandi onus. Fundamento autem oppositæ sententiæ ex traditis suprà *n.* 363. respondetur primò, patrem ex propria obligatione iuris naturalis teneri dare dotem filiabus pro ratione alimentorum. Respondetur secundò, officium Judicis supponere quasi obligationem, quæ transit in hæredes, ut *d. n.* 363. explicatum est.

§. XXIII.

Primogenitus successor, fratres, & sorores, quibus pater non assignavit, tenetur alere, dotare, etiamsi habeant matrem, vel avum maternum divitem.

Porrò omnia, quæ in præcedentibus dicta sunt de primogeniti obligatione alendi alios fratres suos, & dotandi sorores, filios, & filias institutoris majoratus, cui institutor nihil reliquerit pro alimentis, vel pro dote, procedunt etiamsi mater, aut avus maternus eorumdem fratrum, vel sororum superstites essent, & forent divites, ut in terminis tradunt Cynus *in l. alimenta, C. de negot. gestis*, Rodericus Suarez *in l. quoniam in prioribus, limit.* 2. *n.* 10. *versic. Ex quibus, pag.* 379. *C. de inoffic. testamento*, Larrea *decis.* 47. *num.* 22. Salgado *in labyrintho creditorum, p.* 1. *cap.* 24. *num.* 136. 164. 165. & 204. qui alios allegat, & ita oportet asserant omnes Doctores relati *suprà, n.* 351. universaliter asserentes, onus alendi filios, & dotandi filias transire absolutè in hæredes patris, sicut transeunt cætera debita. Neque puto dissentire Ludovicum Molinam *de primog. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 68. Gomez *ad l.* 40. *Tauri, n.* 75. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. si mater, n.* 49. *ad* 52. & Molina *de iustitia, tom.* 3. *disp.* 616. *n.* 8. Nam dum negant primogenitum, ut successorem in maioratu, seu primogenio, teneri alere fratres inopes, aut dotare sorores, si habeant matrem, vel ascendentes per lineam maternam, qui possint alimēta illis præstare; tamen non loquuntur iuxta præsentem casum, sed in casu quo institutor cæteris à primogenito assignaverit competentia alimenta, & dotes congruas, & qui postea ad paupertatem devenerint, & quando non agitur de liberis ipsius institutoris maioratus, sed de aliis descendentibus successivè ex maioratus possessore, de quibus in proximè sequentibus: casus autem præsens est de fratribus, & sororibus primogeniti successoris in maioratu ex bonis omnibus constituto, genitis ab ipso maioratus institutore, qui illis neque alimenta competentia, neque dotes congruas reliquerit. Hos igitur fratres, & sorores alere, & dotare competenter teneri primogenitum ut successorem, & non matrem, aut avum paternū, licèt divites forent, probatur ex traditis *à n.* 380. scilicet quod sive maioratus instituatur sine licentia, sive cum licentia Principis, semper instituens debet cæteris liberis relinquere alimēta cōpetentia, seu legitimam, & dotes, saltem pro ratione alimentorū congruorum: & consequenter hoc onus patris defuncti transit ad illius hæredē, & successorem in maioratu, ut numeris præcedentibus probatum est, & confirmant tradita suprà, *n.* 352. & *in sequentibus*, & iuxta hanc sententiam multoties in Cancellaria Regia fuisse judicatum testatur Rodericus Suarez *loco citato.* 387

§. XXIV.

Quando institutor majoratus cæteris filiis, & filiabus præstitis congruentia alimenta, & dotes, & ipsi posteà ad paupertatem deveniunt, an primogenitus successor teneatur illis præstare alimenta, & dotes, si habeant matrem, vel avum divitem.

Quid igitur si institutor maioratus competentia alimenta, & dotes tribuit cæteris filiis à primogenito, 388

nito,ac filiabus,aut de bonis majoratus illis sufficienter sunt præstita,ac soluta,si illi postea ad paupertatem devenirent, & habeant matrem, vel avum maternum, an illis alimenta præstare teneatur ipse primogenitus successor in majoratu,an verò mater, vel avus, si sint divites,& possint? Respondetur in hoc casu primogenitum non teneri fratribus, & sororibus prædictis ad paupertatem redactis alimenta præstare, sed matrem divitem, seu avum maternum divitem. Ita Antonius Gomez *ad l.40.Tauri, num.75. versic. Secundò per hac,* Molina *de justitia, d.disp. 606. num.8.* & additionator ad Molinam *de primog.lib.2.cap.15.n.5.* Ratio est, quia cùm jam pater majoratus institutor onus suum alendi filios adimpleverit, & sic à debito, & obligatione alimentorum sese exemerit,non potuit tale onus transire ad primogenitum ut successorem, atque adeo si postea iidem filii ad inopiam redigantur, primogenitus successor ad aliud non tenetur,quàm teneretur si non successisset in majoratu, aut jam ipse ex bonis paternis persolvisset:quo casu non teneretur fratres & sorores inopes alere,& dotare,nisi quatenus dives,& solùm in subsidium,scilicet si eorum mater,aut avus maternus non essent superstites,aut essent egeni, & non possent alere,& dotare: frater enim dives, ubi ex vi successionis in omnibus bonis paternis alere,& dotare non adstringitur,non tenetur dare alimenta & dotes fratribus,& sororibus egenis, nisi post patrem, matrem,& avum paternum,& maternum;siquidem respectu descendentium pater,& ejus ascendentes primò tenentur alere, posteà in eorum defectum mater, & matris ascendentes,& in eorum defectu frater,si sit dives, ut constat *ex l.si quis à liberis, §. utrum, & l. non quemadmodum, ff. de liberis agnosc.* & tradunt Doctores communiter,de quo etiam infrà, ubi de obligatione fratris divitis alendi fratrem inopem.Præfata ratio maximè urget,supposita sententia quod pater, qui semel alimenta tradidit filio,qui postea consumpsit,non tenetur illi ad inopiam redacto iterum alimenta præbere,de quo infrà:& etiam fortiùs procedit, si post mortem institutoris filii effecti fuissent pauperes.

§. XXV.

Omnes majoratus, seu fideicommissi possessores, an teneantur alere, & dotare omnes descendentes ex institutore majoratus in infinitum.

MAior difficultas est,an omnis,& quicumque majoratus, seu fideicommissi ex omnibus bonis institutoris constituti successor teneatur alere, & dotare proprios fratres, & sorores, seu omnes descendentes institutoris inopes,si ipse ex bonis majoratus,aut fideicommissi id commodè facere possit,licèt fratres,& sorores,aliive descendentes ex institutore pauperes habeant matrem, vel avum maternum divites, qui illis alimenta, & dotes possint præstare? Difficultas hæc procedit tantùm in successore majoratus,aut fideicommissi ab antiquo,putà ab avo, vel proavo,aliove majori ascendente ex omnibus bonis constituti: & potest difficultas intelligi, vel in casu quando primus majoratus, vel fideicommissi institutor,ejúsve immediatus successor ex bonis majoratus,vel fideicommissi ejusdem liberis institutoris legitimis, atque illegitimis alimenta competentia,& dotes persolverit; vel in casu quando neque à primo institutore, neque ab ejus successore immediato ejusdem liberis institutoris alimenta, & dotes non fuerunt de bonis majoratus persoluta.

389 Prima igitur sententia est, si primus institutor, vel ejus successor ex bonis majoratus, aut fideicommissi, cæteris filiis ejusdem institutoris, legitimis, & illegitimis,vel conceptis in ejus vita,sufficientia,& congrua alimenta,& dotes tribuerit,posteriores,& pro tempore subsequenter possessores majoratus,seu fideicommissi, non teneri ut successores,& possessores majoratus,seu fideicommissi præstare alimenta,& dotes cæteris fratribus & sororibus egenis filiis præcedentis possessoris aliisve descendentibus ex primo institutore, sed tantùm in subsidium ratione sanguinis in defectum aliorum, qui sint illis proximiores; ac proinde si habeant matrem, aut alios ascendentes, sive per lineam maternam,sive paternam, qui eis sufficientia alimenta,& dotes præstare possint, hujusmodi possessores majoratus, aut fideicommissi non teneri ea illis præstare. Ita Gomez,& Molina locis numero præcedenti relatis, Covarruvias *lib.3. var. cap.6. num 10. §. illud tamen, versic. Qua quidem opinio,*& idem tradit Ludovicus Molina *de primog. d. lib.2. cit.cap.15. num.68.* Additionator *eodem lib.2. cap.15. n.5 & 68.* idem etiam sentiunt Corduba à Lara *in §. idem rescripsit, num.128. & 138.* Larrea *allegata decis.42.n.22.*& Salgado *allegato c.24. n 127. usque ad finem*, qui alios Jurisperitos allegat, & faciunt tradita à Peregrino *de fideicom.art.42. n.35. & 36.* ubi cum aliis relatis à se *d.n.36.fine,*quod pro dotanda nepte, quæ locum patris defuncti in successione non habet, non possint alienari bona fideicommissi ab avo instituti. Probatur præsertim à Gomez, & Molina, quia primus institutor majoratus,vel fideicommissi, ex omnibusbonis solùm tenebatur relinquere sufficienter alimenta, & dotes reliquis filiis, & filiabus suis natis, vel conceptis in ejus vita: quod si non effecerit,illud onus transit ad majoratus successores, sicut cætera debita ejusdem. Si autem prædictæ obligationi satisfecit præstando, seu relinquendo alimenta, & dotes filiis, & filiabus tunc viventibus, vel in ejus vita cóceptis,jam cùm fuerit extincta illa obligatio primi institutoris, non potest transire in successorem, & possessorem majoratus.Ergo frater primogenitus,successor,& possessor majoratus,non tenetur alimenta dare aliis fratribus,& sororibus,ut successor,seu ex persona institutoris,aut patris, ejusve obligatione; neque ex propria persona,tanquam frater, nisi in subsidium,non extantibus matre,vel ascendentibus, qui eos alere,& dotare possint, ad quos jure sanguinis, & conjunctionis priùs spectat onus alendi, & dotandi, iuxta tradita numero præcedenti. Neque obstat huic sententiæ authentica *res quæ, C. communia de legatis,* dum dicit bona fideicommissi posse alienari pro alimentis, & dote eorum, qui descendunt ab institutore fideicommissi, ut aiunt præfati Doctores, præsertim Larrea *d.n.22.* Nam inquiunt decisionem Authenticæ intelligi solùm de descendentibus extantibus,vel cóceptis vivente institutore, non verò de iis,qui tempore mortis institutoris non extabant,nec concepti erát, ut ostendit Baldus *ibi, in antiqua lectura,q.3.* Parisius *vol.2.consf.52.n.34. & consf.64.n.64.*& alii relati à Peregrino *de fideic.artic. 42. n.37. versic.contrariam opinionem,*& à Petra *q.8. n.400.* Confirmat Gomez tradita *hic,& n.præcedenti*, quia si pater reliquit filiis integram legitimam,& maiori,vel alteri cætera bona, vel fortè omnes æqualiter instituat, & aliquis deveniat ad inopiam,citra omne dubium alii fratres non tenentur eum alere pro rata,tanquam hæredes,sed tanquam fratres, & conjuncti. Ergo etiam in nostris terminis non tenetur frater primogenitus alere alios fratres inopes, extante matre, vel avo materno,vel alio ascendente divite, cùm pater,& primus institutor iam semel sufficientia alimenta præstiterit filiis omnibus, quibus tenebatur præstare. Addit Gomez, hanc etiam sententiam tenuisse Petram, Bartolum, & alios antiquos, *in l. alimenta, C. de negot. gestis,*& eundem Bartolum *in l.si quis à liberis, §. item rescriptum, ff. de liber. agnosc.* & alios Jurisperitos, quos ibidem allegat.

Ex quibus à Gomez, & Molina Theologo traditis 390 videtur

tus, vel ejus successor cæteris filiis, & filiabus eiusdem institutoris, natis, vel conceptis sufficientia alimenta non tribuerit, possessor majoratûs cæteris descendentibus ex eodem institutore majoratûs tenetur ut successor præbere alimenta, si inopes sint; quia cùm primus institutor non satisfecerit legi naturali, & civili, onus relinquendi suis filiis, & filiabus alimenta, & dotes, quo tenebatur idem institutor, transit in majoratus possessorem, ut ex bonis ejusdem institutoris vinculatis, ut ait Molina *d. disputat.* 316. *num.* 8. *versic. Iuxta ea ergo, paulò post principium*, alimenta cæteris ejus descendentibus præbeat. Larrea tamen, & Salgado dicunt, solum possessorem majoratus teneri satisfacere obligationi fundatoris, qui filiis secundogenitis, aut nepotibus tunc viventibus, aut jam conceptis ipso fundatore vivente, non reliquit, aut dedit legitimam, seu congruentia alimenta; ac proinde videntur sentire possessorem majoratus teneri solùm ad dictam legitimam, vel alimenta congrua semel tradenda: quod tantùm fortè voluerunt Gomez, & Molina.

391 Secunda sententia est, sive primus institutor majoratus, primogenituræ, vel fideicommissi ex omnibus bonis constituti liberis legitimis, & naturalibus, ac illegitimis, dum ipse viveret natis, vel conceptis sufficientia alimenta, & dotes reliquerit, sive non, neque à successore immediato fuerint præstita, primogenitum successivè possessorem primogenituræ, majoratus, aut fideicommissi, non teneri ut successorem, & possessorem bonorum ejusdem primi institutoris alimenta, & dotes præstare descendentibus eiusdem institutoris post ejus mortem conceptis, & sic nec cæteros fratres, & sorores inopes alere, & dotare, si habeant matrem, vel avum maternum divitem habiles ad alendum, & dotandum. Ita expressè Antonius Merenda non solùm *tom.* 3. *lib.* 13. *cap.* 3. ubi in universum negat, onus alendi liberos absolutè transire ad hæredes patris, & quoscumque possessores bonorum patris; sed etiam in terminis, & latissimè *tom.* 4. *lib.* 22. *c.* 36. *per tot.* Probat *n.* 3. & 4. quia descendẽtes per lineam primi institutoris post eius mortem concepti, non habent, nec unquam habuerunt ius ad alimenta contra eundem institutorem defunctum, & sic nec post eius mortem contra hæredes illius; quia ius ad alimenta, quo pater adstringitur erga filios, neptes, & pronepotes, fundatur principaliter in coniunctione, seu vinculo sanguinis, ut in præcedentibus sæpiùs dictum est, & constat *ex l. si quis à liberis*, §. 1. *ff. de liber. agnosc.* ibi: *Cùm ex æquitate res descendat, & naturali charitate singulorum desideria iudicem perpendere oportet.* At descendens, qui post institutoris mortem conceptus est, dici non potest illi fuisse sanguinis vinculo conjunctus, cùm mors omnia solvat iuris vincula, §. *deinceps, auth. de nuptiis*, & sic non potuit extitisse inter ipsum institutorem, & descendentes post eius mortem conceptos illud vinculum naturale, ex quo obligatio alendi contrahitur. Idque confirmat Merenda, tum *ex l. item prætor* 8 *ff. de suis & legitimis hæredibus*, ubi Julianus ait, eos qui post mortẽ concepti fuerunt, non posse propriè appellari eius cognatos, sed eos appellari abusivè, seu habita relatione ad id, quod contigisset, si vivo eo concepti fuissent, juxta explicationem Cujacii *lib.* 59. *ad edictum Iuliani*, & Alciati *lib.* 1. *dispunct. cap.* 28. tum etiam *ex l.* 1. §. *si quis proximi, ff. unde cognati*, ubi dicitur: *Sed ubi natus non est, admittimus eum qui post ventrem proximus videbatur; sed hoc ita demùm erit accipiendum, si hic qui in utero esse dicitur, vivo eo, de cuius bonorum possessione agitur, fuerit conceptus; nam si post mortem, neque obstabit alii, neque ipse admittitur, quia non fuit proximus cognatus ei, quo vivo animal nondum fuerit.* Ex quibus textibus (quibus addi potest quod post mortem avi concepti habentur pro extraneis, *l. Titius* 6. *ff. de suis, & legitimis*, quam ad id adducit Petra *de fideicom. q.* 8. *n.* 401.) Merenda ait, apparere nepotem, vel pronepotem conceptum post mortem avi, vel proavi, non posse propriè dici ejus agnatum, vel cognatum: quòd fundamentum agnationis, & cognationis in hoc juxta præfata jura consistat, ut eo tempore quo vixit defunctus, fuerit inter vivos is qui ei agnatus, & cognatus esse, & ut agnatus, vel cognatus succedere prætendit. Quare hanc eandem sententiam idem Merenda *num.* 7. sic corroborat; nam, inquit, opus est, eum qui postulat alimenta, affirmare se esse nepotem, vel pronepotem testatoris, seu institutoris fideicommissi, vel majoratus, si vult ex ejus bonis obtinere alimenta, quando is ad quem ea spectant, non est ex iis personis, quæ alendi onere gravantur; atque ideo cùm non possit probare existentiam terminorum necessariorum, ut possit probare se fuisse nepotem, aut pronepotem defuncti, consequens est eum obtinere non posse alimenta sibi præstari ex ejus hæreditate. Neque ait idem Merenda *num.* 5. *per leg. Paulus* 47. §. *Paulus respondit nepotem, ff. de bonis libertorum*, doctrinam prædictorum textuum *in d.* §. *deinceps, & in d. leg.* 1. §. *si quis*, restringi ad materias successionum ab intestato, non autem pertinere ad alias materias, ut voluit Hieronymus de Leone *decisione Valentina* 27. *n.* 19. *lib.* 1. Hoc enim, inquit Merenda, non est absolutè verum, sed tantùm si agatur de ea materia, in qua non requiritur, ut is de quo agitur, fuerit agnatus, vel cognatus defuncto, per Glossam *ibid.* verbo *Liberti*, & alios quos *d. num.* 5. idem Merenda refert.

Præterea idem Merenda *num.* 8. probat eandem sententiam, quia juxta dictum Vlpiani *in d.* §. 1. *l. si quis à liberis*, obligatio alendi liberos descendit ex charitate naturali: charitas autem naturalis allegari non potest erga eos, qui vivis nobis non fuerunt concepti, nisi abusivè loquendo; cùm voluntas non moveatur ex objecto incognito, ac proinde verba Vlpiani *in d.* §. non conveniunt iis, quia post mortem parentis concepti fuerunt. 392

Denique probat *num.* 9. quia qui post mortem avi conceptus est, non potest negare dominium perfectè fuisse quæsitum hæredi sui avi, nisi dixerit sibi ius fuisse quæsitum vivo avo; hoc autem non potest probare, cùm eo vivo non fuerit in rerum natura. Si dixerit eius bona subjici obligationi reali, ut deserviant pro alimentis eorum, qui ex liberis defuncti deinde nasci turi sunt, necesse est ut ostendat legem, quæ hoc induxerit, & si admittatur hoc ius reale, agi poterit contra eos qui bona hæreditatis sui parentis ab eius hærede acquisiverunt; cùm suo facto non potuerit ipsorum ius extinguere pro consequendis alimentis, etiamsi per multas manus transiverint. Hoc autem nemo potest admittere sine maxima perturbatione commerciorum, cùm omnibus liberis competeret ius postulandi alimenta à suis parentibus, & maioratuum, & primogenituræ fructus nulla ferè ex parte pertinebunt ad ipsorum possessores, si ipsis injungatur onus alendi descendentes eius, qui ipsorum authores fuerunt. 393

Non obstat prædictæ sententiæ *auth. res quæ, Cod. commun. de legatis*, subdit idem Merenda *num.* 10. hanc enim ait secundùm plurium Doctorum sententiam habere locum in descendentibus eorum qui fideicommissum possident, non in omnes descendentes institutoris fideicommissi. Addit neque in iisdem habere locum, de quo agit *lib.* 19. *c.* 25. Prædicta Merenda. 394

Tertia sententia absolutè asserit, quemcumque antiquissimi majoratus, & fideicommissi possessorem, uti primogenitum, & successorem in bonis maioratus, & fideicommissi, teneri proprios fratres, & sorores inopes ex primo institutore descendentes alere & dotare. Ita Rodericus Suarez *in l. quoniam in prioribus, limit.* 2. *num.* 10. *C. de inoffic. testam.* ubi etiam dicit ita fuisse multoties iudicatum, Surdus *de alimentis, tit.* 1. 395

*quæst.*27. *num.*3. *&* 4.Ita etiam sensisse Cynum *in l.alimenta, C. de negot. gestis,& ibid.* Baldum & Paulum de Castro, refert Gomez *ad d.l.*40.*Tauri, d. num.*75 *paulò post initium*, & Covarruvias *d. §. illud tamen*, ubi dicit esse communem Doctorum *in d. Auth.res quæ.* Hieronymum quoque de Leone *in decis.*27. *lib.* 1.tenuisse, possessorem primogenituræ, & fideicommissi perpetui debere descendentes testatoris, seu institutoris post ejus mortem conceptos alere, testatur Merenda *d. cap.*36.*initio.* Eandem sententiam tenet Ludovicus Molina *de primog. lib.*4.*cap.*6. *num.*4. *versic.contrarium, & num* 5.& etiam videtur tenere *lib.*2. *d.cap.*15.*n.*58. *&* 59.& indubitatè tenet *in calce libri, num.*14.*& infrà num.* 402.licèt *num.*68. *d. cap.*5. contrarium expressè asserat dicens, primogenitum teneri fratres, & sorores inopes alere, & dotare, non uti primogenitum, & majoratus possessorem, sed uti divitem, & sanguine conjunctum, & solùm in subsidium, quando descendentes ex primo institutore non habent patrem, aut matrem, aut avum maternum, qui possit commodè alere & dotare. Intelligitur autem hæc sententia quoad majoratum, juxta Rodericum, & Surdum, ut primogenitus majoratus, vel primogituræ possessor teneatur fratribus, & sororibus alimenta, & dotes, quibus possint commodè sustentari, præstare, habita semper ratione, quod idem primogenitus possit honorificè vivere, & propriam dignitatem sustinere.

396 Et pro hac sententia stare videntur Doctores, qui absolutè tradunt, omnem possessorem majoratus, seu primogenituræ obligari, & cogi alere, & dotare fratres, & sorores inopes; ita tamen quod tantum remaneat primogenito unde posit honorificè suam dignitatem sustinere. Ii sunt Baldus *in l.cunctos populos, n.*17. *Cod. de summa Trinitate*, ubi prius eum refert Surdus *d.quæst.*27. *num.*2. ait quod si valeat statutum vocans primogenitum ad alicujus successionem, tamen postea nati filii sunt alendi. Joannes Andreas, Hostiensis, Panormitanus, Guido Papæ, Tiraquellus *locis suprà num.*378. *relatis*, Surdus *q.*4. *n.*2. alii ex relatis *eodem num.*378. & plures alii à Surdo, & Tiraquello *locis citatis* allegati, & Ludovicus Molina *d.cap.*15. *num.*56. & ita videtur sentire etiam Mangilius *de imputat. quæst.*76.

397 Rodericus Suarez *loco citato*, quod frater bonorum majoratus possessor, ex quorum fructibus sine magno incommodo status, & personæ id posit facere, debeat fratres, & sorores inopes alere, & dotare, probat ea ratione, quod id æquitas exigat; quia frater tenetur alere fratrem, & dotare sororem, si non habeat aliunde alimenta, & dotem: quæ ratio probat de quocumque fratre divite, quod fratrem, & sororem inopes teneatur alere, & dotare, in subsidium tamen, & quando desunt alii proximiores, scilicet pater, vel mater, aut avus paternus, vel maternus, qui commodè alere possint.

398 Surdus probat ratione ducta *ex d. Auth. res quæ, C. commun. de legatis*, scilicet quia juxta prædictam authēticam non pauci Doctores sentiunt, bona fideicommisso, ac restitutioni subjecta posse alienari pro alimentis, & dote eorum, qui descendunt à fideicommittente in infinitum; ita quod dicta authentica non complectatur solùm descendentes, seu nepotes, & pronepotes institutoris fideicommissi, eo vivente natos, vel saltem conceptos; sed omnes etiam natos, & conceptos post ejus mortem, quos ipse fideicommissi institutor, si viveret, alere, & dotare teneretur; licèt pro alimentis, & dote transversaliū ipsius fideicommittentis nō possint alienari. Ita Baldus, Angelus, Castrus, Curtius *in d. Authent. res quæ*, Petra *de fideicomm.d.quæst.*8.*n.*405.Simon de Pretis *de interpr.ultim. vol.fol.* 438. *num.*29. Padilla *in d. auth. res quæ, num.*56.57.*&* 58. & plures alii à Padilla, & Surdo relati: qui Doctores in hoc volunt esse considerandum solùm, an si testator, seu institutor viveret, teneretur; non autem postquam est mortuus, & sic cessant adducta suprà *num.*300.ex Merenda, cùm etiam certum sit, si institutor viveret, quod teneretur suos nepotes, & pronepotes alere, & dotare; unde præsumendum esse videtur, ejus voluntatem fuisse in institutione majoratus, ac fideicommissi, ut pro eorundem alimentis, & dote bona possent alienari, saltem ubi expressè non prohibuit: & quod bona fideicommisso subjecta possint in infinitum alienari pro alimentis & dote liberorum possessoris majoratus, & fideicommissi pauperum, tradunt etiam Oddo *de fideicom. quæst.*46. *num.*105. Peregrinus *eodem tractatu, artic.*42. *num.*55. & Fusarius *de substit. quæst.*532. *n.*42. id tamen limitantes quoad portionem solùm bonorum fideicommissi relictam ipsi possessori gravato, pro qua sola portione, & non pro portione bonorum fideicommissi relicta cohæredi, & eidem possessori ex reciproco fideicommisso subjecta alienari pro alimentis, & dote liberorum ipsius possessoris gravati, docent. Et quod dispositio prædictæ authenticæ *res quæ*, ut bona fideicommisso supposita possint alienari pro alimentis, & dote liberorum descendentium à fideicommittente, ubi fructus bonorum non sufficiunt, procedat, & habeat locum etiam in descendentibus natis, & conceptis post obitum ejusdem committentis, præter Petrum Padillam, & alios Jurisperitos suprà allegatos, asseruere Rota Romana *decis.*37.*part.*1. *diversorum, & decis.* 46.*num.*7. apud Seraphinum, Menochius *de præsumpt. lib.*4. *præsumpt.* 185. *num.*18.*& seqq.* Fontanella *de pactis nupt. clausula* 5.*glossa* 1.*part.*2. *num.*77.Ferentillus *ad decisionem Burati* 641. *num.*27.alios recentiores allegans, Ioannes Nicolaus Lucidorus *de illegitim. Clericorum*, *cap.*19. *num.*8. & Thesaurus *decis.*192. *num.*11. ubi asserit secundùm hanc sententiam judicasse Senatum Pedemontanum; in conceptis enim descendentibus etiam post mortem institutoris fideicommissi militat ea ratio, quod si ipse viveret, teneretur eos alere, & dotare, quæ est ratio dispositionis dictæ authenticæ.

Eadem sententia videtur posse probari ex textu *in* 399
§. utrum autem, l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc. nam juxta Vlpiani sententiam ibi, non solùm pater filios, sed avus, & proavus, & cæteri ascendentes per lineam masculinam obligantur alere nepotes, & pronepotes, aliosque ex ipsis descendentes. Ergo videtur dicendum, quod Vlpianus *in d. §.* comprehendat etiam nepotes, & pronepotes natos, & conceptos post avi, & proavi obitum; cùm impossibile sit, quod omnes descendentes concepti sint vivente eo, qui nepotes, & pronepotes, & deinceps habiturus est. Quare Vlpianus videtur considerasse omne tempus, scilicet & quando vivente avo, aut proavo nepos, aut pronepos natus, aut conceptus est; & etiam quando eo defuncto natus, & conceptus est, expendendo illud, *Quod si viveret, eosdem nepotes, & pronepotes inopes teneretur alere.* Hoc idem confirmari posse videtur ex sequentibus verbis ejusdem §. ibi, *Cùm ex æquitate hæc res descendat, charitateque sanguinis*: charitas enim sanguinis & affectio naturalis, non solùm extenditur ad filios existentes, & conceptos, sed etiam ad nepotes, & pronepotes, & cæteros descendentes, qui sperantur nascituri; cùm in his omnibus repræsentetur primus genitor, & agnatio conservetur, & perpetuitatem consequatur. Neque obstat illud ex Merenda suprà *n.*391. adductum, scilicet quod voluntas non fertur in incognitum; nam primò *in d. §. utrum autem*, charitas, & affectio, atque desiderium, non accipiuntur pro sola actuali dilectione, affectione, ac desiderio à voluntate elicitis, sed etiam, & magis, pro charitate, & affectione radicaliter. Secundò, quia voluntas actualiter ferri potest in nepotes, & pronepotes, & cæteros descendentes nascituros, quatenus in confuso

fuso apprehenduntur, & sperantur nascituri, vel non desperatur esse nascituros, & per eos agnationem fore perpetuandam. Cùm ergo omnes primogeniti possessores primogenituræ, seu majoratus, aut fideicommissi, censeantur, & sint hæredes, ac successores primi institutoris, à quo, & non ab aliis subsequentibus possessoribus censentur, & verè habent bona majoratus, vel primogenituræ, aut fideicommissi, ad illos transibit obligatio primi institutoris majoratus, vel fideicommissi, juxta tradita *suprà, à num.* 355. & hoc idem videtur sentire Padilla *in d. auth. res quæ, n.* 58. dum absolutè dicit, avum, proavum, & cæteros superiores parentes teneri dotare suos descendentes; & favere videntur alii Iurisperiti, & Theologi suprà *n.* 281. *&* 283. allegati, qui idem sine distinctione nepotum, vel pronepotum, natorum, & conceptorum vivente avo, aut proavo, aut ex defuncto conceptorum, asserunt. Quare etiam videtur dicendum, textus *in d. l. item Prætor*, & alios suprà *num.* 390. adductos ex Merenda, intelligi quoad materiam successionum, non quoad alias materias, præsertim alimentorum descendentibus egenis præstandorum, ut *d. num.* 390. *in fine*, dictum est. Prædictis adde, saltem largè sumpto vocabulo, agnatum alicujus dici illum, qui per lineam masculinam eo mortuo nascitur, ut ex textu *in l. quam Tuberonis, ff. de pecul. in l. item prætor, ff. de suis & legit.* tradit post alios Fusarius *cons.* 56. *num.* 6. Et licèt non dicatur propriè agnatus, cùm tamen sit descendens, attendenda est præsumpta mens institutoris; & quod si institutor viveret, esset propriè agnatos suos. Et quod in fideicommissis vocatio de agnato intelligatur etiam de agnato qui extat tempore conditionis purificatæ, licèt tunc non extiterat institutor, latè tradit Fusarius *d. cons* 56. *& in tract. de substit. prædictis.*

400 Quapropter non videtur posse negari, hanc sententiam habere non modicam probabilitatem, & fundari in æquitate naturali, maximè quoad fratres, & sorores ipsius possessoris majoratus, seu fideicommissi, filios ultimi, seu proximè præcedentis possessoris majoratus, vel fideicommissi, præsertim quando ex fructibus bonorum majoratus, & fideicommissi fratres, & sorores inopes frater ipse primogenitus possessor potest commodè alere, & dotare: & novam confirmationem addo desumptam ex præsumpta voluntate institutoris majoratus, vel fideicommissi; nam videtur non ambigendum; institutorem qui splendorem familiæ per majoratum, vel fideicommissum conservare voluit, unquam passurum fuisse, liberos suos, suósve nepotes, & pronepotes, & cæteros descendentes fame perire, vel cum dedecore victum sibi quærere vilissimas artes exercendo, vel alia ratione parum decenti. Sed de his satis, & hanc rationem deductam ex verisimili, & præsumpta voluntate institutoris, quod si eo tempore viveret, necessitatibus suorum descendentium consuluisset, ponderat post alios Ludovicus Molina *d. lib.* 4. *cap.* 6. *citato n.* 5.

401 Solùm advertendum, omnem possessorem majoratus, vel primogenituræ, aut fideicommissi, si non ut primogenitum, & possessorem, seu successorem in bonis majoratus, tamen ut divitem, ratione conjunctionis sanguinis teneri alere fratres, & dotare sorores in subsidium, scilicet quando nec mater, nec avus maternus potest, ut infrà probatur, & tradunt omnes præallegati Doctores, & etiam Salgado *in labyrintho creditorum, dicto cap.* 24. *num.* 132. 141. 142. 145. 146. imò etiam primogenitum possessorem majoratus, teneri etiam saltem in subsidium alere patruum, sobrinum, & alios, amitam, & sobrinam, tradunt Ludovicus Molina *d. cap.* 15. *num.* 1. *& seq.* & alii, de quo *infrà*. Insuper Ludovicus Molina in annotationibus, quas in calce libri de primogeniis habet, *n.* 14. asserit, quod omnis, etiam antiquissimus possessor majoratus, tenetur alere fratres, & dotare sorores pauperes, non ex conjunctione sanguinis tantùm, sed etiam ob rationem, quod majoratus institutio ex Hispaniæ Regnorum consuetudine, & lege facta fuisse videatur, ut filius primogenitus familiæ caput, atque robur sit, fratresque, & sorores egentes teneatur alere, & dotare: quam obligationem addit idem Molina in omnes primogenitos in infinitum transfundi, atque in ipsorum majoratuum propriam, ac peculiarem naturam converti, prout loquitur in simili de feudis, in quibus jure Francorum succeditur, in quibus filius primogenitus, qui in feudo succedit, semper tenetur fratribus, & sororibus victum & militiam præstare, quasi feudum ipsum hac lege, & conditione ei delegatum sit: quæ omnia approbat Additionator ad eundem Molinam *de primog. lib.* 2. *dicto cap.* 15. *num.* 56. *fine.* Licèt non admittat Salgado *d. cap.* 24. *numero* 200. *& sequentibus*; qui tamen *d. cap.* 24. *num.* 196. fatetur institutorem majoratus, dum omnia sua bona in unum vult transferri, & devenire, id ea præsertim intentione facere, ut majoratus possessor sic dives effectus, cæteris consanguineis egentibus ad eum tanquam ad caput familiæ recurrentibus, possit subvenire, & habeat unde possit succurrere, si (inquit Salgado) velit succurrere, non tamen ad id teneatur, seu institutor ad id velit teneri præter juris communis obligationem, cui se in dubio censetur conformare.

§. XXVI.

Monasterium ad quod ob patris professionem devenerunt bona paterna, an teneatur liberis congrua alimenta, & dotes competentes præstare.

DUbium sextum: an si pater ingrediatur monasterium, quod in omnia bona ejusdem succedat, nec filiis, & filiabus ante ingressum, seu professionem congruentia alimenta, & dotes assignaverit, & præstiterit, monasterium teneatur illos inopes alere, & dotare? Communis Doctorum sententia est, quod monasterium in bonis omnibus patris professi succedens, filios & filias ejus pauperes, quibus sufficientia alimenta, & congruam dotem pater non reliquit, vel assignavit, & tradidit, alere, & dotare teneatur. Ita Bartolus *in l. si quis à liberis, §. item rescriptum, ff. de liber. agnosc.* & ibidem Dynus, idem Bartolus *in tract. de alim. n.* 21. Panormitanus *in cap. transmissæ, n.* 6. *qui filii sint legitimi*, Corduba à Lara *in d. §. item rescriptum, n.* 11. Covarruvias *de sponſ. p.* 2. *c.* 8. *§.* 6. *num.* 14 Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 59. *per totam*, Pascbalis *de patria potest. p.* 2. *c.* 3. *n.* 56. Ioannes Nicolaus Lucidorus *de illeg t. cler. c.* 16. *n.* 1. plures alii Jurisperiti à Surdo *n.* 1. latè relati, & Theologi suprà, *n.* 351. allegati, & Sanchez *lib.* 7. *summa, c.* 10. *n.* 8. & ita oportet sentiant omnes alii Jurisperiti *d. n.* 351. allegati, dum asserunt, onus alendi liberos absolutè transire in quoscumque hæredes, & universales successores bonorum paternorum. Quare probatur hæc sententia per tradita *n.* 355. *& seq.* & præsertim *n.* 355. ad probandum onus alendi liberos devolvi ad hæredes patris, sicut transit onus solvendi cætera patris debita: & in specie quod monasterium teneatur ad omnia onera ingressi, tradunt Bartolus *in l. fin. ff. de adopt.* Felinus *in cap. in præsentia, n.* 39. *de probat.* Bellenximus *ad Panormit. in d. cap. transmissæ*, & Surdus *d. q.* 29. *num.* 2. ubi etiam ex Joanne Andrea, Butrio, & Baldo *in d. c.* 54. *C. de sacrosanctis Eccl.* addit transire in monasterium omnes actiones activas, & passivas, quæ competebant monacho, & contra monachum.

Procedit autem præfata communis etiam in filiis 403
spuriis ingressi, & professi, cujus bona ad Monasterium devenerunt, quibus quoque egenis monasterium

tenetur præbere alimenta, non solùm in foro conscientiæ, & Ecclesiastico, sed etiam in quocumque foro, quicquid secus sentiat Vasquius *de successión. creat. part.* 2. §. 10. *num.* 317. ut etiam in terminis docuerunt Bartolus, Panormitanus, Covarruvias, Surdus, Lucidorus, Sanchez *locis numero præcedenti citatis*, Spino, Joannes Lupi, & Rolandus *locis suprà n.* 351. *citatis*, & ita Theologi *d. n.* 351. relati: & ratio est, quia (ut *in præcedentibus* sæpè dictum est) spurii æquiparantur legitimis, quoad commodum, & jus alimentorum; & consequenter ratio quæ concludit pro legitimis, ac naturalibus, idem probat pro illegitimis, & spuriis.

§. XXVII.

Monasterium pro alimentis an teneatur assignare, seu præstare totum usumfructum legitimæ, & non minùs, nec teneatur plus.

404 IN qua autem quantitate taxanda, seu assignanda sint alimenta filiis, præsertim legitimis, à monasterio post professionem patris, qui omnia bona eidem monasterio detulit, debitis? Corduba ubi suprà *n.* 13. Surdus *de alim. tit.* 4. *q.* 23. *n.* 6. Decius *cons.* 181. & 182. Paulum, Bartolum, & alios allegans ab iisdem Surdo, & Corduba, & à Vasquio *de successionum progressu lib.* 1. §. 1. *n.* 48. *initio*, relatos, asserunt monasterium nomine alimentorum teneri assignare integrum legitimæ usumfructum, nec posse præstare minùs, eo quòd legitima detur, & succedat loco alimentorum.

Hanc tamen sententiam Vasquius *d. n.* 48. *fine*, dicit se non firmare, & reprobat Sanchez *d. cap.* 10. *n.* 9. quia cùm monasterium in solam patris professi obligationem succedat, & pater in seculo manens tantùm teneretur assignare, seu præstare alimenta necessaria statui filiorum, eadem obligatione tantùm monasterium illius bona retinens astringitur. Quapropter juxta hanc posteriorem sententiam, si fructus legitimæ excedant alimentorum necessitatem, residuum erit monasterii, ut inquit ibidem Sanchez: sicut è contrà si fructus legitimæ non sufficiant pro necessariis alimentis, monasterium ex aliis bonis patris professi, in quibus successit, teneri saltem in foro conscientiæ sufficienter alimenta filiis subministrare, sicut pater ipse in seculo existens teneretur, tradunt Silvester *verbo hæreditas* 1. *q.* 7. *n.* 10. *dicto* 6. *fine*, Angelus *eodem n.* 22. Tabiena *eod. quæst. ult.* quos *loco citato* Sanchez sequitur, & id videtur probabilius, supposito quod filiis non debeatur legitima statim post patris professionem: de qua re alibi suo loco, cùm de legitima à parentibus debita filiis loquemur.

Dixi autem *initio, n.* 401. in propositione dubii, *Nec*
405 *pater filiis congruentia alimenta, &c.* Nam si ante professionem pater liberis congrua alimenta, & sufficientes dotes aut legitimam portionem assignaverit, & præstiterit, translatis in monasterium reliquis bonis, juxta tradita *suprà num.* 388. dicendum est, monasterium, sicut & cæteros hæredes, & successores universales bonorum, non teneri eisdem filiis alimenta, vel dotes præstare, propter rationem *d. num.* 388. adductam, scilicet quia jam pater satisfecit suæ obligationi, & nulla obligatio transit in monasterium uti successorem, nullumque jus superest filiis adversus bona paterna in monasterium per professionem translata: & ita in terminis etiam tenet Merenda *d. cap.* 3. *num.* 25. & colligitur *ex auth. qua mulier, Cod. de sacros. Eccl.* Quare si post professionem patris dicti filii devenerint ad paupertatem, si habuerint matrem, vel avum maternum, vel fratrem divites, ii, & non monasterium, tenebuntur alimenta necessaria ministrare, juxta tradita *eodem n.* 338. Si verò nullus extet sanguine conjunctus, qui alioqui de jure teneatur, vel non possit ob inopiam eadem alimenta præstare præfatis filiis ad paupertatem post patris professionem redactis, tunc videtur omninò teneri monasterium ex bonis paternis ad ipsum pervenientis illos pauperes alere, tanquam filios benefactoris, & quia censendum est, talem fuisse intentionem patris in translatione suorum bonorum in monasterium; non enim credendum est, nec præsumendum, patrem voluisse filios suos fame perire, vel vilissima opera exercere pro sufficienti victu quærendo: & ad id faciunt quæ tradit Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 29. *n.* 5. & *q.* 49.

§. XXVIII.

Monasterium quod successit in bonis filii professi, tenetur præstare alimenta patri inopi.

POrrò quæ dicta sunt de obligatione monasterii 406
alendi liberos religiosi professi, quibus ante Religionis professionem pater alimenta, vel legitimam non assignavit, & præstitit, procedunt etiam quando filius in monasterio profitetur, in ipsum transferendo omnia sua bona, non præstita priùs legitima patri, neque assignatis, & tributis competentibus alimentis, quibus pater egeat, non habens aliunde unde se alere possit: tenetur enim monasterium patri præstare alimenta statui congruentia, ut ex Doctoribus *num.* 402. relatis, tradit Bartolus *in tractatu de alimentis*, *num.* 41. Surdus *dicta quæst.* 29. *num.* 10. & *sequentibus*, & Sanchez *dicto cap.* 10. *num.* 11. militat enim eadem ratio; sicut enim hæres filii tenetur alere patrem, *l. si quis à liberis*, §. *item rescriptum*, & ostensum est *suprà, n.* 367. ita & monasterium in filii bona succedens, illaque possidens, quod uti suus hæres religiosi professi censetur, *d. auth. si qua mulier.*

Sequitur Summarium Capitis VII.

Iure communi Authentica Bona damnatorum, *Cod. de bonis proscriptorum, ex consuetudine universali, existentibus ascendentibus, & descendentibus usque ad tertium gradum inclusivè, non est locus confiscationi bonorum propter quodcumque delictum, exceptis crimine læsæ majestatis, n.* 407. 408. & 409.

Publicatis omnibus bonis paternis ob delictum, quod non sit læsæ majestatis humanæ, vel divinæ, filiis reservatur legitima, quam fiscus illis præstare debet, numero 409.

Legitima debetur iure naturæ, & civili, n. 410.

Fiscus est quasi hæres, & successor delinquentis condemnati, n. 411.

Tenetur satisfacere creditoribus delinquentis, ibid.

In fiscum transeunt omnes actiones activæ, & passivæ, omnesque obligationes naturales, & civiles delinquentis, ibid.

Post bonorum publicationem delinquens liberatur à creditoribus pro valore bonorum, quæ in fiscum sunt translata, ibid.

Fidejussor postea datus, non obligatur pro quanto capit fiscus, ibid.

Antea verò datus non liberatur, ibid.

Filiis delinquentis à fisco legitima debetur à die publicationis, non expectata morte condemnati, n. 412.

Legitimam filii debent capere de manu fisci, n. 413.

Bona confiscata oneri legitimæ sunt subjecta, non solùm dum penes fiscum existunt, sed etiam apud quemcumque à fisco causam habentem maneant, num. 414.

Eadem legitima ex bonis confiscatis debetur filiis adoptivis, n. 415.

Debetur

Filii pro alimentis an competat hypotheca in bonis patris, & alendi onus transeat in emptorem bonorum paternorum, & quemcunque singularem successorem, sive bona fuerint à patre, sive post ejus mortem ab herede, vel donatario patris titulo oneroso alienata, & in alios translata, num. 483. 484. & 487. *vers.* Utrum autem.

*Hypotheca pro alimentis competit quando pro eorum præstatione designata sunt certa bona, n.*484.

An id speciale sit favore alimentorum, & causa pia, ibid.

Hypotheca an competat, quando aliquid debetur, vel relinquitur super certis bonis, ibid.

Possidens titulo oneroso omnia bona patris, vel majorem eorum partem, an officio judicis possit, & debeat cogi alere filios pauperes, n 485. & 486.

Et quid si pater fictè, vel in fraudem filiorum, vel prodigè, vel luxuriose, in malè utendo bona alienavit, an emptor cogi possit, & debeat ad alimenta, & legitimam filiis præbendam, n. 487.

*Creditores patris debitoris an ex usufructu bonorum adventitiorum, aut fideicommissariorum eisdem adjudicato, dum pater vivit, teneantur ad alimenta filiorum, & etiam ejusdem patris usufructuarii, eodem n.*487. *vers.* Sed & quando.

§. XXIX.

Iure communi authenticorum, & ex universali consuetudine existentibus ascendentibus, vel descendentibus usque ad tertium gradum, non est locus confiscationi bonorum, exceptis crimine hæresis, & crimine læsa majestatis.

DUbium septimum, an confiscatis, seu publicatis bonis patris ob ejus delictum, fiscus capiens bona illa patris, teneatur præstare filiis, & filiabus alimenta, dotes, & etiam legitimam.

407 Pro clariori resolutione difficultatum, quas dubium continet, advertendum cum Claro *in pract. lib.*5.*q.*78. *n.*1. Merlino *de legitima lib.*3.*tit.*1. *quæst.*28. *n.*1. Merenda *controv. jur. t.*3. *lib.*7 3.*c.*3.*n.*24. jure communi Civili novo existentibus ascendentibus, vel descendentibus rei damnati, exceptis Reis criminis hæresis, & læsæ majestatis, non esse locum confiscationi bonorum damnati, sed benè deferri ad proximiores ascendentes, vel descendentes condemnati intra quartum gradum, seu usque ad tertium gradum inclusivè existentes. Ita habetur *auth. Bona damnatorum, Cod. de bonis prescript.* quæ est desumpta *ex §. fin. auth. ut nulli judicum*, ac proindè juxta eam intelligenda; unde licet *in d. auth. Bona damnatorum*, fiat mentio etiam de existentibus à latere damnati, cum tamen *in d. §. Finali fiat mentiò* solum de ascendentibus, & descendentibus damnati, verba illa censenda sunt tanquam non apposita, ut notat Clarus *d.n.*1.

408 Dixi, exceptis Reis criminis hæresis, & læsæ majestatis, nam ob hæc duo crimina bona ex dispositione juris confiscari, tradit ibidem Clarus, & etiam §. *Hæresis, n.*11. & §. *Læsa majestatis, n* 9. & Doctores communiter, ut ex dicendis constabit.

Et quamvis ex dispositione *d. auth. & d. §. finalis*, corrigi tantum ea jura antiqua quoad casus, in quibus pœna confiscationis erat imposita in consequentiam alterius pœnæ; non verò quoad casus, in quibus à lege est expresse imposita pœna confiscationis; docuerint Bartolus *in l.*1.*ff. de bonis damnatorum*; Bald. *in tit. de pace, & tregu. in usibus feudo, num.* 11. *fine*, Bossius *tit. de bonor. public. post num.* 1. *& tit. banniti quid amittant post num.*10. & alii relati à Claro *d.num.*1. ubi ex Bartolo dicit ita tenere Doctores communiter: nihilominus idem Clarus ibidem quidquid sit de jure, ait quod communiter totus mundus servat, quod bona non confiscantur in aliquo casu (exceptis dictis duobus criminibus hæresis, & læsæ majestatis) nisi ex dispositione statuti, vel consuetudinis localis aliter caveatur: & hoc idem notavit Farinacius *in praxi crim. tom.*1. *quæst.*25.*num.* 50. adduitque de hac consuetudine, & observantia generali attestari Albert. *in* 3. *parte statutorum, quæst.* 18. *circa finem*, Cæpollam *cons. crim.* 17. *in tertio dubio*, Rolandus *d. cons.* 97. *num.* 2. *lib.*2. *& cons.*98. *num.*6. *eodem libro*. Decium, Bertrium, & alios, quos ibidem allegant. Pluribus autem in locis, & ferè universaliter ob nonnulla alia crimina præter hæresim, & læsam majestatem datur confiscatio bonorum, etiam ipso jure ex statutorum, & bannimentorum dispositione præsertim ob delicta homicidii, aut graviora, ut notat *loco citato* Merlinus addens cum Rolando *cons.*97. *num.* 11. *volum.*2. talia statuta esse valida, cum pro bono pacis condita sint, & ad delinquentium audaciam exprimendam.

§. XXX.

Publicatis, seu confiscatis bonis paternis ob patris delictum, quod non sit læsa majestatis, an legitima reservetur filiis.

PRima difficultas, ubi bona patris ob ejus delictum, quod non sit crimen læsæ majestatis, aut hæresis, confiscantur, & publicantur; an fiscus liberis Rei damnati, cujus bona capit, præbere alimenta, dotes, & legitimam debeat.

In hac difficultate communis Doctorum sententia 409
est, quod tam ubi confiscatio bonorum non fit ipso jure, quam ubi eadem bonorum confiscatio fit ipso jure vigore statuti, aut legis municipalis, fiscus ex bonis confiscatis filiis condemnati teneatur dare legitimam. Ita Baldus *cons.*1. 71. *vol.* 1. Rolandus à Valle *cons.*97. *num.*9. Clarus *in practica d. quæst.*78. *num.*25. Tiraquellus *in l. Si unquam, verb. donatione largitus, num.*332. *& seq. Cod. de revocand. donat.* Peregrinus *de jure fisci, tit.* 1. *num.*34. Thesaurus *decis.*104. *n.*5. & 3. & P. Barbosa *ad l.* 1. *par.*4. *num.*84.*ff. soluto matrim.* Farinacius *in praxi crim. tom* 1. *quæst.*24.*num.*34. Merlinus *de legitima lib.*3. *tit.*1. *d. quæst.* 28. *num.* 3. & 4. Ricciullus *de jure person. lib.*5. *cap.*40.*n.*2. *ad* 8. Surd. *de alim. tit.*1. *quæst.*31. *n.*11. & 16. Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. cler. cap.*19. *num.*15. & innumeri alii Jurisperiti, quos latè Farinacius Rolandus, Peregrinus, Merlinus, & Ricciullus referunt contra Paul. de Castro *cons.*171. *vol* 2. Cephalum *cons.*214. *fine*, Joannem de Lignano, & Cardinalem *in Clem. pastorali de re judicata*, & Cassaneum *in consuetudines Burgundiæ* opinantes, cum ex statuto, vel ex decreto Principis bona alicujus ob delictum publicantur, in publicatione contineri etiam legitimam portionem, tametsi statutum expresse eam non comprehendat; sed tantum generaliter, & absolutè loquatur, eo quod, inquiunt, statutum, aut decretum absolutè debet intelligi, nec recipiat restrictionem ad intellectum juris communis; communem verò sententiam etiam ex Theologis sequuntur Sanchez *in sum. lib.* 2. *cap.* 15. *num.*19 *fine, & cap* 16. *n.*25. Rebellus *de obligat. just. part.*2. *lib.*3. *quæst* 4 *num.*32. & Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.*4. *disp.* 5. *punct.*11. *n.*17.

Probatur communis sententia primo, quia legiti- 410
ma debetur jure naturæ, naturalivè ratione, & non solum jure positivo, *l. Cum ratio in principio. ff. de bonis damnatorum*. Rolandus *d. cons.*97. *num.* 10. Peregr. & Ricciullus *locis citatis* & alii communiter; ac proindè non transit in fiscum, saltem nisi id expressè in statutum

tutum non presumatur derogare juri naturæ, aut aliquid contra rationem naturalem disponere, nisi saltem id exprimat. Secundo quia *d. l. Cum ratio, & l. 1. ff. eod. tit.* decernitur, quod publicatis bonis portio legitimæ reservetur filiis, vel ascendentibus delinquentis: & *d. auth. Bona donatorum* omnia bona delinquentis damnati deferuntur ejus ascendentibus, vel descendentibus usque ad tertium gradum: ergo statutum quod bona delinquentis debeant publicari, licet loquatur simpliciter, & absolutè absque ulla reservatione legitimæ, debet intelligi secundum dispositionem juris communis, *l. Ut gradatim, §. Sed si lege, ff. de muneribus, & honoribus*; & sic deducta legitima, ut Clarus, *ubi suprà*, & alios allegans Rolandus *d. 4. cons. 97. n. 16.* & præsertim cum tale statutum quantum ad publicationem sit odiosum, & exorbitans, ac proindè restringendum *l. Cum quidam, ff. de liber. & posth.* unde etiam statutum generaliter loquens, nunquam comprehendit legitimam, nisi de ea fiat specialis mentio, ut aliis relatis Rolandus *d. cons. 97. n. 12. & 13.*

411 Tertiò, quia licèt fiscus non sit propriè hæres delinquentis, nihilominus in bonis confiscatis est quasi hæres, hæredisque locum habet, hæresque anomalus dicitur, ut latè Surdus *de alim. tit. 8. privil. 59. n. 1. & seq.* P. Barbosa, Merlinus *loc. cit.* & Merenda *d. c. 3. n. 23.* diciturque, & est successor universalis delinquentis condemnati. Surdus cum aliis *n. 5.* Merlin. *d. q. 28. n. 4.* Peregrinus *de jure fisci, d. lib. 5. tit. 1. d. tit. 1. n. 53. & 54.* Farinacius *d. q. 24. n. 30.* Ideoque tenetur satisfacere creditoribus ejus, qui deliquit habens honorem cum oneribus; ita quod facta confiscatione transeunt in fiscum omnes condemnati actiones activæ, & passivæ, omnesque obligationes civiles, & naturales *l. 2. Cod. ad l. Iuliam de vi publica.* Clarus *d. q. 78. n. 22.* Peregrinus *d. tit. 1. n. 53. & n. 86.* Surdus *d. privil. 59. n. 6.* & latiùs *tit. 11. q. 31. n. 5. ad 10.* Merlin. *d. n. 4.* & alii quos referunt Clarus, Peregr. & Surdus; & esse sententiam communem dicit *loc. citato* Clarus. Quapropter post bonorum publicationem quoad debita ante crimen contracta delinquens liberetur à creditoribus pro valore bonorum in fiscum delatorum, ut nulla amplius in eo duret obligatio, & creditores debeant agere contra fiscum, Peregrinus *d. n. 54. & 55.* Surdus *d. q. 31. n. 9. de privil. 59. n. 10.* Merlinus *d. n. 4.* & alii apud eosdem, & etiam Costa *de portione rata, q. 120.* & latiùs Farinacius *in praxi crim. tom. 1. q. 25. n. 177. & 178.* unde etiam fidejussor postea datus seu accedens non obligatur pro quanto capit fiscus, cum nulla sit principalis obligatio, cui adhærere seu accedere possit, ut post alios Peregrinus *d. n. & §.* & Surdus *n. d. 10.* fidejussor autem delinquentis, qui debitori se obligaverat; & correus non liberantur, licèt debitor principalis confiscatus liberatus sit, ut tradunt Peregrinus *d. tit. 1. n. 55. versic. Illud autem*, & alios allegans Farinacius *d. num. 178. per textum in l. 1. Cod. de fidejuss. in l. fin. Cod. de duobus Reis*, & alia jura à Peregrino adducta. Cum igitur naturali, & civili obligatione pater teneatur dare legitimam filiis, ideo fiscus ipse compellitur illam tanquam tanquam æs alienum persolvere.

124 Debetur autem filiis delinquentis legitima à die publicationis bonorum ipsius delinquentis, & secundum illud tempus æstimatio facienda est, non autem à die mortis ipsius patris delinquentis; ita contra nonnullos, qui voluerunt deberi solum à die mortis, cum pater vivens non teneatur dare legitimam filiis, tradiderunt post alios Rolandus *d. cons. 97. n. 38.* Peregr. *d. tit. 9. n. 37.* Thesaurus *d. decis. 104. n. 4.* Farinacius *d. q. 24. n. 35. & 36.* Merlinus *d. tit. 1. q. 29. n. 14. & 27.* & ex Theologis Palaus *loc. cit.* Ratio est, quia jura reservantia portionem legitimam filiis, quando bona patris ex ipsius debite publicantur, loquuntur expressè per verba de præsenti, ut *in d. l. 1. in princ. ff. de bonis damnatorum*, ibi, *filii portionem ex bonis patrum damnatorum accipiunt*, hoc enim verbum est præsentis temporis, non futuri, & *l. fin. Cod. de bonis damnatorum* ubi dicitur; *Quod, quando quis quolibet crimine damnatis capitalem pœnam, vel deportationem sustinet, si quidem sine liberis mortuus est, bona ejus ad fiscum perveniunt; si vero filii relicti erunt dimidia parte ærario vendicata, alia eis reservatur*, & sic simpliciter non post mortem. Licet igitur regulariter legitima consideretur, & debeatur secundum facultates, quæ tempore mortis reperiuntur, & ab eo die non antea, & vivente patre, quando pater bona retinet (quod tantum probant quæ à tenentibus contrarium adducuntur) tamen secus est publicatis bonis patris ob ejus delictum; in hoc enim casu nullum est absurdum, quod debeantur à die condemnationis, & publicationis bonorum, quia pater habetur pro mortuo *l. Adeo, §. Publicationis, ff. pro socio*; & mors civilis æquiparatur naturali, ut alios allegans Farinacius *d. q. 24. n. 36.* & ideo fiscus, qui quasi hæres in bonis succedit cum onere persolvendi debita ipsius condemnati, statim legitimam filiis dare debet, ut etiam colligitur *ex d. l. Cum ratio, ff. de bonis damn.* & ab hac sententia nullo modo in praxi recedendum est, cum sit fundata, prout etiam præfata, in jura ratione pietatis nè scilicet ante mortem patris delinquentis eo interim tempore filii mendicare cogantur.

Quoad modum autem deductionis præfatæ legitimæ, ipsi filii non possunt retinere bona, sed fiscus tanquam successor capit omnia bona, & facta confiscatione ipsa fiscus conveniendus est pro excorporatione, ac deductione legitimæ, ut notat Merlinus *d. q. 28.* dicens ita servare consuetudinem universalem. 413

Quod si nondum legitima deducta, vel à fisco ad alium bona præfata paterna transeant, semper huic oneri subjecta esse intelliguntur apud quemcumque à fisco causam habentem maneant, ut Merlin. *d. q. 28. n. 10.* & Rota *decis. 747. n. 6. p. 4. diversorum.* 414

Eandem etiam legitimæ portionis deductionem, & reservationem habere locum etiam in filiis adoptivis, dummodo in fraudem facta non fuerit adoptio, tradit post alios Rolandus *d. cons. 97. num. 33.* & approbant Merlinus *d. q. 28. n. 11.* Thesaur. *d. decis. 104. n. 2 fin.* & alios allegans Farin. *d. q. 24. n. 39.* & est textus Clar. *in l. Cum ratio, §. Ex bonis damnatorum.* 415

Item habet locum in nepotibus; si enim Avus delinquat relictis nepotibus, illis reservanda est ea bonorum publicatorum portio, quæ filiis ipso patre delinquente, Thesaur. *d. decis. 104. n. 2. in fin. ampliat. 1.* Peregr. *d. tit. 1. n. 41.* & Merlin. *d. tit. 1. q. 29. n. 13.* & constat *ex l. quando fin. in princ.* ibi, *si vero filii, filiave, nepotes, Cod. de bonis proscript.* & etiam deducitur *ex d. l. cum ratio, ff. de bonis damnat.* quia non loquitur præcisè de filiis, sed de liberis, quorum appellatione nepotes, ut alibi suprà dictum est, & constat *ex §. Illud quoque, auth. ut cum de appellat. cognosc. & §. ultimo instit. qui tuto, estam. de poss.* imò *d. l. cum ratio*, loquitur non tantum de liberis, sed etiam de sobole, cujus appellatione certum est comprehendi omnes descendentes. Quare & si Angelus *in d. l. quando*, dicat pronepotes non gaudere privilegio dictarum legum liberis reservantium portionem bonorum publicatorum; nihilominus contrarium est longè verius, ut in terminis Peregrinus *loco citato*, quia & pronepotibus legitima debetur, & nomine liberorum, & sobolis veniunt omnes descendentes, ut dictum est. 416

Quemadmodum autem portio legitima liberis reservatur publicatis bonis paternis; ita etiam legitimam reservari patri publicatis bonis filii tradunt Picchius *in repet. §. Titia cum nuberet, num. 45. ff. de legat. 2.* & Peregrinus *tit. 1. num. 35. & num. 187. & 188.* & 417

Merlinus *d. q. 29. n. 18.* & latè alios allegans *lib. 3. tit. 1. quæst. 34.* & constat *ex d. auth. Bona damnatorum Cod. de bonis proscriptorum*, & ratio est, quia jure civili legitima debetur patri non minus quam filio; & sic ista obligatio civilis transit in fiscum juxta tradita suprà *n. 410. & 411.*

§. XXXI.

Quanta sit legitima filiis debita in casu confiscationis bonorum patris, an solum triens, vel semis, seu medietas bonorum, & aliquando totum patrimonium.

418 Quota autem seu quanta sit legitima debita filiis, vel è contra patri in casu confiscationis bonorum paternorum, supponendum quod legitima filiorum ex dispositione patris, & regulariter est triens hæreditatis paternæ, quando filii sunt quatuor, aut pauciores, & dimidia hæreditas, quando sunt quinque, & ultra, ut notatum *in auth. novissima, Cod. de inoffic. testam.*

419 Igitur nonnulli voluerunt etiam quando paterna bona ad patris delictum confiscantur ex dispositione statuti delictum imponentis simpliciter pœnam confiscationis omnium bonorum ipso jure incurrendam, debere deduci ex bonis confiscatis legitimam, seu illam partem bonorum, quæ filiis regulariter de jure debetur in bonis patris, ita Clarus dicens ita servari Mediolani *d. q. 28. n. 25.* & Castrensis *cons. 171. n. 5. lib. 1.*

420 At in præsenti casu publicationis bonorum paternorum longè verius est, si unus, vel duo filii sint, portionem legitimam esse dimidiam hæreditatem, si verò filii sint tres totam hæreditatem, seu totum patrimonium eis concedi, & deberi, & fisco nihil applicari. Ita Glossa *in l. 1. verbo portionem, & l. Cùm ratio, §. Si plures, ff. de bonis damnatorum*, Odofredus, & Salicetus *in l. Si deportatus, ff. eodem*, Cynus, & Angelus *in l. Quando, fin. Cod. de bonis proscriptorum*, Rolandus *d. cons. 97. à num. 30.* Peregrinus *de jure fisci, lib. 5. tit. 1. num. 38.* Thesaurus *d. decis. 104. num. 2.* Fachineus *contrav. juris, lib. 5. cap. 93.* Hondedeus *cons. 110. num. 8. cum seq.* Farinacius *in praxi crim. tom. 1. d. quæst. 24. num. 37. & tribus seq.* Merlinus *de legit. lib. 3. tit. 1. quæst. 29. num. 2. cum pluribus seq.* & alii communiter, quos Rolandus, Farinacius, & Merlinus referunt.

Quod portio legitima sit semis, seu dimidia hæreditas, quando est unus, vel duo tantum sunt filii delinquentis, probant præfati Doctores ex textu *in d. Quando*, ubi dicitur *quod bona damnati pro capitali crimine si filii, vel filiæ, vel nepotes pro medietate applicentur ærario, seu cameræ; altera verò medietas filiis reservatur*; textum enim hunc de filiis loquentem Glossa & cæteri Doctores præsertim præallegati intelligunt, quando duo tantum supersunt, & ita etiam sentit Rota Romana *decis. 749. num. 2. par. 1. recentiorum*, quem etiam refert Merlinus *d. quæst. 29. num. 3.* quod verò si tres, vel plures filii delinquentis erunt, legitima totam hæreditatem, seu totum patrimonium comprehendat, & nihil bonorum fisco applicetur: probant iidem Doctores ex textu *in d. l. Cùm ratio, §. Si plures*, ubi sic habetur, *si plures filios damnatus habeat, feruntur exempla, per quæ pluribus liberis omnia bona damnati concessa sunt*, ubi Glossa, quæ ab aliis recepta, verbo *plures*, idest *tres* intelligit. Divus enim Adrianus, subdit textus in hac sententia rescripsit, scilicet *favorabilem apud me causam liberorum Albini filiorum numerus facit*: & additur in eodem textu ratio, nempè *cum ampliari imperia hominum adjectione potius, quàm pecuniarum copia malim.* Et ab hac sententia (quidquid sit de contraria consuetudine Mediolani) in judicando, ut potè juri communi conformi, & æquiori, & pietati favente in judicando non esse recedendum ex præallegatis Doctoribus asserunt præsertim Hondedeus, Farinacius, & Merlinus. Cui sententiæ non obstare, quod statutum generaliter loquatur de confiscatione omnium bonorum, inquiunt iidē Doctores, maximè Hondedeus *d. cons. 110. num. 12. 13. & seq.* & Merlinus *d. quæst. 29. num. 5.* quia tale statutum nullam de filiis mentionem faciens debet recipere passivam interpretationem à jure communi, & secundum illud declarari ac limitari (ut etiam superius *num. 410.* notatum est) & ita ut non procedat stantibus filiis; & cum tale statutum sit odiosum est restringendum, ut eodem *num. 10.* dictum est, & tradunt alii à Merlino *d. n. 5.* relati. Addunt Hondedeus *à num. 24.* Farinacius *d. quæst. 24. num. 39. circa fin.* & Merlinus *d. quæst. 29. num. 12.* quod etiam stante statuto, quod si condemnato supersint unus, vel plures filii medietas bonorum illis reservetur; adhuc statutum debeat intelligi, quando filii sunt tantum duo; ita quod si pater delinquens, & condemnatus habeat tres, vel plures filios, confiscationi non sit locus, eo quod tale statutum (cum id expressè non habeat) non debeat censeri abrogasse dispositionem juris communis, quam additionem, seu ampliationem, licet dura videatur, veram tamen in puncto juris ait *loc. cit.* Merlinus, & confirmat, quia *in d. l. Quando, Cod. de bon. damn.* reservatur filiis medietas, quando superest unus, vel plures filii, licet ly plures possit adaptari nedum duobus, sed etiam pluribus, cum sit sermo pluralis, tamen ad evitandam correctionem *d. l. Cùm ratio, §. Si plures*, ubi quando liberi sunt plures reservatur totum patrimonium Glossa, & alii Doctores communiter affirmarunt, quod ille sermo pluralis de filiis, sobole, aut maribus in textu *in d. l. Quando positus*, restringitur ad duos tantum.

Extenduntur autem prædicta etiam ad filios emancipatos, nempe ut & ii ipsi beneficio præfatæ *l. Cùm ratio*, & *in l. Cùm quando gaudeant*, ita tamen ut concurrentes cum filiis in potestate eis conferant, prout conferent, si ab intestato succederent. Ita post Angelum ibidem per textum *in d. l. Deportatus, Cod. de bonis proscriptorum*. Peregr. *d. tit. 1. n. 39.* & Merlinus *d. q. 29. num. 8.* eo quod (inquiunt Angelus, & Peregrinus) portio hæc juxta præfatas leges deferetur jure cujusdam successionis. 421

Et licet Peregrinus ibidem post Angelum filiam dotatam exclusam per statutum asserat non facere partem filiis masculis, seu non facere numerum cum filiis masculis; nihilominus verius videtur ad constituendum numerum trium, aut plurium filiorum fœminas exclusas à statuto, filiosque monachos, & alios insuccessibiles posse connumerari, & esse connumerandos, ut Merlinus *d. q. 29. n. 10.* qui probat ratione scil. quia dictæ leges *Cùm ratio, & quando*, non requirunt esse hæredes, sed filios, & eorum exclusio, aut renunciatio respicit favorem non renunciantium, atque adeo dum agitur de commodo eorumdem non renunciantium debent censeri in rerum natura, & numerum facere ad augendam legitimam, ut idem Merlinus *lib. 1. tit. 4. q. 3.* probat. 422

Quamvis verò in casu confiscationis bonorum Castrensium aut alterius generis descendentium ascendentes debeant habere legitimam, quæ regulariter ascendentibus debetur, nempe trientem, ut tradunt Pichius, Peregr. locis suprà *n. 417. cit.* Merlin. *d. q. 18.* ubi etiam allegat practicam Papiens. Ferrerii *in forma libell. inquis. gloss. ult. n. 2.* Nihilominus in dictis ascendentibus, dum confiscantur bona unius ex descendentibus non habere locum *d. l. Cùm ratio, & quando*, ut 423

utpote quæ de filiis tantùm loquuntur, tradunt Pichius, & Peregrinus *locis d. num. 417. citatis*, & Merlinus *d. q.29.n.17.* & Peregrinus, ac Merlinus addunt eam rationem, quod minùs juris haber pater io successione filii, quàm è contra, *l. non usque adeo, ff. si à patre quis fuerit manum.* Vltra autem legitimam ordinariam in bonis adventitiis ascendeores consequi usumfructum, tradit idem Merlinus *n.19.* post Oaascum *decis.97. post n 8* & Mansuerum *ad Papiensem d glos. ult. in versic. Si filius.*

Sequuntur limitationes communis sententia n.409. & sequentibus, *tradita.*

CÆterùm doctrina cõmunis superiùs, *n.409. & sequentibus*, hucusque tradita, quod confiscatio, seu publicatio bonorum, non obstante statuto, aot decreto imponente simpliciter confiscationem omnium bonorum pro tali delicto, filiis legitimis reservetur, pluribus modis à Doctoribus limitatur.

§. XXXII.

Confiscatis bonis maternis ob matris delictum, an filiis legitima reservanda sit.

424 ET primò limitatur quando bona materna confiscantur propter matris delictum; tunc enim filios nihil debere habere de illius bonis, affirmarunt Aret. *in tract. de malef. verbo Et ejus bena*, *n.28.* obi air ita sentire Doctores communiter: ea Doctoribus suprà *d.n.409.* allegatis, Clarus *d.q.78. n.25. fine*, Peregrinus *d. tit.1. n.43.* Farinacius *d.q.24. num.41.* & ex Theologis Castrus Palaus *allegata puncto, num.18.* fundantur tum quia dictæ leges, scilicet lex 1. & lex *cùm ratio, ff. de bonis damnatorum*, & lex *quando filius, Cod. de bonis proscriptorum*, loquuntur de patre: tum quia pro hac limitatione videtur evidenter stare textus *in l. de bonis, Cod. de bonis proscriptorum*, quæ sic haber: *De bonis matris deportatæ filiis nihil deberi, iuris absolutissimi est.* Ex quo infert Peregrinus *d. num.43.* magis deberi filiis paternam, quàm maternam hæreditatem: ad quod facit lea *in fnis, ff. de liber. & posth.*

425 At hanc limitationem, quanvis communis videatur, uti durissimam reprobat Merlinns *de legit. d.lib.3 tit.1. q.29. n.26.* affirmans se nunquam invenisse rationem differentiæ inter paternam, aut maternam successionem: idque confirmat quadrupliciter. Primò, quod ea ratione debetur legitima in booismatris, qua in bonis patris, cùm in jure nulla reperiatur differentia assignata. Secundò quia delictum matris non debet censeri gravius quàm patris, ob majorem muliebrem fragilitatem, ratione cujus meliùs etiam agitur in infligenda pœna. Tertiò, quia indulgentia Principis, de qua *in d. leg. cùm ratia, ff. de bonis damnator.* tam in hoc casu matris militat, quàm patris. Quartò, quia teatus *in d. l. cùm ratio*, & *in d. l. quando*, non loquitor de patre simpliciter, sed utitur verbo indifferenti, *Quis*, quod aptum est comprehendere tam patrem, quàm matrem. Neque obstat textus *in d. l. de bonis*, inquit idem Merlinus, eo quòd secundùm Glossæ intellectum ibidem illa lex sit correcta per dictam legem *quando*, quo Glossæ iotellectu inspecto, sequitur hæc posterior sententia, quam etiam fuisse ampleaum Augustinum in apostilla ad Aretinom *loco n. praced. citat.* testatur Merlinns, & huic sententiæ tum propter fundamenta adducta, tum propter maximam æquitatem, quam continet, libentissimè adhæreo.

§. XXXIII.

Filiis conceptis post condemnationem, & publicationem bonorum patris delinquentis non debetur legitima, debetur autem conceptis ante condemnationem, & publicationem, licèt post eam natis.

SEcundò eadem doctrina, & sententia communis *d.* 426
n.409. & 420. tradita, limitatur in filiis delinquentis conceptis post condemnationem, & publicationem bonorum; his enim nullam deberi legitimam ea bonis paternis ante conceptionem confiscatis, tradunt Baldus *in d. l. quando, fin. Cod. de bonis damn.* Rolandus *cons.97. num.38. fin.* Peregrinus *d. tit.1.n.40. & 41.* Merlin. *d.q.29. num.20. & duob. seq.* & alios latè allegans Farinacius *d.q.24.n.42. & 43.* & ex Theologis Castrus Palaus *tom.1. tract.4. disp.5. p.11. n.19.* Cùm enim facta publicatione omnium bonorum pater nihil habeat, filii post dictam publicationem concepti nihil pro legitima possunt prætendere, sicut non possunt legitimã prætendere filii post mortem patris, quando pater vivus, & ante mortẽ jam omnia sua bona distraxit: filiis verò conceptis, licèt nondum natis, ante condemnationem, & publicationem bonorũ debetur legitima, juxta eosdẽ Doctores, & alios communiter à Farinacio citatos; quia in favorabilibus, & ad eorum commodum filii concepti, & io utero existentes pro natis habentur, *l. ex facto, §. ex facto, ff. ad Trebell.* & constat expressè *ex d. l.1. ff. de bonis damnatarum*, ibi: *Qui antè concepti, & post damnationem nati sunt*: & *ead. l. quando, fin. Cod. de bonis proscriptorum*, ibi: *Idem est & si posthumos derelinquant.* Advertunt autem Farinacius *d.n.43.* & post eum Merlinus *num.23.* quod etsi conceptis post deportationem, & condemnationem non debeatur legitima, quia ob deportationem, & condemnationem delinquens efficitur novus homo; conceptis tamen post simplex bannum, scilicet postquam pater fuit bannitus, tantùm debetur, quia per bannum quis non efficitur novus homo, nec amittit jura communia, & non desinit esse capax factionis activæ, & passivæ testandi, ut post alios tenet Farinacius *d.n.43.* & etiam Merlinus *d.n.12.*

§. XXXIV.

Post condemnationem, & bonorum paternorum publicationem, si pater ex gratia Principis restituatur in pristinum, præjudicatur legitima filiorum, eamque non deducunt filii ex bonis confiscatis.

ADvertit etiam Merlinus *d.q.24.n.23.* quod quan- 427
do sequuta condemnatione, & etiam bonorum publicatione, pater delinquens fuisset à principe restitutus in integrum, etiam quoad bona, & aggratiatus, tunc etiam restitueretur in præjudicium filii: quæ legitimæ successio est aperta, ut in fideicommissis, in quibus etsi per delictum ad favorem substituti evenerit conditio, & jus quæsitum fuerit; nihilominus si postmodùm à principe restituatur, eum vindicare fideicommissi bona, tanquam causa ad non causam redacta, tradunt communiter Doctores, quos latè refert idem Merlinus *d.q.29.n.24.* ubi tamen in fine ait, doctrinam advertendi non procedere quando bona essent tunc incorporata, & eorum possessio à filio capta; nam per restitutionem non fieret reintegratio quoad bona filio acquisita, sicut io tali casu substitutus non amittit fideicommissi possessionem captam, juxta eosdem Doctores relatos à Merlino *d. num. 24. & 25.* qui tamen

num.26.

num 26. ait, hanc rationem non concludere in legitima filii, quòd etiam data incorporatione, & possessione per filium capta, gratia principis omnia reducat in pristinum, ita quod redacto filio in patria potestate, bona patri quærantur. Quare ipse confirmat ex eo quod acquisitio facta per filium, & capta possessio cōstituit eum dominum incommutabiliter, ita quod ipsi patri omnis alienatio sit prohibita, & solùm dum vivit, & durat patria potestas, ex effectu patriæ potestatis ipse pater sit usufructuarius, & etiam auctis facultatibus, in eis quoque proportionaliter ipsi filio venit augenda eorum bonorum legitima jam constituta.

Prædicta quoad legitimam filii reservandam quando omnia bona paterna ob patris delictum, quod non sit læsæ Maiestatis, vel hæresis, confiscantur, & publicantur.

§. XXXV.

Ex bonis delinquentis confiscatis deducuntur dotes filiarum ejusdem delinquentis.

428 SEd sicut legitima de corpore bonorum confiscatorum favore filiorum deducitur, ita ex iisdem bonis confiscatis filiabus delinquentis à fisco tanquam hærede, & successore constitui, & dari dotes debent in prædictis omnibus casibus, in quibus legitima filiis debetur. Ita Baldus *in l. fin. n.9. Cod. de dotis promiss.* Ripa *in l. ex facto, §. ex facto, n.9. ff. ad Trebell.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. si quis ex his : n.46. ff. de liber. agnosc.* P. Barbosa *ad l.1. p. 4. n.84.* Surdus *de alim. tit.1. q.31. n.16.* Farinacius *d. q.24. n.46.* Merlinus *de legit. lib.3. tit.1. q.28. num.6.* Ricciullus *de jure personarum lib.5. c.30. n.3. ad* 8. & alii Jurisperiti communiter, tum relati suprà *n.409.* tum latè allegati à Farinacio, Surdo, & Corduba *locis citat.* & ex Theologis Sanchez, Rebellus, & Palaus *locis suprà n.409. citatis*: idque probant omnia suprà *n.410. & 411.* tradita ad probandum legitimam filiorum condemnati deduci ex bonis confiscatis, non obstante, quod statutum, vel bannum imponat simpliciter omnium bonorum confiscationem: dotare enim filias est onus paternum, patri de jure naturali, & positivo incumbens, *d. l. fin. Cod. de dotis promiss.* & dos loco legitimæ debetur, ac proinde fiscus, qui est tanquam hæres, & successor universalis, sicut legitimam, ita & dotes filiabus delinquentis, in cujus omnia bona successit, competentes juxta statum, de bonis confiscatis præstare debet, & omnia jura *d. n.410. & 411.* adducta, sicut legitimam, ita etiam dotes ex bonis confiscatis deducendas esse probant, ad idque à præallegatis Doctoribus, & aliis afferuntur.

429 Quod si fiscus tenetur ad dotes constituendas, & dandas, multò magis contra fiscum sustinentur dotes, & donationes propter nuptias per parentes, etiam post delictum, sed ante condemnationem constitutæ, & factæ, ut tradit Riccinllus *d. c.30. num.6.* post Angelum *in l. si quis, n.3. ff. de bonis damnatorum*, & Nattam *cons.212. n.3.* Tum quia cùm actus dotandi procedat ex necessitate pietatis paternæ, ut probat Baldus *in d. l. fin. n.2. & 3.* non potest præsumi factus in fraudem futuræ condemnationis, *l.1. §. sed & si libertus filiam, ff. si quid in fraudem patr.* Tum etiam, quia licèt ubi confiscatio bonorum fit ipso jure, sententia retrotrahatur ad diem commissi criminis, ut latè ostendi *tom.1. mor. var. c.12. n.173.* tamen semper refert causam filiorum, nempe pietatem paternam, potiorem, ut præfati Doctores juxta sæpiùs allegatam legem *cùm ratio, ff. de bonis damnatorum*, docent.

§. XXXVI.

Alimenta filiis etiam naturalibus, & spuriis fiscus in omnibus bonis patris delinquentis succedens præstare debet.

ALimenta pariter tenetur fiscus, uti hæres, & successor generalis, ex bonis confiscatis condemnati præstare, ut tradunt Doctores communiter. Ita Baldus, Ripa, Corduba, P. Barb. Ricciullus *locis suprà n.428. citatis*, Peregrinus *de jure fisci, lib.5. tit.1. num.75.* Bossius *tit. de alim.* Surdus *d. q.3. n.1. & 31.* Farinacius *d. q.24. n.40.* Merlinus *d. q.28. n.8.* Rota Romana *decis. 747. n.5.* cæteri Jurisperiti *suprà n.409.* relati, & alii quos Peregrinus, Rota, & Farinacius referunt, & ex Theologis Sanchez, Rebellus, & Palaus *locis d. n 409. allegatis*, & hoc pariter probant tradita suprà *n.410. & 411.* Alimenta enim debentur à parentibus jure naturali, *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* & in præcedentibus sæpiùs ostensum est. Et pro alimentis datur legitima, & consequenter onus alendi filios condemnati, sicut & onus legitimæ, & cætera onera, & obligationes passivæ ejusdem transeunt in fiscum in omnibus bonis patris delinquentis succedentem. Nec statutum confiscationem omnium bonorum simpliciter imponens extenditur ad alimenta. Hinc deducitur, quod si legitima ex bonis confiscatis filiis debita non sufficeret ad congrua alimenta juxta statum, fiscus teneretur supplere ex aliis bonis, ut in terminis Plotus *cons. crim.130. n.84.* Franciscus Becius *cons.8.* Peregrinus *d. tit.1. n.76. versic. intellige*, Merlinus *d. q.28. eod. n.8.* Surdus *d. q.31. n.17.* & alii ab eodem Surdo relati; & probant tradita suprà *n.404.* 430

Prædicta autem de alimentis, & dotibus procedunt etiam in filiis illegitimis, etiam spuriis delinquentis condemnati; nam & his egentibus tenetur fiscus succedens in omnibus bonis condemnati præstare congrua alimenta, & dotes ea ratione, & mensura, quâ pater ipse obligatur. Ita expressè Hondedeus *cons.95. n.66. & sequent.* Lupus *in cap. perversis, in 3. notab. §.24. n.8. & 9.* Dueñas *in reg.367. applic. 4. fine*, Ripa, Bossius *locis n. praced. cit.* Rota *d. dec.747. d. n.5.* Surd. *d. q.31. n. 31.* & Farinacius *d. q.24. citat. n.40.* & Merlinus *d. q.28. n.9.* & Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. Cleric. alleg. c.19. n.11.* Jure enim naturali, & positivo pater obligatur alere, & dotare filios, & filias naturales, & spurias, ut sæpiùs in præcedentibus dictum est, atque adeo hoc onus alendi, & dotandi transit ad fiscum in omnibus bonis patris delinquentis succedentem, sicut transiret ad defuncti hæredes; cùm fiscus loco hæredis, & veluti, seu quasi hæres succedat, & consequenter bona cum prædicto onere fisco deferuntur, prout latiùs traditum est suprà, *n.411.* & præter Rotam *d. n.5.* & alios quos ipsa allegat, tradunt alii Jurisperiti *eodem numero* 11. relati. 431

Prædicto autem oneri alimentorum, & dotis bona paterna semper subjecta esse, nedum penes fiscum, sed etiam cùm maneat penes quemcunque à fisco causam habentem, tradit Rota *d. dec.747. n.6. & 7.* & sequitur Merlinus *d. quæst.28. n.10.* & Lucidorus *d. cap.29. num.14. 15. & 16.* 432

Addunt Hondedeus, & Farinacius *locis citat.* quod uncia, vel alia quota hæreditatis filio spurio est debita vigore statuti, cùm loco alimentorum succedant, ut idem Hondedeus latè probat, ideo non venit dicta uncia in confiscatione bonorum, sicut non veniunt alimenta. 433

Intelliguntur verò tradita quoad filios naturales, vel spurios conceptos ante condemnationem, & bonorum publicationem; non verò quoad conceptos post condemnationem, & publicationem bonorum, juxta 434

tradita

tradita suprà *num.*426. & Doctores ibidem allegatos.

§. XXXVII.

Quando bona patris confiscantur ob crimen læsæ Majestatis, an tunc etiam fiscus teneatur filiis dare legitimam, dotes, & alimenta.

435 SEcunda difficultas, an quando bona paterna confiscantur, & publicantur ob patris crimen læsæ Majestatis, tunc legitima, dotes, & etiam alimenta publicentur, ita ut ex bonis cõfiscatis nihil omnino, scilicet nec legitima, nec dotes, nec alimenta filiis condẽnati reserventur, & à fisco debeantur? De hac re habetur textus *in l. quisquis, §. filii verò, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, ubi sic dicitur: *Filii verò, quibus vitam Imperatoria specialiter lenitate cõcedimus, paterno enim debent supplicio perire, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla mutuantur; à materna, vel avita omnium, etiam proximiorum hæreditate, & successione habeantur alieni, ex testamentis) extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes, & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos unquam honores, ad nulla Sacramenta perveniant, sint postremò tales, ut in perpetua egestate sordescentibus, sit eis mors solatium, & vita supplicium.* Ita *d. §. filii verò.* In sequenti verò §. *ad filias sanè*, filiabus indulgetur hoc pacto: *Ad filias sanè eorum, quolibet numero fuerint, falcidiam tantùm in bonis maternis, sive testata, sive intestata decesserit, volumus pervenire, ut habeant mediocrem potiùs filiæ alimoniam, quàm integrum emolumentum, ac nomen hæredis; mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minùs ausuras esse confidimus.*

436 Igitur propter præfatum textum *in d. §. filii verò*, quoad hoc satis clarum, conveniunt communiter Doctores, filios patris rei criminis læsæ Majestatis, non solùm privari tota paterna hæreditate, sed etiam legitima portione, quatenus excedit alimenta jure naturæ filiis debita, & jure civili inducta est, ita ùt ex bonis ob crimen læsæ Majestatis confiscatis, hujusmodi legitima non reservetur deducenda. Ita Cardinalis *in Clem. Pastoralis, q.7. num.15. de re judicata*, Bossius *tit. de crim. læsæ Majestatis, n.134. & tit. de bonorum publicat. n.8.* Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.9. n.1. lib.4. tit.5. n.22. & lib.5. tit.1. n.34. fin.* Clarus *in practica, §. crimen læsæ Majestatis, n.12. fine*, Surdus *de alim. tit.1. q.31. n.17. & seq.* Farinacius *in praxi crim. p.4. q.116, §.3. n.77. & 78.* Merlinus *de legit. lib.3. tit.1. q.30. n.1. & 2.* Ricciullus *de jure personarum, lib.5. cap.30. n.8. & seq.* Menochius *cons.275. n.18. cum seq. lib.3.* Carpanus *ad statut. Mediol. de jure fisci n.782.* & innumeri alii Iurisperiti relati à Bossio, Merlino, & Farinacio. Et ex Theologis Sanchez, Rebell. Fagund. & Palaus *loc. infr. cit.* Ratio deducitur *ex d. l. quisquis*, ibi enim tales filii infames efficiuntur, & incapaces successionis, tam ex testamento, quàm ab intestato, ut etiam tradunt Peregrinus *d. tit.9. n.1.* Menochius *d. cons.275.* Farinacius *d. §.3. n.75. & 83.* & alii innumeri ab eodem Farinacio relati. Quod, ut *ex d. l. quisquis* constat, statutum est ob criminis atrocitatem, quæ ad homines à tali crimine deterrendos meruit hanc specialitatem: & ita olim Romanos in atrocissimis delictis consuevisse ad confiscationem omnium bonorum procedere, nulla liberis reservata legitima, refert Alexander ab Alexandro *genialium dierum lib.3. cap.23. in principio.*

437 Quare Ioannes de Lign. *in d. Clem. Pastoralis*, Corrasius *in l. qui liberos, n.111. ff. de ritu nupt.* Socin. *cons.30. n.7. vol.1.* Mangilius *de imputat. q.4. n.36.* & nonnulli alii ab eodem Mangilio, & Merlino *d. q.30. n.3.* relati, qui affirmant etiam in crimine læsæ Majestatis humanæ, & divinæ filiis legitimam reservari, communiter ab aliis reprobantur.

Præterea Doctores conveniunt, quod filiæ rei criminis læsæ majestatis, *d. l. quisquis* excluduntur à successione in bonis paternis; falcidiam tamen, idest quartam partem ex bonis maternis consequi debent, ut constat *ex d. §. Ad filias*, ubi etiam additur ratio, scilicet quod mitiùs fuerunt puniendæ quàm masculi, quia propter sexus infirmitatem minùs ausuræ creduntur, & ita tradunt Peregrinus *d. tit. 9. n.8.* Farinacius *d. §.3. n.94.* P. Barbosa *ad l.1. p.4. n.83. ff. solut. matr.* & alii Iurisperiti, quos latè *ibid.* Farinacius refert. 438

§. XXXVIII.

Filiæ rei patris criminis læsæ majestatis, an debeant habere dotes congruas ex bonis paternis confiscatis.

COntrovertitur primò, an in terminis dictæ legis *quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, filiæ rei criminis læsæ Majestatis debeant congruenter juxta statum dotari ex bonis paternis confiscatis. 439

Negant affirmantes etiam filias excludi omninò à participatione bonorum paternorum, & sic etiam à dote per fiscum tradenda, P. Barbosa *ad l. 1. p.4. n.84. ff. solut. matr.* Surdus *de alim. tit.1. q.32. n.17. & seq.* Peregrinus *de jure fisci, lib.5. tit.1. n.76. fin.* & P. Barbosa refert hoc idem affirmare Ioannem Hannibalem *in l. post contractum, num.226 ff. de donationibus*, Ricciullus *de jure personarum lib.5. c.40. n.8.* & ex Theologis Rebellus *de obligat. justit. p.2. lib.5. q.4. n.3.* & idem sentire videtur Sanchez *lib.2. Summa, cap.16. num.26. fin.* probant Surdus, & Peregrinus, quia ex textu *in d. §. sed ad filias, d. l. quisquis filiabus*, indulgetur ut falcidiam, scilicet quartam & alimenta consequantur ex bonis maternis. Ergo videtur ea negare in bonis paternis, quia inclusio unius est exclusio alterius, *l. cùm prætor, ff. de judiciis, & c. nonne, de præsumpt.* quin etiam P. Barbosa *d. n.84. fin.* quem sequitur Rebellus *loco citato*, addit dotes datas post delictum, scilicet ab eo, qui jam inciderat in crimen læsæ Majestatis, per fiscum revocari: & refert ita sentire Bartolum *in d. l. post contractum, num.12.* ibidem Paulum de Montesino, & Ariam Gomezium *ad d. l.4. Tauri, num.9.* idque ait constare *ex d. l. quisquis, §. emancipationes*, ubi dotes, & donationes post delictum læsæ Majestatis admissum factæ nullius reputantur momenti. Per quem textum idem sentit Ricciullus *d. n.8.* qui tamen *n.9. & 17.* subdit, ex æquitate, & Principum, & supremorum tribunalium benignitate, & miseratione receptum esse, ut filiabus dotes ex bonis paternis ob crimen læsæ Majestatis confiscatis conserventur, & si non fuerint constitutæ, constituantur à fisco, & ita practicatum fuisse per Rempublicam Florentinam, referente Angelo *cons.357. n.2.* & per Regem Ferdinandum in filiis principis Rossani, testantur Afflictus *in cap.1. in principio, glossa 3. num.3. verbo Bona committentium*, Bossius, & Peregrinus *locis infrà citatis*, & alii pariter, qui numero sequenti citantur: & in Senatu Mediolanensi in causa, in qua scripsit Franciscus Becius *allegato cons.8.*

Contrariam sententiam affirmativam, & etiam in terminis dictæ legis *quisquis*, fiscum teneri dotare filias rei criminis læsæ majestatis ex bonis illius confiscatis, tenent magis communiter Doctores. Ita Plotus, & Franciscus Becius *locis suprà num. præcedenti relatis, & eodem cap. 1. §. præterea vassallus, glossa 3. num.80.* Ægidius Bossius *tit. de crimine læsæ majestatis, n.134. & in tit. de bonorum public. num.9.* Gigas *de crim. læsæ Majestatis, lib.3. tit. de pœnis quas filii incurrunt, & c. q.15.* Clarus *§. læsæ Maestatis, n.10.* ubi ait pœnas dictæ legis *quisquis*, non habere locum contra filias, & dicit esse commu 440

communem opinionem, juxta testimonium Gigantis, *ibid.* Additionator *litera* I. Massuer. *ad practicam Papiensem in forma inquisit. glossa finali, verbo filius* 2. ubi dicit esse communem, Rolandus *cons.* 73. *num.* 23. *vol.* 3. *& cons.* 74. *num.* 8. *eod. vol.* ubi ait pœnas dictæ legis *quisquis*, *d.* §. *filij verò*, non extendi ad fœminas: Peregrinus *de jure fisci*, *lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 8. *&* 9. Farinacius *in praxi crimin. tom.* 1. *q.* 24. *num.* 46. Merlinus *de legit. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 30. *num.* 9. novissimè Ioannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis Clericorum*, *cap.* 19. *num.* 12. & plures alii Iurisperiti, quos Bossius, & Farinacius referunt; & ex Theologis ita sentit Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 5. *puncto* 11. *num.* 23. quorum fundamentum est, quod lex illa *quisquis*, *in d.* §. *filij verò*, non comprehendat filias; nam in odiosis odio irrationabili masculinum non comprehendit fœmininum, *l. si quis id quod*, *ff. de jurisdict. omn. jud. ibidem* Iason *num.* 16. Bartolus *in l.* 1. *ff. de verborum signif.* Rolandus *cons.* 93. *num.* 31. *vol.* 2. & Peregrinus cum aliis *d. q.* 9. *num.* 8. Præfata autem lex *in d.* §. *filij verò*, ut notarunt Clarus *d. num.* 10. Rolandus *d. cons.* 74. *num.* 8. Peregrinus *d. num.* 8. & Farinacius *d. num.* 46. continet in se odium irrationabile, cùm velit unum pro delicto alterius puniri; irrationabile enim est, quod filius pro patre puniatur, quando ipse non deliquit *toto tit. ne filius pro patre*: id enim, ut Rolandus *d. cons.* 73. *num.* 13. *& duobus sequent.* notavit, est contra juris communis dispositionem, secundùm quod pœna debet tenere suos authores, *l. sancimus, ff. de pœnis.* Item est contra jus divinum; nam scriptum est, anima quæ peccaverit, ipsa morietur, §. *si habes* 29. *quæst.* 3. Item est contra jus canonicum, quo cavetur, ut nullus odio alterius prægravetur, *cap. non debet*, *de reg. juris in* 6. Item est iniquum, quod imponatur pœna ubi non est culpa, nec dolus, contra legem *cùm autem*, §. *excipitur*, *versic. capitalem*, *ff. de Ædilitio edicto*, & per consequens dicta lex uti contraria juri communi, odiosa, & pœnalis, quantum fieri potest, restringenda est; ideoque non debet extendi ad filias fœminas, quibus propterea fiscus, uti hæres, & successor universalis, debet constituere dotes ex bonis paternis confiscatis, cùm sint debitum quoddam patris, quod sicut alia debita, transire debet in successorem universalem bonorum paternorum, qualis est fiscus. Neque obstat argumentum Surdi desumptum *ex d.* §. *sed filius*; ex eo enim quod ibi indulgetur filiabus, ut habeant legitimam in bonis maternis, non potest inferri ad exclusionem dotis in bonis paternis, maximè si aliunde non habeant, nec habere possint, cùm sit diversa ratio legitimæ, & dotis. Quare solùm concludi potest, filias esse exclusas à legitima ex bonis paternis, non autem à dote, quæ arctiori vinculo à patre debetur quàm legitima; tum propter bonum publicum ex matrimonio proveniens, tum ob fœminarum pudicitiam conservandam, & ne meretricandi periculo exponantur, dum ob dotis defectum nubere nequeunt. Quantum autem assignari debeat pro dote, Merlinus *d. q.* 30. *num.* 11. dicit debere esse trientem totius hæreditatis, nulla filiorum habita consideratione; idque ait docuisse Becium *d. cons.* 8. *n.* 26. *&* 27. & Mansuetum *loco pariter cit.* apud quem tamen id non reperi. Dicendum saltem constituendam esse dotem juxta statum, & conditionem filiorum, & patris, arbitrio judicis taxandam.

441 Ex quibus etiam concluditur, sustineri dotes filiabus datas post delictum læsæ Majestatis, si non constiterit fuisse collatas in fraudem; dictus enim §. *emancipationes*, *in d. l. quisquis*, loquitur de dotibus præstitis in fraudem futuræ condemnationis, propter tradita suprà *num.* 429.

§. XXXIX.

Filii patris rei criminis læsæ Majestatis, an ex bonis confiscatis debeant habere alimenta.

Secundò controvertitur, an filij rei criminis læsæ Majestatis, per dictam legem *quisquis*, *in d.* §. *filii verò*, priventur etiam alimentis, an verò alimenta sint præfatis filiis à fisco uti hærede, & successore universali præbenda ex bonis paternis confiscatis.

Sicuti non debetur legitima, neque etiam alimenta à fisco post publicationem bonorum, vel criminis sententiam declaratoriam deberi, per dictum §. *filij verò*, sentiunt P. Barbosa, & Ricciullus locis suprà *n.* 429. citatis, Ægidius Bossius *tit. de crim. læsæ Majestatis*, *n.* 135. *fin.* Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 31. *à n.* 17. *ad* 30. & ita sentire videtur Farinacius *p.* 4. *d. q.* 116. §. 3. *n.* 128. *fin.* quatenus dicit, Surdum suam sententiam defendere, & rationibus Doctorum oppositam sententiam tenentium bene respondere, etsi Merlinus, & Palaus *locis infrà n.* 444. *cit.* illam referunt pro sequenti sententia. Ex Theologis ita sentiunt Sanchez, & Rebell. locis suprà *n.* 429. relatis, Fagundez *in Decal. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 9. & Fragosus *de Repub. Chr. p.* 3. *disp.* 2. *n.* 121. *&* 122. Probat Surdus primò, quia dicta lex *quisquis*, §. *ad filios*, permittit alimenta filiabus ex bonis maternis: Ergo dum in hoc specialiter indulget fœminis in bonis maternis, regula erit in contrarium in filiis masculis; & inclusio unius est exclusio alterius, juxta jura suprà *n.* 429. relata. Et licèt masculinum concipiat fœmininum, non tamen è contra fœmininum comprehendit masculinum. Secundò, quia lex præfata *quisquis*, §. *filii verò*, mandat filios debere esse perpetua egestate sordescentes: Ergo voluit illos excludere etiam ab alimentis, quia non est perpetua egestas cui alimenta præstantur. Tertiò quia *ibid.* filiis condonatur vita, quæ est gratia limitata, ac proinde non extendenda ad alimenta, *arg. l. in agris*, *ff. de acquir. rerum dom.* 442

Quod autem lex ob criminis atrocitatem, & ad homines à tali crimine deterrendos, justè filios etiam alimentis privare potuerit, non obstante quod alimenta à patre filiis de jure naturæ debeantur, probant Sanchez & Fagundez *locis citatis*, quia etsi parentes jure naturali teneantur alere filios, non tamen ob id impediuntur, quin possint omnia bona sua, nullis alimentis filiorum reservatis, hypothecæ alicui subjicere per contractum, & ex vi hujus hypothecæ sæpè à creditoribus omnia usurpantur. Ergo à fortiori id potuerunt per delictum; nam prior obligatio oritur ex propria parentum voluntate, posterior verò ex legis statuto ad bonum commune, ut tam atrocis supplicii timore arceantur parentes à tali delicto patrando. Neque hoc (inquit Fagundez) est velle punire filios propter delicta parentum, sed velle antecedenter statuere pœnam delinquentibus, & ut atrocitate illius retrahantur parentes à delicto perpetrãdo. Dictum est autem in propositione hujus sententiæ, *Post publicationem, &c.* nam ante sententiam criminis declaratoriam, & bonorum publicationem nullo jure filios posse privari alimẽtis, & si fiat, esse gravissimum peccatum, tradunt Rebellus & Fagundez. Addit Rebellus, principem, & quemlibet alium filiis succurrere teneri ex charitate, non solùm si extremè, sed etiam si graviter egeant. 443

Contrarium, & filios (& sermo est de filiis natis, vel conceptis ante condemnationem, & publicationem bonorum, juxta tradita suprà *n.* 426.) *in d. l. quisquis*, *d.* §. *filii verò*, non privari alimẽtis simpliciter vitæ necessariis, & quæ jure naturali à parentibus debentur filiis; & propterea de patris rei criminis læsæ Majestatis bonis à fisco captis eosdem filios esse alendos, tradunt magis communiter Doctores. Ita Plotus *cons.* 130. *n.* 83. 444

& seq. Becius *cons.*8. *num.*5. *lib.*1. Socinus *cons.*30.
*num.*3. *vol.*1. Ripa *in l. ex facto, n.*9.*ff. ad Trebell.* Cor-
ratius, & Mangilius *suprà, n.*4. 57. Rota Romana *de-
cis.* 747.*n.*8.*p.*4.*diversorum*, Merlinus *de legitima, lib.*3.
*tit.*1.*q.*30.*n.*6. *& seq.* Lucidorus loco superiùs *n.*440.
allegato, & alii Jurisperiti relati à Farinac. *d.num.*128.
Rota *d. decis.*747. *n.*10. & Merlino *d. num.*6.*&* 10. &
ex Theologis Castrus Palaus *tom.*1. *tract.*4. *disp.*5.
puncto 11. *n.*24.*fin.* Probatur *ex d. l. quisquis* , *d.*§. *filii
verò*, nam cùm ibi Imperator Iulianus filios perpetran-
tium crimen læsæ Majestatis vivere permittat, ibi:
relinquendam esse vitam filiis ; ex consequenti censetur
illis concedere alimenta, sine quibus vita nequit su-
stineri, *l. necare* , *ff. de liber. agnosc.* Negat hanc con-
sequentiam Surdus quia aliàs (inquit) sequeretur, quod
si bona alicui confiscantur, reservatâ vitâ, quod ipse
posset petere alimenta. Verùm differt talis casus à
præsenti, quia filius, ut sæpiùs dictum est, creditor patris
dicitur in alimentis, quod non procedit in eo, cui
bona ablata fuerunt; & cùm dispositio dictæ legis
quisquis , sit odiosa odio intolerabili, dura, & crudelis,
cùm in ea puniantur filii qui non peccaverunt, pro-
pterea, ut suprà *n.*430. dictum est, erit restringenda
ut alimenta non auferat; & cùm beneficium, & in-
dulgentia principis sit latè interpretanda, rectè con-
cluditur, quod hujusmodi reservatio vitæ intelligatur
etiam cum reservatione alimentorum. Maximè quia
communis Doctorum sententia, ut sæpiùs in præceden-
tibus dictum est, asserit alimenta à parentibus filiis
quibuscumque legitimis, & illegitimis, etiam spuriis
debita, non posse ulla consuetudine, vel statuto, aut le-
ge licitè tolli, cùm sint jure naturali debita.
Procedunt prædicta non solùm in filiis legitimis,
445 sed & in illegitimis naturalibus, & etiam in spuriis,
quos illegitimos omnes eadem lege *quisquis*, compre-
hendi tradunt communiter Doctores, quos referunt
& sequuntur Clarus *d.* §. *læsæ Majestatis* , *num.*11. &
Farinacius *d. quæst.*24. *num.*86. his enim quoque in
confiscatione omnium bonorum paternorum ob deli-
ctum læsæ Majestatis reservanda esse alimenta, tra-
dunt in terminis Rota *decis.* 747. *n.*8. Merlinus *d.
quæst.* 30. *num.* 8. & Lucidorus *loco suprà citato* , &
convincunt tradita; & quia quoad alimentorum jus
omnes filii jure naturæ sunt æquales. Et sic etiam filia-
bus naturalibus, & spuriis dos ex eisdem bonis de-
betur, quæ loco alimentorum est, & à pari proce-
dunt alimenta, & dos, ut superiùs dictum est, & tra-
dunt Bartolus *in l.fin.ff. de his quibus ut indignis* , &
Corduba *in l. si quis à liberis* , §. *si mater, n.*16.
446 Prædictis autem non obstant fundamenta Surdi
*n.*441. adducta: non primum, quia *in d.* §. *ad filias*,
Julianus Imperator non loquitur de alimentis, sed
de falcidia, seu legitima danda filiabus in bonis ma-
ternis; & quoad hoc procedere potest argumentum,
ut inclusio fœminarum sit exclusio masculorum: at
non procedit ad exclusionem alimentorum; quia sicut
& dotes, ut suprà dictum est, non habent eandem ra-
tionem, quàm legitima, de qua *d.* §. nam legitima
transmittitur, debeturque tam in proprietate, quàm
in usufructu; alimenta verò ex fructibus debentur, &
mortuo alimentario cessant: & ideo inclusio unius
non est alterius exclusivo. Non obstat secundum, quia
habens simpliciter alimenta, adhuc egenus dicitur,
cùm nihil quod suum sit, in bonis habere dicatur. Se-
cundùm enim communem modum loquendi egenus
est qui habet tantùm alimenta; & si textus dicit, quod
vivant in perpetua egestate, ut vivant saltem secun-
dùm indigentiam naturæ, erunt subministranda ali-
menta, ut Rota *loco citato*, & Merlinus *d. quæst.*30. *n.*9.
in fine notarunt. Ex quibus etiam manet satisfactum
tertio Surdi fundamento.
447 Ad argumentum Sanchez, & Fagundez *num.*443.
adductum respondetur primò, dato quod lex potuerit
ob delictum patris tam atroa privare filios alimentis,
non constat tamen privasse; imò ex eadem lege pro-
batur alimenta illis fuisse reservata, ut ostensum est, &
tradunt Rota, Merlinus, & alii Doctores *n.*444. alle-
gati. Secundò, supposita sententia communi, quod ali-
menta jure naturæ filiis debita non possint ulla lege
humana universali, vel municipali, seu particulari tol-
li, ob delictum parentum tantùm, nullo filiorum de-
licto concurrente, nequeunt auferri, quod absque du-
bio sentiunt Alciatus *cons.* 467. *num.*6. & Rolandus à
Valle *cons.*74.*n.*23. *vol.*3. quatenus aiunt, legem pu-
nientem filios ea crimine paterno, non valere, juxta
illud veteris legis, *filius non portabit iniquitatem patris*,
ut loquuntur in terminis dicta lea *quisquis*; atque adeo
talem legem tanquam contra honestatem, non posse
observari absque peccato, *c. constitutiones* , *& c. lege*,
*dist.*10. quod quoque sentit Cevallos *pract. qq. c.* 653.
*n.*38. ubi ait, quod pœnæ dictæ legis *quisquis* , in fo-
ro conscientiæ quoad filios non possunt exigi: quod
etiam approbat Farinacius *p.*4. *d. q.* 116. §.3. *n.*144.
& Merlin. *d. q.*30.*n.*27. idemque ait dixisse Rotam *in
Romana donationis* , 22. *Iunii* 1588. coram Seraphino,
& idem docet Zibetus *ad Papiensem s in forma libelli
Inquisitionis* , *glossa ult. verbo Eius legitimam*: ubi ait,
quod quicumque ausus fuerit dicere ius alimentorum,
& legitimæ, scilicet quatenus alimentorum loco de-
betur, utpotè proveniens ea jure naturali, posse tolli
statuto, vel etiam consuetudine pro delicto patris fal-
sum affirmare: quæ doctrina, quod non valeat lex pu-
niens filium pro delicto patris, indubitata est quando
pœna versatur circa corpus, seu corporalem vitam,
cujusmodi est privatio alimentorum, *d. l. necare, ff. de
liber. agnosc.* eo quòd sine alimentis vita nequeat con-
servari: quando verò pœna non est corporalis, sed
pecuniaria, & versatur circa alia bona, ut est infamia,
privatio succedendi, & similes, posse quempiam ex le-
ge, aut statuto tali pœna puniri ob crimen alterius, &
legem esse validam, etiam in foro conscientiæ, probat
textus *in cap. vergentis* , *de hæreticis*, & latè ostendit
Covarruvias *var. lib.*2. *c.*8. & etiam Rolandus *cons.*8.
*n.*45. *vol.*3. supposita, inquam, præfata communi sen-
tentia, respondetur primò peccare patrem contra le-
gem naturæ, & pietatem, qui prodigeret bona unde
filii priventur alimentis, saltem simpliciter vitæ ne-
cessariis, & in tali casu posse cogi patrem prodigentê,
ad assignanda filiis bona, ex quibus possent vivere,
ut superiùs probatum est. Respondetur secundò, cùm
obligatio alendi filios sit personalis, habito respectu
ad patris bona, dum pater habet bona, semper filii ju-
re naturali sunt creditores eorundem alimentorum,
& jure naturali illa alimentorum obligatio transit ad
hæredes & successores universales patris, ut in præ-
cedentibus sæpiùs dictum est: & sic etiam naturali
jure transit in fiscum, qui est quasi hæres, & successor
universalis: & ita esto pater possit distrahere bona
omnia, nullis alimentis reservatis filiis, lex tamen non
potest privare filios jure illo naturali, quod habent ad
alimenta habenda ex bonis paternis, quæ semper sub
patris dominio fuerunt, & desinunt esse sub illius do-
minio solùm ob mortem naturalem, vel civilem.
Ad majorem autem prædictorum confirmationem
animadvertendum duxi quod quia pœnæ dictæ legis 448
quisquis, contra filios innocentes propter patris deli-
ctum latæ sunt nimis odiosæ, nimisque duræ, & rigo-
rosæ, eam legem quoad dictas pœnas respectu filio-
rum de consuetudine generali orbis Christiani non
servari, esseque sublatam, tradidere Angel. *in l. fallaci-
ter* , *Cod. de abolit.* Alciat. & Roland. *loc. num. præced.
cit.* Clar. *d.* §. *læsæ Majestis*, *num.*15. *fin.* ubi ait quod
nunquam vidit tales pœnas in filiis observari, Pere-
grinus *de jure fisci* , *lib.*3. *tit.*9. *num.*10. Cevallos *loco*

*quæst.*27. *num.*3. & 4. Ita etiam sensisse Cynum *in l. alimenta, C. de negot. gestis, & ibid.* Baldum & Paulum de Castro, refert Gomez *ad d.l.*40. *Tauri, d. num.*75 *paulò post initium*, & Covarruvias *d. §. illud tamen*, ubi dicit esse communem Doctorum *in d. Auth. res qua.* Hieronymum quoque de Leone *in decis.*27. *lib.*1. tenuisse, possessorem primogenituræ, & fideicommissi perpetui debere descendentes testatoris, seu institutoris post ejus mortem conceptos alere, testatur Merenda *d. cap.*36. *initio.* Eandem sententiam tenet Ludovicus Molina *de primog. lib.*4. *cap.*6. *num.*4. *versic. contrarium, & num.*5. & etiam videtur tenere *lib.*2. *d. cap.*15. *n.*58. *&* 59. & indubitatè tenet *in calce libri, num.*14. *& infrà num.* 402. licèt *num.*68. *d. cap.*5. contrarium expresse asserat dicens, primogenitum teneri fratres, & sorores inopes alere, & dotare, non uti primogenitum, & majoratus possessorem, sed uti divitem, & sanguine conjunctum, & solùm in subsidium, quando descendentes ex primo institutore non habent patrem, aut matrem, aut avum maternum, qui possit commodè alere & dotare. Intelligitur autem hæc sententia quoad majoratum, juxta Rodericum, & Surdum, ut primogenitus majoratus, vel primogituræ possessor teneatur fratribus, & sororibus alimenta, & dotes, quibus possint commodè sustentari, præstare, habita semper ratione, quod idem primogenitus possit honorificè vivere, & propriam dignitatem sustinere.

396 Et pro hac sententia stare videntur Doctores, qui absolutè tradunt, omnem possessorem majoratus, seu primogenituræ obligari, & cogi alere, & dotare fratres, & sorores inopes; ita tamen quod tantum remaneat primogenito unde possit honorificè suam dignitatem sustinere. Ii sunt Baldus *in l. cunctos populos, n.*17. *Cod. de summa Trinitate*, ubi prout eum refert Surdus *d. quæst.*27. *num.*2. ait quod si valeat statutum vocans primogenitum ad alicujus successionem, tamen postea nati filii sunt alendi. Joannes Andreas, Hostiensis, Panormitanus, Guido Papæ, Tiraquellus *locis suprà num.*378. *relatis*, Surdus *q.*4. *n.*2. alii ex relatis *eodem num.*378. & plures alii à Surdo, & Tiraquello *locis citatis* allegati, & Ludovicus Molina *d. cap.*15. *num.*56. & ita videtur sentire etiam Mangilius *de imputat. quæst.*76.

397 Rodericus Suarez *loco citato*, quod frater bonorum majoratus possessor, ex quorum fructibus sine magno incommodo status, & personæ id possit facere, debeat fratres, & sorores inopes alere, & dotare, probat ea ratione, quod id æquitas exigat; quia frater tenetur alere fratrem, & dotare sororem, si non habeat aliunde alimenta, & dotem: quæ ratio probat de quocumque fratre divite, quod fratrem, & sororem inopes teneatur alere, & dotare, in subsidium tamen, & quando desunt alii proximiores, scilicet pater, vel mater, aut avus paternus, vel maternus, qui commodè alere possint.

398 Surdus probat ratione ducta *ex d. Auth. res qua, C. commun. de legatis*, scilicet quia juxta prædictam authêticam non pauci Doctores sentiunt, bona fideicommisso, ac restitutioni subjecta posse alienari pro alimentis, & dote eorum, qui descendunt à fideicommittente in infinitum; ita quod dicta authentica non complectatur solùm descendentes, seu nepotes, & pronepotes institutoris fideicommissi, eo vivente natos, vel saltem conceptos; sed omnes etiam natos, & conceptos post ejus mortem, quos ipse fideicommissi institutor, si viveret, alere, & dotare teneretur; licèt pro alimentis, & dote transversaliũ ipsius fideicommittentis nõ possint alienari. Ita Baldus, Angelus, Castrus, Curtius *in d. Authent. res qua*, Petra *de fideicomm. d. quæst.*8. *n.*405. Simon de Pretis *de interpr. ultim. vol. fol.* 438. *num.*29. Padilla *in d. auth. res qua, num.*56. 57. *&* 58. & plures alii à Padilla, & Surdo relati: qui Doctores in hoc volunt esse considerandum solùm, an si testator, seu institutor viveret, teneretur; non autem postquam est mortuus, & sic cessant adducta suprà *num.*300. ex Merenda, cùm etiam certum sit, si institutor viveret, quod teneretur suos nepotes, & pronepotes alere, & dotare; unde præsumendum esse videtur, ejus voluntatem fuisse in institutione majoratus, ac fideicommissi, ut pro eorundem alimentis, & dote bona possent alienari, saltem ubi expresse non prohibuit: & quod bona fideicommisso subjecta possint in infinitum alienari pro alimentis & dote liberorum possessoris majoratus, & fideicommissi pauperum, tradunt etiam Oldo *de fideicom. quæst.*46. *num.*105. Peregrinus *eodem tractatu, artic.*42. *num.*55. & Fusarius *de substit. quæst.*532. *n.*42. id tamen limitantes quoad portionem solùm bonorum fideicommissi relictam ipsi possessori gravato, pro qua sola portione, & non pro portione bonorum fideicommissi relicta cohæredi, & eidem possessori ex reciproco fideicommisso subjecta alienari pro alimentis, & dote liberorum ipsius possessoris gravati, docent. Et quod dispositio prædictæ authenticæ *res qua*, ut bona fideicommisso supposita possint alienari pro alimentis, & dote liberorum descendentium à fideicommittente, ubi fructus bonorum non sufficiunt, procedat, & habeat locum etiam in descendentibus natis, & conceptis post obitum ejusdem committentis, præter Petrum Padillam, & alios Jurisperitos suprà allegatos, asseruere Rota Romana *decis.*37. *part.*1. *diversorum, & decis.* 46. *num.*7. apud Seraphinum, Menochius *de præsumpt. lib.*4. *præsumpt.* 185. *num.* 18. *& seqq.* Fontanella *de pactis nupt. clausula* 5. *glossa* 1. *part.*2. *num.*77. Ferentillus *ad decisionem Burati* 641. *num.*27. alios recentiores allegans, Ioannes Nicolaus Lucidorus *de illegitim. Clericorum, cap.*19. *num.*8. & Thesaurus *decis.*192. *num.*11. ubi asserit secundùm hanc sententiam judicasse Senatum Pedemontanum; in conceptis enim descendentibus etiam post mortem institutoris fideicommissi militat ea ratio, quod si ipse viveret, teneretur eos alere, & dotare, quæ est ratio dispositionis dictæ authenticæ.

Eadem sententia videtur posse probari ex textu *in §. utrum autem, l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* nam 399
juxta Vlpiani sententiam ibi, non solùm pater filios, sed avus, & proavus, & cæteri ascendentes per lineam masculinam obligantur alere nepotes, & pronepotes, aliosque ex ipsis descendentes. Ergo videtur dicendum, quod Vlpianus *in d. §.* comprehendat etiam nepotes, & pronepotes natos, & conceptos post avi, & proavi obitum; cùm impossibile sit, quod omnes descendentes concepti sint vivente eo, qui nepotes, & pronepotes, & deinceps habiturus est. Quare Vlpianus videtur considerasse omne tempus, scilicet & quando vivente avo, aut proavo nepos, aut pronepos natus, aut conceptus est; & etiam quando eo defuncto natus, & conceptus est, expendendo illud, *Quod si viveret, eosdem nepotes, & pronepotes inopes teneretur alere.* Hoc idem confirmari posse videtur ex sequentibus verbis ejusdem §. ibi, *Cùm ex æquitate hæc res descendat, charitateque sanguinis:* charitas enim sanguinis & affectio naturalis, non solùm extenditur ad filios existentes, & conceptos, sed etiam ad nepotes, & pronepotes, & cæteros descendentes, qui sperantur nascituri; cùm in his omnibus repræsentetur primus genitor, & agnatio conservetur, & perpetuitatem consequatur. Neque obstat illud ex Merenda suprà *n.*391. adductum, scilicet quod voluntas non fertur in incognitum; nam primò *in d. §. utrum autem*, charitas, & affectio, atque desiderium, non accipiuntur pro sola actuali dilectione, affectione, ac desiderio à voluntate elicitis, sed etiam, & magis, pro charitate, & affectione radicaliter. Secundò, quia voluntas actualiter ferri potest in nepotes, & pronepotes, & cæteros descendentes nasciturus, quatenus in confuso

fuso apprehenduntur, & speraotue naseltuti, vel non desperatur esse nascituros, & per eos agnationem fore perpetuandam. Cùm ergo omnes primogeoiti possessores primogenituræ, seu majoratus, aut fideicommissi, censeantur,& sint hæredes, ac successores primi institutoris, à quo, & oon ab aliis subsequentibus possessoribus censentur, & verè habent bona majoratus, vel primogenituræ, aut fideicommissi, ad illos transibit obligatio primi institutoris majoratus, vel fideicommissi, joata tradita *suprà, à num.* 352. & hoc idem videtur sentire Padilla *in d. auth. res qua, n.* 58. dum absolutè dicit, avum, proavum, & cæteros superiores parentes teneri dotare suos descendentes; & favere videntur alii Iurisperiti, & Theologi suprà *n.*281.*&* 283. allegati, qui idem sine distinctione nepotum, vel pronepotum, natorum, & conceptorum vivente avo, aut proavo, aut ex defuncto conceptorum, asserunt. Quare etiam videtur dicendum, textua *in d. l. item Prætor*, & alios suprà *num.*390. adductos ex Merenda, intelligi quoad materiam successionum, non quoad alias materias, præsertim alimentorum descendentibus egenis præstandorum, ut *d. num.* 390. *in fine*, dictum est. Prædictis adde, saltem largè sumpto vocabulo, agnatum alicujus dici illum, qui per lineam masculinam eo mortuo nascitur, ut ea teatu *in l. quum Tuberonis, ff. de precul. in l. item prætor, ff. de suis & legit.* tradit post alios Fusarius *cons.* 56. *num.* 6. Et licèt non dicatur propriè agnatus, cùm tamen sit descendens, attendenda est præsumpta mens institutoris; & quod si institutor viveret, esset propriè agnatus suus. Et quod in fideicommissis vocatio de agnato intelligatur etiam de agnato qui extat tempore conditionis purificatæ, licèt tunc non coëterat institutor, latè tradit Fusarius *d. cons* 56. *& in tract. de substit. prædictis.*

400 Quapropter non videtur posse negari, hanc sententiam habere non modicam probabilitatem, & fundari in æquitate naturali, maximè quoad fratres, & sorores ipsius possessoris majoratus, seu fideicommissi, filios ultimi, seu proximè præcedentis possessoris majoratus, vel fideicommissi, præsertim quando ex fructibus bonorum majoratus, & fideicommissi fratres & sorores inopes frater ipse primogenitus possessor potest commodè alere, & dotare: & novam confirmationem addo desumptam ea præsumpta voluntate institutoris majoratus, vel fideicommissi; nam videtur non ambigeodum; institutorem qui splendorem familiæ per majoratum, vel fideicommissum conservare voluit, unquam passurum fuisse, liberos suos, suósve nepotes, & pronepotes, & cæteros descendentes fame perire, vel cum dedecore victum sibi quærere vilissimas artes exercendo, vel alia ratione parom decenti. Sed de his satis, & hanc rationem deductam ex verisimili, & præsumpta voluntate institutoris, quod si eo tempore viveret, necessitatibus suorum descendentium consuluisset, ponderat post alios Ludovicus Molina *d. lib.* 4. *cap.* 6. *citato n.* 5.

401 Solùm advertendum, omnem possessorem majoratus, vel primogenituræ, aut fideicommissi, si non ut primogenitum, & possessorem, seu successorem in bonis majoratus, tamen ut divitem, ratione conjunctionis sanguinis teneri alere fratres, & dotare sorores in subsidium, scilicet quando nec mater, nec avus maternus potest, ut infrà probatur, & tradunt omnes præallegati Doctores, & etiam Salgado *in labyrintho creditorum, dicto cap.* 24. *num.* 132. 141. 142. 143. 146. imò etiam primogenitum possessorem majoratus, teneri etiam saltem in subsidium alere patruum, sobrinum, & alios, amitam, & sobrinam, tradunt Ludovicus Molina *d. cap.* 15. *num.* 1. *& seq.* & alii, de qoo *infrà*. Insuper Ludovicus Molina in annotationibus, quas in calce libri de primogentis habet, *n.* 14. asserit, quod omnis, etiam antiquissimus possessor majoratus, tenetur alere fratres, & dotare sorores pauperes, non ex conjunctione sanguinis tantùm, sed etiam ob rationem, quod majoratus institutio ex Hispaniæ Regnorum consuetudine, & lege facta fuisse videatur, ut filius primogenitus familiæ caput, atque robur sit, fratresque, & sorores egentes teneatur alere, & dotare: quam obligationem addit idem Molina in omnes primogenitos in infinitum transfundi, atque in ipsorum majoratuum propriam, ac peculiarem naturam converti, prout loquitur in simili de feudis, in quibus jure Francorum succeditur, in quibus filius primogenitus, qui in feudo succedit, semper tenetur fratribus, & sororibus victum & militiam præstare, quasi feudum ipsum hac lege, & conditione ei delegatum sit: quæ omnia approbat Additionator ad eundem Molinam *de primog. lib.* 2. *dicto cap.* 15. *num.* 56. *fine*. Licèt non admittat Salgado *d. cap.* 24. *numero* 200. *& sequentibus*; qui tamen *d. cap.* 24. *num.* 196. fatetur institutorem majoratus, dum omnia sua bona in unum vult transferri, & devenire, id ea præsertim intentione facere, ut majoratus possessor sic dives effectus, cæteris consanguineis egentibus ad eum tanquam ad caput familiæ recurrentibus, possit subvenire, & habeat unde possit succurrere, si (inquit Salgado) velit succurrere, non tamen ad id teneatur, seu institutor ad id velit teneri præter juris communis obligationem, cui se in dubio censetur conformare.

§. XXVI.

Monasterium ad quod ob patris professionem devenerunt bona paterna, an teneatur liberis congrua alimenta, & dotes competentes præstare.

402 DUbium sextum: an si pater ingrediatur monasterium, quod in omnia bona ejusdem succedat, nec filiis, & filiabus ante ingressum, seu professionem congruentia alimenta, & dotes assignaverit, & prætiterit, monasterium teneatur illos inopes alere, & dotare? Communis Doctorum sententia est, quod monasterium in bonis omnibus patris professi succedens, filios & filias ejus pauperes, quibus sufficientia alimenta, & congruam dotem pater non reliquit, vel assignavit, & tradidit, alere, & dotare teneatur. Ita Bartolus *in l. si quis à liberis, §. item rescriptum, ff. de liber. agnosc.* & ibidem Dynus, idem Bartolus *in tract. de alim. n.* 21. Panormitanus *in cap. transmissa, n.* 6. *qui filii sint legitimi*, Corduba à Lara *in d. §. item rescriptum, n.* 11. Covarruvias *de spons. p.* 2 *c.* 8. *§.* 6. *num.* 14 Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 29 *per totam*, Paschalis *de patria potest. p.* 2. *c.* 3. *n.* 26. Ioannes Nicolaus Lucidonus *de illeg t.tler. c.* 16. *n.* 1. plures alii Jurisperiti à Surdo *n.* 1. latè relati, & Theologi suprà, *n.* 351. allegati, & Sanchez *lib.* 7. *summa, c.* 10. *n.* 8. & ita oportet sentiant omnes alii Jurisperiti *d. n.* 351. allegati, dum asserunt, onus alendi liberos absolutè transire in quoscumque hæredes, & universales successores bonorum paternorum. Quare probatur hæc sententia per tradita *n.* 352. *& seq.* & præsertim *n.* 355. ad probandum onus alendi liberos devolvi ad hæredes patris, sicut transit onus solvendi cætera patris debita: & in specie quod monasterium teneatur ad omnia onera ingressi, tradunt Bartolus *in l. fin. ff. de adopt.* Felinus *in cap. in præsentia, n.* 39. *de probat.* Bellenzinus *ad Panormit. in d. cap. transmissa*, & Surdus *d. q.* 29. *num.* 2. ubi etiam ex Joanne Andrea, Butrio, & Baldo *in d. c.* 24. *C. de sacrosanctis Eccl.* addit transire in monasterium omnes actiones activas, & passivas, quæ competebant monacho, & contra monachum.

403 Procedit autem præfata communis etiam in filiis spuriis ingressi, & professi, cujus bona ad Monasterium devenerunt, quibus quoque egenis monasterium

tenetut præbere alimenta,non solùm in foro conscientiæ, & Ecclesiastico, sed etiam in quocumque foro, quicquid secus sentiat Vasquius *de succession. treat. part.*2.§.20. *num.*317. ut etiam in terminis docuerunt Bartolus, Panormitanus, Covarruvias, Surdus, Lucidorus, Sanchez *locis numero præcedenti citatis*, Spino, Joannes Lupi, & Rolandus *locis suprà n.*351. *citatis*, & ita Theologi *d. n.*351. relati:& ratio est, quia (ut *in præcedentibus* sæpè dictum est) spurii æquiparantur legitimis, quoad commodum, & jus alimentorum; & consequentee ratio quæ concludit pro legitimis, ac naturalibus,idem probat pro illegitimis,& spuriis.

§. XXVII.

Monasterium pro alimentis an teneatur assignare, seu præstare totum usumfructum legitimæ, & non minùs, nec teneatur plus.

404 IN qua autem quantitate taxanda,seu assignanda sint alimenta filiis, præsertim legitimis, à monasterio post professionem patris, qui omnia bona eidem monasterio detulit,debitis? Corduba ubi suprà *n.*13.Surdus *de alim. tit.* 4. *q.*23. *n.*6. Decius *cons.* 181. & 182. Paulum,Bartolum,& alios allegans ab iisdem Surdo,& Corduba, & à Vasquio *de successionum progressu lib.* 1. §.1. *n.*48. *initio*,relatos, asserunt monasterium nomine alimentorum teneri assignare integrum legitimæ usumfructum, nec posse præstare minùs, eo quòd legitima detur.& succedat loco alimentorum.

Hanc tamen sententiam Vasquius *d.n.*48. *fine*, dicit se non firmare,& reprobat Sanchez *d.cap.*10.*n.*9. quia cùm monasterium in solam patris professi obligationem succedat, & pater in seculo manens tantùm teneretur assignare,seu præstare alimenta necessaria statui filiorum, eadem obligatione tantùm monasterium illius bona retinens astringitur. Quapropter juxta hanc posteriorem sententiam, si fructus legitimæ excedant alimentorum necessitatem,residuum erit monasterii,ut inquit ibidem Sanchez:sicut è contrà si fructus legitimæ non sufficiant pro necessariis alimentis, monasterium ex aliis bonis patris professi, in quibus successit, teneri saltem in foro conscientiæ sufficienter alimenta filiis subministrare,sicut pater ipse in seculo existens teneretur,tradunt Silvester *verbo hæreditas* 1. *q.*7. *n.*10. *dicto* 6. *fine*, Angelus *eodem n.*22. Tabiena *eod. quæst.ult.* quos *loco citato* Sanchez sequitur, & id videtur probabilius, supposito quod filiis non debeatur legitima statim post patris professionem: de qua re alibi suo loco,cùm de legitima à parentibus debita filiis loquemur.

Dixi autem *initio*,*n.*402. in propositione dubii,*Nec*
405 *pater filiis congruentia alimenta*,&c. Nam si ante professionem pater liberis congrua alimenta, & sufficientes dotes aut legitimam portionem assignaverit, & præstiterit, translatis in monasterium reliquis bonis, juxta tradita *suprà num.*388. dicendum est, monasterium,sicut & cæteros hæredes,& successores universales bonorum,non teneri eisdem filiis alimenta,vel dotes præstare,propter rationem *d. num.*388. adductam, scilicet quia jam pater satisfecit suæ obligationi, & nulla obligatio transit in monasterium uti successorem, nullumque jus superest filiis adversus bona paterna in monasterium per professionem translata: & ita in terminis etiam tenet Merenda *d. cap.*3. *num.*25. & colligitur *ex auth.qua mulier, Cod.de sacros.Eccl.* Quare si post professionem patris dicti filii devenerint ad paupertatem, si habuerint matrem,vel avum maternum,vel fratrem divites, ii, & non monasterium, tenebuntur alimenta necessaria ministrare, juxta tradita *eodem n.*338. Si verò nullus extet sanguine conjunctus, qui alioqui de jure teneatur, vel non possit ob inopiam eadem alimenta præstare præfatis filiis ad paupertatem post patris professionem redactis, tunc videtur omninò teneri monasterium ex bonis paternis ad ipsum perventis illos pauperes alere, tanquam filios benefactoris, & quia censendum est, talem fuisse intentionem patris in translatione suorùm bonorum in monasterium; non enim credendum est, nec præsumendum,patrem voluisse filios suos fame perire, vel vilissima opera exercere pro sufficienti victu quærendo: & ad id faciunt quæ tradit Surdus *de alim. tit.*1. *q.*29. *n.*5. & *q.*49.

§. XXVIII.

Monasterium quod successit in bonis filii professi, tenetur præstare alimenta patri inopi.

POrrò quæ dicta sunt de obligatione monasteri- 406
alendi liberos religiosi professi, quibus ante Religionis professionem pater alimenta, vel legitimam non assignavit,& præstitit, procedunt etiam quando filius in monasterio profitetur, in ipsum transferendo omnia sua bona, non præstita priùs legitima patri, neque assignatis,& tributis competentibus alimentis, quibus pater egeat, non habens aliunde unde se alere possit: tenetur enim monasterium patri præstare alimenta statui congruentia, ut ex Doctoribus *num.*402. relatis,tradit Bartolus *in tractatu de alimentis*, *num.*41. Surdus *dicta quæst.*29. *num.* 10. & *sequentibus*, & Sanchez *dicto cap.* 10. *num.*11. militat enim eadem ratio; sicut enim hæres filii tenetur alere patrem, *l. si quis a liberis*, §. *item rescriptum*, & ostensum est *supra*,*n.*367. ita & monasterium in filii bona succedens, illaque possidens, quod uti suus hæres religiosi professi censetur, *d. auth. si qua mulier.*

Sequitur Summarium Capitis VII.

Iure communi Authentica Bona damnatorum, Cod. *de bonis proscriptorum, ex consuetudine universali, existentibus ascendentibus,& descendentibus usque ad tertium gradum inclusivè, non est locus confiscationi bonorum propter quodcumque delictum, exceptis crimine læsæ majestatis,n.*407.408.& 409.

Publicatis omnibus bonis paternis ob delictum, quod non sit læsæ majestatis humanæ, vel divinæ, filiis reservatur legitima, quam fiscus illis præstare debet, numero 409.

*Legitima debetur iure naturæ,& civili, n.*410.

Fiscus est quasi hæres, & successor delinquentis condemnati, n. 411.

Tenetur satisfacere creditoribus delinquentis,ibid.

In fiscum transeunt omnes actiones activæ, & passivæ, omnesque obligationes naturales,& civiles delinquentis, ibid.

Post bonorum publicationem delinquens liberatur à creditoribus pro valore bonorum, quæ in fiscum sunt translata. ibid.

Fidejussor postea datus, non obligatur pro quanta capit fiscus, ibid.

Antea verò datus non liberatur, ibid.

*Filiis delinquentis à fisco legitima debetur à die publicationis, non expectata morte condemnati, n.*412.

Legitimam filii debent capere de manu fisci.n 413.

*Bona confiscata oneri legitimæ sunt subjecta, non solùm dum penes fiscum existunt,sed etiam apud quemcumque à fisco causam habentem maneant, num.*414.

*Eadem legitima ex bonis confiscatis debetur filiis adoptivis, n.*415.

Debetur

Debetur etiam nepotibus confiscatis omnibus bonis Avi, num.416.

Patri reservatur legitima ex bonis filii delinquentis confiscatis deducenda, n.417.

Legitima regulariter est triens, vel semis, n.418.

Legitima filiis debita in casu confiscationis est dimidia hareditatis, si unus, vel duo tantum sint, totum patrimonium si fuerint tres, & plures, n.419. & 420.

Stante statuto, quod medietas bonorum paternorum, confiscatorum debeatur filiis, an si fuerint tres, aut ultra debeant habere totum patrimonium, n. 410.

Filii emancipati, & filia per statutum exclusa, & catera, an faciat numerum, ut totum patrimonium debeatur, & nihil fisco remaneat, n. 421. & 422.

Ascendentes non gaudent dicto privilegio filiorum, sed bonis descendentis confiscatis, debent habere solum legitimam regulariter illis debitam, n.423.

Confiscatis bonis maternis ob matris delictum, an filiis legitima reservetur, n.424. & 425.

Filiis conceptis post condemnationem, & publicationem bonorum patris, non debetur legitima ex bonis confiscatis; debetur autem conceptis post delictum, & deportationem ante condemnationem, & quando pater non deportatur, sed tantum bannitur, n.426.

Per deportationem quis efficitur homo novus, & amittit omnia jura communia, secus per bandum, ibid.

In favorabilibus, & ad eorum commodum filii concepti censentur nati, ibid.

Patre post publicationem bonorum ex gratia Principi, restituto in pristinum filii non deducunt legitimam n.427.

Ius quasitum substituto in bonis fideicommissi ob delictum possessoris fideicommissi aggravati, si is postea à Principe restituatur, amittitur, ibid.

Quid si bona essent incorporata, & eorum possessio à filio vel substituto capta, ibid.

Ex bonis delinquentis confiscatis deducuntur dotes filiarum, n. 428.

Contra fiscum sustinentur dotes, & donationes propter nuptias per parentes etiam post delictum ante condemnationem constituta, & facta, n. 429.

Alimenta filiis fiscus ex bonis paternis confiscatis prastare debet; & si legitima non sufficiat, supplere debet ex cateris bonis, n.430.

Alimenta, & dotes etiam filiis illegitimis, naturalibus, & spuriis debentur à fisco ex bonis patris publicatis, n. 431.

Oneri alimentorum, & dotium bona confiscata remanent subjecta, etiamsi maneant penes alium à fisco causam habentem, n.432.

Ubi uncia, vel alia quota hareditatis filio spurio debetur vigore statuti deducenda est ex bonis confiscatis, n. 433.

Pradicta non procedunt in filiis illegitimis conceptis post condemnationem, & publicationem bonorum, n.434.

Qua pœna jure civili lata contra filios reorum lasa majestatis, n.435.

Filii patris Rei criminis lasa majestatis an priventur non solum successione totius hareditatis, sed etiam legitima, alioqui jure civili illis debita, n.436. & 437.

Filiabus patris Rei laso majestatis debetur falcidia, seu legitima in bonis maternis, n.438.

Ex bonis patris lasa majestatis confiscatis, an detrahenda dotes filiorum, & in qua quantitate, n. 439. & 440.

Lex quisquis Cod. ad legem Juliam majestatis, *quoad filios continet odium intolerabile, n.440.*

In odiosis irrationabilibus masculinum non comprehendit fœmininum, ibid.

Dotes filiabus data post crimen lasa majestatis commissum an sust ineantur, n.441.

Filii patris Rei criminis lasa majestatis an ex bonis paternis confiscatis debeant habere alimenta. Negativa, n.442. Affirmativa. n.444 cum multis seq. quo procedit etiam in filiis illegitimis quibuscumque, n.445.

Filii ob atrocitatem criminis paterni an possint per legem privari alimentis criminis in foro conscientia. Affirmativa, n.443. Negativa, n.447.

Lex puniens filios ob crimen paternum an in foro conscientia valeat, & pœna possit licitè exigi, n.447.

Les quisquis Cod. ad l. Juliam majestatis, *quoad pœnas filiorum ex generali consuetudine orbis Christiani non servatur, & est abrogato, n.448.*

Nec procedit quoad pœnas filiorum in offendente Principes recognoscentes superiorem, n.449.

Neque quando mater ipsa committit crimen lasa majestatis, n.450 & 451.

Neque quando pater tantum contumacialiter condemnatur, ut Reus lasa majestatis, n.452.

Neque habeat locum in nepotibus, n.454.

Nepotes in odiosis, & pœnalibus filiorum appellatione non continentur, ibid.

Dicta lex quisquis quo ad pœnas filiorum, *non procedit in filiis natis, aut conceptis ante commissum crimen lasa majestatis juxta plures Doctores, & si contrarium teneant Doctores magis communiter, n. 455.*

Neque in fœminis filiabus delinquentis, ibid.

An filii hareditate materna etiam quoad legitimam priventur ad matris delictum lasa majestatis, n.456.

Dicta lex quisquis quoad pœnas filiorum *non habet locum in beneficiis Ecclesiasticis, n.457.*

Cessant pœna ejusdem legis quisquis. *si pater delinquens ex gratia Principis restituatur, n.458.*

Pradicta pœna non afficiunt filios adoptivos, n.459.

Filii patris Rei criminis lasa majestatis in foro conscientia possunt aliquid de bonis paternis abscondere ad sui sustentationem, etiam extra extremam necessitatem, n. 460.

Debitor ne gravem patiatur necessitatem, non tenetur debitum creditori restituere, ibid.

Obligatus cedere bonis potest occultè retinere, quantum necesse est ad tenuem sui, & eorum, quos alere tenetur sustentationem juxta suum statum, ibid.

De jure civili an filii orthodoxi patri haretici succedant in bonis paternis, n.461. & 464.

De jure Canonico, quod servatur etiam in terris Imperii, & in foro Casaris, filii orthodoxi privantur hareditate patris haretici, n.465. & 466.

Filii orthodoxi patris haretici an priventur legitima, n 467. & 468.

An priventur alimentis sequuta sententia declaratoria haresis, n.469. & 472.

Filiabus orthodoxis an fiscus teneatur dare dotes ex bonis paternis ob crimen haresis confiscatis, num. 473. 474. & 475.

Pœna privationis hareditatis paterna, & legitima statuta contra filios orthodoxos, an afficiat nepotes, numero 476.

An comprehendat solum filios conceptos post admissum crimen haresis, an verò etiam antea natos, aut conceptos, n.477. & 478.

Filii orthodoxi an priventur hareditate materna ob matris haresim, n.479.

Filii orthodoxi an in foro conscientia possint ad sui sustentationem honestam occultè surripere aliquid de bonis patris haretici, n.480.

Donatarius omnium bonorum. & illa ex titulo merè lucrativo possidens, an cogi possit alere filios donatoris inopes legitimos, & etiam spurios, n. 481. & 482.

Legitima detrahitur ex bonis paternis titulo mere lucrativo alienatis, ibid. fine.

Filii pro alimentis an competat hypotheca in bonis patris, & alendi eam transeat in emptorem bonorum paternorum, & quemcunque singularem successorem, sive bona fuerint a patre, sive post ejus mortem ab hærede, vel donatario patris titulo oneroso alienata, & in alios translata, num. 483. 484. & 487. *vers.* Utrum autem.

*Hypotheca pro alimentis competit quando pro eorum præstatione designata sunt certa bona, n.*484.

An id speciale sit favore alimentorum, & causa pia, ibid.

Hypotheca an competat, quando aliquid debetur, vel relinquitur super certis bonis, ibid.

Possidens titulo oneroso omnia bona patris, vel majorem eorum partem, an officio judicis possit, & debeat cogi alere filios pauperes, n 485. & 486.

*Et quid si pater fictè, vel in fraudem filiorum, vel prodige, vel luxuriose, ut malè utendo bona alienavit, an emptor cogi possit, & debeat ad alimenta, & legitimam filiis præbendam, n.*487.

*Creditores patris debitoris an ex usufructu bonorum adventitiorum, aut fideicommissariorum eisdem adjudicato, dum pater vivit, teneantur ad alimenta filiorum, & etiam ejusdem patris usufructuarii, eodem n.*487. *vers.* Sed & quando.

§. XXIX.

Iure communi authenticorum, & ex universali consuetudine existentibus ascendentibus, vel descendentibus usque ad tertium gradum, non est locus confiscationi bonorum, exceptis crimine hæresis, & crimine læsæ majestatis.

DUbium septimum, an confiscatis, seu publicatis bonis patris ob ejus delictum, fiscus capiens bona illa patris, teneatur præstare filiis, & filiabus alimenta, dotes, & etiam legitimam.

407 Pro clariori resolutione difficultatum, quas dubium continet, advertendum cum Claro *in pract. lib.*5.*q.*78. *n.*1. Merlino *de legitima lib.*3.*tit.*1. *quæst.*28. *n.*1. Merenda *controv. jur. t.*3. *lib.*73 *c.*3.*n.*24. jure communi Civili novo existentibus ascendentibus, vel descendentibus rei damnati, exceptis Reis criminis hæresis, & læsæ majestatis, non esse locum confiscationi bonorum damnati, sed benè deferri ad proximiores ascendentes, vel descendentes condemnati intra quartum gradum, seu usque ad tertium gradum inclusivè existentes. Ita habetur *auth. Bona damnatorum, Cod. de bonis proscript.* quæ est desumpta *ex §. fin. auth. ut nulli judicum*, ac proindè juxta eam intelligenda; unde licet *in d. auth. Bona damnatorum*, fiat mentio etiam de existentibus a latere damnati, cum tamen *in d. §. Finali fiat mentiò* solum de ascendentibus, & descendentibus damnati, verba illa censenda sunt tanquam non apposita, ut notat Clarus *d.n.*1.

408 Dixi, exceptis Reis criminis hæresis, & læsæ majestatis, nam ob hæc duo crimina bona ex dispositione juris confiscari, tradit ibidem Clarus, & etiam §. *Hæresis, n.*11. & §. *Læsa majestatis, n* 9. & Doctores communiter, ut ex dicendis constabit.

Et quamvis ex dispositione *d. auth. & d. §. finalis*, corrigi tantum ea jura antiqua quoad casus, in quibus pœna confiscationis erat imposita in consequentiam alterius pœnæ; non verò quoad casus, in quibus à lege est expressè imposita pœna confiscationis; docuerint Bartolus *in l.*1.*ff. de bonis damnatorum*: Bald. *in tit. de pace, & tregu. in usibus feudo, num.* 11. *fine*, Bossius *tit. de bonor. public. post num.* 1. & *tit. banniti quid amittant post num.*10. & alii relati à Claro *d.num.*1. ubi ex Bartolo dicit ita tenere Doctores communiter: nihilominus idem Clarus ibidem quidquid sit de jure, an quod communiter totus mundus servat, quod bona non confiscantur in aliquo casu (exceptis dictis duobus criminibus hæresis, & læsæ majestatis) nisi ex dispositione statuti, vel consuetudinis localis aliter caveatur: & hoc idem notavit Farinacius *in praxi crim. tom.* 1. *quæst.*25 .*num.* 10. adducitque de hac consuetudine, & observantia generali attestari Albert. *in* 3. *parte statutorum, quæst.* 18. *circa finem*, Cæpollam *cons. crim.* 17. *in tertio dubio*, Rolandus *d. cons.* 97. *num.* 2, *lib.*2. & *cons.*98. *num.*6. *eodem libro*. Decium, Boëtium, & alios, quos ibidem allegant. Pluribus autem in locis, & ferè universaliter ob non nulla alia crimina præter hæresim, & læsam majestatem datur confiscatio bonorum, etiam ipso jure ex statutorum, & bannimentorum dispositione præsertim ob delicta homicidii, aut graviora, ut notat *loco citato* Merlinus addens cum Rolando *cons.*97. *num.* 11. *volum.*2. talia statuta esse valida, cum pro bono pacis condita sint, & ad delinquentium audaciam exprimendam.

§. XXX.

Publicatis, seu confiscatis bonis paternis ob patris delictum, quod non sit læsa majestatis, an legitima reservetur filiis.

PRima difficultas, ubi bona patris ob ejus delictum, quod non sit crimen læsæ majestatis, aut hæresis, confiscantur, & publicantur; an fiscus liberis Rei damnati, cujus bona capit, præbere alimenta, dotes, & legitimam debeat.

In hac difficultate communis Doctorum sententia 409
est, quod tam ubi confiscatio bonorum non fit ipso jure, quam ubi eadem bonorum confiscatio fit ipso jure vigore statuti, aut legis municipalis, fiscus ex bonis confiscatis filiis condemnati tenetur dare legitimam. Ita Baldus *cons.*1.71. *vol.*1. Rolandus à Valle *cons.*97. *num.*9. Clarus *in practica d. quæst.*78. *num.*25. Tiraquellus *in l. Si unquam, verb. donatione largitus, num.*332. & *seq. Cod. de revocand. donat.* Peregrinus *de jure fisci, tit.*1. *num.*34. Thesaurus *decis.*104. *n.*1. & 3. & P. Barbosa *ad l.* 1. *par.*4. *num.*84.*ff. soluto matrim.* Farinacius *in praxi crim. tom* 1. *quæst.*24.*num.*34. Merlinus *de legitima lib.*3. *tit.*1. *d. quæst.* 28. *num.* 3. & 4. Ricciullus *de jure person. lib.*5. *cap.*40.*n.*2. *ad* 8. Surd. *de alim. tit.*1. *quæst.*31. *n.*11. & 16. Joannes Nicolaus Lucidotus *de illegit. cler. cap.*19. *num.*11. & innumeri alii Jurisperiti, quos latè Farinacius Rolandos, Peregrinos, Merlinos, & Ricciullus referunt contra Paol. de Castro *cons.*171. *vol* 2. Cephalum *cons.*214. *fine*, Joannem de Lignano, & Cardinalem *in Clem. pastorali de re judicata*, & Cassaneum *in consuetudines Burgundiæ* opinantes, cum ex statuto, vel ex decreto Principis bona alicujus ob delictum publicantur, in publicatione contineri etiam legitimam portionem, tametsi statutum expressè eam non comprehendat; sed tantum generaliter, & absolutè loquatur, eo quod, inquiunt, statutum, aut decretum absolutè debet intelligi, nec recipiat restrictionem ad intellectum juris communis; communem verò sententiam etiam ex Theologis sequuntur Sanchez *in sum. lib.*2. *cap.*15. *num.*19 *fine*, & *cap* 16. *n.*25. Rebellus *de obligat. just. part.*2. *lib.*3. *quæst* 4 *num.*32. & Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.*4. *disp.* 5. *punct.*11. *n.*17.

Probatur communis sententia primo, quia legiti- 410
ma debetur jure naturæ, naturalivè ratione, & non solum jure positivo, *l. Cum ratio in principio, ff. de bonis damnatorum.* Rolandus *d. cons.*97. *num.* 10. Peregr. & Ricciullus *locis citatis* & alii communiter; ac proindè non transit in fiscum, saltem nisi id expressè in statutum

tutum non presumatur derogare juri naturæ, aut aliquid contra rationem naturalem disponere, nisi saltem id exprimat. Secundo quia *d. l. Cum ratio*, *& l. 1. ff. eod. tit.* decernitur, quod publicatis bonis portio legitimæ reservetur filiis, vel ascendentibus delinquentis: & *d. auth. Bona donatorum* omnia bona delinquentis damnati deferuntur ejus ascendentibus, vel descendentibus usque ad tertium gradum: ergo statutum quod bona delinquentis debeant publicari, licet loquatur simpliciter, & absolutè absque ulla reservatione legitimæ, debet intelligi secundum dispositionem juris communis, *l. Ut gradatim*, *§. Sed si lege*, *ff. de muneribus*, *& honoribus*; & sic deducta legitima, ut Clarus, *ubi suprà*, & alios allegans Rolandus *d.* 4. *cons.* 97. *n.* 16. & præsertim cum tale statutum quantum ad publicationem sit odiosum, & exorbitans, ac proindè restringendum *l. Cum quidam*, *ff. de liber. & posth.* unde etiam statutum generaliter loquens, nunquam comprehendit legitimam, nisi de ea fiat specialis mentio, ut aliis relatis Rolandus *d. cons.* 97. *n.* 12. *&* 13.

411 Tertiò, quia licèt fiscus non sit propriè hæres delinquentis, nihilominus in bonis confiscatis est quasi hæres, hæredisque locum habet, hæresque anomalus dicitur, ut latè Surdus *de alim. tit.* 8. *privil.* 59. *n.* 1. *& seq.* P. Barbosa, Merlinus *loc. cit.* & Merenda *d. c.* 3. *n.* 23. diciturque, & est successor universalis delinquentis condemnati. Surdus cum aliis *n.* 5. Merlin. *d. q.* 28. *n.* 4. Peregrinus *de jure fisci*, *d. lib.* 5. *tit.* 1. *d. tit.* 1. *n.* 53. *&* 54. Farinacius *d. q.* 24. *n.* 30. Ideoque tenetur satisfacere creditoribus ejus, qui deliquit habens honorem cum oneribus; ita quod facta confiscatione transeunt in fiscum omnes condemnati actiones activæ, & passivæ, omnesque obligationes civiles, & naturales *l.* 2. *Cod. ad l. Iuliam de vi publica.* Clarus *d. q.* 78. *n.* 22. Peregrinus *d. tit.* 1. *n.* 53. *& n.* 86. Surdus *d. privil.* 59. *n.* 6. & latiùs *tit.* 11. *q* 31. *n.* 5. *ad* 10. Merlin. *d. n.* 4. & alii quos referunt Clarus, Peregr. & Surdus; & esse sententiam communem dicit *loc. citato* Clarus. Quapropter post bonorum publicationem quoad debita ante crimen contracta delinquens liberetur à creditoribus pro valore bonorum in fiscum delatorum, ut nulla amplius in eo duret obligatio, & creditores debeant agere contra fiscum, Peregrinus *d. n.* 54. *&* 55. Surdus *d. q.* 31. *n.* 9. *de privil.* 59. *n.* 10. Merlinus *d. n.* 4. & alii apud eosdem, & etiam Costa *de portione rata*, *q.* 120. & latiùs Farinacius *in praxi crim. tom.* 1. *q.* 25. *n.* 177. *&* 178. unde etiam fidejussor postea datus seu accedens non obligatur pro quanto capit fiscus, cum nulla sit principalis obligatio, cui adhærere seu accedere possit, ut post alios Peregrinus *d. n. & §.* & Surdus *n. d.* 10. fidejussor autem delinquentis, qui debitori se obligaverat; & correus non liberantur, licèt debitor principalis confiscatus liberatus sit, ut tradunt Peregrinus *d. tit.* 1. *n.* 55. *versic. Illud autem*, & alios allegans Farinacius *d. num.* 178. *per textum in l.* 1. *Cod. de fidejuss. in l. fin. Cod. de duobus Reis*, & alia jura à Peregrino adducta. Cum igitur naturali, & civili obligatione pater teneatur dare legitimam filiis, ideo fiscus ipse compellitur illam tanquam tanquam æs alienum persolvere.

124 Debetur autem filiis delinquentis legitima à die publicationis bonorum ipsius delinquentis, & secundum illud tempus æstimatio facienda est, non autem à die mortis ipsius patris delinquentis; ita contra nonnullos, qui voluerunt deberi solum à die mortis, cum pater vivens non teneatur dare legitimam filiis, tradiderunt post alios Rolandus *d. cons.* 97. *n.* 38. Peregr. *d. tit.* 9. *n.* 37. Thesaurus *d. decis.* 104. *n.* 4. Farinacius *d. q.* 24. *n.* 35. *&* 36. Merlinus *d. tit.* 1. *q.* 29. *n.* 14. *&* 27. & ex Theologis Palaus *loc. cit.* Ratio est, quia jura reservantia portionem legitimam filiis, quando bona patris ex ipsius debito publicantur, loquuntur expressè per verba de præsenti, ut *in d. l.* 1. *in princ. ff. de bonis damnatorum*, ibi, *filii portionem ex bonis patrum damnatorum accipiunt*, hoc enim verbum est præsentis temporis, non futuri, & *l. fin. Cod. de bonis damnatorum* ubi dicitur; *Quod, quando quis quolibet crimine damnatis capitalem pœnam, vel deportationem sustinet, si quidem sine liberis mortuus est, bona ejus ad fiscum perveniunt; si vero filii relicti erunt dimidia parte ærario vendicata, alia eis reservatur*, & sic simpliciter non post mortem. Licet igitur regulariter legitima consideretur, & debeatur secundum facultates, quæ tempore mortis reperiuntur, & ab eo die non antea, & vivente patre, quando pater bona retinet (quod tantum probant quæ à tenentibus contrarium adducuntur) tamen secus est publicatis bonis patris ob ejus delictum; in hoc enim casu nullum est absurdum, quod debeantur à die condemnationis, & publicationis bonorum, quia pater habetur pro mortuo *l. Adeo*, *§. Publicationis*, *ff. pro socio*; & mors civilis æquiparatur naturali, ut alios allegans Farinacius *d. q.* 24. *n.* 36. & ideo fiscus, qui quasi hæres in bonis succedit cum onere persolvendi debita ipsius condemnati, statim legitimam filiis dare debet, ut etiam colligitur *ex d. l. Cum ratio*, *ff. de bonis damn.* & ab hac sententia nullo modo in praxi recedendum est, cum sit fundata, prout etiam præfata in jura ratione pietatis nè scilicet ante mortem patris delinquentis eo interim tempore filii mendicare cogantur.

Quoad modum autem deductionis præfatæ legitimæ, ipsi filii non possunt retinere bona, sed fiscus tanquam successor capit omnia bona, & facta confiscatione ipsa fiscus conveniendus est pro excorporatione, ac deductione legitimæ, ut notat Merlinus *d. q.* 28. dicens ita servare consuetudinem universalem. 413

Quod si nondum legitima deducta, vel à fisco ad alium bona præfata paterna transeant, semper huic oneri subjecta esse intelliguntur apud quemcumque à fisco causam habentem maneant, ut Merlin. *d. q.* 28. *n.* 10. & Rota *decis.* 747. *n.* 6. *p.* 4. *diversorum.* 414

Eandem etiam legitimæ portionis deductionem, & reservationem habere locum etiam in filiis adoptivis, dummodo in fraudem facta non fuerit adoptio, tradit post alios Rolandus *d. cons.* 97. *num.* 33. & approbant Merlinus *d. q.* 28. *n.* 11. Thesaur. *d. decis.* 104. *n.* 2 *fin.* & alios allegans Farin. *d. q.* 24. *n.* 39. & est textus Clar. *in l. Cum ratio*, *§. Ex bonis damnatorum.* 415

Item habet locum in nepotibus; si enim Avus delinquat relictis nepotibus, illis reservanda est ea bonorum publicatorum portio, quæ filiis ipso patre delinquente, Thesaur. *d. decis.* 104. *n.* 2. *in fin. ampliat.* 1. Peregr. *d. tit.* 1. *n.* 41. & Merlin. *d. tit.* 1. *q* 29. *n.* 13. & constat *ex l. quando fin. in princ.* ibi, *si vero filii, filiave, nepotes, Cod. de bonis proscript.* & etiam deducitur *ex d. l. cum ratio*, *ff. de bonis damnat.* quia non loquitur præcisè de filiis, sed de liberis, quorum appellatione nepotes, ut alibi suprà dictum est, & constat *ex §. Illud quoque*, *auth. ut cum de appellat. cognosc. & §. ultimo inst. qui tuto*, *estam. de poss.* imò *d. l. cum ratio*, loquitur non tantum de liberis, sed etiam de sobole, cujus appellatione certum est comprehendi omnes descendentes. Quare & si Angelus *in d. l. quando*, dicat pronepotes non gaudere privilegio dictarum legum liberis reservantium portionem bonorum publicatorum; nihilominus contrarium est longè verius, ut in terminis Peregrinis *loco citato*, quia & pronepotibus legitima debetur, & nomine liberorum, & sobolis veniunt omnes descendentes, ut dictum est. 416

Quemadmodum autem portio legitima liberis reservatur publicatis bonis paternis; ita etiam legitimam reservari patri publicatis bonis filii tradunt Picchius *in repet. §. Titia cum nuberet*, *num.* 45. *ff. de legat.* 2. & Peregrinus *tit.* 1. *num.* 35. *& num.* 187. *&* 188. & 417

Merlinus *d. q.* 29. *n.* 18. & latè alios allegans *lib.* 3. *tit.* 1. *quaest.* 34. & constat *ex d. auth. Bona damnatorum Cod. de bonis proscriptorum*, & ratio est, quia jure civili legitima debetur patri non minus quam filio; & sic ista obligatio civilis transit in fiscum juxta tradita suprà *n.* 410. *&* 411.

§. XXXI.

Quanta sit legitima filiis debita in casu confiscationis bonorum patris, an solum triens, vel semis, seu medietas bonorum, & aliquando totum patrimonium.

418 QUota autem seu quanta sit legitima debita filiis, vel è contra patri in casu confiscationis bonorum paternorum, supponendum quod legitima filiorum ex dispositione patris, & regulariter est triens haereditatis paternae, quando filiis sunt quatuor, aut pauciores, & dimidia haereditas, quando sunt quinque, & ultra, ut notatum *in auth. novissima, Cod. de inoffic. testam.*

419 Igitur nonnulli voluerunt etiam quando paterna bona ad patris delictum confiscantur ex dispositione statuti delictum imponentis simpliciter poenam confiscationis omnium bonorum ipso jure incurrendam, debere deduci ex bonis confiscatis legitimam, seu illam partem bonorum, quae filiis regulariter de jure debetur in bonis patris, ita Clarus dicens ita servari Mediolani *d. q.* 18. *n.* 25. & Castrensis *cons.* 171. *n.* 5. *lib.* 1.

420 At in praesenti casu publicationis bonorum paternorum longè verius est, si unus, vel duo filii sint, portionem legitimam esse dimidiam haereditatem, si verò filii sint tres totam haereditatem, seu totum patrimonium eis concedi, & deberi, & fisco nihil applicari. Ita Glossa *in l.* 1. *verbo portionem, & l. Cùm ratio*, §. *Si plures, ff. de bonis damnatorum*, Odofredus, & Salicetus *in l. Si deportatus, ff. eodem*, Cynus, & Angelus *in l. Quando, fin. Cod. de bonis proscriptorum*, Rolandus *d. cons.* 97. *à num.* 30. Peregrinus *de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 38. Thesaurus *d. decis.* 104. *num.* 2. Fachineus *contrev. juris, lib.* 5. *cap.* 93. Hondedeus *cons.* 110. *num.* 8. *cum seq.* Farinacius *in praxi crim. tom.* 1. *d. quaest.* 24. *num.* 37. *& tribus seq.* Merlinus *de legit. lib.* 3. *tit.* 1. *quaest.* 29. *num.* 2. *cum pluribus seq.* & alii communiter, quos Rolandus, Farinacius, & Merlinus referunt.

Quod portio legitima sit semis, seu dimidia haereditas, quando est unus, vel duo tantum sunt filii delinquentis, probant praefati Doctores ex textu *in d. Quando*, ubi dicitur *quod bona damnati pro capitali crimine si filii, vel filia, vel nepotes pro medietate applicentur arario, seu camera; altera verò medietas filiis reservatur*; textum enim hunc de filiis loquentem Glossa & caeteri Doctores praesertim praeallegati intelligunt, quando duo tantum supersunt, & ita etiam sentit Rota Romana *decis.* 749. *num.* 2. *par.* 1. *recentiorum*, quem etiam refert Merlinus *d. quaest.* 29. *num.* 3. quod verò si tres, vel plures filii delinquentis erunt, legitima totam haereditatem, seu totum patrimonium comprehendat, & nihil bonorum fisco applicetur: probant iidem Doctores ex textu *in d. l. Cum ratio*, §. *Si plures*, ubi sic habetur, *si plures filios damnatus habeat, feruntur exempla, per qua pluribus liberis omnia bona damnati concessa sunt*, ubi Glossa, quae ab aliis recepta, verbo *plures*, idest *tres* intelligit. Divus enim Adrianus, subdit textus in hac sententia rescripsit, scilicet *favorabilem apud me causam liberorum Albini filiorum numerus facit:* & additur in eodem textu ratio, nempè *cum ampliari imperia hominum adjectione potius, quàm pecuniarum copia malim.* Et ab hac sententia (quidquid sit de contraria consuetudine Mediolani) in judicando, ut potè juri communi conformi, & aequiori, & pietati favente in judicando non esse recedendum ex praeallegatis Doctoribus asserunt praesertim Hondedeus, Farinacius, & Merlinus. Cui sententiae non obstare, quod statutum generaliter loquatur de confiscatione omnium bonorum, inquiunt iidē Doctores, maximè Hondedeus *d. cons.* 110. *num.* 12. 13. *& seq.* & Merlinus *d. quaest.* 29. *num.* 5. quia tale statutum nullam de filiis mentionem faciens debet recipere passivam interpretationem à jure communi, & secundum illud declarari ac limitari (ut etiam superius *num.* 410. notatum est) & ita ut non procedat stantibus filiis; & cum tale statutum sit odiosum est restringendum, ut eodem *num.* 10. dictum est, & tradunt alii à Merlino *d. n.* 5. relati. Addunt Hondedeus *à num.* 14. Farinacius *d. quaest.* 24. *num.* 39. *circa fin.* & Merlinus *d. quaest.* 29. *num.* 12. quod etiam stante statuto, quod si condemnato supersint unus, vel plures filii medietas bonorum illis reservetur; adhuc statutum debeat intelligi, quando filii sunt tantum duo; ita quod si pater delinquens, & condemnatus habeat tres, vel plures filios, confiscationi non sit locus, eo quod tale statutum (cum id expresse non habeat) non debeat censeri abrogasse dispositionem juris communis, quam additionem, seu ampliationem, licet dura videatur, veram tamen in puncto juris ait *loc. cit.* Merlinus, & confirmat, quia *in d. l. Quando, Cod. de bon. damn.* reservatur filiis medietas, quando supetest unus, vel plures filii, licet ly plures possit adaptari nedum duobus, sed etiam pluribus, cum sit sermo pluralis, tamen ad evitandam correctionem *d. l. Cùm ratio*, §. *Si plures*, ubi quando liberi sunt plures reservatur totum patrimonium Glossa, & alii Doctores communiter affirmarunt, quod ille sermo pluralis de filiis, sobole, aut maribus in textu *in d. l. Quando positus*, restringitur ad duos tantum.

Extenduntur autem praedicta etiam ad filios emancipatos, nempe ut & si ipsi beneficio praefatae *l. Cùm ratio*, & *in l. Cùm quando gaudeant*, ita tamen ut concurrentes cum filiis in potestate eis conferant, prout conferent, si ab intestato succederent. Ita post Angelum ibidem per textum *in d. l. Deportatus, Cod. de bonis proscriptorum*. Peregr. *d. tit.* 1. *n.* 39. & Merlinus *d. q.* 29. *num.* 8. eo quod (inquiunt Angelus, & Peregrinus) portio haec juxta praefatas leges deferetur jure cujusdam successionis. 421

Et licet Peregrinus ibidem post Angelum filiam dotatam exclusam per statutum asserat non facere partem filiis masculis, seu non facere numerum cum filiis masculis: nihilominus verius videtur ad constituendum numerum trium, aut plurium filiorum foeminas exclusas à statuto, filiosque monachos, & alios insuccessibiles posse connumerari, & esse connumerandos, ut Merlinus *d. q.* 29. *n.* 10. qui probat ratione scil. quia dictae leges *Cùm ratio*, *& quando*, non requirunt esse haeredes, sed filios, & eorum exclusio, aut renunciatio respicit favorem non renunciantium, atque adeo dum agitur de commodo eorumdem non renunciantium debent censeri in rerum natura, & numerum facere ad augendam legitimam, ut idem Merlinus *lib.* 1. *tit.* 4. *q.* 3. probat. 422

Quamvis verò in casu confiscationis bonorum Castrensium aut alterius generis descendentium ascendentes debeant habere legitimam, quae regulariter ascendentibus debetur, nempe trientem, ut tradunt Pichius, Peregr. locis suprà *n.* 417. *cit.* Merlin. *d. q.* 18. ubi etiam allegat practicam Papiens. Ferrerii *in forma libell. inquis. gloss. ult. n.* 2. Nihilominus in dictis ascendentibus, dum confiscantur bona unius ex descendentibus non habere locum *d. l. Cùm ratio*, *& quando*, ut 423

utpote quæ de filiis tantùm loquuntur, tradunt Pichius, & Peregrinus *locis d. num. 417. citatis*, & Merlinus *d. q.29.n.17.* & Peregrinus, ac Merlinus addunt eam rationem, quod minùs juris habet pater in successione filii, quàm è contra, *l. non usque adeo, ff. si à patre quis fuerit manum.* Vltra autem legitimam ordinariam in bonis adventitiis ascendentes consequi usumfructum, tradit idem Merlinus *n.19.* post Ozascum *decis.97. post n.8.* & Mansuerum *ad Papiensem d glos. ult. in versic. Si filius.*

Sequuntur limitationes communis sententiæ n.409. & sequentibus, *tradita.*

CÆterùm doctrina cōmunis superiùs, *n.409. & sequentibus*, hucusque tradita, quod confiscatio, seu publicatio bonorum, non obstante statuto, aut decreto imponente simpliciter confiscationem omnium bonorum pro tali delicto, filiis legitimis reservetur, pluribus modis à Doctoribus limitatur.

§. XXXII.

Confiscatis bonis maternis ob matris delictum, an filiis legitima reservanda sit.

424 ET primò limitatur quando bona materna confiscantur propter matris delictum; tunc enim filios nihil debere habere de illius bonis, affirmarunt Aret. *in tract. de malef. verbo Et ejus bona*, *n.28.* ubi ait ita sentire Doctores communiter: ex Doctoribus suprà *d.n.409.* allegatis, Clarus *d.q.78.n.25.fine*, Peregrinus *d. tit.1. n.43.* Farinacius *d.q.24. num.41.* & ex Theologis Castrus Palaus *allegato puncto*, *num.18.* fundantur tum quia dictæ leges, scilicet lex 1. & lex *cùm ratio, ff. de bonis damnatorum*, & lex *quando filius*, *Cod. de bonis proscriptorum*, loquuntur de patre: tum quia pro hac limitatione videtur evidenter stare textus *in l. de bonis, Cod. de bonis proscriptorum*, quæ sic habet: *De bonis matris deportatæ filiis nihil deberi, iuris absolutissimi est.* Ex quo infert Peregrinus *d. num.43.* magis deberi filiis paternam, quàm maternam hæreditatem: ad quod facit lex *in suis, ff. de liber. & posth.*

425 At hanc limitationem, quanvis communis videatur, uti durissimam reprobat Merlinus *de legit. d.lib.3.tit.1. q.29.n.26.* affirmans se nunquam invenisse rationem differentiæ inter paternam, aut maternam successionem: idque confirmat quadrupliciter. Primò, quod ea ratione debetur legitima in bonis matris, qua in bonis patris, cùm in jure nulla reperiatur differentia assignata. Secundò quia delictum matris non debet censeri gravius quàm patris, ob majorem muliebrem fragilitatem, ratione cujus meliùs etiam agitur in infligenda pœna. Tertiò, quia indulgentia Principis, de qua *in d. leg. cùm ratio, ff. de bonis damnator.* tam in hoc casu matris militat, quàm patris. Quartò, quia textus *in d. l. cùm ratio, & in d. l. quando*, non loquitur de patre simpliciter, sed utitur verbo indifferenti, *Quis*, quod aptum est comprehendere tam patrem, quàm matrem. Neque obstat textus *in d. l. de bonis*, inquit idem Merlinus, eo quòd secundùm Glossæ intellectum ibidem illa lex sit correcta per dictam legem *quando*, quo Glossæ intellectu inspecto, sequitur hæc posterior sententia, quam etiam fuisse amplexum Augustinum in apostilla ad Aretinum *loco n. præced. citat.* testatur Merlinus, & huic sententiæ tum propter fundamenta adducta, tum propter maximam æquitatem, quam continet, libentissimè adhæreo.

§. XXXIII.

Filiis conceptis post condemnationem, & publicationem bonorum patris delinquentis non debetur legitima, debetur autem conceptis ante condemnationem, & publicationem, licèt post eam natis.

SEcundò eadem doctrina, & sententia communis *d. n.409. & 420.* tradita, limitatur in filiis delinquentis conceptis post condemnationem, & publicationem bonorum; his enim nullam deberi legitimam ex bonis paternis ante conceptionem confiscatis, tradunt Baldus *in d. l. quando, fin. Cod. de bonis damn.* Rolandus *cons.97. num.38. fin.* Peregrinus *d. tit.1.n.40. & 41.* Merlin. *d.q.29. num.20. & duob. seq.* & alios latè allegans Farinacius *d.q.24.n.42. & 43.* & ex Theologis Castrus Palaus *tom.1. tract.4. disp.5. p.11. n.19.* Cùm enim facta publicatione omnium bonorum pater nihil habeat, filii post dictam publicationem concepti nihil pro legitima possunt prætendere, sicut non possunt legitimā prætendere filii post mortem patris, quando pater vivus, & ante mortē jam omnia sua bona distraxit: filiis verò conceptis, licèt nondum natis, ante condemnationem, & publicationem bonorū debetur legitima, juxta eosdē Doctores, & alios communiter à Farinacio citatos; quia in favorabilibus, & ad eorum commodum filii concepti, & in utero existentes pro natis habentur, *l. ex facto, §. ex facto ff. ad Trebell.* & constat expressè *ex d. l. 1. ff. de bonis damnatorum*, ibi: *Qui antè concepti, & post damnationem nati sunt*: & *ead. l. quando, fin. Cod. de bonis proscriptorum*, ibi: *Idem est & si posthumos derelinquant.* Advertunt autem Farinacius *d.n.43.* & post eum Merlinus *num.21.* quod etsi conceptis post deportationem, & condemnationem non debeatur legitima, quia ob deportationem, & condemnationem delinquens efficitur novus homo; conceptis tamen post simplex bannum, scilicet postquam pater fuit bannitus, tantùm debetur, quia per bannum quis non efficitur novus homo, nec amittit jura communia, & non desinit esse capax factionis activæ, & passivæ testandi, ut post alios tenet Farinacius *d.n.43.* & etiam Merlinus *d.n.22.* 416

§. XXXIV.

Post condemnationem, & bonorum paternorum publicationem, si pater ex gratia Principis restituatur in pristinum, præjudicatur legitimæ filiorum, eamque non deducunt filii ex bonis confiscatis.

ADvertit etiam Merlinus *d.q.24.n.23.* quod quando sequuta condemnatione, & etiam bonorum publicatione, pater delinquens fuisset à principe restitutus in integrum, etiam quoad bona, & aggratiatus, tunc etiam restitueretur in præjudicium filii: quæ legitimæ successio est aperta, ut in fideicommissis, in quibus etsi per delictum ad favorem substituti evenerit conditio, & jus quæsitum fuerit; nihilominus si postmodùm à principe restituatur, eum vindicare fideicommissi bona, tanquam causa ad non causam redacta, tradunt communiter Doctores, quos latè refert idem Merlinus *d.q.29.n.24.* ubi tamen in fine ait, doctrinam advertendi non procedere quando bona essent tunc incorporata, & eorum possessio à filio capta; nam per restitutionem non fieret reintegratio quoad bona filio acquisita, sicut in tali casu substitutus non amittit fideicommissi possessionem captam, juxta eosdem Doctores relatos à Merlino *d. num.24. & 25.* qui tamen 417

num.26.

num 16. ait, hanc rationem non concludere in legitima filii, quòd etiam data incorporatione, & possessione per filium capta, gratia principis omnia reducat in pristinum, ita quod redacto filio in patria potestate, bona patri quærantur. Quare ipse confirmat ea eo quod acquisitio facta per filium, & capta possessio cõstituit eum dominum incommutabiliter, ita quod ipsi patri omnis alienatio sit prohibita, & solùm dum vivit, & durat patria potestas, ex effectu patriæ potestatis ipse pater sit usufructuarius, & etiam auctis facultatibus, in eis quoque proportionaliter ipsi filio venit augenda eorum bonorum legitima jam constituta.

Prædicta quoad legitimam filii reservandam quando omnia bona paterna ob patris delictum, quod non sit læsæ Majestatis, vel hæresis, confiscantur, & publicantur.

§. XXXV.

Ex bonis delinquentis confiscatis deducuntur dotes filiarum ejusdem delinquentis.

428 SEd sicut legitima de corpore bonorum confiscatorum favore filiorum deducitur, ita ex iisdem bonis confiscatis filiabus delinquentis à fisco tanquam hærede, & successore constitui, & dari dotes debent in prædictis omnibus casibus, in quibus legitima filiis debetur. Ita Baldus *in l. fin. n.9. Cod. de dotis promiss.* Ripa *in l. ex facto, §. ex facto, n.9. ff. ad Trebell.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. si quis ex his: n.46. ff. de liber. agnosc.* P. Barbosa *ad l. 1. p. 4. n.84.* Surdus *de alim. tit. 1. q.31. n.16.* Farinacius *d. q.24. n.46.* Merlinus *de legit. lib.3. tit.1. q.28. num.6.* Ricciullus *de jure personarum lib.5. c.30. n.3. ad* 8. & alii Jurisperiti communiter, tum relati suprà *n.409.* tum latè allegati à Farinacio, Surdo, & Corduba *locis citat.* & ex Theologis Sanchez, Rebellus, & Palaus *locis suprà n.409. citatis:* idque probant omnia suprà *n.410. & 411.* tradita ad probandum legitimam filiorum condemnati deduci ex bonis confiscatis, non obstante, quod statutum, vel bannum imponat simpliciter omnium bonorum confiscationem: dotare enim filias est onus paternum, patri de jure naturali, & positivo incumbens, *d. l. fin. Cod. de dotis promiss.* & dos loco legitimæ debetur, ac proinde fiscus, qui est tanquam hæres, & successor universalis, sicut legitimam, ita & dotes filiabus delinquentis, in cujus omnia bona successit, competentes juxta statum, de bonis confiscatis præstare debet, & omnia jura *d. n.410. & 411.* adducta, sicut legitimam, ita etiam dotes ex bonis confiscatis deducendas esse probant, ad idque à præallegatis Doctoribus, & aliis afferuntur.

429 Quod si fiscus tenetur ad dotes constituendas, & dandas, multò magis contra fiscum sustinentur dotes, & donationes propter nuptias per parentes, etiam post delictum, sed ante condemnationem constitutæ, & factæ, ut tradit Ricciullus *d. c.30. num.6.* post Angelum *in l. si quis, n.3. ff. de bonis damnatorum,* & Nattam *cons.212. n.3.* Tum quia cùm actus dotandi procedat ex necessitate pietatis paternæ, ut probat Baldus *in d. l. fin. n.2. & 3.* non potest præsumi factus in fraudem futuræ condemnationis, *l.1. §. sed & si libertus filiam, ff. si quid in fraudem patr.* Tum etiam, quia licèt ubi confiscatio bonorum fit ipso jure, sententia retrotrahatur ad diem commissi criminis, ut latè ostendi *tom.1. mor. var. c.12. n.173.* tamen semper refert causam filiorum, nempe pietatem paternam, potiorem, ut præfati Doctores juxta sæpiùs allegatam legem *cùm ratio, ff. de bonis damnatorum,* docent.

§. XXXVI.

Alimenta filiis etiam naturalibus, & spuriis fiscus in omnibus bonis patris delinquentis succedens præstare debet.

ALimenta pariter tenetur fiscus, uti hæres, & successor generalis, ex bonis confiscatis condemnati præstare, ut tradunt Doctores communiter. Ita Baldus, Ripa, Corduba, P. Barb. Ricciullus *locis* suprà *n.428. citatis,* Peregrinus *de jure fisci, lib.5. tit.1. num.75.* Bossius *tit. de alim.* Surdus *d. q.3. n.1. & 31.* Farinacius *d. q.24. n.40.* Merlinus *d. q.28. n.8.* Rota Romana *decis. 747. n.5.* cæteri Jurisperiti *suprà n.409.* relati, & alii quos Peregrinus, Rota, & Farinacius referunt, & ex Theologis Sanchez, Rebellus, & Palaus *locis d. n.409. allegatis,* & hoc pariter probant tradita supra *n.410. & 411.* Alimenta enim debentur à parentibus jure naturali, *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* & in præcedentibus sæpiùs ostensum est. Et pro alimentis datur legitima, & consequenter onus alendi filios condemnati, sicut & onus legitimæ, & cætera onera, & obligationes passivæ ejusdem transeunt in fiscum in omnibus bonis patris delinquentis succedentem. Nec statutum confiscationem omnium bonorum simpliciter imponens extenditur ad alimenta. Hinc deducitur, quod si legitima ex bonis confiscatis filiis debita non sufficeret ad congrua alimenta juxta statum, fiscus teneretur supplere ex aliis bonis, ut in terminis Plotus *cons. crim. 130. n.84.* Franciscus Becius *cons.8.* Peregrinus *d. tit.1. n.76. versic. intellige,* Merlinus *d. q.28. eod. n.8.* Surdus *d. q.31. n.17.* & alii ab eodem Surdo relati; & probant tradita suprà *n.404.* 430

431 Prædicta autem de alimentis, & dotibus procedunt etiam in filiis illegitimis, etiam spuriis delinquentis condemnati; nam & his egentibus tenetur fiscus succedens in omnibus bonis condemnati præstare congrua alimenta, & dotes ea ratione, & mensura, quâ pater ipse obligatur. Ita expressè Hondedeus *cons.95. n.66. & sequent.* Lupus *in cap. perversis, in 3. notab. §.24. n.8. & 9.* Dueñas *in reg.367. applic. 4. fine,* Ripa, Bussius *locis n. praced. cit.* Rota *d. dec.747. d. n.5.* Surd. *d. q.31. n. 31.* & Farinacius *d. q.24. citat. n.40.* & Merlinus *d. q.28. n.9.* & Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. Cleric. alleg. c.29. n.11.* Jure enim naturali, & positivo pater obligatur alere, & dotare filios, & filias naturales, & spurias, ut sæpiùs in præcedentibus dictum est, atque adeo hoc onus alendi, & dotandi transit ad fiscum in omnibus bonis patris delinquentis succedentem, sicut transiret ad defuncti hæredes; cùm fiscus loco hæredis, & veluti, seu quasi hæres succedat, & consequenter bona cum prædicto onere fisco deferuntur, prout latiùs traditum est suprà, *n.411.* & præter Rotam *d. n.5.* & alios quos ipsa allegat, tradunt alii Jurisperiti *eodem numero* 11. relati.

432 Prædicto autem oneri alimentorum, & dotis bona paterna semper subjecta esse, nedum penes fiscum, sed etiam cùm maneat penes quemcumque à fisco causam habentem, tradit Rota *d. dec.747. n.6. & 7.* & sequitur Merlinus *d. quæst.28. n.10.* & Lucidorus *d. cap.29. num.14. 15. & 16.*

433 Addunt Hondedeus, & Farinacius *locis citat.* quod uncia, vel alia quota hæreditatis filio spurio est debita vigore statuti, cùm loco alimentorum succedant, ut ideo Hondedeus latè probat, ideo non venit dicta uncia in confiscatione bonorum, sicut non veniunt alimenta.

434 Intelliguntur verò tradita quoad filios naturales, vel spurios conceptos ante condemnationem, & bonorum publicationem; non verò quoad conceptos post condemnationem, & publicationem bonorum, juxta

tradita

tradita suprà *num.*426. & Doctores ibidem allegatos.

§. XXXVII.

Quando bona patris confiscantur ob crimen læsæ Majestatis, an tunc etiam fiscus teneatur filiæ dare legitimam, dotes, & alimenta.

435 Secunda difficultas, an quando bona paterns confiscantur, & publicantur ob patris crimen læsæ Majestatis, tunc legitima, dotes, & etiam alimenta publicentur, ita ut ex bonis cōfiscatis nihil omnino, scilicet nec legitima, nec dotes, nec alimenta filiis condĕnati reserventur, & à fisco debeantur? De hac re habetur textus *in l. quisquis, §. filii verò, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, ubi sic dicitur: *Filii verò, quibus vitam Imperatoria specialiter lenitate cōcedimus, paterno enim debent supplicio perire, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla metuantur; à materna, vel avita omnium, etiam proximiorum hæreditate, & successione habeantur alieni, ex testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes, & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos unquam honores, ad nulla Sacramenta perveniant, sint postremò tales, ut in perpetua egestate sordescentibus, sit eis mors solatium, & vita supplicium.* Ita *d. §. filii verò.* In sequenti verò §. *ad filias sanè*, filiabus indulgetur hoc pacto: *Ad filias sanè eorum, quolibet numero fuerint, falcidiam tantùm in bonis maternis, sive testata, sive intestata decesserit, volumus pervenire, ut habeant mediocrem potiùs filiæ alimoniam, quàm integrum emolumentum, ac nomen hæredis; mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minùs ausuras esse confidimus.*

436 Igitur propter præfatum textum *in d. §. filii verò*, quoad hoc satis clarum, conveniunt communiter Doctores, filios patris rei criminis læsæ Majestatis, non solùm privari tota paterna hæreditate, sed etiam legitima portione, quatenus excedit alimenta jure naturæ filiis debita, & jure civili inducta est; ita ùt ex bonis ob crimen læsæ Majestatis confiscatis, hujusmodi legitima non reservetur deducenda. Ita Cardinalis *in Clem. Pastoralis, q.7. num.15. de re judicata*, Bossius *tit. de crim. læsæ Majestatis, n.134. & tit. de bonorum publicat. n.8.* Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.9. n.1. lib.4. tit.5. n.22. & lib.5. tit.1. n.34. fin.* Clarus *in practica, §. crimen læsæ Majestatis, n.12. fine*, Surdus *de alim. tit.1. q.31. n.17. & seq.* Farinacius *in praxi crim. p.4. q.116, §.3. n.77. & 78.* Merlinus *de legit. lib.3 tit.1. q.30. n.1. & 2.* Ricciullus *de jure personarum, lib.5. cap.30. n.8. & seq.* Menochius *cons.175. n.18. cum seq. lib.3.* Carpanus *ad statut. Mediol. de jure fisci n.782.* & innumeri alii Iurisperiti relati à Bossio, Merlino, & Farinacio. Et ex Theologis Sanchez, Rebell. Fagund. & Palaus *loc. infr. cit.* Ratio deducitur *ex d. l. quisquis*, ibi enim tales filii infames efficiuntur, & incapaces successionis, tam ex testamento, quàm ab intestato, ut etiam tradunt Peregrinus *d. tit.9. n.1.* Menochius *d. cons.175.* Farinacius *d. §.3. n.75. & 83.* & alii innumeri ab eodem Farinacio relati. Quod, ut *ex d. l. quisquis* constat, statutum est ob criminis atrocitatem, quæ ad homines à tali crimine deterrendos meruit hanc specialitatem: & ita olim Romanos in atrocissimis delictis consuevisse ad confiscationem omnium bonorum procedere, nulla liberis reservata legitima, refert Alexander ab Alexandro *genialium dierum lib.3. cap.23. in principio.*

437 Quare Ioannes de Lign. *in d. Clem. Pastoralis*, Corrasius *in l. qui liberos, n.121. ff. de ritu nupt.* Socin. *cons.30. n.7. vol.1.* Mangilius *de imputat. q.4. n.36.* & nonnulli alii ab eodem Mangilio, & Merlino *d. q.30. n.3.* relati, qui affirmant etiam in crimine læsæ Majestatis humanæ, & divinæ filiis legitimam reservari, communiter ab aliis reprobantur.

Præterea Doctores conveniunt, quod filiæ rei criminis læsæ majestatis, *d. l. quisquis* excluduntur à successione in bonis paternis; falcidiam tamen, idest quartam partem ex bonis maternis consequi debent, ut constat *ex d. §. Ad filias*, ubi etiam additur ratio, scilicet quod mitiùs fuerunt puniendæ quàm masculi, quia propter sexus infirmitatem minùs ausuræ creduntur, & ita tradunt Peregrinus *d. tit. 9. n.8.* Farinacius *d. §.3. n.94.* P. Barbosa *ad l.1. p.4. n.83. ff. solut. matr.* & alii Iurisperiti, quos latè *ibid.* Farinacius refert. 438

§. XXXVIII.

Filiæ rei patris criminis læsæ majestatis, an debeant habere dotes congruas ex bonis paternis confiscatis.

Controvertitur primò, an in terminis dictæ legis *quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, filiæ rei criminis læsæ Majestatis debeant congruenter juxta statum dotari ex bonis paternis confiscatis. 419

Negant affirmantes etiam filias excludi omninò à participatione bonorum paternorum, & sic etiam à dote per fiscum tradenda, P. Barbosa *ad l. 1. p.4. n.84. ff. solut. matr.* Surdus *de alim. tit.1. q.32. n.17. & seq.* Peregrinus *de jure fisci, lib.5. tit.1. n.76. fin.* & P. Barbosa refert hoc idem affirmare Ioannem Hannibalem *in l. post contractum, num.126. ff. de donationibus*, Ricciullus *de jure personarum lib.5. c.40. n.8.* & ex Theologis Rebellus *de obligat. justit. p.2. lib.5. q.4. n.3.* & idem sentire videtur Sanchez *lib.2. Summa, cap.16. num.26. fin.* probant Surdus, & Peregrinus, quia ex textu *in d. §. sed ad filias, d. l. quisquis filiabus*, indulgetur ut falcidiam, scilicet quartam & alimenta consequantur ex bonis maternis. Ergo videtur ea negare in bonis paternis, quia inclusio unius est exclusio alterius, *l. cùm prætor, ff. de judiciis, & c. nonne, de præsumpt.* quin etiam P. Barbosa *d. n.84. fin.* quem sequitur Rebellus *loco citato*, addit dotes datas post delictum, scilicet ab eo, qui jam inciderat in crimen læsæ Majestatis, per fiscum revocari: & refert ita sentire Bartolum *in d. l. post contractum, num.12.* ibidem Paulum de Montesino, & Ariam Gomezium *ad d. l.4. Tauri, num.9.* idque ait constare *ex d. l. quisquis, §. emancipationes*, ubi dotes, & donationes post delictum læsæ Majestatis admissum factæ nullius reputantur momenti. Per quem textum idem sentit Ricciullus *d. n.8.* qui tamen *n.9. & 17.* subdit, ex æquitate, & Principum, & supremorum tribunalium benignitate, & miseratione receptum esse, ut filiabus dotes ex bonis paternis ob crimen læsæ Majestatis confiscatis conserventur, & si non fuerint constitutæ, constituantur à fisco, & ita practicatum fuisse per Rempublicam Florentinam, referente Angelo *cons.157. n.2.* & per Regem Ferdinandum in filiis principis Rossani, testantur Afflictus *in cap.1. in principio, glossa 3. num.3. verbo Bona committentium*, Bossius, & Peregrinus *locis infrà citatis*, & alii pariter, qui numero sequenti citantur: & in Senatu Mediolanensi in causa, in qua scripsit Franciscus Beccius *allegato cons.8.*

Contrariam sententiam affirmativam, & etiam in terminis dictæ legis *quisquis*, fiscum teneri dotare filias rei criminis læsæ majestatis ex bonis illius confiscatis, tenent magis communiter Doctores. Ita Plotus, & Franciscus Beccius *locis suprà num. præcedenti relatis, & eodem cap. 1. §. præterea vassallus, glossa 3. num.80.* Ægidius Bossius *tit. de crimine læsæ majestatis, n.134. & in tit. de bonorum public. num.9.* Gigas *de crim. læsæ Majestatis, lib.3. tit. de pœnis quas filii incurrunt, &c. q.15.* Clarus *§. læsæ Majestatis, n.10.* ubi ait pœnas dictæ legis *quisquis*, non habere locum contra filias, & dicit esse 440

commu

& seq. Becius *conf.*8. *num.*5. *lib.*1. Socinus *conf.*30. *num.*3. *vol.*1. Ripa *in l. ex facto, n.*9. *ff. ad Trebell.* Corrasius, & Mangilius *suprà, n.*4. 37. Rota Romana *decis.* 747. *n.*8. *p.*4. *diversorum*, Merlinus *de legitima, lib.*3. *tit.*1. *q.*30. *n.*6. *& seq.* Lucidorus loco superiùs *n.*440. allegato, & alii Jurisperiti relati à Farinac. *d. num.*128. Rota *d. decis.*747. *n.*10. & Merlino *d. num.*6. *&* 10. & ex Theologis Castrus Palaus *tom.*1. *tract.*4. *disp.*5. *puncto* 11. *n.*24. *fin.* Probatur *ex d. l. quisquis*, *d. §. filii verò*, nam cùm ibi Imperator Iulianus filios perpetrantium crimen læsæ Majestatis vivere permittat, ibi: *relinquendam esse vitam filiis*; ex consequenti censetur illis concedere alimenta, sine quibus vita nequit sustineri, *l. necare*, *ff. de liber. agnosc.* Negat hanc consequentiam Surdus quia aliàs (inquit) sequeretur, quod si bona alicui confiscantur, reservatà vità, quod ipse posset petere alimenta. Verùm differt talis casus à præsenti, quia filius, ut sæpiùs dictum est, creditor patris dicitur in alimentis, quod non procedit in eo, cui bona ablata fuerunt: & cùm dispositio dictæ legis *quisquis*, sit odiosa odio intolerabili, dura, & crudelis, cùm in ea puniantur filii qui non peccaverunt, propterea, ut suprà *n.*430. dictum est, erit restringenda ut alimenta non auferat; & cùm beneficium, & indulgentia principis sit latè interpretanda, rectè concluditur, quod hujusmodi reservatio vitæ intelligatur etiam cum reservatione alimentorum. Maximè quia communis Doctorum sententia, ut sæpiùs in præcedentibus dictum est, asserit alimenta à parentibus filiis quibuscumque legitimis, & illegitimis, etiam spuriis debita, non posse ulla consuetudine, vel statuto, aut lege licitè tolli, cùm sint jure naturali debita.

445 Procedunt prædicta non solùm in filiis legitimis, sed & in illegitimis naturalibus, & etiam in spuriis, quos illegitimos omnes eadem lege *quisquis*, comprehendi tradunt communiter Doctores, quos referunt & sequuntur Clarus *d. §. læsæ Majestatis*, *num.*11. & Farinacius *d. quæst.*24. *num.*86. his enim quoque in confiscatione omnium bonorum paternorum ob delictum læsæ Majestatis reservanda esse alimenta, tradunt in terminis Rota *decis.* 747. *n.*8. Merlinus *d. quæst.* 30. *num.* 8. & Lucidorus *loco suprà citato*, & conveniunt tradita; & quia quoad alimentorum jus omnes filii jure naturæ sunt æquales. Et sic etiam filiabus naturalibus, & spuriis dos ex eisdem bonis debetur, quæ loco alimentorum est, & à pari procedunt alimenta, & dos, ut superiùs dictum est, & tradunt Bartolus *in l. fin. ff. de his quibus ut indignis*, & Corduba *in l. si quis à liberis*, *§. si mater, n.*16.

446 Prædictis autem non obstant fundamenta Surdi *n.*441. adducta: non primum, quia *in d. §. ad filias*, Julianus Imperator non loquitur de alimentis, sed de falcidia, seu legitima danda filiabus in bonis maternis; & quoad hoc procedere potest argumentum, ut inclusio fœminarum sit exclusio masculorum: at non procedit ad exclusionem alimentorum, quia sicut & dotes, ut suprà dictum est, non habent eandem rationem, quàm legitima, de qua *d. §.* nam legitima transmittitur, debeturque tam in proprietate, quàm in usufructu; alimenta verò ex fructibus debentur, & mortuo alimentario cessant: & ideo inclusio unius non est alterius exclusivo. Non obstat secundum, quia habens simpliciter alimenta, adhuc egenus dicitur, cùm nihil quod suum sit, in bonis habere dicatur. Secundùm enim communem modum loquendi egenus est qui habet tantùm alimenta; & si textus dicit, quod vivant in perpetua egestate, ut vivant saltem secundùm indigentiam naturæ, erunt subministranda alimenta, ut Rota *loco citato*, & Merlinus *d. quæst.*30. *n.*9. *in fine* notarunt. Ex quibus etiam manet satisfactum tertio Surdi fundamento.

447 Ad argumentum Sanchez, & Fagundez *num.*443. adductum respondetur primò, dato quod lex potuerit ob delictum patris tam atrox privare filios alimentis, non constat tamen privasse; imò ex eadem lege probatur alimenta illis fuisse reservata, ut ostensum est, & tradunt Rota, Merlinus, & alii Doctores *n.*444. allegati. Secundò, supposita sententia communi, quod alimenta jure naturæ filiis debita non possint ulla lege humana universali, vel municipali, seu particulari tolli, ob delictum parentum tantùm, nullo filiorum delicto concurrente, nequeunt auferri, quod absque dubio sentiunt Alciatus *conf.* 467. *num.*6. & Rolandus à Valle *conf.*74. *n.*23. *vol.*3. quatenus aiunt, legem punientem filios ex crimine paterno, non valere, juxta illud veteris legis, *filius non portabit iniquitatem patris*; ut loquuntur in terminis dicta lex *quisquis*; atque adeo talem legem tanquam contra honestatem, non posse observari absque peccato, *c. constitutiones*, *& c. lege, dist.*10. quod quoque sentit Cevallos *pract. qq. c.* 653. *n.*38. ubi ait, quod pœnæ dictæ legis *quisquis*, in foro conscientiæ quoad filios non possunt exigi: quod etiam approbat Farinacius *p.*4. *d. q.* 116. *§.*3. *n.*144. & Merlin. *d. q.*30. *n.*27. idemque ait dixisse Rotam *in Romana donationis*, 22. *Iunii* 1588. coram Seraphino, & idem docet Zibetus *ad Papiensem in forma libelli Inquisitionis*, *glossa ult. verbo Eius legitimam*: ubi ait, quod quicumque ausus fuerit dicere ius alimentorum, & legitimæ, scilicet quatenus alimentorum loco debetur, utpotè proveniens ex jure naturali, posse tolli statuto, vel etiam consuetudine pro delicto patris falsum affirmare: quæ doctrina, quod non valeat lex puniens filium pro delicto patris, indubitata est quando pœna versatur circa corpus, seu corporalem vitam, cujusmodi est privatio alimentorum, *d. l. necare*, *ff. de liber. agnosc.* eo quòd sine alimentis vita nequeat conservari: quando verò pœna non est corporalis, sed pecuniaria, & versatur circa alia bona, ut est infamia, privatio succedendi, & similes, posse quempiam ex lege, aut statuto tali pœna puniri ob crimen alterius, & legem esse validam, etiam in foro conscientiæ, probat textus *in cap. vergentis*, *de hæreticis*; & latè ostendit Covarruvias *var. lib.*2. *c.*8. & etiam Rolandus *conf.*8. *n.*45. *vol.*3. supposita, inquam, præfata communi sententia, respondetur primò peccare patrem contra legem naturæ, & pietatem, qui prodigeret bona unde filii priventur alimentis, saltem simpliciter vitæ necessariis, & in tali casu posse cogi patrem prodigentè, ad assignanda filiis bona, ex quibus possent vivere, ut superiùs probatum est. Respondetur secundò, cùm obligatio alendi filios sit personalis, habito respectu ad patris bona, dum pater habet bona, semper filii jure naturali sunt creditores eorundem alimentorum, & jure naturali illa alimentorum obligatio transit ad hæredes & successores universales patris, ut in præcedentibus sæpiùs dictum est: & sic etiam naturali jure transit in fiscum, qui est quasi hæres, & successor universalis: & ita esto pater possit distrahere bona omnia, nullis alimentis reservatis filiis, lex tamen non potest privare filios jure illo naturali, quod habent ad alimenta habenda ex bonis paternis, quæ semper sub patris dominio fuerunt, & desinunt esse sub illius dominio solùm ob mortem naturalem, vel civilem.

Ad majorem autem prædictorum confirmationem animadvertendum duxi quod quia pœnæ dictæ legis 448
quisquis, contra filios innocentes propter patris delictum latæ sunt nimis odiosæ, nimisque duræ, & rigorosæ, eam legem quoad dictas pœnas respectu filiorum de consuetudine generali orbis Christiani non servari, esseque sublatam, tradidere Angel. *in l. fallaciter*, *Cod. de abolit.* Alciat. & Roland. *loc. num. praeced. cit.* Clar. *d. §. læsæ Majestatis, num.*15. *fin.* ubi ait quod nunquam vidit tales pœnas in filiis observari, Peregrinus *de jure fisci*, *lib.*3. *tit.*9. *num.*10. Cevallos *loco*

num. praecedenti citato, Farinacius *d. quaest.* 116. *n.* 44. Merlinus *d. q.* 30. *num.* 26. Rota *in d. Romana donat.* & plures alii à Peregrino, Farinacio, & Merlino relati, juxta quam generalem consuetudinem filiis rei criminis læsæ Majestatis reservari non solùm alimenta & dotes, sed etiam legitimam, bona materna, & peculium castrense, vel adventitium, asserunt, ut notavit Merlinus *loc. cit.* Legitimam autem hoc casu Merlinus *d. q.* 30. *n.* 29. ait fore tantùm trientem, aut semissem, pro numero liberorum, juxta Authenticam *novissima, Cod. de inofficioso testamento.* Ex his etiam idem Merlinus *n.* 28. ait Doctores, quos & refert, concludere quod tam ab intestato, quam ex testamento hi filii rei criminis læsæ Majestatis succedunt avo, & omnibus aliis agnatis.

449 Præterea præfatam legem *quisquis*, quoad pœnas filiorum, propter odium intolerabile quod crimen continet, juxta tradita *n.* 440. etiam de rigore juris non procedere, nisi in offendente Principem non recognoscentem ullum superiorem; non autem in offendente alios Principes inferiores superiorem recognoscentes, tradunt post innumeros alios Iurisperitos Clarus *d. §. læsæ Majestatis*, *n.* 3. *fin.* & *num.* 15. Rolandus *d. cons.* 74. *num.* 3. & *seq.* Peregrinus *de jure fisci, lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 4. Farinacius *d. quaest.* 116. §. 3. *n.* 124. & 125. & Merlinus *d. q.* 30. *num.* 18. & 19. quia cùm lex illa loquatur de machinante contra Imperatorem, & illius consiliarios, propter odium præfatum est strictissimè intelligenda, ut saltem quoad pœnas filiorum non extendatur ad offendentes Principes superiorem cognoscentes, eorumve consiliarios.

450 Item etsi pœnas dictæ legis *quisquis*, habere locum in filiis, etiam quando mater, & non pater committit crimen læsæ Majestatis, ut filii hæreditate priventur, sentit Clarus *d. §. læsæ Majestatis*, *n.* 14. & plures alii à Claro, & Farinacio *d. §.* 3. *n.* 98. relati: idque ob illud relativum, *quisquis*, quo lex illa utitur, quod generaliter comprehendit omnem personam committentem delictum.

451 Nihilominus Peregrinus *d. tit.* 9. *n.* 6. post Odofredum, Albericum, & Salicetum *in d. l. quisquis*, & plures alii ab eodem Peregrino *ibidem*, & à Farinacio *d. §.* 3. *n.* 100. allegati, contrarium sustinent, pœnasque præfatas filiis impositas habere locum solùm cùm pater est reus criminis læsæ Majestatis, non verò quando mater: quod probat Peregrinus tribus rationibus, quarum duas sumit *ex d. l. quisquis*, §. *Emancipationes*, in quo est sermo solùm de filiis respectu patris, cùm matribus emancipatio non competat. Tertia ratio est, quia pater habet filios in potestate, & in eos habet plus juris quàm mater; unde pro necessitate potest eos vendere, non sic mater, *l.* 1. *Cod. de patribus qui fil.* ac proinde non est mirum, si lex ob delictum paternum afficit filios, non sic ob delictum maternum: & hæc sententia, uti æquior, videtur in praxi admittenda, & etiam Farinacius videtur eam amplexus.

452 Item non habent locum præfatæ pœnæ respectu filiorum, quando pater tanquam reus læsæ Majestatis condemnatur contumacialiter, seu per solam sententiam contumacialem, non verò per legitimas, & veras probationes, neque per confessionem ipsius patris, ut post alios docet Bossius *tit. de crim. læsæ Majest. n.* 136. Farinacius *d. q.* 116. §. 3. *n.* 130. & Merlinus *d. q.* 30. *n.* 22. quidquid sit existente speciali statuto, quod expressè loquatur etiam de condemnatis contumacialiter.

453 Item non habere locum præfatas pœnas in filiis emancipatis, eorumque legitimam non confiscari, nisi in fraudem fuisset facta emancipatio, per textum *ibi* tradunt communiter Scribentes *in d. l. quisquis*, §. *emancipationes*, Merlinus *d. quaest.* 30. *num.* 14. & alii Iurisperiti, quos Farinacius *d. §.* 3. *num.* 84. & 85. refert, & sequitur.

454 Item non habere locum easdem pœnas in nepotibus, sed tantùm in filiis primi gradus, cùm in odiosis, & pœnalibus filiorum appellatione nepotes non contineantur, *l. pater, ff. ad l. Iuliam de adulteriis*, sentiunt Thomas de Fesrug. relatus à Peregrino *d. tit.* 9. *num.* 5. *initio*, Decianus *tract. crimin. lib.* 8. *cap.* 41. *num.* 7. Merlinus *d. quaest.* 30. *num.* 15. alii relati à Molina *de justitia*, *tom.* 3. *disput.* 618. *num.* 19. & idem videtur sentire Farinacius *d. §.* 3. *num.* 90. quamvis Peregrinus *loco citato*, Clarus *d. §. læsæ Majestatis*, *num.* 13. & alii Iurisperiti magis communiter, quos Farinacius *num.* 89. refert, Molina *loco citato*, & Sanchez *lib.* 2. *Sum. cap.* 27. *num.* 4. asserant præfatas pœnas extendi etiam ad neptes quoad primum gradum tantùm, ita ut non comprehendantur pronepotes, descendentes ex masculis per novam constitutionem Federici Imperatoris, loquentem per verbum *Liberorum*, quod continet etiam nepotes: nepotes verò ex filia aiunt omnes non comprehendi, & respectu matris rex criminis læsæ Majestatis comprehendi solùm filios, supposita sententia de qua *n.* 450. non autem nepotes, sive ex filio, sive ex filia. Sed Decianus ait non reperiri hanc legem Federici.

455 Item præfatas pœnas dictæ legis *quisquis*, non procedere in filiis natis, & conceptis ante commissum delictum læsæ Majestatis, sed tantùm in natis, aut conceptis post delictum, tradunt Cynus *in d. l. quisquis*, Clarus *d. §. læsæ majestatis*, *num.* 12. Cevallos *pract. qq. cap.* 673. Rota *in praallegata Romana donationis*, 22. *Iulii* 1588. à Farinacio *d. quaest.* 116. *num.* 92. relata, Molina *de primog. lib.* 4. *cap. ult. num.* 55. alter Molina *d. disput.* 638. *num.* 20. Merlinus *d. quaest.* 30. *num.* 17. Calvinus *de aequitate*, *lib.* 1. *cap.* 15. *num* 6. & alii relati à Farinacio *ibidem*, Claro *d. num.* 12. & Cevallos, qui meritò ait, ab hac sententia uti humaniori, & æquiori in iudicando non esse recedendum, & eam latissimè probant Molina *d. num.* 20. & Sanchez *in Sum. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 10. *ad* 17. quamvis attentis verbis dictæ legis, easdem pœnas afficere etiam natos ante delictum, latè probat Rolandus *cons.* 74. *num.* 2. *vol.* 3. & tradiderunt magis communiter Doctores, quos idem Rolandus *ibid.* & Farinacius *d. §.* 3. *num.* 91. & Sanchez *d. cap.* 27. *num.* 9. latissimè referunt pro utraque sententia *infra num.* 477. & *num.* 478. Et quamvis appellatione filiorum veniant etiam fœminæ, tamen in dicta lege *quisquis*, non comprehendi fœminas, post Bartolum *in leg.* 1. *ff. de verborum sign.* & alios notavit Calvinus *d. cap.* 12. *num.* 7. & *num.* 8. eo quòd lex contineat odium, ac proinde sit restringenda ad masculos, & fœminæ pro infirmitate sexus non præsumantur sequutæ exemplum patris.

456 Item dictam legem *quisquis*, quoad incapacitatem filiorum succedendi ab intestato, vel ex testamento, non habere locum si pater legitimam inter vivos assignasset, vel aliqua bona pro ea, vel ejus nomine; & non habere locum, si mater inter vivos donaverit, eo quòd lex illa, cùm sit pœnalis, & tam odiosa, sit restringenda ad successionem testati, vel intestati, non ad actum donationis inter vivos extendenda, tradidere communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Peregrinus *de iure fisci*, *lib* 3. *tit.* 9. *num.* 11. & Farinacius *d. quaest.* 116. §. 3. *num.* 112. secus si donatio esset causâ mortis, cùm sapiat ultimam voluntatem, ut post alios probat Farinacius *d. §.* 3. *n.* 114.

457 Item prædicta lex *quisquis*, quoad easdem pœnas filiorum non habet locum in beneficiis Ecclesiasticis, quæ filium Clericum propter delictum læsæ Majestatis, si habeat, posse retinere tradunt communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Menochius *cons.* 275. *num.* 46. & *num.* 47. Peregrinus *d. tit.* 9. *num.* 7. & Farinacius *d. §.* 3. *num.* 117. & idem tradit Merlinus *de legitima*, *d. lib.* 3. *tit.* 1. *cit. q.* 30. *num.* 25. ubi etiam cum Menochio *loco citato*,

to, ait in bonis quæ spectant de directo dominio ad Ecclesiam, non impediri filiis detractionem eorum legitimæ.

458 Item cessant pœnæ dictæ legis *quisquis*, in filiis patre delinquente ex gratia Principis restituto, vel si Princeps ipsis filiis easdem pœnas remittat, ut post alios tradit Farinaeius *d. q. 116. §. 3. n. 135. & seq.* ubi pluribus id declarat.

459 Denique prædictæ pœnæ ejusdem legis *quisquis*, non comprehendunt filios adoptivos, cùm in illis non militet ratio quæ militat in naturalibus, scilicet quod sint imitaturi patrem. Ita post alios Farinacius *d. §. 3. num. 16.*

460 Ex traditis præsertim *n. 444. 447. & 448.* colligitur, filios rei criminis læsæ Majestatis in foro conscientiæ absque ullo peccato posse ad sui sustentationem abscondere aliquid de bonis paternis, non solùm in casu extremæ necessitatis, in quo casu tantùm id admittunt Sanchez *lib. 2. d. cap. 16. n. 27.* Fragosus *d. n. 122.* & Fagundez *in Decal. lib. 4. d. cap. 2. n. 11.* sed etiam ad evitandam gravem necessitatem, & ad habenda congruentia juxta statum alimenta: id quod docuit Guillelmus Benedictus *in cap. Raynutius, de testam. verbo Et uxorem, decis. 5. n. 286.* etiam stante statuto quod publicatis parentum bonis, non reserventur filiis legitima, & alimenta. Probatur corollarium, tum quia alimenta *d. l. quisquis*, censentur reservata juxta sententiam traditam *d. n. 444.* quæ cùm sit tot Doctorum, & fulcita ratione, non potest negari esse probabilissimam: tum quia pœnæ dictæ legis *quisquis*, ex consuetudine universali cessarunt, ut dictum est *d. num. 458.* tum quia leges punientes ita graviter filios propter parentum delictum, etiamsi expressè privent filios alimentis, non valere, neque obligare in foro conscientiæ, est valdè probabile, juxta tradita *n. 440. & d. n. 447.* & Doctores ibidem relatos, & alios ab iisdem allegatos. Et hoc corollarium approbavit etiam Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 5. p. 11. num. 25.* ad id probandum adducens, quod ne gravem patiatur necessitatem debitor non tenetur debitum creditori restituere, & obligatus cedere bonis, possit abscondere, & retinere quantum necesse est ad tenuem sui, & eorum, quos alere teneatur, sustentationem juxta suum statum, eo quòd ad restitutionem nullus teneatur cum tanto suo incommodo, quod tradidere etiam Navarr. Sayrus *in clavi regia*, Rebellus & Bonacina, quos idem Palaus allegat.

§. XL.

Publicatis bonis paternis ob hæresim patris, an etiam legitima, alimenta, & dotes filiarum, ita ut ex bonis confiscatis nihil omnino filiis debeatur à fisco, publicentur.

Tertia difficultas est, an quando bona paterna confiscantur ob patris crimen læsæ Majestatis Divinæ, scilicet hæresis, legitima, dotes, & alimenta filiis reserventur? & difficultas esse potest, vel inspecto jure Civili, vel inspecto jure Canonico.

Filii orthodoxi patris hæretici an jure civili priventur hæreditate patris.

461 Si sermo sit jure civili inspecto, adsunt sequentes textus, scilicet *in l. Manichæos, in l. Cognovimus, Cod. de hæreticis, & in Auth. idem est de Nestorianis* (quæ desumpta est *ex §. Generalem autem providentiam, Auth. ut cùm de appellatione cognoscitur,*) *Cod. eodem, & in leg. Hæretici, §. Orthodoxi, Cod. eodem*, ex quibus expressè constat, filios ob paternam hæresim non privari hæreditate, seu successione patris hæretici; & *ex d. l. Cognovimus, & d. Auth. idem de Nestorianis*, evidenter constat, non solùm filios orthodoxos succedere patri hæretico, tam ex testamento, quàm ab intestato; sed etiam deficientibus filiis, agnatos, & cognatos: & ita sentiunt communiter Doctores, quos latè referunt Farinacius *de hæresi, q. 191. §. 1. num. 29.* August. Barbosa *in Cod. collectaneo ad d. l. Manichæos, n. 32. & ad d. Auth. idem est de Nestorianis.*

Verùm dubitatur, an præallegata jura sint correcta per Constitutionem Federici II. *in Auth. Gazaros, Cod. de hæreticis*, in qua etiam filii orthodoxi excluduntur à successione in bonis parentum hæreticorum. Verba Authenticæ sunt: *Gazaros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnoldistas, Circumcisos, & omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus, censentes ut omnia bona talium confiscentur, nec ad eos ulteriùs revertantur; ita quod filii eorum ad successionem eorum pervenire non possint, cùm longè gravius sit æternam, quàm temporalem offendere Majestatem.* 462

Et hodie per dictam constitutionem filios propter paternam hæresim jure civili privari hæreditate, & successione parentum hæreticorum, & sic per eandem constitutionem fuisse correctas alias leges, seu constitutiones *num. 461.* adductas, ad exemplum criminis læsæ Majestatis humanæ, juxta legem *quisquis*, *Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, cùm majus sit istud crimen hæresis *in d. Auth. Gazaros*, pro ratione exclusionis filiorum à successione parentum hæreticorum, tradunt Salicetus *in d. l. Manichæos, & in d. Auth. Gazaros*, Rolandus à Valle *cons. 8. n. 48. versic. ad secundum*, Peregrinus *de jure fisci, lib. 4. tit. 5. n. 30.* P. Barbosa *ad d. l. 1. p. 4. n. 83. ff. soluto matrimonio,* Farinacius *d. q. 191. §. 1. n. 30. & 31.* & *p. 1. prax. q. 24. num. 44.* August. Barbosa *d. collect. ad d. l. Manichæos, n. 32. & collect. ad d. Auth. Gazaros, n. 2.* Ricciullus *de jure person. lib. 5. cap. 40. num. 11.* & alii Iurisperiti magis communiter, quos latè refert Farinacius *d. n. 30. & 31.* & August. Barbosa *d. num. 2.* & ex Theologis Sanchez *lib. 2. sum. cap. 29. n. 9.* 463

E contra alii Jurisperiti absolutè sentiunt, etiam hodie, & non obstante *d. Auth. Gazaros*, filios propter parentum hæresim non privari hæreditate, & successione patris hæretici. Ita Clarus *in praxi crim. q. 78. n. 4.* Menochius *de arbitr. centuria 6. casu 546. n. 10. versic. Conciliando*, qui duo loquuntur in filiis apostatarum. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. si mater, n. 15. ff. de lib. agnosc.* Merlinus *de legit. lib. 3. tit. 31. n. 1.* & plures alii, quos Farinacius *d. q. 191. §. 1. n. 29. & 32.* refert, qui fundantur *in d. Auth. idem est de Nestorianis, & d. §. generalem providentiam*, ex quo eadem Authentica *idem de Nestorianis*, desumpta est. 464

§. XLI.

Filii etiam orthodoxi patris hæretici Iure Canonico privantur hæreditate.

Cæterùm quidquid sit de jure civili, certum est de jure canonico *per cap. vergentis, de hæreticis*, per quod jus civile in præfatis legibus, & Authenticis *num. 461.* adductis correctum est, filios ob parentum hæresim privari hæreditate, & successione parentum hæreticorum. Ita omnes Doctores prææallegati *loc. cit.* Clarus *verbo Hæresis, num. 12.* Menochius *d. casu 546. num. 15.* Covarruvias *lib. 2. var. cap. 8. num. 2. versic. Primò an ob crimen*, Merlin. *d. quæst. 31. num. 2. 3. & 4.* & cæteri Jurisperiti communiter, quos latè referunt Farinacius *d. q. 191. §. 1. n. 1. & n. 29.* & Aug. Barbosa *ad d. cap. vergentis, n. 25.* ubi S. Pontifex *in vers. Nec hujusmodi*, arguit de criminibus læsæ Majestatis humanæ, ut *in d. Auth. Gazaros*, 465

criminibus læsæ Majestatis humanæ, ut *in d. Auth. Gazaros*, ad crimen læsæ Majestatis Divinæ, arguendo de minori ad majus, quod si in crimine læsæ Majestatis humanæ filii privantur hæreditate paterna, *d. l. quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, multò magis privari debent in crimine læsæ Majestatis divinæ, quod majus delictum est. Nec hujusmodi severitas (subdit Pontifex) admirationem alicui afferre debet, cùm juxta canonicas sanctiones, quandoque feratur ultio non solùm in authorem sceletum, sed etiam in progeniem damnatorum: & advertendum, non solùm filios legitimos, sed etiam illegitimos, tam naturales, quàm spurios, quorum pater sit notus, privari hæreditate ob paternam hæresim, juxta Doctores communiter, quos refert Farinacius *d. q. 191. §. 1. n. 9.* tum ne plus habeat luxuriæ, quàm castitatis: tum quia in eisdem militat eadem ratio, quæ in filiis legitimis.

466 Quæ dispositio juris canonici servanda est, & servatur etiam in terris Imperii, & in foro Cæsaris ubique in orbe Christiano: tum quia juxta sententiam magis communem, etiam jure civili *in d. Auth. Gazaros*, filii privantur hæreditate parentum hæreticorum: tum quia in crimine merè Ecclesiastico, quale est hæresis, servatur jus canonicum; & ita tenent Doctores communiter, quos latè refert Farinacius *d. q. 191. §. 1. num. 33.*

§. XLII.

Filii orthodoxi ob paternam hæresim an priventur legitima.

467 Controvertitur primò, an eodem jure canonico *d. cap. Vergentis*, filii Catholici ob paternam hæresim priventur etiam legitima, quatenus jure civili debita, & excedit alimenta vitæ simpliciter necessaria; an verò eadem legitima sit ex bonis patris hæretici confiscatis detrahenda.

Non privari legitima, sed eis fore reservandam, tradunt Doctores suprà *num.* 437. allegati, Joannes à Roja *sing.* 45. *&* 47. Surdus *cons.* 386. *num.* 13. & alii relati à Mangilio loco suprà *d. n.* 437. *cit.*

468 Communis tamen sententia est, eosdem filios, licèt orthodoxos, excludi à legitima. Ita Scribentes *in d. c. Vergentis*, Rulandus *d. cons.* 8. *n.* 43. *& seqq.* Petrus Barbosa *d. p.* 4. *n.* 84. Riceiullus *de jure person. lib.* 5. *d. cap.* 40. *n.* 10. Surdus *de alimentis, tit.* 1. *q.* 31. Merlinus *d. q.* 31. *n.* 4. *&* 5. Farinacius *in praxi crimin. p.* 1. *q.* 24. *n.* 44. *& de hæresi d. q.* 191. *n.* 2. Graffius *decis. aur. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 9. August. Barbosa *collect. ad d. cap. Vergentis, n.* 26. *de hæret.* & plures alii Jurisperiti à Farinacio, Rolando & August. Barbosa *loc. cit.* relati. Et ex Theologis Sanchez, Rebellus, Fagundez locis suprà *n.* 439. *&* 442. allegatis, & Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 5. *puncto* 11. *num.* 20. & ratio est, quia ob crimen paternum læsæ Majestatis humanæ filii excluduntur à legitima, juxta dictã legem *quisquis, §. filii verò, Cod. ad l. Iul. Majestatis*, ut tradunt Doctores communiter, ut suprà *n.* 436. notatum est: ergo multò magis erunt exclusi ob crimen paternum hæresis, quod est delictum gravius: quo argumento utitur Summus Pontifex *in d. cap. Vergentis*, ad probandum bona hæretici debere confiscari, sicut confiscantur ob delictum læsæ Majestatis humanæ, filiis delinquentis vitã solummodò ex misericordia conservatã, ut eodem capite *Vergentis*, dicitur.

§. XLIII.

Filii orthodoxi ob paternam hæresim an priventur alimentis, sequutã sententia declaratoria hæresis, & publicatione bonorum.

Controvertitur secundò, an ex bonis paternis, ob hæresim patris confiscatis, filiis orthodoxis à fisco debeantur alimenta; an verò iidem filii sicut legitimã, ita etiam alimentis ad vitam sustendandam necessariis priventur.

Filios etiam alimentis ob paternam hæresim privari, *in d. c. Vergentis, & in d. Auth. Gazaros*, tradunt 469
Corduba à Lara *in d. §. si mater, num.* 16. Decianus *in tract. crim. lib.* 5. *cap.* 45. *n.* 3. P. Barbosa, & Riceiullus *loc. n. præced. cit.* Surdus *d. q.* 31. *n.* 24. August. Barbosa *d. collect. ad d. c. Vergentis, n.* 27. alii Jurisperiti à Farinacio *d. q.* 191. *§.* 1. *n.* 5. & August. Barbosa *d. n.* 27. relati: & ex Theologis Sanchez, Rebell. & Fagund. *loc. n. præced. alleg.* & idem Fagundez *lib.* 1. *cap.* 19 *n.* 5. *& seq.* Potest probari hæc sententia argumentis suprà *n.* 442. adductis, cùm *in d. c. Vergentis*, Sum. Pontifex contra hæreticos, & eorum filios decernat easdem pœnas, quæ contra criminosos læsæ Majestatis humanæ statutæ sunt, *d. l. quisquis, Cod. ad l. Iul. Majestatis*, in qua filiis vita tantùm ea misericordia conservatur, & dicitur eos debere vivere in perpetua egestate: quæ omnia indicant privationem etiam alimentorum simpliciter vitæ necessariorum, juxta tradita *d. num* 442. Præterea Sanchez & Fagundez probant, quod propter atrocitatem teterrimi criminis in Deum jus civile, & canonicum potuit filios privare etiam alimentis, juxta tradita suprà *n.* 443. & atrocitatem criminis fuisse rationem, cur filij etiam alimentis priventur, ut hac, & aliis specialibus pœnis homines à tali crimine arceantur, tradunt Riceiull. & Corduba *loc. cit.* Declarant tamen Rebellus & Fagundez, privari filios 470
alimentis solùm post sententiam criminis declaratoriam, & bonorum publicationem; ante latam autem sententiam hæresis intentæ alimenta filiis indigentibus esse ex bonis paternis præbenda, neque absque gravi peccato posse illis negari. Quare Fagundez *d. c.* 19. *n.* 9. reprehendit morem aliquarum regionum, in quibus statim ac parentes ob crimen hæresis in carcerem detruduntur, bona illorum illicò capiuntur, & sub custodia fisci ponuntur, exclusis filiis ipsorum, & relictis absque ullo vitæ subsidio: quod sine maximæ crudelitatis nota fieri non posse rectè ait; nam dum parentes illorum de hæresi judicum sententiã non damnantur, de illorum bonis saltem moderatè sustentandi sunt, quia id & ratio naturalis, & pietas Christiana videtur edocere.

Contrarium, & filios orthodoxos ob parentum hæresim non privari alimentis, sed ex bonis confiscatis esse alendos, si inopes sint, & aliunde non habeant unde vivere possint, docent magis communiter Doctores. Ita Doctores suprà *n.* 438. 444. *&* 467. relati, Cortasius *in l. qui liberos, n.* 62. *ff. de ritu nupt.* Rota Rom. *parte* 4. *divers. dec.* 747. *n.* 10. ubi etiam filiis spuriis hæretici deberi alimenta tradit, idque docuisse plures alios Jurisperitos, quos ibidem latè refert Merlio. *d. q.* 31. *n.* 12. *&* 13. Farin. *d. q.* 191. *§.* 1. *n.* 6. & novissimè Joan. Nic. Lucidor. *de illeg. Cler. c.* 19. *n.* 12. & hanc sententiam saltem ex æquitate tenendam esse & in praxi ab Inquisitoribus servandam, tradidere Simanc. *de Cathol. instit. tit.* 29. *rub. de filiis, & minor. n.* 12. Peña *in addit. ad Eymericum, in direct. Inquis. p.* 2. *com.* 9. *ad d. cap. Vergentis*, Surdus *cons.* 386. *n.* 13. Riceiullus *d. c.* 40. *n.* 27. Joannes Lupus Segoviensis, & Palacios Rubios à Corduba *d. n.* 8. relati: hi enim Doctores, & idem notavit Fagundez *d. c.* 19. *n.* 7. tradunt Inquisitores pueris, & puellis hæreticorum damnatorũ 471

pauperibus

pauperibus relictis debere providere, si sint orthodoxi, vel ex animo, & sincerè ad Fidem convertantur, ut scilicet alantur, & educentur, habita ratione ætatis, & sexus apud aliquos viros Catholicos, & religiosas, vel honestas fœminas, à quibus in bonis moribus, & fide instituantur; idque ob imbecillitatem sexus, & ætatis. Hanc sententiam probant tradita suprà *n.* 444. *ad* 447. eo enim ipso quod jus canonicum *in d. c. vergentis*, permittit filiis hæretici vitam, sicut jus civile *in d. l. quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, concedit filiis rei læsæ Majestatis humanæ, ex consequenti censetur concedere illis alimenta, saltem vitæ simpliciter necessaria, sine quibus vivere non licet, *allegata lege necare, ff. de liber. agnosc.* In præsenti etiam locum habet illud, quod diversa est ratio alimentorum, & legitimæ: & cùm jus alimentorum, quod habent filii adversus parentes habentes bona, ex quibus illos alere possunt, non possit in foro conscientiæ ab illis absque eorum culpa auferri, semper transibit ad quemcumque successorem universalem: & licèt ob delictum patris atrox filii possint puniri aliis pœnis, non tamen corporali; seu vertente circa vitam corporalem, qualis est ablatio, seu privatio alimentorum, sine quibus homo non potest vivere.

472 Et prædicta procedunt etiam in filiis illegitimis, etiam spuriis, ut cum aliis tradunt Rota *loc. cit.* Merlinus *dict. n.* 12. & probat ratio adducta suprà *n.* 445.

§. XLIV.

Filiæ ob paternam hæresim an priventur dotibus, an verò dos illis à fisco ex bonis paternis confiscatis debeatur.

Controvertitur tertiò, an filiabus orthodoxis patris hæretici debeantur dotes ex bonis paternis confiscatis.

473 Confiscatis bonis paternis ob hæresim patris, fiscum non teneri ex iisdem bonis dotes ejus filiabus dare, tradunt P. Barbosa, Surdus, Ricciullus, Sanchez, Rebellus, Fagundez locis suprà *num.* 440. *&* 470. relatis, Corduba *loco eod. num.* 470. *citato*, Simancas *cathol. inst. tit.* 9. *rub. de bonis haeret. num.* 23. *&* 24. Gabriel Quemada, & Didacus Cartera, quos Farinacius *d. q.* 191. §. 3. *num.* 8. refert: ubi etiam dicit id esse de mente omnium Doctorum, quos *d.* §. 1. *n.* 1. latè cumulat, eo quia generaliter dicunt, propter paternam hæresim filios privari omnibus paternis bonis. Peregrinus *de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 76. *fin.* Augustin. Barbosa *coll. ad d. cap. Vergentis, num.* 28. *de haereticis*, alios allegans, & Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *qu.* 6. quæ omnes nituntur eo fundamento, quod *d. cap Vergentis*, filii patris hæretici afficiuntur iisdem pœnis, quibus ex *l. quisquis, Cod. ad l. Iul. Majestatis*, puniuntur filii ob crimen paternum læsæ Majestatis humanæ; dicta autem lege *quisquis*, filii utriusque sexus delinquentis rei læsæ Majestatis humanæ excluduntur omnes à bonis paternis confiscatis, & consequenter etiam privantur dotibus, juxta tradita suprà *n.* 419. *&* 441.

447 Hinc non solùm fiscum non teneri filiabus patris hæretici dotes dare, sed si à patre hæretico occulto post crimen hæresis commissum fuerint constitutæ, sive pro matrimonio carnali, sive pro spirituali, scilicet ingressu in monasterium, sive etiam pro Ecclesia, aut Capella, hujusmodi dotes posse à fisco revocari, tradunt Simancas, Azorius, P. Barbosa, Rebellus, August. Barbosa *loc. allegat.* Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 57. & alios allegans Ricciullus *d. lib.* 5. *c.* 40. *n.* 14. 15. *&* 16. qui tamen *n.* 17. addit, quod etsi hæc vera sint de juris rigore, nihilominus propter bonum publicum, ne mulieres carnaliter, vel spiritualiter nuptæ derepentè remaneant indotatæ, & sic mundus litibus repleatur, ex æquitate recipi potest, ut dotes remaneant; siquidem æquitas, ne tot actus revolvantur apud Principes, & Tribunalia suprema, adversus juris rigorem id postulat: quod ex eo confirmat, quia licèt de jure pecunia creditori potiori soluta possit ab anteriori revocari, ut latè declarat Paulus *cons.* 69. *n.* 1. & Surdus *cons.* 5. *n.* 25. nihilominus ubi pecuniæ sunt bona fide solutæ, ne mundus litibus involvatur, non posse ab anteriori revocari juxta Tribunalium praxim, tradunt Afflictus *dec.* 190. Capycius *dec.* 178. & Rota à Ricciullo *d. c.* 40. *n.* 17. relata. Quin etiam si agatur de filia alicujus magni Principis hæretici, fiscum debere illam dotare, tradit Franciscus Peña à Farinacio *d.* §. *n.* 8. relatus.

475 Contrarium, & filios orthodoxos ob paternam hæresim non privari dote, sed à fisco ex bonis paternis confiscatis debere dotari, docuerunt Plotus, Franciscus Becius, Afflictus, Joannes de Lignano, Corrasius, Mangilius locis suprà *n.* 430. 437. 439. 440. *&* 441. relatis, Merlinus *alleg. q.* 31. *n.* 30. Joannes Nicolaus Lucidotus *de illegit. Clericorum, tit. cap.* 19. *n.* 12. & de æquitate canonica idem sentiunt Joannes Rojas *singul.* 47. & Farinacius *d. q.* 191. §. 1. *n.* 8. *versic. Contrarium.* Probatur, quia à fisco filiis orthodoxis debentur alimenta, ut suprà *n.* 421. probatum est: ergo & filiabus hæretici legitimis, & illegitimis ex bonis confiscatis debetur dos, quæ loco alimentorum est, ut docet Bartolus *in l. fin. ff. de iis quibus ut indign.* & alimenta, ac dos à pari procedunt, ut sæpiùs in præcedentibus dictum est. Et fortiùs, ac multò magis debetur dos quàm alimenta, ad evitandum in fœminis periculum impudicitiæ, quod illis imminere facilè potest; si ob defectum dotis nequeunt nubere.

§. XLV.

Pœna privationis hæreditatis, & legitimæ, statuta contra filios orthodoxos patris hæretici, an extendatur ad nepotes.

476 Utrum verò pœna privationis hæreditatis, & legitimæ, statuta *in d. cap. Vergentis, de haeret.* afficiat nepotes, videntur sentire communiter Doctores eam pœnam extendi ad nepotes tantùm ex linea masculina. Doctores ita sentientes referunt, & sequuntur Molina *de justit. tom.* 3. *disp.* 658. *n.* 19 & Farinacius *d. disp.* 191. *n.* 21. *&* 50. & Merlinus d. *q.* 31. *n.* 11. & ita oportet sentiant etiam Peregrinus & alii suprà *n.* 454. relati. At contrarium, & non comprehendi, videtur rectè sustineri posse, quia dictum c. *Vergentis*, intelligendum est juxta dispositionem legis *quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, quam allegat, dum pœnam confiscationis bonorum contra hæreticos statuit. Juxta verò dictam legem *quisquis*, §. *filii verò*, probabile est non comprehendi nepotes, ut suprà *d. n.* 454. notatum est.

§. XLVI.

An dicta pœna afficiat solùm filios conceptos post commissum crimen hæresis.

477 Dubitatur etiam utrum præfata pœna comprehendat filios natos, aut conceptos ante commissum crimen hæresis, an verò solùm conceptos post crimen. Comprehendere etiam natos, aut conceptos ante crimen hæresis patratum, tradunt communiter Doctores, quos referunt Farinac. *d. q.* 191. §. 1. *n.* 40. Sanch. *in Sum. lib.* 2. *c.* 27. *n.* 9. & Merlin. *d. q.* 31. *n.* 29. Ita sentiunt iidem Farinacius, & Merlinus, qui etiam refert ita censuisse Rotam: & ita oportet sentiant Rolandus loco suprà *num.* 455. citato, & alii, quos idem Rolandus, Farinacius & Sanchez locis *eodem n.* 455. relatis referunt, quorum fundamentum præcipuum est, quod dictum caput *Vergentis*, sicut & dicta lex

quisquis, loquuntur absolutè,& indistinctè de filiis,& sic videntur expressè comprehendere etiam filios natos & conceptos ante delictum.

478 Contrarium,& pœnam dicti capitis *Vergentis*,quoad filios non procedere nisi in filiis conceptis post commissum hæresis delictum, tenent Ananias *in d. c. Vergentis, n.17. de hæret.* Simancas *de Cathol. instit. tit.29. rub. de filiis, & minor. n. 22. & seq.* Clarus §. *hæresis, n.12.* Ludovicus Molina *de primog. lib.4.cap.ult.n.55.* alter Molina *de instisia,tom.3. disp.658. n.20.* Sanchez *lib.2. Sum. cap.27. n.10. & seq.* & plures alii Jurisperiti à Farinacio *d. quæst.191. §.1.n.39.* & Sanchez *d. cap.27.n.14.* relati. Et hanc sententiam latissimè probant Molina Theologus, & Sanchez *loc. cit.* sed præcipuè ea ratione,quod cùm versemur in materia odiosa, & præsertim ut innocentes puniantur, filii nati, aut concepti ante crimen hæresis, aut læsæ Majestatis humanæ, non sunt censendi filii patris hæretici, aut perduellionis, seu non sunt computandi inter filios hæretici, aut perduellionis: in dicta autem lege *quisquis, & d. cap. Vergentis*, puniuntur filii patris perduellionis, & hæretici; & sic est sermo de filiis comparatione qualitatis patris, & consequenter formaliter de filiis, qui post eam qualitatem nati, aut concepti sunt; hancque intellectum exigit odium legis, præsertim innocentem punientis: quod latiùs exemplis declarat *loco citato* Molina.

§. XLVII.

Filii orthodoxi an priventur hæreditate materna ob matris hæresim.

479 UTrum quoque filii orthodoxi priventur materna hæreditate, etiam quoad legitimam, ob matris hæresim,affirmarunt plures Jurisperiti,quos referunt, & sequuntur Farinacius *d. q.191. §.1. n. 20.* & Merlinus *de legitima,lib.3. tit.1. citata q.31. n.10.* Sed contrarium rectè sustineri potest, propter tradita suprà *num. 451.*

Plura de hac materia confiscationis bonorum ob crimen hæresis, & quando, necne filii priventur hæreditate parentum hæreticorum, videantur apud Farinacium *de hæresi, d. q.19.* Merlinum *d. q.31.* Molinam *tom.3. de Iustitia, d. disp.658.* Azorium *p.1.lib.8. cap.13.* & Sanchez *d. lib.2. Summa, c.17. cum pluribus sequentibus.*

480 Ex dictis colligitur, filios hæretici in foro conscientiæ posse occultè surripere ex bonis paternis, etiam extra extremam necessitatem, tantum quantum ad sui commodam sustentationem requiritur: quod tenent Gulielmus Benedictus, & Palaus locis suprà *n.460.* citatis, & probant etiam *ibid.* tradita.

§. XLVIII.

Donatarius omnium bonorum paternorum an teneatur, & cogi possit alere filios pauperes donatoris, etiam illegitimos, & spurios.

481 DUbium octavum, an donatarius universalis omnium bonorum paternorum teneatur ex bonis donatis alimenta præbere filiis pauperibus,& non habentibus aliunde unde se alere possint.

Hucusque actum de obligatione alendi filios, qua adstringuntur patris hæredes proprii in testamento, vel ab intestato, & qui tanquam hæredes censentur, utpote successores universales in omnibus bonis paternis, ut sunt fiscus, monasterium, possessor majoratus. Restat modò videre, an quilibet bonorum paternorum possessores, etiamsi non sint, nec censeantur hæredes, teneantur alere filios ejus, cujus bona possident. In hoc igitur dubio quæritur, an donatarius omnium bonorum, seu qui ex titulo purè lucrativo possidet omnia bona paterna, teneatur,& cogi possit alere filios inopes illius cujus bona possidet.

Doctores asserunt communiter, donatarium (estò adversus eum non detur actio personalis, nec præcisè cogi possit ad alendum,) si tamen recuset alere, officio judicis, quod impertitur contra tertium possessorem, *l. quando*, §. *Is autem*, *ff. de edendo*, ut post alios docet Gaspar Anton. Thesaurus *quæst.for. lib. 2. q.67. n.19.* posse,& debere cogi alere filios donatoris, etiam illegitimos, & spurios. Ita Ripa *in l. si unquam, q. 27. Cod. de revocanda donatione*, Rolandus à Valle *cons.54. n.67. vol.2.* Covarruvias *de sponsalibus, p. 1. cap.8. §.6. n.14.* Surdus *de alimentis, tit.1. q.50. n.1.* Antonius Thesaurus *decis.211. n. 8.* Gaspar Ant. Thesaurus *d.q.67. n.20.* Giurba latè *decis.5.§.19.n.43 44. 46. & 47.* Steph. Gratianus *discept. for. tom.2. c.247. n.59.* Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis Clericorum, c.19. n.9.* Salgado *in labyrintho, p.2.c.24.n.108. & 113.* & alii Jurisperiti à Surdo, & Giurba relati, & ex Theologis Azorius *p.2. lib.2. c.5. q.5.* & alii suprà *n. 351.* allegati. Ratio est, quia etsi donatarius aliàs non teneatur ad debita defuncti, ubi donatio non fuerit in fraudem creditorum, ut tenet Ant. Thesaurus *d.n.8.* & esto non detur hypothecaria pro alimentis filiorum contra tertium possessorem paternorum bonorum, ut traditur infrà, nec onus alendi filios sit reale, bonis ipsis paternis inhærens; & ita filiis contra donatarium non competat actio, seu jus in re, neque actio personalis propria; nihilominus cùm alimentorum ea præstatio ex æquitate naturali procedat, dari debet contra donatarium omnium bonorum paternorum possessorem actio officio judicis: quod in æquitate fundatur, & ratione ejusdem æquitatis in hac materia alimentorum solet plerumque à ratione juris recedi, ut tradit Glossa *in §. Item nobis, versic. Nihil suum, Instit. per quas personas nobis acquir.* & alii, quos Gasp. Ant. Thesaurus *d. q.67. n.19. fin.* allegat: & idem judicis officium imploratur etiam cessante actione, ut probat Thesaurus *d. n.19.* cum aliis. Quare quod Merenda *controv. jur. tom.3. lib.13. c.3. n.18.* ait, scilicet contra tertium possessorem omnium bonorum paternorum, ex titulo lucrativo pro alimentis filiorum non posse agi, eo quòd semper opus sit, ut is qui possessorem ratione suæ possessionis vult convenire, habeat jus in re ab ipso possessa, §. *Omnium, Instit. de action. & l. actionum, ff. de act. & oblig.* non est contra præfatam communem Covarruviæ, & aliorum Doctorum, qui non aiunt contra donatarium omnium bonorum paternorum filiis competere actionem in re, neque præcisam coactionem; sed solùm dari actionem ex officio judicis, seu donatarium officio judicis in æquitate fundatum debere cogi filiis pauperibus alimenta ex bonis à patre titulo lucrativo habitis præstare. Confirmantur prædicta ex doctrina pariter communi Doctorum, de qua Merlinus *de legitima, lib.2. tit.1. q.18. n.1.2.3. & 4.* cum aliis, quod ex bonis patris donatione, & alio titulo lucrativo alienatis deducitur legitima. Procedere etiam prædictam communem quoad filios, sive legitimos, sive illegitimos, post donationem conceptos, in terminis notant Ripa, & Lucidorus *locis citatis*: quod alia non eget probatione.

§. XLIX.

Filiis pro alimentis an competat hypotheca in patris bonis, ad quoscumque possessores bona titulo lucrativo, vel oneroso transeant.

CONtroversia est inter Doctores, an pro alimentis tacita hypotheca filiis tam legitimis, quàm illegitimis detur in bonis patris, ad quemcumque possessorem transeant, sive titulo lucrativo, sive oneroso, ita ut onus alendi liberos transeat etiam in singularem successorem, qui titulo oneroso, nempe emptionis, similisve contractus, bona patris obtinuit, & possidet.

483 Sententiam affirmativam tenuerunt Castrensis *cons.*8.*vol.*1. Durantes *de arte testandi, tit.*3.*de liber.instituend.caut*:17.*n.*7. Decius *cons.*376. *num.*3. Becius *cons.*8. *num.*7. 11. *& sequentibus*, & Lupus *in cap. per vestras*, §.23. *num.*16. *de donat. inter virum, & uxorem*: & pro hac sententia videntur stare Doctores, qui volunt onus alendi liberos esse reale, bonis paternis affixum, & inhærens, illaque comitans: quos Doctores allegavi suprà *num.* 354. Durantes probat per textum *in l.*2. *ff. de alim. legatis.*

484 Contrariam tamen sententiam, & filiis non competere hypothecam in bonis patris, atque ita onus alendi liberos non transire in singularem successorem bonorum patris, aut in eum qui patris bona titulo emptionis, similisve contractus possidet, docent magis communiter Iurisperiti. Ita Covarruvias loco suprà *n.*481. citato, Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *idem rescripsit*, *n.*81. *ff. de liber. agnosc.* P. Barbosa *ad l.*1.*part.*4. *num.*73. *versic. Qua tamen ratio*, *ff. soluto matr.* Surdus *de alimentis*, *tit.*8. *privil.* 51. *num.*2. Giurba *decis.*5. *n.*46. Merenda *contr. jur. tom.*3.*lib.*13. *cap.*1. *num.*1. *&* *cap.*3. *n.*17. 18. 19. Gaspar Antonius Thesaurus *qq. for. lib.*2. *quæst.*67. *n.* 18. *&* 20. *fine*, Joannes Lupi *de illegitimis*, *comm.*2. *num.*29. *initio*, Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis clericorum*, *cap.*19. *num.*1. *&* 16. Salgado *in labyrintho*, *part.*1. *cap.*24. *num* 89. *&* 109. 110. 111. Stephanus Gratianus *tom.*2. *cap.*366. *n.*2. 3. *&* 6. & alii ab eodem Gratiano, Salgado, & Barbosa relati, & ex Theologis Azorius *part.*2. *lib.*2. *c.*5. *q.*5. *versic. Quæres*, & alii suprà *num.* 351. allegati; nullo enim jure probatur hujusmodi hypotheca: & licèt pater teneatur alere filios nepotes, nihilominus jure naturali, & positivo attentis, habet bonorum suorum liberam administrationem, & vivens potest illa alienare validè, dummodo non in fraudem legis, ut suprà *n.*354. ubi assignata est differentia inter hæredem, & successorem universalem bonorum patris, & emptorem illorum, singularemque successorem, notatum est, & expressè tradit *loco citato* Corduba, & etiam Surdus *de alimentis*, *tit.*1. *quæst.*50. *n.*2. Neque obstat dicta lex 2. *ff. de alim. legatis*; nam hæc lex (ut Covarruvias post alios notavit) habet locum dumtaxat in bonis, quæ expressè designantur in testamentis, vel in contractibus ad alimenta alicui præbenda. Hinc licèt ubi pater ære alieno ingenti detineretur, præsertim contracto malè utendo bonis, ad favorem filiorum fore deducenda alimenta asseruerint Cassius, Durantes, Becius *loco citatis*, & relati à Merlino *de legit. lib* 5. *tit.*3. *q.*6. *n.*26. & addant etiam ita in facto Forlivii judicatum fuisse, idque ob dictum fundamentum, quod onus alendi filios inhæreat bonis, & bona paterna intelligantur obligata, & consequenter stante hac obligatione anteriore, filii sunt creditoribus patris præferendi; nihilominus juxta tradita dicendum est, dicta alimenta non esse deducenda, nisi æs alienum à patre dolosè, & in fraudem esset contractum, juxta tradita *infrà*, *n.*487. & ita creditores patris hypothecarios præferri filiis alimentariis pro alimentis agentibus, tradit Salgado *d. n.* 89. asserens esse conclusionem verissimam, & communem, eo quòd filii pro alimentis habeant solùm actionem ad ea consequenda.

Igitur si fuerint in testamento certa corpora, seu bona designata pro præstatione alimentorum, hujusmodi bona pro alimentis remanent particulariter affecta, & tacitæ hypothecæ subjecta, obligatioque illa alimentorum sequitur quemcumque possessorem illorum bonorum, ex communi Doctorum sententia. Ita Azor *in summa, ff. de alim. leg. num.*5. Bartolus *in d. l.*2. *& in l. Lucius, ff. de alim. legat. & in l. fundus, de annuis legatis*, Covarruvias *cap.* 60. *n.*481. Guido Papæ *quæst.*76. *num.*1. Surdus *d. privil.* 51. *num.* 3. Gaspar Antonius Thesaurus *d. num.*18. *& num.* 20. Giurba *d. decis.*5. *num.*13. Stephanus Gratianus *d. cap.* 366. *num.*6. Salgado *d. cap.* 24. *num.*98. *&* 99. & alii Iurisperiti à Covarruvia & Giurba relati: & ex Theologis Azorius *loco citato*, & colligitur *ex d. l. Lucius.* An verò regulare sit, ut ubi aliquid debetur, vel relinquitur super certis bonis, vel præstandum ex tali fundo, ea censeantur obligata pro tali relicto, ut tenet Aymo *cons.*20. *num.*10. & alii à Surdo *tit.*8. *dicto privilegio* 51. *num.*4. relati; an verò id singulare sit, & speciale alimentorum favore, & in aliis favorabilibus relatis causam piam concernentibus, ut probant Guido Papæ *d. quæst.*576. *num.*1. Gigas *de pensionibus*, *q* 51. *n.*3. videatur Surdus *d. privilegio* 51. *num.*4. *cum seq.* ubi & ipse *num.*4. tenet esse speciale in alimentis, *d. l. Lucius*, eo quòd si aliud quid relinquatur præstandum ex tali fundo, datur sola actio personalis, non verò realis, *l. fin. in fine, ff. de contrah. empt.* & *l. liberto*, juncta glossa ibi, *ff. de annuis leg.* 485

Utrum verò contra singularem successorem ex titulo oneroso, si possideat omnia patris bona, vel majorem partem bonorum, filio inopi detur, seu dari debeat actio ex officio Judicis, sicut suprà *num* 482. conclusum est dari talem actionem contra donatarium, & possessorem omnium bonorum patris ex titulo merè lucrativo? Affirmativè respondet Surdus *de alimentis*, *tit.*1. *quæst.*50. *num.*2. eo quòd, inquit, militet contra eum eadem æquitas, quæ contra possessorem omnium bonorum ex titulo lucrativo; contra ementem verò aliqua bona ait non dari talem actionem, quia contra illum ea æquitas non militat. Etsi huic responsioni ait obstare regulam, quod pater potest de bonis suis liberè disponere, præcipuè titulo oneroso, seclusa fraude, & fictione. 486

Hanc tamen Surdi responsionem refutat Gaspar Ant. Thesaurus *d. q.*67. *num.*20. quia si esset vera, etiam pro legitima filiis competeret actio contra emptores & alios creditores, quod negant communiter Doctores, quos referunt Merlinus *de legit. d. lib.*2. *tit.*1. *quæst.*18. 19. & Gratianus *d. cap.*66. *num.*3. & nunquam fuisse observatum sub prætextu hujus æquitatis, ait *loco citato* Gaspar Antonius Thesaurus.

Verum autem est, quod Surdus *d. quæst.*50. *num.* 3. & cum aliis Merlinus *de legitima*, *d. tit.*3. *quæst.* 6. *n.*24. *&* 15. aiunt, scilicet pro alimentis filiorum dari actionem contra singularem successorem ex titulo oneroso, si pater alienat bona fictè, vel in fraudem, ad eludendum filium, ut si fingat vendere, & confiteatur recepisse pretium: quo casu venditio, seu alienatio non præjudicat filiis quoad legitimam, ut tradunt communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Surdus *d. num.*3. & Merlinus *de legitima*, *lib.*2. *tit.*1. *q.*18. *& d. quæst* 6. *num.*22. & ita etiam Joannes Lupi *d. n.*29. *versic. Verùm traditionem*, Joan. Nicol. Lucidorus *allegat. n.*1. ac etiam Ant. Thesaurus *decis.* 211. *n.* 11. ubi post relatam Durantis opinionem, illam admittit solùm quando bona alienata essent à parentibus in fraudem; tunc enim ait filiis competere actionem 487

hypothecariam contra tertios possessores ad consequenda alimenta, & alias cessare. Addunt Surdus *d. q. 50. n. 5.* & Merlinus *eadem quæst. 6. num. 26.* quod etiam in casu, in quo pater prodigè, & luxuriosè, seu malè vivendo, ut ludendo, vel aliter malè utendo, dilapidasset, & titulo oneroso alienasset omnia bona, ad favorem filiorum danda esset actio contra tertios possessores pro alimentis consequendis; & similiter si pater ære ingenti gravatus esset ob talem dilapidationem, filii quoad deductionem alimentorum præferri debent creditoribus patris dilapidatoris, quibus malè vivendo bona, & se obligaverit: & ita in facto in hujusmodi casibus contra creditores Forlivii iudicatum fuisse testatur Merlinus *in fine dicti art. 26.* quamvis huiusmodi additionem, seu extensionem dubiam satis habeat Joannes Nicolaus Lucidorus *d. cap. 19. num. 2.* dicens se nunquam audisse opinionem Surdi, & Merlini in judiciis practicari. Verùm eam esse maximè conformem æquitati, & servandam in iudicando existimarem, si emptores, seu creditores, dum à patre dilapidante, & malè utente bonis, & pecunia ex bonis venditis, vel hypothecatis retracta, emerunt bona, novissent malum patris usum, vel eum fore malè usurum pecunia cum evidenti, & urgenti periculo defectus alimentorum eisdem filiis necessariorum. Cùm enim in huiusmodi casu, nec pater, nec emptores, seu pecuniam dantes patri dilapidatori, sibi ipsis noto ut tali, excusentur à culpa, de hoc casu, sicut de alio casu alienationis in fraudem legis iudicandum videtur, & convenit quod culpa emptorum, seu creditorum illos efficiat deterioris conditionis ad favorem filiorum. Sed & quando creditores patris ratione ususfructus bonorum fideicommissariorum, vel adventitiorum filii patri debiti, durante patria potestate bona iudicis decreto occuparunt (ut posse occupare post Ascanium Clem. *de patria potest. cap. 6. effectu 12.* Covarruvias *var. lib. 1. cap. 8. n. 7.* & Hondedeum *cons. 19. num. 17. & 18.* tradit Joannes Baptista Costa *de subsidiariis rem. remedio 4. n. 6.*) ex eisdem bonis in subsidium à creditoribus debere præstari alimenta filiis, asserit idem Costa *d. rem 6. n. 6.* post Boërium *decis. 7.* Addit etiam idem Costa ex Surdo *cons. 367. num. 3. vol. 3.* quod licèt ex substantia filii non sit solvendum æs alienum patris, attamen ita providendum est patri ex fructibus bonorum filii, quod creditores debeant pati deductionem alimentorum, etiam usufructuarii patris; quia hac via, inquit, consulitur utrique parti, scilicet patri, & creditoribus, qui si hanc humanitatem abhorreant, contra propria (more fœminarum) laborant commoda: nam subtractis alimentis necant usufructuarium patrem, cui quantocyùs, atque miserrimè cum ususfructus jactura moriendum est, & sic finitur ususfructus, *§. ult. Instit. de usufruct.* & latè probat Ioannes Castillo *de usufructu, c. 6.* Ita Costa, & conformiter æquitati, à qua iudices non debent recedere.

488 Vtrum autem sicut contra eum, qui à patre emit, vel alio titulo oneroso habuit bona, non competit filiis actio ad alimenta consequenda, ubi pater absque fraude, & non malè utendo alienavit: ita etiam si mortuo patre ab hæredibus, vel donatario omnium bonorum paternorum eadem bona paterna essent alienata, nulla contra habentes eadem bona ab hæredibus, vel donatario dari debeat actio, seu competat hypotheca filiis ad consequenda alimenta, quæ hæredes, vel donatarius à patre habentes bona præstare adstringuntur? iuxta tradita in præcedentibus, videri potest bona paterna, quæ ab illius hæredibus, vel donatario universali transierunt in alios, remanere libera ab onere alimentorum, sicut quando à patre ipso titulo oneroso pervenerunt ad tertium possessorem, cùm videatur militare eadem ratio liberæ administrationis propriorum bonorum, de quo suprà, *num. 354. & num. 484.* At nihilominus Antonius Thesaurus *d. decis. 211. citato num. 11. fine,* expresse asserit, filiis competere actionem hypothecariam contra tertios possessores, ad quos per alienationem, licèt onerosam, factam ab hæredibus patris, bona paterna pervenerunt. Idem censetur sensisse Rota *decis. 747. num. 6. & 7. p. 4. diversorum,* & Merlinus *de legitima, lib. 3. tit. 1. quæst. 28. n. 10.* dum dixerunt, bona propter patris delictum confiscata, oneri alimentorum filiis præstandorum subiecta esse non solùm dum penes fiscum existunt, sed etiam cùm manent penes quemcumque à fisco habentem causam, ut etiam suprà *n. 432.* notatum est. Ita quoque expressè Joannes Nicolaus Lucidorus *allegato cap. 19. n. 16.* universaliter asserens eos, ad quos bona ascendentium titulo lucrativo transierunt, quales sunt eorum hæredes, vel donatarii omnium bonorum, non posse ampliùs onus alendi, & dotandi filios, & filias aliunde non habentes, quod cum bonis hæreditariis, vel donatis ad ipsosmet transivit, ab iisdem bonis auferre, etiamsi ea bona titulo oneroso in alios transferant. Ratio satis concludens ea est, quod cùm iuxta doctrinam in præcedentibus traditam, ea bona à patre, vel avo filiorum transiverint ad hæredem, vel donatarium cum dicto onere alendi filios, & dotandi filias inopes, semper idem onus apud ipsos manet, sicut alia patris defuncti, vel donantis debita ante bonorum translationem ab eodem patre contracta, prout etiam in præcedentibus sæpiùs notatum est, agendo de obligatione hæredis patris defuncti alendi, & dotandi filios, & filias inopes eiusdem patris, quam hæres, vel donatarius patris in bonis paternis successor tenetur solvere, nec à solutione alienando bona se potest eximere; & sic bona ab hærede, vel donatario alienata semper manent obnoxia tam solutioni aliorum debitorum patris, quibus proinde pro illis consequendis dari debet actio contra emptorem hæredis, vel donatarii, qui ante alienationem non satisfecit dicto oneri alimentorum, & dotis: quare in hæredibus, & donatario patris non est ea libertas alienandi bona paterna, ab illisque auferendi onus alimentorum, & dotis, quæ est in ipso patre cui specialiter leges, ut suprà *n. 354. & 484.* notatum est, & tradunt Doctores iisdem numeris allegati, permiserunt ut posset vivens bona sua liberè, & validè alienare, dummodò non in fraudem legis: quod non reperitur concessum hæredi, vel donatario ejusdem patris, ad quos onus paternum jam transiverit.

SUMMARIUM
Capitis Octavi.

Doctores tractantes an frater dives, ut frater teneatur alere, & dotare fratres, & sorores pauperes, num. 489.

De jure humano frater dives, ut frater tenetur in subsidium alere sororem pauperem utrinque conjunctam, n. 490. & etiam fratrem utrinque conjunctum pauperem, n. 491. & 492. & iuxta genus, & conditionem eorum, n. 493.

Parentes strictiori obligatione tenentur alere filios pauperes, quàm frater dives fratrem, aut sororem pauperem, n. 492. fine.

Tenetur etiam frater dives, ut frater, de iure civili præbere alimenta fratri, & sorori ex parte patris tantùm, si egeant, n. 494. & 495.

Frater ut hæres matris, tenetur alere fratrem, & sororem uterinos tantùm pauperes, n. 496.

An frater dives, ut frater, obligetur fratres, & sorores uterinos tantùm pauperes alere. Negativa n. 497. Affirmativa, n. 498.

Affectio eadem est circa uterinos, quæ circa coniunctos ex parte patris, & utrinque, ibid.

Intellectus ad l. cùm plures, §. finali, de administrat. tutor. *n. 499. & duobus sequentibus.*

Argumentum de dote ad alimenta valet affirmativè, non negativè, num. 499.

Differen

Differentia inter dotem, & alimenta, ibid.

Frater dives, ut frater, tenetur sororem uterinam pauperem dotare usque ad quantitatem alimentorum, num. 500.

Agnationis, & cognationis differentia in succedendo ab intestato inter fratres, & sorores hodie est sublata, & post fratres, & sorores utrinque conjunctos aequaliter vocantur conjuncti ex altero tantùm parente, numero 501.

De jure naturali, & lege charitatis frater dives fratri, & sorori in extrema, vel gravi necessitate constitutis tenetur subvenire, sicut extraneus, n. 503.

An de jure naturali in foro conscientia sub mortali obligante frater dives, ut frater, teneatur in subsidium alere fratres, & sorores pauperes. Negativa, n. 504. Affirmativa, n. 506. 507.

Quae alimenta, an solùm simpliciter necessaria vitae, an pro dignitate, n. 507.

Stante dispositione juris humani, & legum civilium, quod frater dives, ut frater teneatur, & debeat alere fratrem, & sororem pauperes, an etiam in foro conscientiae ad id obligetur sub mortali ad subministranda illis alimenta, & pro dignitate personae, num. 508. 509. 510. & 511.

Si frater, & soror pauperes sint, & frater dives non possit utrinque subvenire, magis obligatus est praebere alimenta sorori quàm fratri.

Frater dives, ut frater, tenetur alere etiam fratres naturales egenos, n 512.

In materia alimentorum naturalis non differt à legitimo, ibid.

Frater dives, ut frater tenetur fratres, & sorores spurios uterinos egenos alere pro dignitate, & conditione personae, n. 513. & 514.

An teneatur alere fratres, & sorores spurios ex parte patris pauperes, n. 515. 516. & 517.

Fratres spurii ex parte patris non retinent jura cognationis, nec naturales, aut fratres vocari possunt, numero 515.

Frater dives, ut frater, etiam sorori nuptae aliunde non habenti tenetur subministrare necessaria vitae, n. 518.

An etiam fratri, & sorori egenis justè à patre exhaeredatis, n. 519. & 520.

Quid si fuissent injustè exhaeredati, n. 521.

Frater an, & quando possit fratri inopi erga se ingrato denegare alimenta, n. 522.

An fratri egeno, qui bona pro alimentis sibi à patre assignata malè consumpsit, teneatur praebere alimenta, & quae, n. 523. ad 526.

Frater non tenetur ut frater alere fratrem, qui ex bonis propriis, vel artificio, aut officio potest honestè vivere: & quid si solùm extra patriam possit honestè vivere, n. 527. & 528.

Primogenitus ex Principis rescripto, vel dispositione statuti, aut consuetudinis successor in tota haereditate, in primogenio, aut in toto feudo, an teneatur alere secundogenitum divitem, qui habet aliunde, num. 529. ad 534.

Legitima debetur etiam habentibus unde se alere possunt, n. 532.

Praeterita alimenta possunt peti, quando debentur jure actionis, & ex dispositione statuti, vel consuetudinis, aut hominis, ibid.

Vita, & militia à primogenito succedente in feudum debetur secundogenito diviti, & etiam si pater eidem secundogenito aliquid certum, vel aliqua alia bona reliquerit, n. 533.

Frater dives, ut frater, tenetur sororem utrinque, vel ex parte patris conjunctam dotare, ubi ejus pater, aut mater, caeterique ascendentes, aut eorum heredes non extant, vel dotare non possunt, nec ipsa aliunde habere potest dotem, n. 536.

Idque procedit etiam in fratre pupillo, aut minore divite, num. 537.

Ut minor, seu ejus tutor validè pro dote sororis inopis alienet bona mobilia, & immobilia, an requiratur decretum judicis, ibid.

An requiratur minoris juramentum, ut adversus alienationem praedictam, & promissionem dotis non detur eidem minori restitutio, n. 556. fine.

Sorori habenti aliquid, quod tamen non sufficit ad congruam dotem, frater dives tenetur dare supplementum usque ad quantitatem competentis dotis, n. 538.

Tenetur etiam frater dives ad additamenta dotis, scilicet jocalia, & vestes, quae sponsis dantur, n. 539.

Ultra dotem filiae à patre, vel avo relictam frater haeres tenetur eidem filiae tradere praetensa additamenta dotis, licèt in testamentis patris, aut avi non fuerint relicta, ibid.

Frater ut haeres matris ejusdem, tenetur dotare sororem uterinam ex alio patre natam, n. 540.

Frater dives, ut frater, an jure civili teneatur in subsidium dotare sororem uterinam inopem, & an ut pro conditione sui generis possit honestè nubere, num. 541. ad 546.

Iuxta legem Regum Hispan. 18. tit. 6. p. 6. frater dives, ut frater, an teneatur dotare sororem uterinam inopem, num. 543.

Leges municipales sumunt interpretationem à jure communi, ibid.

Frater pro dotanda sorore utrinque, vel ex parte patris conjuncta inope potest alienare bona fideicommissi à patre, vel avo paterno constituti, & an etiam pro dotanda sorore uterina, n. 547.

Pro dotanda sorore utrinque, vel ex parte patris conjuncta egena, an frater possit alienare bona fideicommissi à fratre relicti, etiamsi haberet bona propria libera. Negativa, n. 548. Affirmativa, n. 549.

An etiam pro dotanda sorore uterina inope, n. 550.

Ex fructibus majoratus, & fideicommissi frater, ut frater tenetur dotare sororem inopem, n. 551.

Frater dives, ut frater, an ex obligatione juris naturalis teneatur dotare sororem, n. 552. & 553.

An ex vi juris humani teneatur eandem sororem inopem dotare, ut honestè juxta genus suum possit nubere, n. 554. & 555.

Frater, ut frater, an sorori, justè à patre exhaeredatae teneatur dotem dare, si sit pauper, num. 556. & 557.

Constante matrimonio, neque pater, neque frater filiam & sororem semel dotatam, quae dotem etiam absque sua culpa amisit, tenetur iterum dotare, n. 558.

Pater filiam à se dotatam semel, si dos absque eius culpa sit amissa, tenetur iterum dotare, n. 559.

Frater dives, ut frater, an sororem inopem, quam semel dotavit, si dotem absque sua culpa amiserit, dotare iterum teneatur, n. 559. & duobus sequentibus.

Sermo simpliciter prolatus regulariter intelligitur de prima vice, n. 560.

Limitatur in dispositione legis, & iuris communis, ac statuti, quae nunquam intelligitur de prima vice tantùm, n. 559. & 560.

Frater non tenetur dare vel relinquere legitimam fratri, n. 560.

Si filius legitimam à patre acceptam casu, & absque sua culpa amiserit, pater vivens tenetur ei novam legitimam dare, vel relinquere, ibid.

Frater dives, ut frater, an teneatur dare dotem sorori naturali, & etiam spuriae egenae, quae aliunde habere non potest. Negativa num. 562. Affirmativa num. 563.

Quod si filia, vel soror spuria dotem datam à patre, vel fratre amiserit, an pater, & frater teneatur eam iterum dotare, ut possit secundò nubere. Negativa n. 564. Affirmativa n. 565.

In casibus, in quibus frater tenetur dotare sororem, eum non posse apponere pactum, quod sorore mortua sine liberis, ad eundem fratrem dos transeat, qui Doctores censuerint, n. 566.

Frater.

num 26. ait, hanc rationem non concludere in legitima filii, quòd etiam data incorporatione, & possessione per filium capta, gratia principis omnia reducat in pristinum, ita quod redacto filio in patria potestate, bona patri quærantur. Quare ipse confirmat ea eo quod acquisitio facta per filium, & capta possessio cōstituit eum dominum incommutabiliter, ita quod ipsi patri omnis alienatio sit prohibita, & solùm dum vivit, & durat patria potestas, ex effectu patriæ potestatis ipse pater sit usufructuarius, & etiam auctis facultatibus, in eis quoque proportionaliter ipsi filio venit augenda eorum bonorum legitima jam constitutis.

Prædicta quoad legitimam filii reservandam quando omnia bona paterna ob patris delictum, quod non sit læsæ Maiestatis, vel hæresis, confiscantor, & publicantur.

§. XXXV.

Ex bonis delinquentis confiscatis deducuntur dotes filiarum ejusdem delinquentis.

428 SEd sicut legitima de corpore bonorum confiscatorum favore filiorum deducitur, ita ex iisdem bonis confiscatis filiabus delinquentis à fisco tanquam hærede, & successore constitui, & dari dotes debent in prædictis omnibus casibus, in quibus legitima filiis debetur. Ita Baldus *in l. fin. n.*9. *Cod. de dotis promiss.* Ripa *in l. ex facto, §. ex facto, n.*9. *ff. ad Trebell.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. si quis ex his : n.*46. *ff. de liber. agnosc.* P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *n.*84. Surdus *de alim. tit.* 1. *q.*31. *n.*16. Farinacius *d. q.*24. *n.*46. Merlinus *de legit. lib.* 3. *tit.* 1. *q.* 28. *num.* 6. Ricciullus *de jure personarum lib.* 5. *c.* 30. *n.* 3. *ad* 8. & alii Jurisperiti communiter, tum relati supra *n.*409. tum latè allegati à Farinacio, Surdo, & Corduba *locis citat.* & ex Theologis Sanchez, Rebellus, & Palaus *locis suprà n.*409. *citatis*: idque probant omnia suprà *n.*410. & 411. tradita ad probandum legitimam filiorum condemnati deduci ex bonis confiscatis, non obstante, quod statutum, vel bannum imponat simpliciter omnium bonorum confiscationem: dotare enim filias est onus paternum, patri de jure naturali, & positivo incumbens, *d. l. fin. Cod. de dotis promiss.* & dos loco legitimæ debetur, ac proinde fiscus, qui est tanquam hæres, & successor universalis, sicut legitimam, ita & dotes filiabus delinquentis, in cujus omnia bona successit, competentes juxta statum, de bonis confiscatis præstare debet, & omnia jura *d. n.*410. & 411. adducta, sicut legitimam, ita etiam dotes ex bonis confiscatis deducendas esse probant, ad idque à præallegatis Doctoribus, & aliis afferuntur.

429 Quod si fiscus tenetur ad dotes constituendas, & dandas, multò magis contra fiscum sustinentur dotes, & donationes propter nuptias per parentes, etiam post delictum, sed ante condemnationem constitutæ, & factæ, ut tradit Ricciullus *d. c.*30. *num.*6. post Angelum *in l. si quis, n.*3. *ff. de bonis damnatorum*, & Nattam *cons.*212. *n.*3. Tum quia cùm actus dotandi procedat ex necessitate pietatis paternæ, ut probat Baldus *in d. l. fin. n.*2. & 3. non potest præsumi factus in fraudem futuræ condemnationis, *l.* 1. *§. sed & si libertus filiam, ff. si quid in fraudem patr.* Tum etiam, quia licèt ubi confiscatio bonorum fit ipso jure, sententia retrotrahatur ad diem commissi criminis, ut latè ostendi *tom.* 1. *mor. var. c.*12. *n.*173. tamen semper refert causam filiorum, nempe pietatem paternam, potiorem, ut præfati Doctores juxta sæpiùs allegatam legem *cùm ratio, ff. de bonis damnatorum*, docent.

§. XXXVI.

Alimenta filiis etiam naturalibus, & spuriis fiscus in omnibus bonis patris delinquentis succedens præstare debet.

ALimenta pariter tenetur fiscus, uti hæres, & successor generalis, ex bonis confiscatis condemnati præstare, ut tradunt Doctores communiter. Ita Baldus, Ripa, Corduba, P. Barb. Ricciullus *locis* suprà *n.*428. *citatis*, Peregrinus *de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.*75. Bossius *tit. de alim.* Surdus *d. q.* 3. *n.* 1. & 31. Farinacius *d. q.*24. *n.*40. Merlinus *d. q.*28. *n.*8. Rota Romana *decis.* 747. *n.* 5. cæteri Jurisperiti *suprà n.*409. relati, & alii quos Peregrinus, Rota, & Farinacius referunt, & ex Theologis Sanchez, Rebellus, & Palaus *locis d. n* 409. *allegatis*, & hoc pariter probant tradita suprà *n.*410. & 411. Alimenta enim debentur à parentibus jure naturali, *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* & in præcedentibus sæpiùs ostensum est. Et pro alimentis datur legitima, & consequenter onus alendi filios condemnati, sicut & onus legitimæ, & cætera onera, & obligationes passivæ ejusdem transeunt in fiscum in omnibus bonis patris delinquentis succedentem. Nec statutum confiscationem omnium bonorum simpliciter imponens extenditur ad alimenta. Hinc deducitur, quod si legitima ex bonis confiscatis filiis debita non sufficeret ad congrua alimenta juxta statum, fiscus teneretur supplere ea aliis bonis, ut in terminis Plotus *cons. crim.* 130. *n.*84. Franciscus Beciua *cons.*8. Peregrinus *d. tit.* 1. *n.*76. *versic. intellige*, Merlinus *d. q.*28. *eod. n.*8. Surdus *d. q.*31. *n.*17. & alii ab eodem Surdo relati; & probant tradita suprà *n.*404. 430

Prædicta autem de alimentis, & dotibus procedunt etiam in filiis illegitimis, etiam spuriis delinquentis condemnati; nam & his egentibus tenetur fiscus succedens in omnibus bonis condemnati præstare congrua alimenta, & dotes ea ratione, & mensura, quâ pater ipse obligatur. Ita expressè Hondedeus *cons.*95. *n.*66. *& sequent.* Lupus *in cap. per vestris, in* 3. *notab. §.*24. *n.*8. & 9. Diñas *in reg.*367. *applic.* 4. *fine*, Ripa, Bossius *locis n. praced. cit.* Rota *d. dec.*747. *d. n.*5. Surd. *d. q.*31. *n.* 31. & Farinacius *d. q.*14. *citat. n.*40. & Merlinus *d. q.*28. *n.*9. & Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. Cleric. alleg. c.*19. *n.*11. Jure enim naturali, & positivo pater obligatur alere, & dotare filios, & filias naturales, & spurias, ut sæpiùs in præcedentibus dictum est, atque adeo hoc onus alendi, & dotandi transit ad fiscum in omnibus bonis patris delinquentis succedentem, sicut transiret ad defuncti hæredes; cùm fiscus loco hæredis, & veluti, seu quasi hæres succedat, & consequenter bona cum prædicto onere fisco deferuntur, prout latiùs traditum est suprà, *n.*411. & præter Rotam *d. n.*5. & alios quos ipsa allegat, tradunt alii Jurisperiti *eodem numero* 11. relati. 431

Prædicto autem oneri alimentorum, & dotis bona paterna semper subjecta esse, nedum penes fiscum, sed etiam cùm maneat penes quemcumque à fisco causam habentem, tradit Rota *d. dec.*747. *n.*6. & 7. & sequitur Merlinus *d. quæst.*28. *n.*10. & Lucidorus *d. cap.*19. *num.*14. 15. & 16. 432

Addunt Hondedeus, & Farinacius *locis citat.* quod uncia, vel alia quota hæreditatis filio spurio est debita vigore statuti, cùm loco alimentorum succedant, ut idem Hondedeus latè probat, ideo non venit dicta uncia in confiscatione bonorum, sicut non veniunt alimenta. 433

Intelliguntur verò tradita quoad filios naturales, vel spurios conceptos ante condemnationem, & bonorum publicationem; non verò quoad conceptos post condemnationem, & publicationem bonorum, juxta 434

tradita

tradita suprà *num.*426. & Doctores ibidem allegatos.

§. XXXVII.

Quando bona patris confiscantur ob crimen læsæ Majestatis, an tunc etiam fiscus teneatur filiæ dare legitimam, dotes, & alimenta.

435 SEcunda difficultas, an quando bona paterna confiscantur, & publicantur ob patris crimen læsæ Majestatis, tunc legitima, dotes, & etiam alimenta publicentur, ita ut ex bonis cōfiscatis nihil omnino, scilicet nec legitima, nec dotes, nec alimenta filiis condēnati reserventur, & à fisco debeantur? De hac re habetur textus *in l. quisquis, §. filii verò, Cod. ad l. Iuliam Majestatis,* ubi sic dicitur: *Filii verò, quibus vitam Imperatoria specialiter lenitate cōcedimus, paterno enim debent supplicio perire, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla mutuantur; à materna, vel avita omnium, etiam proximiorum hæreditate, & successione habeantur alieni, ex testamentis] extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes, & pauperes, infamia eos paterna semper concomitetur, ad nullos unquam honores, ad nulla Sacramenta perveniant, sint postremò tales, ut in perpetua egestate sordescentibus, sit eis mors solatium, & vita supplicium.* Ita *d. §. filii verò.* In sequenti verò §. *ad filias sanè,* filiabus indulgetur hoc pacto: *Ad filias sanè eorum, quolibet numero fuerint, falcidiam tantùm in bonis maternis, sive testata, sive intestata decesserit, volumus pervenire, ut habeant mediocrem potiùs filiæ alimoniam, quàm integrum emolumentum, ac nomen hæredis; mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minùs ausuras esse confidimus.*

436 Igitur propter præfatum textum *in d. §. filii verò,* quoad hoc satis clarum, conveniunt communiter Doctores, filios patris rei criminis læsæ Majestatis, non solùm privari tota paterna hæreditate, sed etiam legitima portione, quatenus excedit alimenta jure naturæ filiis debita, & jure civili inducta est, ita ut ex bonis ob crimen læsæ Majestatis confiscatis, hujusmodi legitima non reservetur deducenda. Ita Cardinalis *in Clem. Pastoralis, q.7. num.15. de re judicata,* Bossius *tit. de crim. læsæ Majestatis, n.134. & tit. de bonorum publicat. n.8.* Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.9. n.1. lib.4. tit.5. n.22. & lib.5. tit.1. n.34. fin.* Clarus *in practica, §. crimen læsæ Majestatis, n.12. fine,* Surdus *de alim. tit.1. q.31. n.17. & seq.* Farinacius *in praxi crim. p.4. q.116. §.3. n.77. & 78.* Merlinus *de legit. lib.3. tit.1. q.30. n.1. & 2.* Ricciullus *de jure personarum, lib.5. cap.30. n.8. & seq.* Menochius *conf.275. n.18. cum seq. lib.3.* Carpanus *ad statut. Mediol. de jure fisci n.782.* & innumeri alii Iurisperiti relati à Bossio, Merlino, & Farinacio. Et ex Theologis Sanchez, Rebell. Fagund. & Palaus *loc. infr. cit.* Ratio deducitur *ex d. l. quisquis,* ibi enim tales filii infames efficiuntur, & incapaces successionis, tam ex testamento, quàm ab intestato, ut etiam tradunt Peregrinus *d. tit.9. n.1.* Menochius *d. conf.275.* Farinacius *d. §.3. n.75. & 83.* & alii innumeri ab eodem Farinacio relati. Quod, ut *ex d. l. quisquis* constat, statutum est ob criminis atrocitatem, quæ ad homines à tali crimine deterrendos meruit hanc specialitatem: & ita olim Romanos in atrocissimis delictis consuevisse ad confiscationem omnium bonorum procedere, nulla liberis reservata legitima, refert Alexander ab Alexandro, *genialium dierum lib.3. cap.23. in principio.*

437 Quare Ioannes de Lign. *in d. Clem. Pastoralis,* Corrasius *in l. qui liberos, n.111. ff. de ritu nupt.* Socin. *conf.30. n.7. vol.1.* Mangilius *de imputat. q.4. n.36.* & nonnulli alii ab eodem Mangilio, & Merlino *d. q.30. n.3.* relati, qui affirmant etiam in crimine læsæ Majestatis humanæ, & divinæ filiis legitimam reservari, communiter ab aliis reprobantur.

Præterea Doctores conveniunt, quod filiæ rei criminis læsæ majestatis, *d. l. quisquis* excluduntur à successione in bonis paternis; falcidiam tamen, idest quartam partem ex bonis maternis consequi debent, ut constat *ex d. §. Ad filias,* ubi etiam additur ratio, scilicet quod mitiùs fuerunt puniendæ quàm masculi, quia propter sexus infirmitatem minùs ausuræ creduntur, & ita tradunt Peregrinus *d. tit. 9. n.8.* Farinacius *d. §.3. n.94.* P. Barbosa *ad l.1. p.4. n.83. ff. solut. matr.* & alii Iurisperiti, quos latè *ibid.* Farinacius refert. 438

§. XXXVIII.

Filiæ rei patris criminis læsæ majestatis, an debeant habere dotes congruas ex bonis paternis confiscatis.

COntrovertitur primò, an in terminis dictæ legis *quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis,* filiæ rei criminis læsæ Majestatis debeant congruenter juxta statum dotari ex bonis paternis confiscatis. 439

Negant affirmantes etiam filias excludi omninò à participatione bonorum paternorum, & sic etiam à dote per fiscum tradenda, P. Barbosa *ad l. 1. p.4. n.84. ff. solut. matr.* Surdus *de alim. tit.1. q.32. n.17. & seq.* Peregrinus *de jure fisci, lib.5. tit.1. n.76. fin.* & P. Barbosa refert hoc idem affirmare Ioannem Hannibalem *in l. post contractum, num.226. ff. de donationibus,* Ricciullus *de jure personarum lib.5. c.40. n.8.* & ex Theologis Rebellus *de obligat. justit. p.2. lib.5. q.4. n.3.* & idem sentire videtur Sanchez *lib.2. Summa, cap.16. num.26. fin.* probant Surdus, & Peregrinus, quia ex textu *in d. §. sed ad filias, d. l. quisquis filiabus,* indulgetur ut falcidiam, scilicet quartam & alimenta consequantur ex bonis maternis. Ergo videtur ea negare in bonis paternis, quia inclusio unius est exclusio alterius, *l. cùm prætor, ff. de judiciis, & c. nonne, de præsumpt.* quin etiam P. Barbosa *d. n.84. fin.* quem sequitur Rebellus *loco citato,* addit dotes datas post delictum, scilicet ab eo, qui jam inciderat in crimen læsæ Majestatis, per fiscum revocari: & refert ita sentire Bartolum *in d. l. post contractum, num.12.* ibidem Paulum de Montesino, & Ariam Gomezium *ad d. l.4. Tauri, num.9.* idque ait constare *ex d. l. quisquis, §. emancipationes,* ubi dotes, & donationes post delictum læsæ Majestatis admissum factæ nullius reputantur momenti. Per quem textum idem sentit Ricciullus *d. n.8.* qui tamen *n.9. & 17.* subdit, ex æquitate, & Principum, & supremorum tribunalium benignitate, & miseratione receptum esse, ut filiabus dotes ex bonis paternis ob crimen læsæ Majestatis confiscatis conserventur, & si non fuerint constitutæ, constituantur à fisco, & ita practicatum fuisse per Rempublicam Florentinam, referente Angelo *conf.357. n.2.* & per Regem Ferdinandum in filiis principis Rossani, testantur Afflictus *in cap.1. in principio, glossa 3. num.3. verbo Bona committentium,* Bossius, & Peregrinus *locis infrà citatis,* & alii pariter, qui numero sequenti citantur: & in Senatu Mediolanensi in causa, in qua scripsit Franciscus Becius *allegato conf.8.*

Contrariam sententiam affirmativam, & etiam in terminis dictæ legis *quisquis,* fiscum teneri dotare filias rei criminis læsæ majestatis ex bonis illius confiscatis, tenent magis communiter Doctores. Ita Plotus, & Franciscus Becius *locis suprà num. præcedenti relatis, & eodem cap. 1. §. præterea vassallus, glossa 3. num.80.* Ægidius Bossius *tit. de crimine læsæ majestatis, n.134. & in tit. de bonorum public. num.9.* Gigas *de crim. læsæ Majestatis, lib.3. tit. de pœnis quas filii incurrunt, & c. q.15.* Clarus *§. læsæ Maestatis, n.10.* ubi ait pœnas dictæ legis *quisquis,* non habere locum contra filias, & dicit esse 440

communi

& seq. Becius *cons.8. num.5. lib.2.* Socinus *cons.30. num.3. vol.1.* Ripa *in l. ex facto, n.9. ff. ad Trebell.* Corrasius, & Mangilius *suprà, n.4.* 57: Rota Romana *decis.* 747. *n.8. p.4. diversorum*, Merlinus *de legitima, lib.3. tit.1. q.30. n.6. & seq.* Lucidorus loco superiùs *n.440.* allegato, & alii Jurisperiti relati à Farinac. *d. num.128.* Rota *d. decis.747. n.10.* & Merlino *d. num.6. & 10.* & ex Theologis Castrus Palaus *tom.1. tract.4. disp.5. puncto 11. n.24. fin.* Probatur *ex d. l. quisquis, d. §. filii verò*, nam cùm ibi Imperator Iulianus filios perpetrantium crimen læsæ Majestatis vivere permittat, ibi: *relinquendam esse vitam filiis*; ex consequenti censetur illis concedere alimenta, sine quibus vita nequit sustineri, *l. necare, ff. de liber. agnosc.* Negat hanc consequentiam Surdus quia aliàs (inquit) sequeretur, quod si bona alicui confiscantur, reservatâ vitâ, quod ipse posset petere alimenta. Verùm differt talis casus à præsenti, quia filius, ut sæpiùs dictum est, creditor patris dicitur in alimentis; quod non procedit in eo, cui bona ablata fuerunt: & cùm dispositio dictæ legis *quisquis*, sit odiosa odio intolerabili, dura, & crudelis, cum in ea puniantur filii qui non peccaverunt, propterea, ut suprà *n.430.* dictum est, erit restringenda ut alimenta non auferat; & cùm beneficium, & indulgentia principis sit latè interpretanda, rectè concluditur, quod hujusmodi reservatio vitæ intelligatur etiam cum reservatione alimentorum. Maximè quia communis Doctorum sententia, ut sæpiùs in præcedentibus dictum est, asserit alimenta à parentibus filiis quibuscumque legitimis, & illegitimis, etiam spuriis debita, non posse ulla consuetudine, vel statuto, aut lege licitè tolli, cùm sint jure naturali debita.

445 Procedunt prædicta non solùm in filiis legitimis, sed & in illegitimis naturalibus, & etiam in spuriis, quos illegitimos omnes eadem lege *quisquis*, comprehendi tradunt communiter Doctores, quos referunt & sequuntur Clarus *d. §. læsæ Majestatis, num.11.* & Farinacius *d. quæst.24. num.86.* his enim quoque in confiscatione omnium bonorum paternorum ob delictum læsæ Majestatis reservanda esse alimenta, tradunt in terminis Rota *decis. 747. n.8.* Merlinus *d. quæst. 30. num. 8.* & Lucidorus *loco suprà citato*, & convincunt tradita; & quia quoad alimentorum jus omnes filii jure naturæ sunt æquales. Et sic etiam filiabus naturalibus, & spuriis dos ex eisdem bonis debetur, quæ loco alimentorum est, & à pari procedunt alimenta, & dos, ut superiùs dictum est, & tradunt Bartolus *in l. fin. ff. de his quibus ut indignis*, & Corduba *in l. si quis à liberis, §. si mater, n.16.*

446 Prædictis autem non obstant fundamenta Surdi *n.441.* adducta: non primum, quia *in d. §. ad filias*, Julianus Imperator non loquitur de alimentis, sed de falcidia, seu legitima danda filiabus in bonis maternis; & quoad hoc procedere potest argumentum, ut inclusio fœminarum sit exclusio masculorum: at non procedit ad exclusionem alimentorum, quia sicut & dotes, ut suprà dictum est, non habent eandem rationem, quàm legitima, de qua *d. §.* nam legitima transmittitur, debeturque tam in proprietate, quàm in usufructu; alimenta verò ex fructibus debentur, & mortuo alimentario cessant: & ideo inclusio unius non est alterius exclusivo. Non obstat secundum, quia habens simpliciter alimenta, adhuc egenus dicitur, cùm nihil quod suum sit, in bonis habere dicatur. Secundùm enim communem modum loquendi egenus est qui habet tantùm alimenta; & si textus dirit, quod vivant in perpetua egestate, ut vivant saltem secundùm indigentiam naturæ, erunt subministranda alimenta, ut Rota *loco citato*, & Merlinus *d. quæst. 30. n.9. in fine* notarunt. Ex quibus etiam manet satisfactum tertio Surdi fundamento.

447 Ad argumentum Sanchez, & Fagundez *num.443.* adductum respondetur primò, dato quod lex potuerit ob delictum patris tam atrox privare filios alimentis, non constat tamen privasse; imò ex eadem lege probatur alimenta illis fuisse reservata, ut ostensum est, & tradunt Rota, Merlinus, & alii Doctores *n.444.* allegati. Secundò, supposita sententia communi, quod alimenta jure naturæ filiis debita non possint ulla lege humana universali, vel municipali, seu particulari tolli, ob delictum parentum tantùm, nullo filiorum delicto concurrente, nequeunt auferri, quod absque dubio sentiunt Alciatus *cons. 467. num.6.* & Roladus à Valle *cons.74. n.23. vol.3.* quatenus aiunt, legem punientem filios ex crimine paterno, non valere, juxta illud veteris legis, *filius non portabit iniquitatem patris*, ut loquuntur in terminis dicta lex *quisquis*; atque adeo talem legem tanquam contra honestatem, non posse observari absque peccato, *c. constitutiones, & c. lege, dist.10.* quod quoque sentit Cevallos *pract. qq. c. 653. n.38.* ubi ait, quod pœnæ dictæ legis *quisquis*, in furo conscientiæ quoad filios non possunt exigi: quod etiam approbat Farinacius *p.4. d. q. 116. §.3. n.144.* & Merlin. *d. q.30. n.27.* idemque ait dixisse Rotam *in Romana donationis*, 22. *Iunii* 1588. coram Seraphino, & idem docet Zibetus *ad Papiensem s in forma libelli Inquisitionis, gloss. ult. verbo Eius legitimam*: ubi ait, quod quicumque ausus fuerit dicere ius alimentorum, & legitimæ, scilicet quatenus alimentorum loco debetur, utpotè proveniens ex jure naturali, posse tolli statuto, vel etiam consuetudine pro delicto patris falsum affirmare: quæ doctrina, quod non valeat lex puniens filium pro delicto patris, indubitata est quando pœna versatur circa corpus, seu corporalem vitam, cujusmodi est privatio alimentorum, *d. l. necare, ff. de liber. agnosc.* eo quòd sine alimentis vita nequeat conservari: quando verò pœna non est corporalis, sed pecuniaria, & versatur circa alia bona, ut est infamia, privatio succedendi, & similes, posse quempiam ex lege, aut statuto tali pœna puniri ob crimen alterius, & legem esse validam, etiam in foro conscientiæ, probat textus *in cap. vergentis, de hæreticis*; & latè ostendit Covarruvias *var. lib.2. c.8.* & etiam Rolandus *cons.8. n.45. vol.3.* supposita, inquam, præfata communi sententia, respondetur primò peccare patrem contra legem naturæ, & pietatem, qui prodigeret bona unde filii priventur alimentis, saltem simpliciter vitæ necessariis, & in tali casu posse cogi patrem prodigentem, ad assignanda filiis bona, ex quibus possent vivere, ut superiùs probatum est. Respondetur secundò, cùm obligatio alendi filios sit personalis, habito respectu ad patris bona, dum pater habet bona, semper filii jure naturali sunt creditores eorundem alimentorum, & jure naturali illa alimentorum obligatio transit ad hæredes & successores universales patris, ut in præcedentibus sæpiùs dictum est: & sic etiam naturali jure transit in fiscum, qui est quasi hæres, & successor universalis: & ita esto pater possit distrahere bona omnia, nullis alimentis reservatis filiis, lex tamen non potest privare filios jure illo naturali, quod habent ad alimenta habenda ex bonis paternis, quæ semper sub patris dominio fuerunt, & desinunt esse sub illius dominio solùm ob mortem naturalem, vel civilem.

Ad majorem autem prædictorum confirmationem animadvertendum duxi quod quia pœnæ dictæ legis 448 *quisquis*, contra filios innocentes propter patris delictum latæ sunt nimis odiosæ, nimisque duræ, & rigorosæ, eam legem quoad dictas pœnas respectu filiorum de consuetudine generali orbis Christiani non servari, esseque sublatam, tradidere Angel. *in l. fallaciter, Cod. de abolit.* Alciat. & Roland. *loc. num. praced. cit.* Clar. *d. §. læsæ Majestis, num.15. fin.* ubi ait quod nunquam vidit tales pœnas in filiis observari, Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.9. num.10.* Cevallos *loco*

num. præcedenti citato, Farinacius *d. quæst.* 116. *n.* 44. Merlinus *d. q.* 30. *num.* 26. Rota *in d. Romana donat.* & plures alii à Peregrino, Farinacio, & Merlino relati, juxta quam generalem consuetudinem filiis rei criminis læsæ Majestatis reservari non solùm alimenta & dotes, sed etiam legitimam, bona materna, & peculium castrense, vel adventitium, asserunt, ut notavit Merlinus *loc. cit.* Legitimam autem hoc casu Merlinus *d. q.* 30. *n.* 29. ait fore tantùm trientem, aut semissem, pro numero liberorum, juxta Authenticam *novissima, Cod. de inofficioso testamento.* Ex his etiam idem Merlinus *n.* 28. ait Doctores, quos & refert, concludere quod tam ab intestato, quàm ex testamento hi filii rei criminis læsæ Majestatis succedunt avo, & omnibus aliis agnatis.

449 Præterea præfatam legem *quisquis*, quoad pœnas filiorum, propter odium intolerabile quod crimen continet, juxta tradita *n.* 440. etiam de rigore juris non procedere, nisi in offendente Principem non recognoscentem ullum superiorem; non autem in offendente alios Principes inferiores superiorem recognoscentes, tradunt post innumeros alios Iurisperitos Clarus *d. §. læsæ Majestis*, *n.* 3. *fin. & num.* 15. Rolandus *d. conf.* 74. *num.* 3. *& seq.* Peregrinus *de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 4. Farinacius *d. quæst.* 116. §. 3. *n.* 124. *&* 125. & Merlinus *d. q.* 30. *num.* 18. *&* 19. quia cùm lex illa loquatur de machinante contra Imperatorem, & illius consiliarios, propter odium præfatum est strictissimè intelligenda, ut saltem quoad pœnas filiorum non extendatur ad offendentes Principes superiorem cognoscentes, eorumve consiliarios.

450 Item etsi pœnas dictæ legis *quisquis*, habere locum in filiis, etiam quando mater, & non pater committit crimen læsæ Majestatis, ut filii hæreditate priventur, sentit Clarus *d. §. læsæ Majestatis*, *n.* 14. & plures alii à Claro, & Farinacio *d.* §. 3. *n.* 98. relati: idque ob illud relativum, *quisquis*, quo lex illa utitur, quod generaliter comprehendit omnem personam committentem delictum.

451 Nihilominus Peregrinus *d. tit.* 9. *n.* 6. post Odofredum, Albericum, & Salicetum *in d. l. quisquis*, & plures alii ab eodem Peregrino *ibidem*, & à Farinacio *d.* §. 3. *n.* 100. allegati, contrarium sustinent, pœnasque præfatas filiis impositas habere locum solùm cùm pater est reus criminis læsæ Majestatis, non verò quando mater: quod probat Peregrinus tribus rationibus, quarum duas sumit *ex d. l. quisquis*, §. *Emancipationes*, in quo est sermo solùm de filiis respectu patris, cùm matribus emancipatio non competat. Tertia ratio est, quia pater habet filios in potestate, & in eos habet plus juris quàm mater; unde pro necessitate potest eos vendere, non sic mater, *l.* 1. *Cod. de patribus qui fil.* ac proinde non est mirum, si lex ob delictum paternum afficit filios, non sic ob delictum maternum: & hæc sententia, uti æquior, videtur in praxi admittenda, & etiam Farinacius videtur eam amplexus.

452 Item non habent locum præfatæ pœnæ respectu filiorum, quando pater tanquam reus læsæ Majestatis condemnatur contumacialiter, seu per solam sententiam contumacialem, non verò per legitimas, & veras probationes, neque per confessionem ipsius patris, ut post alios docet Bossius *tit. de crim. læsæ Majest. n.* 136. Farinacius *d. q.* 116. §. 3. *n.* 130. & Merlinus *d. q.* 30. *n.* 22. quidquid sit existente speciali statuto, quod expressè loquatur etiam de condemnatis contumacialiter.

453 Item non habere locum præfatas pœnas in filiis emancipatis, eorumque legitimam non confiscari, nisi in fraudem fuisset facta emancipatio, per textum *ibi* tradunt communiter Scribentes *in d. l. quisquis*, §. *emancipationes*, Merlinus *d. quæst.* 30. *num.* 14. & alii Iurisperiti, quos Farinacius *d.* §. 3. *num.* 84. *&* 85. refert, & sequitur.

454 Item non habere locum easdem pœnas in nepotibus, sed tantùm in filiis primi gradus, cùm in odiosis, & pœnalibus filiorum appellatione nepotes non contineantur, *l. pater, ff. ad l. Iuliam de adulteriis*, sentiunt Thomas de Ferrug. relatus à Peregrino *d. tit.* 9. *num.* 5. *initio*, Decianus *tract. crimin. lib.* 8. *cap.* 41. *num.* 7. Merlinus *d. quæst.* 30. *num.* 15. alii relati à Molina *de justitia*, *tom.* 3. *disput.* 618. *num.* 19. & idem videtur sentire Farinacius *d.* §. 3. *num.* 90. quamvis Peregrinus *loco citato*, Clarus *d. §. læsæ Majestatis*, *num.* 13. & alii Iurisperiti magis communiter, quos Farinacius *num.* 89. refert, Molina *loco citato*, & Sanchez *lib.* 2. *Sum. cap.* 27. *num.* 4. asserant præfatas pœnas extendi etiam ad nepotes quoad primum gradum tantùm, ita ut non comprehendantur pronepotes, descendentes ex masculis per novam constitutionem Federici Imperatoris, loquentem per verbum *Liberorum*, quod continet etiam nepotes: nepotes verò ex filia aiunt omnes non comprehendi; & respectu matris reæ criminis læsæ Majestatis comprehendi solùm filios, supposita sententia de qua *n.* 450. non autem nepotes, sive ex filio, sive ex filia. Sed Decianus ait non reperiri hanc legem Federici.

455 Item præfatas pœnas dictæ legis *quisquis*, non procedere in filiis natis, & conceptis ante commissum delictum læsæ Majestatis, sed tantùm in natis, aut conceptis post delictum, tradunt Cynus *in d. l. quisquis*, Clarus *d. §. læsæ majestatis*, *num.* 12. Cevallos *pract. qq. cap.* 673. Rota *in præallegata Romana donationis*, 22. *Iulii* 1588. à Farinacio *d. quæst.* 116. *num.* 92. relata, Molina *de primog. lib.* 4. *cap. ult. num.* 55. alter Molina *d. disput.* 658. *num.* 20. Merlinus *d. quæst.* 30. *num.* 17. Calvinus *de æquitate*, *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 6. & alii relati à Farinacio *ibidem*, Claro *d. num.* 12. & Cevallos, qui meritò ait, ab hac sententia uti humaniori, & æquiori in iudicando non esse recedendum, & eam latissimè probant Molina *d. num.* 20. & Sanchez *in Sum. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 10. *ad* 17. quamvis attentis verbis dictæ legis, easdem pœnas afficere etiam natos ante delictum, latè probat Rolandus *conf.* 74. *num.* 2. *vol.* 3. & tradiderunt magis communiter Doctores, quos idem Rolandus *ibid.* & Farinacius *d.* §. 3. *num.* 91. & Sanchez *d. cap.* 27. *num.* 9. latissimè referunt pro utraque sententia *infrà num.* 477. *& num.* 478. Et quamvis appellatione filiorum veniant etiam fœminæ, tamen in dicta lege *quisquis*, non comprehendi fœminas, post Bartolum *in leg.* 1. *ff. de verborum sign.* & alios notavit Calvinus *d. cap.* 12. *num.* 7. *& num.* 8. eo quòd lex contineat odium, ac proinde sit restringenda ad masculos, & fœminæ pro infirmitate sexus non præsumantur sequutæ exemplum patris.

456 Item dictam legem *quisquis*, quoad incapacitatem filiorum succedendi ab intestato, vel ex testamento, non habere locum si pater legitimam inter vivos assignasset, vel aliqua bona pro ea, vel ejus nomine; & non habere locum, si mater inter vivos donaverit, eo quòd lex illa, cùm sit pœnalis, & tam odiosa; sit restringenda ad successionem testati, vel intestati, non ad actum donationis inter vivos extendenda, tradidere communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Peregrinus *de iure fisci*, *lib* 5. *tit.* 9. *num.* 11. & Farinacius *d. quæst.* 116. §. 3. *num.* 112. secus si donatio esset causâ mortis, cùm sapiat ultimam voluntatem, ut post alios probat Farinacius *d.* §. 3. *n.* 114.

457 Item prædicta lex *quisquis*, quoad easdem pœnas filiorum non habet locum in beneficiis Ecclesiasticis, quæ filium Clericum propter delictum læsæ Majestatis, si habeat, posse retinere tradunt communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Menochius *conf.* 275. *num.* 46. *& num.* 47. Peregrinus *d. tit.* 9. *num.* 7. & Farinacius *d.* §. 3. *num.* 117. & idem tradit Merlinus *de legitima*, *d. lib.* 5. *tit.* 1. *tit. q.* 30. *num.* 25. ubi etiam cum Menochio *loco citato*,

to, ait in bonis quæ spectant de directo dominio ad Ecclesiam, non impediri filiis detractionem eorum legitimæ.

58 Item cessant pœnæ dictæ legis *quisquis*, in filiis patre delinquente ex gratia Principis restituto, vel si Princeps ipsis filiis easdem pœnas remittat, ut post alios tradit Farinacius *d. q.* 116. §. 3. *n.* 135. *& seq.* ubi pluribus id declarat.

59 Denique prædictæ pœnæ ejusdem legis *quisquis*, non comprehendunt filios adoptivos, cùm in illis non militet ratio quæ militat in naturalibus, scilicet quod sint imitaturi patrem. Ita post alios Farinacius *d.* §. 3. *num.* 16.

60 Ex traditis præsertim *n.* 444. 447. *&* 448. colligitur, filios rei criminis læsæ Majestatis in foro conscientiæ absque ullo peccato posse ad sui sustentationem abscondere aliquid de bonis paternis, non solùm in casu extremæ necessitatis, in quo casu tantùm id admittunt Sanchez *lib.* 2. *d. cap.* 16. *n.* 27. Fragosus *d. n.* 122. & Fagundez *in Decal. lib.* 4. *d. cap.* 2. *n.* 11. sed etiam ad evitandam gravem necessitatem, & ad habenda congruentia juxta statum alimenta: id quod docuit Guillelmus Benedictus *in cap. Raynutius, de testam. verbo Et uxorem, decis.* 5. *n.* 286. etiam stante statuto quod publicatis parentum bonis, non reserventur filiis legitima, & alimenta. Probatur corollarium, tum quia alimenta *d. l. quisquis*, censentur reservata juxta sententiam traditam *d. n.* 444. quæ cùm sit tot Doctorum, & fulcita ratione, non potest negari esse probabilissimam: tum quia pœnæ dictæ legis *quisquis*, ex consuetudine universali cessarunt, ut dictum est *d. num.* 458. tum quia leges punientes ita graviter filios propter parentum delictum, etiamsi expressè privent filios alimentis, non valere, neque obligare in foro conscientiæ, est valdè probabile, juxta tradita *n.* 440. & *d. n.* 447. & Doctores ibidem relatos, & alios ab iisdem allegatos. Et hoc corollarium approbavit etiam Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 5. *p.* 11. *num.* 25. ad id probandum adducens, quod ne gravem patiatur necessitatem debitor non tenetur debitum creditori restituere, & obligatus cedere bonis, possit abscondere, & retinere quantum necesse est ad tenuem sui, & eorum, quos alere teneatur, sustentationem juxta suum statum, eo quòd ad restitutionem nullus teneatur cum tanto suo incommodo, quod tradidere etiam Navarr. Sayrus *in clavi regia*, Rebellus & Bonacina, quos idem Palaus allegat.

§. XL.

Publicatis bonis paternis ob hæresim patris, an etiam legitima, alimenta, & dotes filiarum, ita ut ex bonis confiscatis nihil omnino filiis debeatur à fisco, publicentur.

Tertia difficultas est, an quando bona paterna confiscantur ob patris crimen læsæ Majestatis Divinæ, scilicet hæresis, legitima, dotes, & alimenta filiis reserventur? & difficultas esse potest, vel inspecto jure Civili, vel inspecto jure Canonico.

Filii orthodoxi patris hæretici an jure civili priventur hæreditate patris.

461 Si sermo sit jure civili inspecto, adsunt sequentes textus, scilicet *in l. Manichæos, in l. Cognovimus, Cod. de hæreticis, & in Auth. idem est de Nestorianis* (quæ desumpta est *ex §. Generalem autem providentiam, Auth. ut cùm de appellatione cognoscitur,*) *Cod. eodem, & in leg. Hæretici, §. Orthodoxi, Cod. eodem*, ex quibus expressè constat, filios ob paternam hæresim non privari hæreditate, seu successione patris hæretici; & *ex d. l. Cognovimus, & d. Auth. idem de Nestorianis*, evidenter constat, non solùm filios orthodoxos succedere patri hæretico, tam ex testamento, quàm ab intestato; sed etiam deficientibus filiis, agnatos, & cognatos: & ita sentiunt communiter Doctores, quos latè referunt Farinacius *de hæresi, q.* 191. §. 1. *num.* 29. August. Barbosa *in Cod. collectaneo ad d. l. Manichæos, n.* 32. *& ad d. Auth. idem est de Nestorianis.*

Verùm dubitatur, an præallegata jura sint correcta per Constitutionem Federici II. *in Auth. Gazaros, Cod. de hæreticis*, in qua etiam filii orthodoxi excluduntur à successione in bonis parentum hæreticorum. Verba Authenticæ sunt: *Gazaros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnoldistas, Circumcisos, & omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus, censentes ut omnia bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur; ita quod filii eorum ad successionem eorum pervenire non possint, cùm longè gravius sit æternam, quàm temporalem offendere Majestatem.* 462

Et hodie per dictam constitutionem filios propter paternam hæresim jure civili privari hæreditate, & successione parentum hæreticorum, & sic per eandem constitutionem fuisse correctas alias leges, seu constitutiones *num.* 461. adductas, ad exemplum criminis læsæ Majestatis humanæ, juxta legem *quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, cùm majus sit istud crimen hæresis *in d. Auth. Gazaros*, pro ratione exclusionis filiorum à successione parentum hæreticorum, tradunt Salicetus *in d. l. Manichæos, & in d. Auth. Gazaros*, Rolandus à Valle *cons.* 8. *n.* 48. *versic. ad secundum*, Peregrinus *de jure fisci, lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 30. P. Barbosa *ad d. l.* 1. *p.* 4. *n.* 83. *ff. soluto matrimonio*, Farinacius *d. q.* 191. §. 1. *n.* 30. *&* 31. & *p.* 1. *prax. q.* 24. *num.* 44. August. Barbosa *d. collect. ad d. l. Manichæos, n.* 32. *& collect. ad d. Auth. Gazaros, n.* 2. Ricciullus *de jure person. lib.* 5. *cap.* 40. *num.* 11. & alii Jurisperiti magis communiter, quos latè refert Farinacius *d. n.* 30. *&* 31. & August. Barbosa *d. num.* 2. & ex Theologis Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 29. *n.* 9. 463

E contra alii Jurisperiti absolutè sentiunt, etiam hodie, & non obstante *d. Auth. Gazaros*, filios propter parentum hæresim non privari hæreditate, & successione patris hæretici. Ita Clarus *in praxi crim. q.* 78. *n.* 4. Menochius *de arbitr. centuria* 6. *casu* 546. *n.* 10. *versic. Conciliando*, qui duo loquuntur in filiis apostatarum. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. si mater, n.* 15. *ff. de lib. agnosc.* Merlinus *de legit. lib.* 3. *tit.* 31. *n.* 1. & plures alii, quos Farinacius *d. q.* 191. §. 1. *n.* 29. *&* 32. refert, qui fundantur *in d. Auth. idem est de Nestorianis, & d. §. generalem providentiam*, ex quo eadem Authentica *idem de Nestorianis*, desumpta est. 464

§. XLI.

Filii etiam orthodoxi patris hæretici Iure Canonico privantur hæreditate.

Cæterùm quidquid sit de jure civili, certum est de jure canonico *per cap. vergentis, de hæreticis*, per quod jus civile in præfatis legibus, & Authenticis *num.* 461. adductis correctum est, filios ob parentum hæresim privari hæreditate, & successione parentum hæreticorum. Ita omnes Doctores prælegati *loc. cit.* Clarus *verbo Hæresis, num.* 12. Menochius *d. casu* 546. *num.* 15. Covarruvias *lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 2. *versic. Primò an ob crimen*, Merlin. *d. quæst.* 31. *num.* 2. 3. *&* 4. & cæteri Jurisperiti communiter, quos latè referunt Farinacius *d. q.* 191. §. 1. *n.* 1. *& n.* 29. & Aug. Barbosa *ad d. cap. vergentis, n.* 25. ubi S. Pontifex *in vers. Nec hujusmodi*, arguit de criminibus læsæ Majestatis humanæ, ut *in d. Auth. Gazaros*, ad 465

criminibus læsæ Majestatis humanæ, ut *in d. Auth. Gazaros*, ad crimen læsæ Majestatis Divinæ, arguendo de minori ad majus, quod si in crimine læsæ Majestatis humanæ filii privantur hæreditate paterna, *d. l. quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, multò magis privari debent in crimine læsæ Majestatis divinæ, quod majus delictum est. Nec hujusmodi severitas (subdit Pontifex) admirationem alicui afferre debet, cùm juxta canonicas sanctiones, quandoque feratur ultio non solùm in authorem scelerum, sed etiam in progeniem damnatorum: & advertendum, non solùm filios legitimos, sed etiam illegitimos, tam naturales, quàm spurios, quorum pater sit notus, privari hæreditate ob paternam hæresim, juxta Doctores communiter, quos refert Farinacius *d. q. 191. §. 1. n. 9.* tum ne plus habeat luxuriæ, quàm castitatis: tum quia in eisdem militat eadem ratio, quæ in filiis legitimis.

466 Quæ dispositio juris canonici servanda est, & servatur etiam in terris Imperii, & in foro Cæsaris ubique in orbe Christiano: tum quia juxta sententiam magis communem, etiam jure civili *in d. Auth. Gazaros*, filii privantur hæreditate parentum hæreticorum: tum quia in crimine merè Ecclesiastico, quale est hæresis, servatur jus canonicum; & ita tenent Doctores communiter, quos latè refert Farinacius *d. q. 191. §. 1. num. 33.*

§. XLII.

Filii orthodoxi ob paternam hæresim an priventur legitima.

467 Controvertitur primò, an eodem jure canonico *d. cap. Vergentis*, filii Catholici ob paternam hæresim priventur etiam legitima, quatenus jure civili debita, & excedit alimenta vitæ simpliciter necessaria; an verò eadem legitima sit ex bonis patris hæretici confiscatis detrahenda.

Non privari legitima, sed eis fore reservandam, tradunt Doctores suprà *num. 437.* allegati, Joannes à Roja *sing. 45. & 47.* Surdus *cons. 386. num. 13.* & alii relati à Mangilio loco suprà *d. n. 437. cit.*

468 Communis tamen sententia est, eosdem filios, licèt orthodoxos, excludi à legitima. Ita Scribentes *in d. c. Vergentis*, Rolandus *d. conf. 8. n. 43. & seqq.* Petrus Barbosa *d. p. 4. n. 84.* Riceiullus *de jure person. lib. 5. d. cap. 40. n. 10.* Surdus *de alimentis, tit. 1. q. 31.* Merlinus *d. q. 31. n. 4. & 5.* Farinacius *in praxi crimin. p. 1. q. 24. n. 44. & de hæresi d. q. 191. n. 2.* Graffius *decis. aur. lib. 2. cap. 11. num. 9.* August. Barbosa *collect. ad d. cap. Vergentis, n. 26. de hæret.* & plures alii Jurisperiti à Farinacio, Rolando & August. Barbosa *loc. cit.* relati. Et ex Theologis Sanchez, Rebellus, Fagundez locis suprà *n. 439. & 442.* allegatis, & Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 5. puncto 11. num. 20.* & ratio est, quia ob crimen paternum læsæ Majestatis humanæ filii excluduntur à legitima, juxta dictã legem *quisquis, §. filii verò, Cod. ad l. Iul. Majestatis*, ut tradunt Doctores communiter, ut suprà *n. 436.* notatum est: ergo multò magis erunt exclusi ob crimen paternum hæresis, quod est delictum gravius: quo argumento utitur Summus Pontifex *in d. cap. Vergentis*, ad probandum bona hæretici debere confiscari, sicut confiscantur ob delictum læsæ Majestatis humanæ, filiis delinquentis vitâ solummodò ex misericordia conservatâ, ut eodem capite *Vergentis*, dicitur.

§. XLIII.

Filii orthodoxi ob paternam hæresim an priventur alimentis, sequutâ sententia declaratoria hæresis, & publicatione bonorum.

Controvertitur secundò, an ex bonis paternis, ob hæresim patris confiscatis, filiis orthodoxis à fisco debeantur alimenta; an verò iidem filii sicut legitimâ, ita etiam alimentis ad vitam sustendandam necessariis priventur.

Filios etiam alimentis ob paternam hæresim privari, *in d. c. Vergentis, & in d. Auth. Gazaros*, tradunt 469
Corduba à Lara *in d. §. si mater, num. 16.* Decianus *in tract. crim. lib. 5. cap. 45. n. 3.* P. Barbosa, & Ricciullus *loc. n. præced. cit.* Surdus *d. q. 31. n. 24.* August. Barbosa *d. collect. ad d. c. Vergentis, n. 27.* alii Jurisperiti à Farinacio *d. q. 191. §. 1. n. 5.* & August. Barbosa *d. n. 27.* relati: & ex Theologis Sanchez, Rebell. & Fagund. *loc. n. præced. alleg.* & idem Fagundez *lib. 1. cap. 19. n. 5. & seq.* Potest probari hæc sententia argumentis suprà *n. 442.* adductis, cùm *in d. c. Vergentis*, Sum. Pontifex contra hæreticos, & eorum filios decernat easdem pœnas, quæ contra criminosos læsæ Majestatis humanæ statutæ sunt, *d. l. quisquis, Cod. ad l. Iul. Majestatis*, in qua filiis vita tantùm ex misericordia conservatur, & dicitur eos debere vivere in perpetua egestate: quæ omnia indicant privationem etiam alimentorum simpliciter vitæ necessariorum, juxta tradita *d. num. 442.* Præterea Sanchez & Fagundez probant, quod propter atrocitatem teterrimi criminis in Deum jus civile, & canonicum potuit filios privare etiam alimentis, juxta tradita suprà *n. 443.* & atrocitatem criminis fuisse rationem, cur filii etiam alimentis privarentur, ut hac, & aliis specialibus pœnis homines à tali crimine arcerentur, tradunt Riciull. & Corduba *loc. cit.* Declarant tamen Rebellus & Fagundez, privari filios 470
alimentis solùm post sententiam criminis declaratoriam, & bonorum publicationem; ante latam autem sententiam hæresis incursæ alimenta filiis indigentibus esse ex bonis paternis præbenda, neque absque gravi peccato posse illis negari. Quare Fagundez *d. c. 19. n. 9.* reprehendit morem aliquarum regionum, in quibus statim ac parentes ob crimen hæresis in carcerem detruduntur, bona illorum illicò capiuntur, & sub custodia fisci ponuntur, exclusis filiis ipsorum, & relictis absque ullo vitæ subsidio: quod sine maximæ crudelitatis nota fieri non posse rectè ait; nam dum parentes illorum de hæresi judicum sententiâ non damnantur, de illorum bonis saltem moderatè sustentandi sunt, quia id & ratio naturalis, & pietas Christiana videtur edocere.

Contrarium, & filios orthodoxos ob parentum hæresim non privari alimentis, sed ex bonis confiscatis esse alendos, si inopes sint, & aliunde non habeant unde vivere possint, docent magis communiter Doctores. Ita Doctores suprà *n. 438. 444. & 467.* relati, Corrasius *in l. qui liberos, n. 62. ff. de ritu nupt.* Rota Rom. *parte 4. divers. dec. 747. n. 10.* ubi etiam filiis spuriis hæretici deberi alimenta tradit, idque docuisse plures alios Jurisperitos, quos ibidem latè refert Merlin. *d. q. 31. n. 12. & 13.* Farin. *d. q. 191. §. 1. n. 6.* & novissimè Joan. Nic. Lucidor. *de illeg. Cler. c. 19. n. 12.* & hanc sententiam saltem ex æquitate tenendam esse & in praxi ab Inquisitoribus servandam, tradidere Simanc. *de Cathol. instit. tit. 29. rub. de filiis, & minor. n. 12.* Peña *in addit. ad Eymericum, in direct. Inquis. p. 2. com. 9. ad d. cap. Vergentis*, Surdus *cons. 386. n. 13.* Ricciullus *d. c. 40. n. 17.* Joannes Lupus Segoviensis, & Palacios Rubios à Corduba *d. n. 8.* relati: hi enim Doctores, & idem notavit Fagundez *d. c. 19. n. 7.* tradunt Inquisitores pueris, & puellis hæreticorum damnatorũ 471

pauperibus

pauperibus relictis debere providere, si sint orthodoxi, vel ex animo, & sincerè ad Fidem convertantur, ut scilicet alantur, & educentur, habita ratione ætatis, & sexus apud aliquos viros Catholicos, & religiosas, vel honestas fœminas, à quibus in bonis moribus, & fide instituantur; idque ob imbecillitatem sexus, & ætatis. Hanc sententiam probant tradita suprà *n.* 444. *ad* 447. eo enim ipso quod jus canonicum *in d. c. Vergentis*, permittit filiis hæretici vitam, sicut jus civile *in d. l. quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, concedit filiis rei læsæ Majestatis humanæ, ex consequenti censetur concedere illis alimenta, saltem vitæ simpliciter necessaria, sine quibus vivere non licet, *allegata lege necare ff. de liber. agnosc.* In præsenti etiam locum habet illud, quod diversa est ratio alimentorum, & legitimæ: & cùm jus alimentorum, quod habent filii adversus parentes habentes bona, ex quibus illos alere possunt, non possit in foro conscientiæ ab illis absque eorum culpa auferri, semper transibit ad quęcumque successorem universalem: & licèt ob delictum patris atrox filii possint puniri aliis pœnis, non tamen corporali, seu vertente circa vitam corporalem, qualis est ablatio, seu privatio alimentorum, sine quibus homo non potest vivere.

472 Et prædicta procedunt etiam in filiis illegitimis, etiam spuriis, ut cum aliis tradunt Rota *loc. cit.* Merlinus *dict. n.* 12. & probat tradita adducta supra *n.* 445.

§. XLIV.

Filiæ ob paternam hæresim an priventur dotibus, an verò dos illis à fisco ex bonis paternis confiscatis debeatur.

CОntrovertitur tertiò, an filiabus orthodoxis patris hæretici debeantur dotes ex bonis paternis confiscatis.

473 Confiscatis bonis paternis ob hæresim patris, filium non teneri ex iisdem bonis dotes ejus filiabus dare, tradunt P. Barbosa, Surdus, Ricciullus, Sanchez, Rebellus, Fagundez locis suprà *num.* 440. & 470. relatis, Corduba *loco eod. num.* 470. *citato*, Simancas *cathol. inst. tit. 9. rub. de bonis hæret. num.* 23. & 24. Gabriel Quemada, & Didacus Cartera, quos Farinacius *d. q.* 191. §. 3. *num.* 8. refert: ubi etiam dicit id esse de mente omnium Doctorum, quos *d.* §. 1. *n.* 1. latè cumulat, eo quia generaliter dicunt, propter paternam hæresim filios privari omnibus paternis bonis. Peregrinus *de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 76. *fin.* Augustin. Barbosa *coll. ad d. cap. Vergentis, num.* 28. *de hæreticis*, alios allegans, & Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *qu.* 6. quæ omnes nituntur eo fundamento, quod *d. cap Vergentis*, filii patris hæretici afficiuntur iisdem pœnis, quibus ex *l. quisquis, Cod. ad l. Iul. Majestatis*, puniuntur filii ob crimen paternum læsæ Majestatis humanæ; dicta autem lege *quisquis*, filii utriusque sexus delinquentis rei læsæ Majestatis humanæ excludentur omnes à bonis paternis confiscatis, & consequenter etiam privantur dotibus, juxta tradita suprà *n.* 419. & 442.

447 Hinc non solùm fiscum non teneri filiabus patris hæretici dotes dare, sed si à patre hæretico occulto post crimen hæresis commissum fuerint constitutæ, sive pro matrimonio carnali, sive pro spirituali, scilicet ingressu in monasterium, sive etiam pro Ecclesia, aut Capella, hujusmodi dotes posse à fisco revocari, tradunt Simancas, Azorius, P. Barbosa, Rebellus, Augost. Barbosa *loc. allegat.* Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 57. & alios allegans Ricciullus *d. lib.* 5. *c.* 40. *n.* 14. 15. & 16. qui tamen *n.* 17. addit, quod etsi hæc vera sint de juris rigore, nihilominus propter bonum publicum, ne mulieres carnaliter, vel spiritualiter nuptæ derepentè remaneant indotatæ, & sic mundus litibus repleatur, ex æquitate recipi potest, ut dotes remaneant; siquidem æquitas, ne tot actos revolvantur apud Principes, & Tribunalia suprema, adversus juris rigorem id postulat: quod ex eo confirmat, quia licèt de jure pecunia creditori potiori soluta possit ab anteriori revocari, ut latè declarat Paulus *cons.* 69. *n.* 1. & Surdus *cons.* 5. *n.* 25. nihilominus ubi pecuniæ sunt bona fide solutæ, ne mundus litibus involvatur, non posse ab anteriori revocari juxta Tribunalium praxim, tradunt Afflictus *dec.* 190. Capycius *dec.* 178. & Rota à Ricciullo *d. c.* 40. *n.* 17. relata. Quin etiam si agatur de filia alicujus magni Principis hæretici, fiscum debere illam dotare, tradit Franciscus Peña à Farinacio *d.* §. *n.* 8. relatus.

Contrarium, & filios orthodoxos ob paternam hæresim non privari dote, sed à fisco ex bonis paternis confiscatis debere dotari, docuerunt Plotus, Franciscus Becius, Afflictus, Joannes de Lignano, Cortasius, Mangilius locis suprà *n.* 430. 437. 439. 440. & 441. relatis, Merlinus *alleg. q.* 31. *n.* 30. Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. Clericorum, cit. cap.* 19. *n.* 12. & de æquitate canonica idem sentiunt Joannes Rojas *singul.* 47. & Farinacius *d. q.* 191. §. 1. *n.* 8. *versic. Contrarium.* Probatur, quia à fisco filiis orthodoxis debentur alimenta, ut suprà *n.* 421. probatum est: ergo & filiabus hæretici legitimis, & illegitimis ex bonis confiscatis debetur dos, quæ loco alimentorum est, ut docet Bartolus *in l. fin. ff. de iis quibus ut indign.* & alimenta, ac dos à pati procedunt, ut sæpiùs in præcedentibus dictum est. Et fortiùs, ac multò magis debetur dos quàm alimenta, ad evitandum in fœminis periculum impudicitiæ, quod illis imminere faciлè potest; si ob defectum dotis nequeunt nubere. 475

§. XLV.

Pœna privationis hæreditatis, & legitimæ, statuta contra filios orthodoxos patris hæretici, an extendatur ad nepotes.

UTrum verò pœna privationis hæreditatis, & legitimæ, statuta *in d. cap. Vergentis, de hæret.* afficiat nepotes, videntur sentire communiter Doctores eam pœnam extendi ad nepotes tantùm ex linea masculina. Doctores ita sentientes referunt, & sequuntur Molina *de justit. tom.* 3. *disp.* 658. *n.* 19 & Farinacius *d. disp.* 191. *n.* 21. & 50. & Merlinus *d. q.* 31. *n.* 11. & ita oportet sentiant etiam Peregrinus & alii suprà *n.* 454. relati. At contrarium, & non comprehendi, videtur rectè sustineri posse, quia dictum *c. Vergentis*, intelligendum est juxta dispositionem legis *quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, quam allegat, dum pœnam confiscationis bonorum contra hæreticos statuit. Juxta verò dictam legem *quisquis*, §. *filii verò*, probabile est non comprehendi nepotes, ut suprà *d. n.* 454. notatum est. 476

§. XLVI.

An dicta pœna afficiat solùm filios conceptos post commissum crimen hæresis.

DUbitatur etiam utrum præfata pœna comprehendat filios natos, aut conceptos ante commissum crimen hæresis, an verò solùm conceptos post crimen. Comprehendere etiam natos, aut conceptos ante crimen hæresis patratum, tradunt communiter Doctores, quos referunt Farinac. *d. q.* 191. §. 1. *n.* 40. Sanch. *in Sum. lib.* 2. *c.* 27. *n.* 9. & Merlin. *d. q.* 31. *n.* 29. Ita sentiunt iidem Farinacius, & Merlinus, qui etiam referunt ita censuisse Rotam: & ita oportet sentiant Rolandus loco suprà *num.* 455. citato, & alii, quos idem Rolandus, Farinacius & Sanchez locis *eodem n.* 455. relatis referunt, quorum fundamentum præcipuum est, quod dictum caput *Vergentis*, sicut & dicta lex 477

quisquis, loquuntur absolutè, & indistinctè de filiis, & sic videntur expressè comprehendere etiam filios natos & conceptos ante delictum.

478 Contrarium, & pœnam dicti capitis *Vergentis*, quoad filios non procedere nisi in filiis conceptis post commissum hæresis delictum, tenent Ananias *in d. c. Vergentis, n.17. de heret.* Simancas *de Cathol. instit. tit.29. rub. de filiis, & minor. n. 22. & seq.* Clarus §. *hæresis, n.12.* Ludovicus Molina *de primog. lib.4.cap.ult.n.55.* alter Molina *de iustitia, tom.3. disp.658. n.20.* Sanchez *lib.2. Sum. cap.27. n.10. & seq.* & plures alii Jurisperiti à Farinacio *d. quæst.191. §.1.n.39.* & Sanchez *d. cap.27. n.14.* relati. Et hanc sententiam latissimè probant Molina Theologus, & Sanchez *loc. cit.* sed præcipuè ea ratione, quod cùm versemur in materia odiosa, & præsertim ut innocentes puniantur, filii nati, aut concepti ante crimen hæresis, aut læsæ Majestatis humanæ, non sunt censendi filii patris hæretici, aut perduellionis, seu non sunt computandi inter filios hæretici, aut perduellionis: in dicta autem lege *quisquis, & d. cap. Vergentis*, puniuntur filii patris perduellionis, & hæretici; & sic est sermo de filiis comparatione qualitatis patris, & consequenter formaliter de filiis, qui post eam qualitatem nati, aut concepti sunt; hancque intellectum exigit odium legis, præsertim innocentem punientis: quod latiùs exemplis declarat *loco citato* Molina.

§. XLVII.

Filii orthodoxi an priventur hæreditate materna ob matris hæresim.

479 UTrum quoque filii orthodoxi priventur materna hæreditate, etiam quoad legitimam, ob matris hæresim, affirmarunt plures Jurisperiti, quos referunt, & sequuntur Farinacius *d. q.191. §.5. n.20.* & Merlinus *de legitima, lib.3. tit.1. citata q.31. n.10.* Sed contrarium rectè sustineri potest, propter tradita suprà *num. 451.*

Plura de hac materia confiscationis bonorum ob crimen hæresis, & quando, necne filii priventur hæreditate parentum hæreticorum, videantur apud Farinacium *de hæresi, d. q.19.* Merlinum *d. q.31.* Molinam *tom.3. de Iustitia, d. disp.658.* Azorium *p.1.lib.8. cap.13.* & Sanchez *d. lib.2. Summa, c.17. cum pluribus sequentibus.*

480 Ex dictis colligitur, filios hæretici in foro conscientiæ posse occultè surripere ex bonis paternis, etiam extra extremam necessitatem, tantum quantum ad sui commodam sustentationem requiritur: quod tenent Gulielmus Benedictus, & Palaus locis suprà *n.460.* citatis, & probant etiam *ibid.* tradita.

§. XLVIII.

Donatarius omnium bonorum paternorum an teneatur, & cogi possit alere filios pauperes donatoris, etiam illegitimos, & spurios.

481 DUbium octavum, an donatarius universalis omnium bonorum paternorum teneatur ex bonis donatis alimenta præbere filiis pauperibus, & non habentibus aliunde unde se alere possint.

Hucusque actum de obligatione alendi filios, qua adstringuntur patris hæredes proprii in testamento, vel ab intestato, & qui tanquam hæredes censentur, utpote successores universales in omnibus bonis paternis, ut sunt fiscus, monasterium, possessor majoratus. Restat modò videre, an quilibet bonorum paternorum possessores, etiamsi non sint, nec censeantur hæredes, teneantur alere filios ejus, cujus bona possident. In hoc igitur dubio quæritur, an donatarius omnium bonorum, seu qui ex titulo purè lucrativo possidet omnia bona paterna, teneatur, & cogi possit alere filios inopes illius cujus bona possidet.

Doctores asserunt communiter, donatarium (esto adversus eum non detur actio personalis, nec præcisè cogi possit ad alendum,) si tamen recuset alere, officio judicis, quod impertitur contra tertium possessorem, *l. quando, §. Is autem, ff. de edendo*, ut post alios docet Gaspar Anton. Thesaurus *quæst. for. lib.2. q.67. n.19.* posse, & debere cogi alere filios donatoris, etiam illegitimos, & spurios. Ita Ripa *in l. si unquam, q. 27. Cod. de revocanda donatione*, Rolandus a Valle *cons.54. n.67. vol.2.* Covarruvias *de sponsalibus, p. 2. cap.8. §.6. n.14.* Surdus *de alimentis, tit.1. q.50. n.1.* Antonius Thesaurus *decis. 211. n. 8.* Gaspar Ant. Thesaurus *d. q.67. n.20.* Giurba latè *decis.5. §.19. n.43. 44. 46. & 47.* Steph. Gratianus *discept. for. tom.2. c.247. n.59.* Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis Clericorum, c.19. n.9.* Salgado *in labyrintho, p.2. c.24. n.108. & 113.* & alii Jurisperiti à Surdo, & Giurba relati, & ex Theologis Azorius *p.2. lib.2. c.5. q.5.* & alii suprà *n. 351.* allegati. Ratio est, quia etsi donatarius aliàs non teneatur ad debita defuncti, ubi donatio non fuerit in fraudem creditorum, ut tenet Ant. Thesaurus *d. n.8.* & esto non detur hypothecaria pro alimentis filiorum contra tertium possessorem paternorum bonorum, ut traditur infrà, nec onus alendi filios sit reale, bonis ipsis paternis inhærens; & ita filiis contra donatarium non competat actio, seu jus in re, neque actio personalis propria; nihilominus cùm alimentorum ea præstatio ex æquitate naturali procedat, dari debet contra donatarium omnium bonorum paternorum possessorem actio officio judicis: quod in æquitate fundatur, & ratione ejusdem æquitatis in hac materia alimentorum solet plerumque à ratione juris recedi, ut tradit Glossa *in §. Item nobis, versic. Nihil suum, Instit. per quas personas nobis acquir.* & alii, quos Gasp. Ant. Thesaurus *d. q.67. n.19. fin.* allegat: & idem judicis officium imploratur etiam cessante actione, ut probat Thesaurus *d. n.19.* cum aliis. Quare quod Merenda *controv. jur. tom.3. lib.13. c.3. n.18.* ait, scilicet contra tertium possessorem omnium bonorum paternorum, ex titulo lucrativo pro alimentis filiorum non posse agi, eo quòd semper opus sit, ut is qui possessorem ratione suæ possessionis vult convenire, habeat jus in re ab ipso possessa, §. *Omnium, Instit. de action. & l. actionum, ff. de act. & oblig.* non est contra præfatam communem Covarruviæ, & aliorum Doctorum, qui non aiunt contra donatarium omnium bonorum paternorum filiis competere actionem in re, neque præcisam coactionem; sed solùm dari actionem ex officio judicis, seu donatarium officio judicis in æquitate fundatum debere cogi filiis pauperibus alimenta ex bonis à patre titulo lucrativo habitis præstare. Confirmantur prædicta ex doctrina pariter communi Doctorum, de qua Merlinus *de legitima, lib.2. tit.1. q.18. n.1.2.3. & 4.* cum aliis, quod ex bonis patris donatione, & alio titulo lucrativo alienatis deducitur legitima. Procedere etiam prædictam communem quoad filios, sive legitimos, sive illegitimos, post donationem conceptos, in terminis notant Ripa, & Lucidorus *locis citatis*: quod alias non eget probatione.

§. XLIX.

§. XLIX.

Filiis pro alimentis an competat hypotheca in patris bonis, ad quoscumque possessores bona titulo lucrativo, vel oneroso transeant.

CONtroversia est inter Doctores, an pro alimentis tacita hypotheca filiis tam legitimis, quàm illegitimis detur in bonis patris, ad quemcumque possessorem transeant, sive titulo lucrativo, sive oneroso, ita ut onus alendi liberos transeat etiam in singularem successorem, qui titulo oneroso, nempe emptionis, similisve contractus, bona patris obtinuit, & possidet.

483 Sententiam affirmativam tenuerunt Castrensis *cons.*8.*vol.*1. Durantes *de arte testandi, tit.*3.*de liber.instituend.caut.*17.*n.*7. Decius *cons.*376. *num.*3. Becius *cons.*8. *num.*7. 11. *& sequentibus*, & Lupus *in cap. per vestras*, §.23. *num.*16. *de donat. inter virum, & uxorem*: & pro hac sententia videntur stare Doctores, qui volunt onus alendi liberos esse reale, bonis paternis affixum, & inhærens, illaque comitans: quos Doctores allegavi suprà *num.* 354. Durantes probat per textum *in l.*2. *ff. de alim. legatis.*

484 Contrariam tamen sententiam, & filiis non competere hypothecam in bonis patris, atque ita onus alendi liberos non transire in singularem successorem bonorum patris, aut in eum qui patris bona titulo emptionis, similisve contractus possidet, docent magis communiter Iurisperiti. Ita Covarruvias loco supra *n.*481. citato, Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *idem rescripsit*, *n.*81 *ff. de liber. agnosc.* P. Barbosa *ad l.*1. *part.*4. *num.*73. *versic. Qua tamen ratio*, *ff. soluto matr.* Surdus *de alimentis*, *tit.*8. *privil.* 51. *num.*2. Giurba *decis.*5. *n.*46. Merenda *contr. jur. tom.*3.*lib.*13. *cap.*1. *num.*1. & *cap.*3. *n.*17. 18. 19. Gaspar Antonius Thesaurus *qq. for. lib.*2. *quæst.*67. *n.*18. & 20. *fine*, Joannes Lupi *de illegitimis*, *comm.*2. *num.*29. *initio*, Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis clericorum*, *cap.*19. *num.*1. & 16. Salgado *in labyrintho*, *part.*1. *cap.*24. *num* 89. & 109. 110. 111. Stephanus Gratianus *tom.*2. *cap.*366. *n.*2. 3. & 6. & alii ab eodem Gratiano, Salgado, & Barbosa relati, & ex Theologis Azotius *part.*2. *lib.*2. *c.*5. *q.*5. *versic. Quares*, & alii suprà *num.* 351. allegati; nullo enim jure probatur hujusmodi hypotheca: & licèt pater teneatur alere filios nepotes, nihilominus jure naturali, & positivo attentis, habet bonorum suorum liberam administrationem, & vivens potest illa alienare validè, dummodo non in fraudem legis, ut suprà *n.*354. ubi assignata est differentia inter hæredem, & successorem universalem bonorum patris, & emptorem illorum, singularemque successorem, notatum est, & expressè tradit *loco citato* Corduba, & etiam Surdus *de alimentis*, *tit.*1. *quæst.*50. *n.*2. Neque obstat dicta lex 2. *ff. de alim. legatis*; nam hæc lex (ut Covarruvias post alios notavit) habet locum dumtaxat in bonis, quæ expressè designantur in testamentis, vel in contractibus ad alimenta alicui præbenda. Hinc licèt ubi pater ære alieno ingenti detineretur, præsertim contracto malè utendo bonis, ad favorem filiorum fore deducenda alimenta asseruerint Cassius, Durantes, Becius *loco citatis*, & relati à Merlino *de legit. lib* 3. *tit.* 3. *q.*6. *n.*26. & addant etiam ita in facto Forlivii judicatum fuisse, idque ob dictum fundamentum, quod onus alendi filios inhæreat bonis, & bona paterna intelligantur obligata, & consequenter stante hac obligatione anteriore, filii sunt creditoribus patris præferendi; nihilominus juxta tradita dicendum est, dicta alimenta non esse deducenda, nisi æs alienum à patre dolosè, & in fraudem esset contractum, juxta tradita *infrà*, *n.*487. & ita creditores patris hypothecarios præferri filiis alimentariis pro alimentis agentibus, tradit Salgado *d. n.* 89. asserens esse conclusionem verissimam, & communem, eo quòd filii pro alimentis habeant solùm actionem ad ea consequenda.

485 Igitur si fuerint in testamento certa corpora, seu bona designata pro præstatione alimentorum, hujusmodi bona pro alimentis remanent particulariter affecta, & tacitæ hypothecæ subjecta, obligatioque illa alimentorum sequitur quemcumque possessorem illorum bonorum, ex communi Doctorum sententia. Ita Azor *in summa*, *ff. de alim. leg. num.*5. Bartolus *in d. l.*2. *& in l. Lucius*, *ff. de alim. legat. & in l. fundus*, *de annuis legatis*, Covarruvias *cap.* 60. *n.*481. Guido Papæ *quæst.*76. *num.*1. Surdus *d. privil.* 51. *num.* 3. Gaspar Antonius Thesaurus *d. num.*18. & *num.* 20. Giurba *d. decis.*5. *num.*13. Stephanus Gratianus *d. cap.* 366. *num.*6. Salgado *d. cap.* 24. *num.*98. & 99. & alii Iurisperiti à Covarruvia, & Giurba relati: & ex Theologis Azotius *loco citato*, & colligitur *ex d. l. Lucius*. An verò regulare sit, ut ubi aliquid debetur, vel relinquitur super certis bonis, vel præstandum ex tali fundo, ea censeantur obligata pro tali relicto, ut tenet Aymo *cons.*20. *num.*10. & alii à Surdo *tit.*8. *dicto privilegio* 51. *num.*4. relati; an verò id singulare sit, & speciale alimentorum favore, & in aliis favorabilibus relatis causam piam concernentibus, ut probant Guido Papæ *d. quæst.*576. *num.*1. Gigas *de pensionibus*, *q.* 51. *n.*3. videatur Surdus *d. privilegio* 51. *num.*4. *cum seq.* ubi & ipse *num.*4. tenet esse speciale in alimentis, *d. l. Lucius*, eo quòd si aliud quid relinquatur præstandum ex tali fundo, datur sola actio personalis, non verò realis, *l. fin. in fine*, *ff. de contrah. empt.* & *l. liberto*, juncta glossa ibi, *ff. de annuis leg.*

486 Vtrum verò contra singularem successorem ex titulo oneroso, si possideat omnia patris bona, vel majorem partem bonorum, filio inopi detur, seu dari debeat actio ex officio Judicis, sicut suprà *num*482. conclusum est dari talem actionem contra donatarium, & possessorem omnium bonorum patris ex titulo merè lucrativo? Affirmativè respondet Surdus *de alimentis*, *tit.*1. *quæst.*50. *num.*2. eo quòd, inquit, militet contra eum eadem æquitas, quæ contra possessorem omnium bonorum ex titulo lucrativo; contra ementem verò aliqua bona ait non dari talem actionem, quia contra illum ea æquitas non militat. Etsi huic responsioni ait obstare regulam, quod pater potest de bonis suis liberè disponere, præcipuè titulo oneroso, seclusa fraude, & fictione.

Hanc tamen Surdi responsionem refutat Gaspar Ant. Thesaurus *d. q.*67. *num.*20. quia si esset vera, etiam pro legitima filiis competeret actio contra emptores & alios creditores, quod negant communiter Doctores, quos referunt Merlinus *de legit. d. lib.*2. *tit.*1. *quæst.*18. 19. & Gratianus *d. cap.*66. *num.*3. & nunquam fuisse observatum sub prætextu hujus æquitatis, ait *loco citato* Gaspar Antonius Thesaurus.

487 Verum autem est, quod Surdus *d. quæst.*50. *num.* 3. & cum aliis Merlinus *de legitima*, *d. tit.*3. *quæst.* 6. *n.*24. & 25. aiunt, scilicet pro alimentis filiorum dari actionem contra singularem successorem ex titulo oneroso, si pater alienat bona fictè, vel in fraudem, ad eludendum filium, ut si fingat vendere, & confiteatur recepisse pretium: quo casu venditio, seu alienatio non præjudicat filiis quoad legitimam, ut tradunt communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Surdus *d. num.*3. & Merlinus *de legitima*, *lib.*2. *tit.*1. *q.*18. & *d. quæst* 6. *num.*22. & ita etiam Ioannes Lupi *d. n.*29. *versic. Verùm traditionem*, Joan. Nicol. Lucidorus *allegat. n.*1. ac etiam Ant. Thesaurus *decis.* 211. *n.* 11. ubi post relatam Durantis opinionem, illam admittit solùm quando bona alienata essent à parentibus in fraudem; tunc enim ait filiis competere actionem

Differentia inter dotem, & alimenta, ibid.

Frater dives, ut frater, tenetur sororem uterinam pauperem dotare usque ad quantitatem alimentorum, num. 500.

Agnationis, & cognationis differentia in succedendo ab intestato inter fratres, & sorores hodie est sublata, & post fratres, & sorores utrinque conjunctos æqualiter vocantur conjuncti ex altero tantùm parente, numero 501.

De jure naturali, & lege charitatis frater dives fratri, & sorori in extrema, vel gravi necessitate constitutis tenetur subvenire, sicut extraneus, n. 503.

An de jure naturali in foro conscientiæ sub mortali obligante frater dives, ut frater, teneatur in subsidium alere fratres, & sorores pauperes. Negativa, n. 504. Affirmativa, n. 506. 507.

Quæ alimenta, an solùm simpliciter necessaria vitæ, an pro dignitate, n. 507.

Stante dispositione juris humani, & legum civilium, quod frater dives, ut frater teneatur, & debeat alere fratrem, & sororem pauperes, an etiam in foro conscientiæ ad id obligetur sub mortali ad subministranda illis alimenta, & pro dignitate personæ, num. 508. 509. 510. & 511.

Si frater, & soror pauperes sint, & frater dives non possit utrinque subvenire, magis obligatus est præbere alimenta sorori quàm fratri.

Frater dives, ut frater, tenetur alere etiam fratres naturales egenos, n. 512.

In materia alimentorum naturalis non differt à legitimo, ibid.

Frater dives, ut frater tenetur fratres, & sorores spurios uterinos egenos alere pro dignitate, & conditione personæ, n. 513. & 514.

An teneatur alere fratres, & sorores spurios ex parte patris pauperes, n. 515. 516. & 517.

Fratres spurii ex parte patris non retinent jura cognationis, nec naturales, aut fratres vocari possunt, numero 515.

Frater dives, ut frater, etiam sorori nuptæ aliunde non habenti tenetur subministrare necessaria vitæ, n. 518.

An etiam fratri, & sorori egenis justè à patre exhæredatis, n. 519. & 520.

Quid si fuissent injustè exhæredati, n. 521.

Frater an, & quando possit fratri inopi erga se ingrato denegare alimenta, n. 522.

An fratri egeno, qui bona pro alimentis sibi à patre assignata malè consumpsit, teneatur præbere alimenta, & quæ, n. 523. ad 526.

Frater non tenetur ut frater alere fratrem, qui ex bonis propriis, vel artificio, aut officio potest honestè vivere: & quid si solùm extra patriam possit honestè vivere, n. 527. & 528.

Primogenitus ex Principis rescripto, vel dispositione statuti, aut consuetudinis successor in tota hæreditate, in primogenio, aut in toto feudo, an teneatur alere secundogenitum divitem, qui habet aliunde, num. 529. ad 534.

Legitima debetur etiam habentibus unde se alere possunt, n. 532.

Præterita alimenta possunt peti, quando debentur jure actionis, & ex dispositione statuti, vel consuetudinis, aut hominis, ibid.

Vita, & militia à primogenito succedente in feudum debetur secundogenito diviti, & etiam si pater eidem secundogenito aliquid certum, vel aliqua alia bona reliquerit, n. 533.

Frater dives, ut frater, tenetur sororem utrinque, vel ex parte patris conjunctam dotare, ubi ejus pater, aut mater, cæterique ascendentes, aut eorum heredes non extant, vel dotare non possunt, nec ipsa aliunde habere potest dotem, n. 536.

Idque procedit etiam in fratre pupillo, aut minore divite, num. 537.

Ut minor, seu ejus tutor validè pro dote sororis inopis alienet bona mobilia, & immobilia, an requiratur decretum judicis, ibid.

An requiratur minoris juramentum, ut adversus alienationem prædictam, & promissionem dotis non detur eidem minori restitutio, n. 536. fine.

Sorori habenti aliquid, quod tamen non sufficit ad congruam dotem, frater dives tenetur dare supplementum usque ad quantitatem competentis dotis, n. 538.

Tenetur etiam frater dives ad additamenta dotis, scilicet jocalia, & vestes, quæ sponsis dantur, n. 539.

Ultra dotem filiæ à patre, vel avo relictam frater hæres tenetur eidem filiæ tradere prætensa additamenta dotis, licèt in testamentis patris, aut avi non fuerint relicta, ibid.

Frater ut hæres matris ejusdem, tenetur dotare sororem uterinam ex alio patre natam, n. 540.

Frater dives, ut frater, an jure civili teneatur in subsidium dotare sororem uterinam inopem, & an ut pro conditione sui generis possit honestè nubere, num. 541. ad 546.

Iuxta legem Regum Hispan. 18. tit. 6. p. 6. frater dives, ut frater, an teneatur dotare sororem uterinam inopem, num. 543.

Leges municipales sumunt interpretationem à jure communi, ibid.

Frater pro dotanda sorore utrinque, vel ex parte patris conjuncta inope potest alienare bona fideicommissi à patre, vel avo paterno constituti, & an etiam pro dotanda sorore uterina, n. 547.

Pro dotanda sorore utrinque, vel ex parte patris conjuncta egena, an frater possit alienare bona fideicommissi à fratre relicti, etiamsi haberet bona propria libera. Negativa, n. 548. Affirmativa, n. 549.

An etiam pro dotanda sorore uterina inope, n. 550.

Ex fructibus majoratus, & fideicommissi frater, ut frater tenetur dotare sororem inopem, n. 551.

Frater dives, ut frater, an ex obligatione juris naturalis teneatur dotare sororem, n. 552. & 553.

An ex vi juris humani teneatur eandem sororem inopem dotare, ut honestè iuxta genus suum possit nubere, n. 554. & 555.

Frater, ut frater, an sorori, iustè à patre exhæredatæ teneatur dotem dare, si sit pauper, num. 556. & 557.

Constante matrimonio, neque pater, neque frater filiam & sororem semel dotatam, quæ dotem etiam absque sua culpa amisit, tenetur iterum dotare, n. 558.

Pater filiam à se dotatam semel, si dos absque eius culpa sit amissa, tenetur iterum dotare, n. 559.

Frater dives, ut frater, an sororem inopem, quam semel dotavit, si dotem absque sua culpa amiserit, dotare iterum teneatur, n. 559. & duobus sequentibus.

Sermo simpliciter prolatus regulariter intelligitur de prima vice, n. 560.

Limitatur in dispositione legis, & iuris communis, ac statuti, quæ nunquam intelligitur de prima vice tantùm, n. 559. & 560.

Frater non tenetur dare vel relinquere legitimam fratri, n. 560.

Si filius legitimam à patre acceptam casu, & absque sua culpa amiserit, pater vivens tenetur ei novam legitimam dare, vel relinquere, ibid.

Frater dives, ut frater, an teneatur dare dotem sorori naturali, & etiam spuriæ egenæ, quæ aliunde habere non potest. Negativa num. 562. Affirmativa num. 563.

Quod si filia, vel soror spuria dotem datam à patre, vel fratre amiserit, an pater, & frater teneatur eam iterum dotare, ut possit secundò nubere. Negativa n. 564. Affirmativa n. 565.

In casibus, in quibus frater tenetur dotare sororem, eum non posse apponere pactum, quod sorore mortua sine liberis, ad eundem fratrem dos transeat, qui Doctores consuerint, n. 566.

Frater,

num 26. sit, hanc rationem non concludere in legitima filii, quòd etiam data incorporatione, & possessione per filium capta, gratia principis omnia reducat in pristinum, ita quod redacto filio in patria potestate, bona patri quærantur. Quare ipse confirmat ex eo quod acquisitio facta per filium, & capta possessio cōstituit eum dominum incommutabiliter, ita quod ipsi patri omnis alienatio sit prohibita, & solùm dum vivit, & durat patria potestas, ex effectu patriæ potestatis ipse pater sit usufructuarius, & etiam auctis facultatibus, in eis quoque proportionaliter ipsi filio venit augenda eorum bonorum legitima jam constituta.

Prædicta quoad legitimam filiis reservandam quando omnia bona paterna ob patris delictum, quod non sit læsæ Maiestatis, vel hæresis, confiscantor, & publicantur.

§. XXXV.

Ex bonis delinquentis confiscatis deducuntur dotes filiarum ejusdem delinquentis.

428 SEd sicut legitima de corpore bonorum confiscatorum favore filiorum deducitur, ita ex iisdem bonis confiscatis filiabus delinquentis à fisco tanquam hærede, & successore constitui, & dari dotes debent in prædictis omnibus casibus, in quibus legitima filiis debetur. Ita Baldus *in l. fin. n.9. Cod. de dotis promiss.* Ripa *in l. ex facta, §. ex facto, n.9. ff. ad Trebell.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. si quis ex his: n.46. ff. de liber. agnosc.* P. Barbusa *ad l. 1. p. 4. n.84.* Surdus *de alim. tit. 1. q.31. n.16.* Farinacius *d. q.24. n.46.* Merlinus *de legit. lib.3. tit.1. q.28. num.6.* Ricciullus *de jure personarum lib.5. c.30. n.3. ad* 8. & alii Jurisperiti communiter, tum relati supra *n.409.* tum latè allegati à Farinacio, Surdo, & Corduba *locis citat.* & ex Theologis Sanchez, Rebellus, & Palaus *locis suprà n.409. citatis:* idque probant omnia suprà *n.410. & 411.* tradita ad probandum legitimam filiorum condemnati deduci ex bonis confiscatis, non obstante, quod statutum, vel bannum imponat simpliciter omnium bonorum confiscationem: dotare enim filias est onus paternum, patri de jure naturali, & positivo incumbens, *d. l. fin. Cod. de dotis promiss.* & dos loco legitimæ debetur, ac proinde fiscus, qui est tanquam hæres, & successor universalis, sicut legitimam, ita & dotes filiabus delinquentis, in cujus omnia bona successit, competentes juxta statum, de bonis confiscatis præstare debet, & omnia jura *d. n.410. & 411.* adducta, sicut legitimam, ita etiam dotes ex bonis confiscatis deducendas esse probant, ad idque à præallegatis Doctoribus, & aliis afferuntur.

429 Quod si fiscus tenetur ad dotes constituendas, & dandas, multò magis contra fiscum sustinentur dotes, & donationes propter nuptias per parentes, etiam post delictum, sed ante condemnationem constitutæ, & factæ, ut tradit Ricciullus *d. c.30. num.6.* post Angelum *in l. si quis, n.3. ff. de bonis damnatorum,* & Nattam *cons.212. n.3.* Tum quia cùm actus dotandi procedat ex necessitate pietatis paternæ, ut probat Baldus *in d. l. fin. n.2. & 3.* non potest præsumi factus in fraudem futuræ condemnationis, *l. 1. §. sed & si libertus filiam, ff. si quid in fraudem patr.* Tum etiam, quia licèt ubi confiscatio bonorum fit ipso jure, sententia retrotrahatur ad diem commissi criminis, ut latè ostendi *tom. 1. mor. var. c.12. n.173.* tamen semper refert causam filiorum, nempe pietatem paternam, potiorem, ut præfati Doctores juxta sæpiùs allegatam legem *cùm ratio, ff. de bonis damnatorum,* docent.

§. XXXVI.

Alimenta filiis etiam naturalibus, & spuriis fiscus in omnibus bonis patris delinquentis succedens præstare debet.

ALimenta pariter tenetur fiscus, uti hæres, & successor generalis, ex bonis confiscatis condemnati præstare, ut tradunt Doctores communiter. Ita Baldus, Ripa, Corduba, P. Barb. Ricciullus *locis suprà n.428. citatis,* Peregrinus *de jure fisci, lib.5. tit.1. num.75.* Bossius *tit. de alim.* Surdus *d. q.3. n.1. & 31.* Farinacius *d. q.24. n.40.* Merlinus *d. q.28. n.8.* Rota Romana *decis. 747. n.5.* cæteri Jurisperiti *suprà n.409.* relati, & alii quos Peregrinus, Rota, & Farinacius referunt, & ex Theologis Sanchez, Rebellus, & Palaus *locis d. n 409. allegatis,* & hoc pariter probant tradita supra *n.410. & 411.* Alimenta enim debentur à parentibus jure naturali, *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* & in præcedentibus sæpiùs ostensum est. Et pro alimentis datur legitima, & consequenter onus alendi filios condemnati, sicut & onus legitimæ, & cætera onera, & obligationes passivæ ejusdem transeunt in fiscum in omnibus bonis patris delinquentis succedentem. Nec statutum confiscationem omnium bonorum simpliciter imponens extenditur ad alimenta. Hinc deducitur, quod si legitima ex bonis confiscatis filiis debita non sufficeret ad congrua alimenta juxta statum, fiscus teneretur supplere ex aliis bonis, ut in terminis Plotus *cons. crim. 130. n.84.* Franciscus Beccius *cons.8.* Peregrinus *d. tit.1. n.76. versic. intellige,* Merlinus *d. q.28. eod. n.8.* Surdus *d. q.31. n.17.* & alii ab eodem Surdo relati; & probant tradita suprà *n.404.* 430

Prædicta autem de alimentis, & dotibus procedunt etiam in filiis illegitimis, etiam spuriis delinquentis condemnati; nam & his egentibus tenetur fiscus succedens in omnibus bonis condemnati præstare congrua alimenta, & dotes ea ratione, & mensura, quâ pater ipse obligatur. Ita expressè Hondedeus *cons.95. n.66. & sequent.* Lupus *in cap. perversis, in 3. notab. §.24. n.8. & 9.* Dueñas *in reg.367. applic. 4. fine,* Ripa, Bossius *locis n. praced. cit.* Rota *d. dec.747. d. n.5.* Surd. *d. q.31. n. 31.* & Farinacius *d. q.24. citat. n.40.* & Merlinus *d. q.28. n.9.* & Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. Cleric. alleg. c.19. n.11.* Jure enim naturali, & positivo pater obligatur alere, & dotare filios, & filias naturales, & spurias, ut sæpiùs in præcedentibus dictum est, atque adeo hoc onus alendi, & dotandi transit ad fiscum in omnibus bonis patris delinquentis succedentem, sicut transiret ad defuncti hæredes; cùm fiscus loco hæredis, & veluti, seu quasi hæres succedat, & consequenter bona cum prædicto onere fisco deferuntur, prout latiùs traditum est suprà, *n.411.* & præter Rotam *d. n.5.* & alios quos ipsa allegat, tradunt alii Jurisperiti *eodem numero* 11. relati. 431

Prædicto autem oneri alimentorum, & dotis bona paterna semper subjecta esse, nedum penes fiscum, sed etiam cùm maneat penes quemcumque à fisco causam habentem, tradit Rota *d. dec.747. n.6. & 7.* & sequitur Merlinus *d. quæst.28. n.10.* & Lucidorus *d. cap.19. num.14. 15. & 16.* 432

Addunt Hondedeus, & Farinacius *locis citat.* quod uncia, vel alia quota hæreditatis filio spurio est debita vigore statuti, cùm loco alimentorum succedant, ut idem Hondedeus latè probat, ideo non venit dicta uncia in confiscatione bonorum, sicut non veniunt alimenta. 433

Intelliguntur verò tradita quoad filios naturales, vel spurios conceptos ante condemnationem, & bonorum publicationem; non verò quoad conceptos post condemnationem, & publicationem bonorum, juxta 434

tradita

tradita suprà *num.*426. & Doctores ibidem allegatos.

§. XXXVII.

Quando bona patris confiscantur ob crimen læsæ Majestatis, an tunc etiam fiscus teneatur filia dare legitimam, dotes, & alimenta.

435 SEcunda difficultas, an quando bona paterna confiscantur, & publicantur ob patris crimen læsæ Majestatis, tunc legitima, dotes, & etiam alimenta publicentur, ita ut ex bonis cōfiscatis nihil omnino, scilicet nec legitima, nec dotes, nec alimenta filiis condĕuari reserventur, & à fisco debeantur? De hac re habetur textus *in l. quisquis, §. filii verò, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, ubi sic dicitur: *Filii verò, quibus vitam Imperatoria specialiter lenitate cōcedimus, paterno enim debent supplicio perire, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla mutuantur; à materna, vel avita omnium, etiam proximiorum hæreditate, & successione habeantur alieni, ex testamentis] extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes, & pauperes, infamia eos paterna semper concomitetur, ad nullos unquam honores, ad nulla Sacramenta perveniant, sint postremò tales, ut in perpetua egestate sordescentibus, sit eis mors solatium, & vita supplicium.* Ita *d. §. filii verò.* In sequenti verò §. *ad filias sanè*, filiabus indulgetur hoc pacto: *Ad filias sanè eorum, quolibet numero fuerint, falcidiam tantùm in bonis maternis, sive testata, sive intestata decesserit, volumus pervenire, ut habeant mediocrem potiùs filia alimoniam, quàm integrum emolumentum, ac nomen hæredis; mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minùs ausuras esse confidimus.*

436 Igitur propter præfatum textum *in d. §. filii verò*, quoad hoc satis clarum, conveniunt communiter Doctores, filios patris rei criminis læsæ Majestatis, non solùm privari tota paterna hæreditate, sed etiam legitima portione, quatenus excedit alimenta jure naturæ filiis debita, & jure civili inducta est, ita ùt ex bonis ob crimen læsæ Majestatis confiscatis, hujusmodi legitima non reservetur deducenda. Ita Cardinalis *in Clem. Pastoralis, q.7. num.15. de re judicata*, Bossius *tit. de crim. læsæ Majestatis, n.134. & tit. de bonorum publicat. n.*8. Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.9. n.1. lib.4. tit.5. n.22. & lib.5. tit.1. n.34. fin.* Clarus *in practica, §. crimen læsæ Majestatis, n.12. fine*, Surdus *de alim. tit.1. q.31. n.17. & seq.* Farinacius *in praxi crim. p.4. q.116. §.3. n.77. & 78.* Merlinus *de legit. lib.3 tit.1. q.30. n.1. & 2.* Ricciullus *de jure personarum, lib.5. cap.30. n.8. & seq.* Menochius *conf.275. n.18. cum seq. lib.3.* Carpanus *ad statut. Mediol. de jure fisci n.* 782. & innumeri alii Iurisperiti relati à Bossio, Merlino, & Farinacio. Et ex Theologis Sanchez, Rebell. Fagund. & Palaus *loc. infr. cit.* Ratio deducitur *ex d. l. quisquis*, ibi enim tales filii infames efficiuntur, & incapaces successionis, tam ex testamento, quàm ab intestato, ut etiam tradunt Peregrinus *d. tit.9. n.1.* Menochius *d. conf.275.* Farinacius *d. §.3. n.75. & 83.* & alii innumeri ab eodem Farinacio relati. Quod, ut *ex d. l. quisquis* constat, statutum est ob criminis atrocitatem, quæ ad homines à tali crimine deterrendos meruit hanc specialitatem: & ita olim Romanos in atrocissimis delictis consuevisse ad confiscationem omnium bonorum procedere, nulla liberis reservata legitima, refert Alexander ab Alexandro, *genialium dierum lib.3. cap.23. in principio.*

Quare Ioannes de Lign. *in d. Clem. Pastoralis*, Cortasius *in l. qui liberos, n.11. ff. de ritu nupt.* Socin. *conf.30.*
437 *n.7. vol.1.* Mangilius *de imputat. q.4. n.36.* & nonnulli alii ab eodem Mangilio, & Merlino *d. q.30. n.3.* relati, qui affirmant etiam in crimine læsæ Majestatis humanæ, & divinæ filiis legitimam reservari, communiter ab aliis reprobantur.

Præterea Doctores conveniunt, quod filiæ rei criminis læsæ majestatis, *d. l. quisquis* excluduntur à successione in bonis paternis; falcidiam tamen, id est quartam partem ex bonis maternis consequi debent, ut constat *ex d. §. Ad filias*, ubi etiam additur ratio, scilicet quod mitiùs fuerunt puniendæ quàm masculi, quia propter sexus infirmitatem minùs ausuræ creduntur, & ita tradunt Peregrinus *d. tit. 9. n.8.* Farinacius *d. §.3. n.94.* P. Barbosa *ad l.1. p.4. n.83. ff. solut. matr.* & alii Iurisperiti, quos latè *ibid.* Farinacius refert. 438

§. XXXVIII.

Filiæ rei patris criminis læsæ majestatis, an debeant habere dotes congruas ex bonis paternis confiscatis.

COntrovertitur primò, an in terminis dictæ legis *quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, filiæ rei criminis læsæ Majestatis debeant congruenter juxta statum dotari ex bonis paternis confiscatis. 439

Negant affirmantes etiam filias excludi omninò à participatione bonorum paternorum, & sic etiam à dote per fiscum tradenda, P. Barbosa *ad l. 5. p.4. n.84. ff. solut. matr.* Surdus *de alim. tit.1. q.32. n.17. & seq.* Peregrinus *de jure fisci, lib.5. tit.1. n.76. fin.* & P. Barbosa refert hoc idem affirmare Ioannem Hannibalem *in l. post contractum, num.226. ff. de donationibus*, Ricciollus *de jure personarum lib.5. c.40. n.8.* & ex Theologis Rebellus *de obligat. justit. p.2. lib.5. q.4. n.3.* & idem sentire videtur Sanchez *lib.2. Summa, cap.16. num.26. fin.* probant Surdus, & Peregrinus, quia ex textu *in d. §. sed ad filias, d. l. quisquis filiabus*, indulgetur ut falcidiam, scilicet quartam & alimenta consequantur ex bonis maternis. Ergo videtur ea negare in bonis paternis, quia inclusio unius est exclusio alterius, *l. cùm prætor, ff. de judiciis, & c. nonne, de præsumpt.* quin etiam P. Barbosa *d. n.84. fin.* quem sequitur Rebellus *loco citato*, addit dotes datas post delictum, scilicet ab eo, qui jam inciderat in crimen læsæ Majestatis, per fiscum revocari: & refert ita sentire Bartolum *in d. l. post contractum, num.12.* ibidem Paulum de Montesino, & Ariam Gomezium *ad d. l.4. Tauri, num.9.* Idque ait constare *ex d. l. quisquis, §. emancipationes*, ubi dotes, & donationes post delictum læsæ Majestatis admissum factæ nullius reputantur momenti. Per quem textum idem sentit Ricciullus *d. n.8.* qui tamen *n.9. & 17.* subdit, ex æquitate, & Principum, & supremorum tribunalium benignitate, & miseratione receptum esse, ut filiabus dotes ex bonis paternis ob crimen læsæ Majestatis confiscatis conserventur, & si non fuerint constitutæ, constituantur à fisco, & ita practicatum fuisse per Rempublicam Florentinam, referente Angelo *conf.357. n.2.* & per Regem Ferdinandum in filiis principis Rossani, testantur Afflictus *in cap.1. in principio, glossa 3. num.3. verbo Bona committentium*, Bossius, & Peregrinus *locis infrà citatis*, & alii pariter, qui numero sequenti citantur: & in Senatu Mediolanensi in causa, in qua scripsit Franciscus Beccius *allegato conf.*8.

Contrariam sententiam affirmativam, & etiam in terminis dictæ legis *quisquis*, fiscum teneri dotare filias rei criminis læsæ majestatis ex bonis illius confiscatis, tenent magis communiter Doctores. Ita Plotus, & Franciscus Beccius *locis suprà num. præcedenti relatis, & eodem cap. 1. §. præterea vassallus, glossa 3. num.*80. Ægidius Bossius *tit. de crimine læsæ majestatis, n.134. & in tit. de bonorum public. num.9.* Gigas *de crim. læsæ Majestatis, lib.3. tit. de pœnis quas filii incurrunt, &c. q.15.* Clarus *§. læsæ Majestatis, n.10.* ubi ait pœnas dictæ legis *quisquis*, non habere locum contra filias, & dicit esse 440

commu

& seq. Beeius *conf.8. num.5. lib.1.* Socinus *conf.30. num.3. vol.1.* Ripa *in l. ex facto, n.9. ff. ad Trebell.* Corrasius, & Mangilius *suprà, n.4. 37.* Rota Rumana *decis.* 747.*n.8.p.4. diversorum*, Merlinus *de legitima, lib.3. tit.1.q.30. n.6. & seq.* Lucidorus loco superiùs *n.440.* allegato, & alii Jurisperiti relati à Farinac.*d.num.128.* Rota *d. decis.747. n.10.* & Merlino *d. num.6. & 10.* & ex Theologis Castrus Palaus *tom.1. tract.4. disp.5. puncto 11. n.24.fin.* Probatur *ex d. l. quisquis, d.§. filii verò*, nam cùm ibi Imperator Iulianus filios perpetrantium crimen læsæ Majestatis vivere permittat, ibi: *relinquendam esse vitam filiis*; ex consequenti censetur illis concedere alimenta, sine quibus vita nequit sustineri, *l. necare, ff. de liber. agnosc.* Negat hanc consequentiam Surdus quia aliàs (inquit) sequeretur, quod si bona alicui confiscantur, reservatâ vitâ, quod ipse posset petere alimenta. Verùm differt talis casus à præsenti, quia filius, ut sæpiùs dictum est, creditor patris dicitur in alimentis, quod non procedit in eo, cui bona ablata fuerunt: & cùm dispositio dictæ legis *quisquis*, sit odiosa odio intolerabili, dura, & crudelis, cum in ea puniantur filii qui non peccaverunt, propterea, ut suprà *n.430.* dictum est, erit restringenda ut alimenta non auferat; & cùm beneficium, & indulgentia principis sit latè interpretanda, rectè concluditur, quod hujusmodi reservatio vitæ intelligatur etiam cum reservatione alimentorum. Maximè quia communis Doctorum sententia, ut sæpiùs in præcedentibus dictum est, asserit alimenta à parentibus filiis quibuscumque legitimis, & illegitimis, etiam spuriis debita, non posse ulla consuetudine, vel statuto, aut lege licitè tolli, cùm sint jure naturali debita.

Procedunt prædicta non solùm in filiis legitimis,
445 sed & in illegitimis naturalibus, & etiam in spuriis, quos illegitimos omnes eadem lege *quisquis*, comprehendi tradunt communiter Doctores, quos referunt & sequuntur Clarus *d. §. læsæ Majestatis, num.11.* & Farinacius *d. quest.24. num.86.* his enim quoque in confiscatione omnium bonorum paternorum ob delictum læsæ Majestatis reservanda esse alimenta, tradunt in terminis Rota *decis. 747. n.8.* Merlinus *d. quæst. 30. num. 8.* & Lucidorus *loco suprà citato*, & convincunt tradita; & quia quoad alimentorum jus omnes filii jure naturæ sunt æquales. Et sic etiam filiabus naturalibus, & spuriis dos ex eisdem bonis debetur, quæ loco alimentorum est, & à pari procedunt alimenta, & dos, ut superiùs dictum est, & tradunt Bartolus *in l.fin. ff. de his quibus ut indignis*, & Corduba *in l. si quis à liberis, §. si mater, n.16.*

446 Prædictis autem non obstant fundamenta Surdi *n 441.* adducta: non primum, quia *in d. §. ad filias*, Julianus Imperator non loquitur de alimentis, sed de falcidia, seu legitima danda filiabus in bonis maternis; & quoad hoc procedere potest argumentum, ut inclusio fœminarum sit exclusio masculorum: at non procedit ad exclusionem alimentorum, quia sicut & dotes, ut suprà dictum est, non habent eandem rationem, quàm legitima, de qua *d. §.* nam legitima transmittitur, debeturque tam in proprietate, quàm in usufructu; alimenta verò ex fructibus debentur, & mortuo alimentario cessant: & ideo inclusio unius non est alterius exclosivo. Non obstat secundum, quia habens simpliciter alimenta, adhuc egenus dicitur, cùm nihil quod suum sit, in bonis habere dicatur. Secundùm enim communem modum loquendi egenus est qui habet tantùm alimenta; & si textus dicit, quod vivant in perpetua egestate, ut vivant saltem secundùm indigentiam naturæ, erunt subministranda alimenta, ut Rota *loco citato*, & Merlinus *d. quest. 30. n.9. in fine* notarunt. Ex quibus etiam manet satisfactum tertio Surdi fundamento.

447 Ad argumentum Sanchez, & Fagundez *num.443.* adductum respondetur primò, dato quod lex potuerit ob delictum patris tam atrox privare filios alimentis, non constat tamen privasse; imò ex eadem lege probatur alimenta illis fuisse reservata, ut ostensum est, & tradunt Rota, Merlinus, & alii Doctores *n.444.* allegati. Secundò, supposita sententia communi, quod alimenta jure naturæ filiis debita non possint ulla lege humana universali, vel municipali, seu particulari tolli, ob delictum parentum tantùm, nullo filiorum delicto concurrente, nequeunt auferri, quod absque dubio sentiunt Alciatus *conf. 467. num.6.* & Rolandus à Valle *conf.74.n.23. vol.3.* quatenus aiunt, legem punientem filios ex crimine paterno, non valere, juxta illud veteris legis, *filius non portabit iniquitatem patris*, ut loquuntur in terminis dicta lex *quisquis*; atque adeo talem legem tanquam contra honestatem, non posse observari absque peccato, *c. constitutiones, & c. lege, dist.10.* quod quoque sentit Cevallos *pract. qq. c. 653. n.38.* ubi ait, quod pœnæ dictæ legis *quisquis*, in foro conscientiæ quoad filios non possunt exigi: quod etiam approbat Farinacius *p.4. d. q. 116. §.3. n.144.* & Merlin. *d. q.30.n.27.* idemque ait dixisse Rotam *in Romana donationis, 22. Iunii* 1588. coram Seraphino, & idem docet Zibetus *ad Papiensem s in forma libelli Inquisitionis, glossa ult. verbo Eius legitimam*: ubi ait, quod quicumque ausus fuerit dicere ius alimentorum, & legitimæ, scilicet quatenus alimentorum loco debetur, utpotè proveniens ex jure naturali, posse tolli statuto, vel etiam consuetudine pro delicto patris falsum affirmare: quæ doctrina, quod non valeat lex puniens filium pro delicto patris, indubitata est quando pœna versatur circa corpus, seu corporalem vitam, cujusmodi est privatio alimentorum, *d. l. necare, ff. de liber. agnosc.* eo quòd sine alimentis vita nequeat conservari: quando verò pœna non est corporalis, sed pecuniaria, & versatur circa alia bona, ut est infamia, privatio succedendi, & similes, posse quempiam ex lege, aut statuto tali pœna puniri ob crimen alterius, & legem esse validam, etiam in foro conscientiæ, probat textus *in cap. vergentis, de hæreticis*; & latè ostendit Covarruvias *var. lib. x. c.8.* & etiam Rolandus *conf.8. n.45. vol.3.* supposita, inquam, præfata communi sententia, respondetur primò peccare patrem contra legem naturæ, & pietatem, qui prodigeret bona unde filii priventur alimentis, saltem simpliciter vitæ necessariis, & in tali casu posse cogi patrem prodigentē, ad assignanda filiis bona, ex quibus possent vivere, ut superiùs probatum est. Respondetur secundò, cùm obligatio alendi filios sit personalis, habito respectu ad patris bona, dum pater habet bona, semper filii jure naturali sunt creditores eorundem alimentorum, & jure naturali illa alimentorum obligatio transit ad hæredes & successores universales patris, ut in præcedentibus sæpiùs dictum est: & sic etiam naturali jure transit in fiscum, qui est quasi hæres, & successor universalis: & ita esto pater posset distrahere bona omnia, nullis alimentis reservatis filiis, lex tamen non potest privare filios jure illo naturali, quod habent ad alimenta habenda ex bonis paternis, quæ semper sub patris dominio fuerunt, & desinunt esse sub illius dominio solùm ob mortem naturalem, vel civilem.

Ad majorem autem prædictorum confirmationem
animadvertendum duxi quod quia pœnæ dictæ legis 448
quisqnis, contra filios innocentes propter patris delictum latæ sunt nimis odiosæ, nimisque duræ, & rigorosæ, eam legem quoad dictas pœnas respectu filiorum de consuetudine generali orbis Christiani non servari, esseque sublatam, tradidere Angel. *in l. fallaciter, Cod. de abolit.* Alciat. & Roland. *loc. num. præced. cit.* Clar. *d. §. læsæ Majestis, num.15. fin.* ubi ait quod nunquam vidit tales pœnas in filiis observari, Peregrinus *de jure fisci, lib.3. tit.9. num.10.* Cevallos *loco*

num. praecedenti citato, Farinacius *d. quaest.* 116. *n.* 44. Merlinus *d. q.* 30. *num.* 26. Rota *in d. Romana donat.* & plures alii à Peregrino, Farinacio, & Merlino relati, juxta quam generalem consuetudinem filiis rei criminis læsæ Majestatis reservari non solùm alimenta & dotes, sed etiam legitimam, bona materna, & peculium castrense, vel adventitium, asserunt, ut notavit Merlinus *loc. cit.* Legitimam autem hoc casu Merlinus *d. q.* 30. *n.* 29. ait fore tantùm trientem, aut semissem, pro numero liberorum, juxta Authenticam *novissima, Cod. de inofficioso testamento.* Ex his etiam idem Merlinus *n.* 28. ait Doctores, quos & refert, concludere quod tam ab intestato, quàm ex testamento hi filii rei criminis læsæ Majestatis succedunt avo, & omnibus aliis agnatis.

449 Præterea præfatam legem *quisquis*, quoad pœnas filiorum, propter odium intolerabile quod crimen continet, juxta tradita *n.* 440. etiam de rigore juris non procedere, nisi in offendente Principem non recognoscentem ullum superiorem; non autem in offendente alios Principes inferiores superiorem recognoscentes, tradunt post innumeros alios Iurisperitos Clarus *d. §. læsæ Majestis*, *n.* 3. *fin. & num.* 15. Rolandus *d. cons.* 74. *num.* 3. *& seq.* Peregrinus *de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 4. Farinacius *d. quaest.* 116. §. 3. *n.* 124. *&* 125. & Merlinus *d. q.* 30. *num.* 18. *&* 19. quia cùm lex illa loquatur de machinante contra Imperatorem, & illius consiliarios, propter odium præfatum est strictissimè intelligenda, ut saltem quoad pœnas filiorum non extendatur ad offendentes Principes superiorem cognoscentes, eorumve consiliarios.

450 Item etsi pœnas dictæ legis *quisquis*, habere locum in filiis, etiam quando mater, & non pater committit crimen læsæ Majestatis, ut filii hæreditate priventur, sentit Clarus *d. §. læsæ Majestatis*, *n.* 14. & plures alii à Claro, & Farinacio *d. §.* 3. *n.* 98. relati: idque ob illud relativum, *quisquis*, quo lex illa utitur, quod generaliter comprehendit omnem personam committentem delictum.

451 Nihilominus Peregrinus *d. tit.* 9. *n.* 6. post Odofredum, Albericum, & Salicetum *in d. l. quisquis*, & plures alii ab eodem Peregrino *ibidem*, & à Farinacio *d. §.* 3. *n.* 100. allegati, contrarium sustinent, pœnasque præfatas filiis impositas habere locum solùm cùm pater est reus criminis læsæ Majestatis, non verò quando mater: quod probat Peregrinus tribus rationibus, quarum duas sumit *ex d. l. quisquis, §. Emancipationes*, in quo est sermo solùm de filiis respectu patris, cùm matribus emancipatio non competat. Tertia ratio est, quia pater habet filios in potestate, & in eos habet plus juris quàm mater; unde pro necessitate potest eos vendere, non sic mater, *l.* 1. *Cod. de patribus qui fil.* ac proinde non est mirum, si lex ob delictum paternum afficit filios, non sic ob delictum maternum: & hæc sententia, uti æquior, videtur in praxi admittenda, & etiam Farinacius videtur eam amplexus.

452 Item non habent locum præfatæ pœnæ respectu filiorum, quando pater tanquam reus læsæ Majestatis condemnatur contumacialiter, seu per solam sententiam contumacialem, non verò per legitimas, & veras probationes, neque per confessionem ipsius patris, ut post alios docet Bossius *tit. de crim. læsæ Majest. n.* 136. Farinacius *d. q.* 116. §. 3. *n.* 130. & Merlinus *d. q.* 30. *n.* 22. quidquid sit existente speciali statuto, quod expressè loquatur etiam de condemnatis contumacialiter.

453 Item non habere locum præfatas pœnas in filiis emancipatis, eorumque legitimam non confiscari, nisi in fraudem fuisset facta emancipatio, per textum *ibi* tradunt communiter Scribentes *in d. l. quisquis, §. emancipationes*, Merlinus *d. quaest.* 30. *num.* 14. & alii Iurisperiti, quos Farinacius *d. §.* 3. *num.* 84. *&* 85. refert, & sequitur.

454 Item non habere locum easdem pœnas in nepotibus, sed tantùm in filiis primi gradus, cùm in odiosis, & pœnalibus filiorum appellatione nepotes non contineantur, *l. pater, ff. ad l. Iuliam de adulteriis*, sentiunt Thomas de Ferrug. relatus à Peregrino *d. tit.* 9. *num.* 5. *initio*, Decianus *tract. crimin. lib.* 8. *cap.* 41. *num.* 7. Merlinus *d. quaest.* 30. *num.* 15. alii relati à Molina *de justitia, tom.* 3. *disput.* 618. *num.* 19. & idem videtur sentire Farinacius *d. §.* 3. *num.* 90. quamvis Peregrinus *loco citato*, Clarus *d. §. læsæ Majestatis, num.* 13. & alii Iurisperiti magis communiter, quos Farinacius *num.* 89. refert, Molina *loco citato*, & Sanchez *lib.* 2. *Sum. cap.* 27. *num.* 4. asserant præfatas pœnas extendi etiam ad nepotes quoad primum gradum tantùm, ita ut non comprehendantur pronepotes, descendentes ex masculis per novam constitutionem Federici Imperatoris, loquentem per verbum *Liberorum*, quod continet etiam nepotes: nepotes verò ex filia aiunt omnes non comprehendi; & respectu matris reæ criminis læsæ Majestatis comprehendi solùm filios, supposita sententia de qua *n.* 450. non autem nepotes, sive ex filio, sive ex filia. Sed Decianus ait non reperiri hanc legem Federici.

Item præfatas pœnas dictæ legis *quisquis*, non procedere in filiis natis, & conceptis ante commissum delictum læsæ Majestatis, sed tantùm in natis, aut conceptis post delictum, tradunt Cynus *in d. l. quisquis*, Clarus *d. §. læsæ majestatis, num.* 12. Cevallos *pract. qq. cap.* 673. Rota *in præallegata Romana donationis*, 22. *Iulii* 1588. à Farinacio *d. quaest.* 116. *num.* 92. relata, Molina *de primog. lib.* 4. *cap. ult. num.* 55. alter Molina *d. disput.* 658. *num.* 20. Merlinus *d. quaest.* 30. *num.* 17. Calvinus *de æquitate, lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 6. & alii relati à Farinacio *ibidem*, Claro *d. num.* 12. & Cevallos, qui meritò ait, ab hac sententia uti humaniori, & æquiori in iudicando non esse recedendum, & eam latissimè probant Molina *d. num.* 20. & Sanchez *in Sum. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 10. *ad* 17. quamvis attentis verbis dictæ legis, easdem pœnas afficere etiam natos ante delictum, latè probat Rolandus *cons.* 74. *num.* 2. *vol.* 3. & tradiderunt magis communiter Doctores, quos idem Rolandus *ibid.* & Farinacius *d. §.* 3. *num.* 91. & Sanchez *d. cap.* 27. *num.* 9. latissimè referunt pro utraque sententia *infrà num.* 477. *& num.* 478. Et quamvis appellatione filiorum veniant etiam fœminæ, tamen in dicta lege *quisquis*, non comprehendi fœminas, post Bartolum *in leg.* 1. *ff. de verborum sign.* & alios notavit Calvinus *d. cap.* 12. *num.* 7. *& num.* 8. eo quòd lex contineat odium, ac proinde sit restringenda ad masculos, & fœminæ pro infirmitate sexus non præsumantur sequutæ exemplum patris. 455

Item dictam legem *quisquis*, quoad incapacitatem filiorum succedendi ab intestato, vel ex testamento, non habere locum si pater legitimam inter vivos assignasset, vel aliqua bona pro ea, vel ejus nomine; & non habere locum, si mater inter vivos donaverit, eo quòd lex illa, cùm sit pœnalis, & tam odiosa; sit restringenda ad successionem testati, vel intestati, non ad actum donationis inter vivos extendenda, tradidere communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Peregrinus *de iure fisci, lib* 3. *tit.* 9. *num.* 11. & Farinacius *d. quaest.* 116. §. 3. *num.* 112. secus si donatio esset causâ mortis, cùm sapiat ultimam voluntatem, ut post alios probat Farinacius *d. §.* 3. *n.* 114. 456

Item prædicta lex *quisquis*, quoad easdem pœnas filiorum non habet locum in beneficiis Ecclesiasticis, quæ filium Clericum propter delictum læsæ Majestatis, si habeat, posse retinere tradunt communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Menochius *cons.* 275. *num.* 46. *& num.* 47. Peregrinus *d. tit.* 9. *num.* 7. & Farinacius *d. §.* 3. *num.* 117. & idem tradit Merlinus *de legitima, d. lib.* 3. *tit.* 1. *cit. q.* 30. *num.* 25. ubi etiam cum Menochio *loco cita-* 457

to, ait in bonis quæ spectant de directo dominio ad Ecclesiam, non impediri filiis detractionem eorum legitimæ.

458 Item cessant pœnæ dictæ legis *quisquis*, in filiis patre delinquente ex gratia Principis restituto, vel si Princeps ipsis filiis easdem pœnas remittat, ut post alios tradit Farinacius *d. q.* 116. §. 3. *n.* 135. *& seq.* ubi pluribus id declarat.

459 Denique prædictæ pœnæ ejusdem legis *quisquis*, non comprehendunt filios adoptivos, cùm in illis non militet ratio quæ militat in naturalibus, scilicet quod sint imitaturi patrem. Ita post alios Farinacius *d.* §. 3. *num.* 16.

460 Ex traditis præsertim *n.* 444. 447. *&* 448. colligitur, filios rei criminis læsæ Majestatis in foro conscientiæ absque ullo peccato posse ad sui sustentationem abscondere aliquid de bonis paternis, non solùm in casu extremæ necessitatis, in quo casu tantùm id admittunt Sanchez *lib.* 2. *d. cap.* 16. *n.* 27. Fragosus *d. n.* 122. & Fagundez *in Decal. lib.* 4. *d. cap.* 2. *n.* 11. sed etiam ad evitandam gravem necessitatem, & ad habenda congruentia juxta statum alimenta: id quod docuit Guillelmus Benedictus *in cap. Raynutius, de testam. verbo Et uxorem, decis.* 5. *n.* 286. etiam stante statuto quod publicatis parentum bonis, non reserventur filiis legitima, & alimenta. Probatur corollarium, tum quia alimenta *d. l. quisquis*, censentur reservata juxta sententiam traditam *d. n.* 444. quæ cùm sit tot Doctorum, & fulcita ratione, non potest negari esse probabilissimam: tum quia pœnæ dictæ legis *quisquis*, ex consuetudine universali cessarunt, ut dictum est *d. num.* 458. tum quia leges punientes ita graviter filios propter parentum delictum, etiamsi expressè privent filios alimentis, non valere, neque obligare in foro conscientiæ, est valdè probabile, juxta tradita *n.* 440. & *d. n.* 447. & Doctores ibidem relatos, & alios ab iisdem allegatos. Et hoc corollarium approbavit etiam Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 5. *p.* 11. *num.* 25. ad id probandum adducens, quod ne gravem patiatur necessitatem debitor non tenetur debitum creditori restituere, & obligatus cedere bonis, possit abscondere, & retinere quantum necesse est ad tenuem sui, & eorum, quos alere teneatur, sustentationem juxta suum statum, eo quòd ad restitutionem nullus teneatur cum tanto suo incommodo, quod tradidere etiam Navarr. Sayros *in clavi regia*, Rebellus & Bonacina, quos idem Palaus allegat.

§. XL.

Publicatis bonis paternis ob hæresim patris, an etiam legitima, alimenta, & dotes filiarum, ita ut ex bonis confiscatis nihil omnino filiis debeatur à fisco, publicentur.

TErtia difficultas est, an quando bona paterna confiscantur ob patris crimen læsæ Majestatis Divinæ, scilicet hæresis, legitima, dotes, & alimenta filiis reserventur? & difficultas esse potest, vel inspecto jure Civili, vel inspecto jure Canonico.

Filii orthodoxi patris hæretici an jure civili priventur hæreditate patris.

461 SI sermo sit jure civili inspecto, adsunt sequentes textus, scilicet *in l. Manichæos*, *in l. Cognovimus*, *Cod. de hæreticis*, *& in Auth. idem est de Nestorianis* (quæ desumpta est *ex §. Generalem autem providentiam, Auth. ut cùm de appellatione cognoscitur,*) *Cod. eodem, & in leg. Hæretici*, §. *Orthodoxi*, *Cod. eodem*, ex quibus expressè constat, filios ob paternam hæresim non privari hæreditate, seu successione patris hæretici; & *ex d. l. Cognovimus*, *& d. Auth. idem de Nestorianis*, evidenter constat, non solùm filios orthodoxos succedere patri hæretico, tam ex testamento, quàm ab intestato; sed etiam deficientibus filiis, agnatos, & cognatos: & ita sentiunt communiter Doctores, quos latè referunt Farinacius *de hæresi*, *q.* 191. §. 1. *num.* 29. August. Barbosa *in Cod. collectaneo ad d. l. Manichæos*, *n.* 32. *& ad d. Auth. idem est de Nestorianis.*

462 Verùm dubitatur, an præallegata jura sint correcta per Constitutionem Federici II. *in Auth. Gazaros*, *Cod. de hæreticis*, in qua etiam filii orthodoxi excluduntur à successione in bonis parentum hæreticorum. Verba Authenticæ sunt: *Gazaros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnoldistas, Circumcisos, & omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus, censentes ut omnia bona talium confiscentur, nec ad eos ulteriùs revertantur; ita quod filii eorum ad successionem eorum pervenire non possint, cùm longè gravius sit æternam, quàm temporalem offendere Majestatem.*

463 Et hodie per dictam constitutionem filios propter paternam hæresim jure civili privari hæreditate, & successione parentum hæreticorum, & sic per eandem constitutionem fuisse correctas alias leges, seu constitutiones *num.* 461. adductas, ad exemplum criminis læsæ Majestatis humanæ, juxta legem *quisquis*, *Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, cùm majus sit istud crimen hæresis *in d. Auth. Gazaros*, pro ratione exclusionis filiorum à successione parentum hæreticorum, tradunt Salicetus *in d. l. Manichæos, & in d. Auth. Gazaros*, Rolandus à Valle *cons.* 8. *n.* 48. *versic. ad secundum*, Peregrinus *de jure fisci*, *lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 30. P. Barbosa *ad d. l.* 1. *p.* 4. *n.* 83. *ff. soluto matrimonio*, Farinacius *d. q.* 191. §. 1. *n.* 30. *&* 31. & *p.* 1. *prax. q.* 14. *num.* 44. August. Barbosa *d. collect. ad d. l. Manichæos*, *n.* 32. *& collect. ad d. Auth. Gazaros*, *n.* 2. Ricciullus *de jure person. lib.* 5. *cap.* 40. *num.* 11. & alii Iurisperiti magis communiter, quos latè refert Farinacius *d. n.* 30. *&* 31. & August. Barbosa *d. num.* 2. & ex Theologis Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 29. *n.* 9.

464 E contra alii Jurisperiti absolutè sentiunt, etiam hodie, & non obstante *d. Auth. Gazaros*, filios propter parentum hæresim non privari hæreditate, & successione patris hæretici. Ita Clarus *in praxi crim. q.* 78. *n.* 4. Menochius *de arbitr. centuria* 6. *casu* 546. *n.* 10. *versic. Conciliando*, qui duo loquuntur in filiis apostatarum. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *si mater*, *n.* 15. *ff. de lib. agnosc.* Merlinus *de legit. lib.* 3. *tit.* 31. *n.* 1. & plures alii, quos Farinacius *d. q.* 191. §. 1. *n.* 29. *&* 32. refert, qui fundantur *in d. Auth. idem est de Nestorianis*, *& d. §. generalem providentiam*, ex quo eadem Authentica *idem de Nestorianis*, desumpta est.

§. XLI.

Filii etiam orthodoxi patris hæretici Iure Canonico privantur hæreditate.

465 CÆterùm quidquid sit de jure civili, certum est de jure canonico *per cap. vergentis, de hæreticis*; per quod jus civile in præfatis legibus, & Authenticis *num.* 461. adductis correctum est, filios ob parentum hæresim privari hæreditate, & successione parentum hæreticorum. Ita omnes Doctores præallegati *loc. cit.* Clarus *verbo Hæresis*, *num.* 12. Menochius *d. casu* 546. *num.* 15. Covarruvias *lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 2. *versic. Primò an ob crimen*, Merlin. *d. quæst.* 31. *num.* 2. 3. *&* 4. & cæteri Jurisperiti communiter, quos latè referunt Farinacius *d. q.* 191. §. 1. *n.* 1. *& n.* 19. & Ang. Barbosa *ad d. cap. vergentis*, *n.* 25. ubi S. Pontifex *in vers. Nec hujusmodi*, arguit de criminibus læsæ Majestatis humanæ, ut *in d. Auth. Gazaros*,

criminibus læsæ Majestatis humanæ, ut *in d. Auth. Gazaros*, ad crimen læsæ Majestatis Divinæ, arguendo de minori ad majus, quod si in crimine læsæ Majestatis humanæ filii privantur hæreditate paterna, *d. l. quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, multò magis privari debent in crimine læsæ Majestatis divinæ, quod majus delictum est. Nec hujusmodi severitas (subdit Pontifex) admirationem alicui afferre debet, cùm juxta canonicas sanctiones, quandoque feratur ultio non solùm in authorem scelerum, sed etiam in progeniem damnatorum: & advertendum, non solùm filios legitimos, sed etiam illegitimos, tam naturales, quàm spurios, quorum pater sit notus, privari hæreditate ob paternam hæresim, juxta Doctores communiter, quos refert Farinacius *d. q. 191. §. 1. n. 9.* tum ne plus habeat luxuriæ, quàm castitatis: tum quia in eisdem militat eadem ratio, quæ in filiis legitimis.

466 Quæ dispositio juris canonici servanda est, & servatur etiam in terris Imperii, & in foro Cæsaris ubique in orbe Christiano: tum quia juxta sententiam magis communem, etiam jure civili *in d. Auth. Gazaros*, filii privantur hæreditate parentum hæreticorum: tum quia in crimine merè Ecclesiastico, quale est hæresis, servatur jus canonicum; & ita tenent Doctores communiter, quos latè refert Farinacius *d. q. 191. §. 1. num. 33.*

§. XLII.

Filii orthodoxi ob paternam hæresim an priventur legitima.

467 Controvertitur primò, an eodem jure canonico *d. cap. Vergentis*, filii Catholici ob paternam hæresim priventur etiam legitima, quatenus jure civili debita, & excedit alimenta vitæ simpliciter necessaria; an verò eadem legitima sit ex bonis patris hæretici confiscatis detrahenda.

Non privari legitima, sed eis fore reservandam, tradunt Doctores suprà *num. 437.* allegati, Joannes à Roja *sing. 45. & 47.* Surdus *cons. 386. num. 13.* & alii relati à Mangilio loco suprà *d. n. 437. cit.*

468 Communis tamen sententia est, eosdem filios, licèt orthodoxos, excludi à legitima. Ita Scribentes *in d. c. Vergentis*, Rolandus *d. cons. 8. n. 43. & seqq.* Petrus Barbosa *d. p. 4. n. 84.* Ricciullus *de jure person. lib. 5. d. cap. 40. n. 10.* Surdus *de alimentis, tit. 1. q. 31.* Merlinus *d. q. 31. n. 4. & 5.* Farinacius *in praxi crimin. p. 1. q. 24. n. 44. & de hæresi d. q. 191. n. 2.* Graffius *decis. aur. lib. 2. cap. 11. num. 9.* August. Barbosa *collect. ad d. cap. Vergentis, n. 26. de hæret.* & plures alii Jurisperiti à Farinacio, Rolando & August. Barbosa *loc. cit.* relati. Et ex Theologis Sanchez, Rebellus, Fagundez locis suprà *n. 439. & 442.* allegatis, & Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 5. puncto 21. num. 20.* & ratio est, quia ob crimen paternum læsæ Majestatis humanæ filii excluduntur à legitima, juxta dictã legem *quisquis, §. filii verò, Cod. ad l. Iul. Majestatis*, ut tradunt Doctores communiter, ut suprà *n. 436.* notatum est: ergo multò magis erunt exclusi ob crimen paternum hæresis, quod est delictum gravius: quo argumento utitur Summus Pontifex *in d. cap. Vergentis*, ad probandum bona hæretici debere confiscari, sicut confiscantur ob delictum læsæ Majestatis humanæ, filiis delinquentis vitâ solummodò ex misericordia conservatâ, ut eodem capite *Vergentis*, dicitur.

§. XLIII.

Filii orthodoxi ob paternam hæresim an priventur alimentis, sequutâ sententia declaratoria hæresis, & publicatione bonorum.

Controvertitur secundò, an ex bonis paternis, ob hæresim patris confiscatis, filiis orthodoxis à fisco debeantur alimenta; an verò iidem filii sicut legitimâ, ita etiam alimentis ad vitam sustentandam necessariis priventur.

Filios etiam alimentis ob paternam hæresim privari, 469 *in d. c. Vergentis, & in d. Auth. Gazaros*, tradunt Corduba à Lara *in d. §. si mater, num. 16.* Decianus *in tract. crim. lib. 5. cap. 45. n. 3.* P. Barbosa, & Ricciullus *loc. n. præced. cit.* Surdus *d. q. 31. n. 24.* August. Barbosa *d. collect. ad d. c. Vergentis, n. 27.* alii Jurisperiti à Farinacio *d. q. 191. §. 1. n. 5.* & August. Barbosa *d. n. 27.* relati: & ex Theologis Sanchez, Rebell. & Fagund. *loc. n. præced. alleg.* & idem Fagundez *lib. 1. cap. 19. n. 5. & seq.* Potest probari hæc sententia argumentis suprà *n. 442.* adductis, cùm *in d. c. Vergentis*, Sum. Pontifex contra hæreticos, & eorum filios decernat easdem pœnas, quæ contra criminosos læsæ Majestatis humanæ statutæ sunt, *d. l. quisquis, Cod. ad l. Iul. Majestatis*, in qua filiis vita tantùm ex misericordia conservatur, & dicitur eos debere vivere in perpetua egestate: quæ omnia indicant privationem etiam alimentorum simpliciter vitæ necessariorum, juxta tradita *d. num 442.* Præterea Sanchez & Fagundez probant, quod propter atrocitatem teterrimi criminis in Deum jus civile, & canonicum potuit filios privare etiam alimentis, juxta tradita suprà *n. 443.* & atrocitatem criminis fuisse rationem, cur filii etiam alimentis priventur, ut hac, & aliis specialibus pœnis homines à tali crimine arceantur, tradunt Ricciull. & Corduba *loc. cit.* 470 Declarant tamen Rebellus & Fagundez, privari filios alimentis solùm post sententiam criminis declaratoriam, & bonorum publicationem; ante latam autem sententiam hæresis incursæ alimenta filiis indigentibus esse ex bonis paternis præbenda, neque absque gravi peccato posse illis negari. Quare Fagundez *d. c. 19. n. 9.* reprehendit morem aliquarum regionum, in quibus statim ac parentes ob crimen hæresis in carcerem detruduntur, bona illorum illicò capiuntur, & sub custodia fisci ponuntur, exclusis filiis ipsorum, & relictis absque ullo vitæ subsidio: quod sine maximæ crudelitatis nota fieri non posse rectè ait; nam dum parentes illorum de hæresi judicum sententiâ non damnantur, de illorum bonis saltem moderatè sustentandi sunt, quia id & ratio naturalis, & pietas Christiana videtur edocere.

Contrarium, & filios orthodoxos ob parentum hæresim non privari alimentis, 471 sed ex bonis confiscatis esse alendos, si inopes sint, & aliunde non habeant unde vivere possint, docent magis communiter Doctores. Ita Doctores suprà *n. 438. 444. & 467.* relati, Cortasius *in l. qui liberos, n. 62. ff. de ritu nupt.* Rota Rom. *parte 4. divers. dec. 747. n. 10.* ubi etiam filiis spuriis hæretici deberi alimenta tradit, idque docuisse plures alios Jurisperitos, quos ibidem latè refert Merlin. *d. q. 31. n. 12. & 13.* Farin. *d. q. 191. §. 1. n. 6.* & novissimè Joan. Nic. Lucidor. *de illeg. Cler. c. 19. n. 15.* & hanc sententiam saltem ex æquitate tenendam esse & in praxi ab Inquisitoribus servandam, tradidere Simanc. *de Cathol. instit. tit. 29. rub. de filiis, & minor. n. 12.* Peña *in addit. ad Eymericum, in direct. Inquis. p. 2. com. 9. ad d. cap. Vergentis*, Surdus *cons. 386. n. 13.* Ricciullus *d. c. 40. n. 17.* Joannes Lupus Segoviensis, & Palacios Rubios à Corduba *d. n. 8.* relati: hi enim Doctores, & idem notavit Fagundez *d. c. 19. n. 7.* tradunt Inquisitores pueris, & puellis hæreticorum damnatorũ

paupesibus

pauperibus relictis debere providere, si sint orthodoxi, vel ex animo, & sincerè ad Fidem convertantur, ut scilicet alantur, & educentur, habita ratione ætatis, & sexus apud aliquos viros Catholicos, & religiosas, vel honestas fœminas, à quibus in bonis moribus, & fide instituantur; idque ob imbecillitatem sexus, & ætatis. Hanc sententiam probant tradita suprà *n.* 444. *ad* 447. eo enim ipso quod jus canonicum *in d. c. vergentis*, permittit filiis hæretici vitam, sicut jus civile *in d. l. quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, concedit filiis rei læsæ Majestatis humanæ, ex consequenti censetur concedere illis alimenta, saltem vitæ simpliciter necessaria, sine quibus vivere non licet, *allegata lege necare, ff. de liber. agnosc.* In præsenti etiam locum habet illud, quod diversa est ratio alimentorum, & legitimæ: & cùm jus alimentorum, quod habent filii adversus parentes habentes bona, ex quibus illos alere possunt, non possit in foro conscientiæ ab illis absque eorum culpa auferri, semper transibit ad quecumque successorem universalem: & licèt ob delictum patris atrox filii possint puniri aliis pœnis, non tamen corporali, seu vertente circa vitam corporalem, qualis est ablatio, seu privatio alimentorum, sine quibus homo non potest vivere.

472 Et prædicta procedunt etiam in filiis illegitimis, etiam spuriis, ut cum aliis tradunt Rota *loc. cit.* Merlinus *dict. n.* 12. & probat ratio adducta suprà *n.* 445.

§. XLIV.

Filiæ ob paternam hæresim an priventur dotibus, an verò dos illis à fisco ex bonis paternis confiscatis debeatur.

Controvertitur tertiò, an filiabus orthodoxis patris hæretici debeantur dotes ex bonis paternis confiscatis.

473 Confiscatis bonis paternis ob hæresim patris, fiscum non teneri ex iisdem bonis dotes ejus filiabus dare, tradunt P. Barbosa, Surdus, Ricciullus, Sanchez, Rebellus, Fagundez locis suprà *num.* 440. *&* 470. relatis, Corduba *loco eod. num.* 470. *citato*, Simancas *cathol. inst. tit.* 9. *rub. de bonis hæret. num.* 23. *&* 24. Gabriel Quemada, & Didacus Carrera, quos Farinacius *d. q.* 191. §. 3. *num.* 8. refert: ubi etiam dicit id esse de mente omnium Doctorum, quos *d.* §. 1. *n.* 1. latè cumulat, eo quia generaliter dicunt, propter paternam hæresim filios privari omnibus paternis bonis. Peregrinus *de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 76. *fin.* Augustin. Barbosa *coll. ad d. cap. Vergentis, num.* 28. *de hæreticis*, alios allegans, & Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *qu.* 6. quæ omnes nituntur eo fundamento, quod *d. cap. Vergentis*, filii patris hæretici afficiuntur iisdem pœnis, quibus ex *l. quisquis, Cod. ad l. Iul. Majestatis*, puniuntur filii ob crimen paternum læsæ Majestatis humanæ; dicta autem lege *quisquis*, filii utriusque sexus delinquentis rei læsæ Majestatis humanæ excluduntur omnes à bonis paternis confiscatis, & consequenter etiam privantur dotibus, juxta tradita suprà *n.* 419. *&* 441.

447 Hinc non solùm fiscum non teneri filiabus patris hæretici dotes dare, sed si à patre hæretico occulto post crimen hæresis commissum fuerint constitutæ, sive pro matrimonio carnali, sive pro spirituali, scilicet ingressu in monasterium, sive etiam pro Ecclesia, aut Capella, hujusmodi dotes posse à fisco revocari, tradunt Simancas, Azotius, P. Barbosa, Rebellus, August. Barbosa *loc. allegat.* Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 57. & alios allegans Ricciullus *d. lib.* 5. *c.* 40. *n.* 14. 15. *&* 16. qui tamen *n.* 17. addit, quod etsi hæc vera sint de juris rigore, nihilominus propter bonum publicum, ne mulieres carnaliter, vel spiritualiter nuptæ derepentè remaneant indotatæ, & sic mundus litibus repleatur, ex æquitate recipi potest, ut dotes remaneant; siquidem æquitas, ne tot actus revolvantur apud Principes, & Tribunalia suprema, adversus juris rigorem id postulat: quod ex eo confirmat, quia licèt de jure pecunia creditori potiori soluta possit ab anteriori revocari, ut latè declarat Paulus *cons.* 69. *n.* 1. & Surdus *cons.* 5. *n.* 25. nihilominus ubi pecuniæ sunt bona fide solutæ, ne mundus litibus involvatur, non posse ab anteriori revocari juxta Tribunalium praxim, tradunt Afflictus *dec.* 190. Capycius *dec.* 178. & Rota à Ricciullo *d. c.* 40. *n.* 17. relata. Quin etiam si agatur de filia alicujus magni Principis hæretici, fiscum debere illam dotare, tradit Franciscus Peña à Farinacio *d.* §. *n.* 8. relatus.

Contrarium, & filios orthodoxos ob paternam hæresim non privari dote, sed à fisco ex bonis paternis confiscatis debere dotari, docuerunt Plotus, Franciscus Becius, Afflictus, Joannes de Lignano, Corrasius, Mangilius locis suprà *n.* 430. 437. 439. 440. *&* 441. relatis, Merlinus *alleg. q.* 31. *n.* 30. Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. Clericorum, tit. cap.* 19. *n.* 12. & de æquitate canonica idem sentiunt Joannes Rojas *singul.* 47. & Farinacius *d. q.* 191. §. 1. *n.* 8. *versic. Contrarium.* Probatur, quia à fisco filiis orthodoxis debentur alimenta, ut suprà *n.* 421. probatum est: ergo & filiabus hæretici legitimis, & illegitimis ex bonis confiscatis debetur dos, quæ loco alimentorum est, ut docet Bartolus *in l. fin. ff. de iis quibus ut indign.* & alimenta, ac dos à pari procedunt, ut sæpiùs in præcedentibus dictum est. Et fortiùs, ac multò magis debetur dos quàm alimenta, ad evitandum in fœminis periculum impudicitiæ, quod illis imminere facilè potest; si ob defectum dotis nequeunt nubere. 475

§. XLV.

Pœna privationis hæreditatis, & legitimæ, statuta contra filios orthodoxos patris hæretici, an extendatur ad nepotes.

Utrum verò pœna privationis hæreditatis, & legitimæ, statuta *in d. cap. Vergentis, de hæret.* afficiat nepotes, videntur sentire communiter Doctores eam pœnam extendi ad nepotes tantùm ex linea masculina. Doctores ita sentientes referunt, & sequuntur Molina *de justit. tom.* 3. *disp.* 658. *n.* 19. & Farinacius *d. disp.* 191. *n.* 21. *&* 50. & Merlinus *d. q.* 31. *n.* 11. & ita oportet sentiant etiam Peregrinus & alii suprà *n.* 454. relati. At contrarium, & non comprehendi, videtur rectè sustineri posse, quia dictum *c. Vergentis*, intelligendum est juxta dispositionem legis *quisquis, Cod. ad l. Iuliam Majestatis*, quam allegat, dum pœnam confiscationis bonorum contra hæreticos statuit. Juxta verò dictam legem *quisquis*, §. *filii verò*, probabile est non comprehendi nepotes, ut suprà *d. n.* 454. notatum est. 476

§. XLVI.

An dicta pœna afficiat solùm filios conceptos post commissum crimen hæresis.

Dubitatur etiam utrum præfata pœna comprehendat filios natos, aut conceptos ante commissum crimen hæresis, an verò solùm conceptos post crimen. Comprehendere etiam natos, aut conceptos ante crimen hæresis patratum, tradunt communiter Doctores, quos referunt Farinac. *d. q.* 191. §. 1. *n.* 40. Sanch. *in Sum. lib.* 2. *c.* 27. *n.* 9. & Merlin. *d. q.* 31. *n.* 29. Ita sentiunt iidem Farinacius, & Merlinus, qui etiam refert ita censuisse Rotam: & ita oportet sentiant Rolandus loco suprà *num.* 455. citato, & alii, quos idem Rolandus, Farinacius & Sanchez locis *eodem n.* 455. relatis referunt, quorum fundamentum præcipuum est, quod dictum caput *Vergentis*, sicut & dicta lex *Quisquis* 477

quisquis, loquuntur absolutè, & indistinctè de filiis, & sic videntur expressè comprehendere etiam filios natos & conceptos ante delictum.

478 Contrarium, & pœnam dicti capitis *Vergentis*, quoad filios non procedere nisi in filiis conceptis post commissum hæresis delictum, tenent Ananias *in d. c. Vergentis, n.17. de haret.* Simancas *de Cathol. instit. tit.29. rub. de filiis, & minor. n.22. & seq.* Clarus §. *haresis, n.12.* Ludovicus Molina *de primog. lib.4.cap.ult.n.55.* alter Molina *de iustitia, tom.3. disp.658. n.20.* Sanchez *lib.2. Sum. cap.27. n.10. & seq.* & plures alii Jurisperiti à Farinacio *d. quæst.191. §.1. n.39.* & Sanchez *d. cap.27. n.14.* relati. Et hanc sententiam latissimè probant Molina Theologus, & Sanchez *loc. cit.* sed præcipuè ea ratione, quod cùm versemur in materia odiosa, & præsertim ut innocentes puniantur, filii nati, aut concepti ante crimen hæresis, aut læsæ Majestatis humanæ, non sunt censendi filii patris hæretici, aut perduellionis, seu non sunt computandi inter filios hæretici, aut perduellionis: in dicta autem lege *quisquis, & d. cap. Vergentis*, puniuntur filii patris perduellionis, & hæretici; & sic est sermo de filiis comparatione qualitatis patris, & consequenter formaliter de filiis, qui post eam qualitatem nati, aut concepti sunt; hancque intellectum exigit odium legis, præsertim innocentem punientis: quod latiùs exemplis declarat *loco citato* Molina.

§. XLVII.

Filii orthodoxi an priventur hæreditate materna ob matris hæresim.

479 UTrum quoque filii orthodoxi priventur materna hæreditate, etiam quoad legitimam, ob matris hæresim, affirmarunt plures Jurisperiti, quos referunt, & sequuntur Farinacius *d. q.191. §.1. n.20.* & Merlinus *de legitima, lib.3. tit.1. citata q.31. n.10.* Sed contrarium rectè sustineri potest, propter tradita suprà *num.* 451.

Plura de hac materia confiscationis bonorum ob crimen hæresis, & quando, necne filii priventur hæreditate parentum hæreticorum, videantur apud Farinacium *de haresi, d. q.19.* Merlinum *d. q.31.* Molinam *tom.3. de Iustitia, d. disp.658.* Azorium *p.1. lib.8. cap.13.* & Sanchez *d. lib.2. Summa, c.17. cum pluribus sequentibus.*

480 Ex dictis colligitur, filios hæretici in foro conscientiæ posse occultè surripere ex bonis paternis, etiam extra extremam necessitatem, tantum quantum ad sui commodam sustentationem requiritur: quod tenent Gulielmus Benedictus, & Palaus locis suprà *n.460.* citatis, & probant etiam *ibid.* tradita.

§. XLVIII.

Donatarius omnium bonorum paternorum an teneatur, & cogi possit alere filios pauperes donatoris, etiam illegitimos, & spurios.

481 DUbium octavum, an donatarius universalis omnium bonorum paternorum teneatur ex bonis donatis alimenta præbere filiis pauperibus, & non habentibus aliunde unde se alere possint.

Hucusque actum de obligatione alendi filios, qua adstringuntur patris hæredes proprii in testamento, vel ab intestato, & qui tanquam hæredes censentur, utpote successores universales in omnibus bonis paternis, ut sunt fiscus, monasterium, possessor majoratus. Restat modò videre, an quilibet bonorum paternorum possessores, etiamsi non sint, nec censeantur hæredes, teneantur alere filios ejus, cujus bona possident. In hoc igitur dubio quæritur, an donatarius omnium bonorum, seu qui ex titulo purè lucrativo possidet omnia bona paterna, teneatur, & cogi possit alere filios inopes illius cujus bona possidet.

Doctores asserunt communiter, donatarium (estò adversus eum non detur actio personalis, nec præcisè cogi possit ad alendum,) si tamen recuset alere, officio judicis, quod impertitur contra tertium possessorem, *l. quando*, §. *Is autem, ff. de edendo*, ut post alios docet Gaspar Anton. Thesaurus *quæst. for. lib.2. q.67. n.19.* posse, & debere cogi alere filios donatoris, etiam illegitimos, & spurios. Ita Ripa *in l. si unquam, q.27. Cod. de revocanda donatione*, Rolandus à Valle *cons.54. n.67. vol.2.* Covarruvias *de sponsalibus, p.1. cap.8. §.6. n.14.* Surdus *de alimentis, tit.1. q.50. n.1.* Antonius Thesaurus *decis.211. n.8.* Gaspar Ant. Thesaurus *d. q.67. n.20.* Giurba latè *decis.5. §.19. n.43 44. 46. & 47.* Steph. Gratianus *discept. for. tom.2. c.247. n.59.* Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis Clericorum, c.19. n.9.* Salgado *in labyrintho, p.2. c.24. n.108. & 113.* & alii Jurisperiti à Surdo, & Giurba relati, & ex Theologis Azorius *p.2. lib.2. c.5. q.5.* & alii suprà *n.351.* allegati. Ratio est, quia etsi donatarius aliàs non teneatur ad debita defuncti, ubi donatio non fuerit in fraudem creditorum, ut tenet Ant. Thesaurus *d. n.8.* & esto non detur hypothecaria pro alimentis filiorum contra tertium possessorem paternorum bonorum, ut traditur infrà, nec onus alendi filios sit reale, bonis ipsis paternis inhærens; & ita filiis contra donatarium non competat actio, seu jus in re, neque actio personalis propria; nihilominus cùm alimentorum ea præstatio ex æquitate naturali procedat, dari debet contra donatarium omnium bonorum paternorum possessorem actio officio judicis: quod in æquitate fundatur, & ratione ejusdem æquitatis in hac materia alimentorum solet plerumque à ratione juris recedi, ut tradit Glossa *in §. Item nobis, versic. Nihil suum, Instit. per quas personas nobis acquir.* & alii, quos Gasp. Ant. Thesaurus *d. q.67. n.19. fin.* allegat: & idem judicis officium imploratur etiam cessante actione, ut probat Thesaurus *d. n.19.* cum aliis. Quare quod Merenda *controv. jur. tom.3. lib.13. c.3. n.18.* ait, scilicet contra tertium possessorem omnium bonorum paternorum, ex titulo lucrativo pro alimentis filiorum non posse agi, eo quòd semper opus sit, ut is qui possessorem ratione suæ possessionis vult convenire, habeat jus in re ab ipso possessa, §. *Omnium, Instit. de action. & l. actionum, ff. de act. & oblig.* non est contra præfatam communem Covarruviæ, & aliorum Doctorum, qui non aiunt contra donatarium omnium bonorum paternorum filiis competere actionem in re, neque præcisam coactionem; sed solùm dari actionem ex officio judicis, seu donatarium officio judicis in æquitate fundatum debere cogi filiis pauperibus alimenta ex bonis à patre titulo lucrativo habitis præstare. Confirmantur prædicta ex doctrina pariter communi Doctorum, de qua Merlinus *de legitima, lib.2. tit.1. q.18. n.1.2.3. & 4.* cum aliis, quod ex bonis patris donatione, & alio titulo lucrativo alienatis deducitur legitima. Procedere etiam prædictam communem quoad filios, sive legitimos, sive illegitimos, post donationem conceptos, in terminis notant Ripa, & Lucidorus *locis citatis:* quod alia non eget probatione.

§. XLIX.

§. XLIX.

Filiis pro alimentis an competat hypotheca in patris bonis, ad quoscumque possessores bona titulo lucrativo, vel oneroso transeant.

Controversia est inter Doctores, an pro alimentis tacita hypotheca filiis tam legitimis, quàm illegitimis detur in bonis patris, ad quemcumque possessorem transeant, sive titulo lucrativo, sive oneroso, ita ut onus alendi liberos transeat etiam in singularem successorem, qui titulo oneroso, nempe emptionis, similisve contractus, bona patris obtinuit, & possidet.

483 Sententiam affirmativam tenuerunt Castrensis *cons.* 8. *vol.* 1. Durantes *de arte testandi, tit.* 3. *de liber. instituend. caut:* 17. *n.* 7. Decius *cons.* 376. *num.* 3. Becius *cons.* 8. *num.* 7. 11. *& sequentibus*, & Lupus *in cap. per vestras*, §. 23. *num.* 16. *de donat. inter virum, & uxorem:* & pro hac sententia videntur stare Doctores, qui volunt onus alendi liberos esse reale, bonis paternis affixum, & inhærens, illaque comitans: quos Doctores allegavi suprà *num.* 354. Durantes probat per textum *in l.* 2. *ff. de alim. legatis.*

484 Contrariam tamen sententiam, & filiis non competere hypothecam in bonis patris, atque ita onus alendi liberos non transire in singularem successorem bonorum patris, aut in eum qui patris bona titulo emptionis, similisve contractus possidet, docent magis communiter Iurisperiti. Ita Covarruvias loco suprà *n.* 481. citato, Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *idem rescripsit*, *n.* 81. *ff. de liber. agnosc.* P. Barbosa *ad l.* 1. *part.* 4. *num.* 73. *versic. Quæ tamen ratio*, *ff. soluto matr.* Surdus *de alimentis*, *tit.* 8. *privil.* 51. *num.* 2. Giurba *decis.* 5. *n.* 46. Merenda *contr. jur. tom.* 3. *lib.* 13. *cap.* 1. *num.* 1. *& cap.* 3. *n.* 17. 18. 19. Gaspar Antonius Thesaurus *qq. for. lib.* 2. *quæst.* 67. *n.* 18. *&* 20. *fine*, Joannes Lupi *de illegitimis, comm.* 2. *num.* 29. *initio*, Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitimis clericorum*, *cap.* 19. *num.* 1. *&* 16. Salgado *in labyrintho*, *part.* 1. *cap.* 24. *num* 89. *&* 109. 110. 111. Stephanus Gratianus *tom.* 2. *cap.* 366. *n.* 2. 3. *&* 6. & alii ab eodem Gratiano, Salgado, & Barbosa relati, & ex Theologis Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *c.* 5. *q.* 5. *versic. Quæres*, & alii suprà *num.* 351. allegati; nullo enim jure probatur hujusmodi hypotheca: & licèt pater teneatur alere filios nepotes, nihilominus jure naturali, & positivo attentis, habet bonorum suorum liberam administrationem, & vivens potest illa alienare validè, dummodo non in fraudem legis, ut suprà *n.* 354. ubi assignata est differentia inter hæredem, & successorem universalem bonorum patris, & emptorem illorum, singularemque successorem, notatum est, & expressè tradit *loco citato* Corduba, & etiam Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *quæst.* 50. *n.* 2. Neque obstat dicta lex 2. *ff. de alim. legatis*; nam hæc lex (ut Covarruvias post alios notavit) habet locum dumtaxat in bonis, quæ expressè designantur in testamentis, vel in contractibus ad alimenta alicui præbenda. Hinc licèt ubi pater ære alieno ingenti detineretur, præsertim contracto malè utendo bonis, ad favorem filiorum fore dedeucenda alimenta asseruerint Cassius, Durantes, Becius *loco citatis*, & relati à Merlino *de legit. lib* 5. *tit.* 3. *q.* 6. *n.* 26. & addant etiam ita in facto Forlivii judicatum fuisse, idque ob dictum fundamentum, quod onus alendi filios inhæreat bonis, & bona paterna intelligantur obligata, & consequenter stante hac obligatione anteriore, filii sunt creditoribus patris præferendi; nihilominus juxta tradita dicendum est, dicta alimenta non esse deducenda, nisi æs alienum à patre dolosè, & in fraudem esset contractum, juxta tradita *infrà*, *n.* 487. & ita creditores patris hypothecarios præferri filiis alimentariis pro alimentis agentibus, tradit Salgado *d. n.* 89. asserens esse conclusionem verissimam, & communem, eo quòd filii pro alimentis habeant solùm actionem ad ea consequenda.

Igitur si fuerint in testamento certa corpora, seu bona designata pro præstatione alimentorum, hujusmodi bona pro alimentis remanent particulariter affecta, & tacitæ hypothecæ subjecta, obligatioque illa alimentorum sequitur quemcumque possessorem illorum bonorum, ex communi Doctorum sententia. Ita Azor *in summa*, *ff. de alim. leg. num.* 5. Bartolus *in d. l.* 2. *& in l. Lucius*, *ff. de alim. legat. & in l. fundus, de annuis legatis*, Covarruvias *cap.* 60. *n.* 481. Guido Papæ *quæst.* 76. *num.* 1. Surdus *d. privil.* 51. *num.* 3. Gaspar Antonius Thesaurus *d. num.* 18. *& num.* 20. Giurba *d. decis.* 5. *num.* 13. Stephanus Gratianus *d. cap.* 366. *num.* 6. Salgado *d. cap.* 24. *num.* 98. *&* 99. & alii Iurisperiti à Covarruvia, & Giurba relati: & ex Theologis Azorius *loco citato*, & colligitur *ex d. l. Lucius*. An verò regulare sit, ut ubi aliquid debetur, vel relinquitur super certis bonis, vel præstandum ex tali fundo, ea censeantur obligata pro tali relicto, ut tenet Aymo *cons.* 20. *num.* 10. & alii à Surdo *tit.* 8. *dicto privilegio* 51. *num.* 4. relati; an verò id singulare sit, & speciale alimentorum favore, & in aliis favorabilibus relatis causam piam concernentibus, ut probant Guido Papæ *d. quæst.* 576. *num.* 1. Gigas *de pensionibus*, *q.* 51. *n.* 3. videatur Surdus *d. privilegio* 51. *num.* 4. *cum seq.* ubi & ipse *num.* 4. tenet esse speciale in alimentis, *d. l. Lucius*, eo quòd si aliud quid relinquatur præstandum ex tali fundo, datur sola actio personalis, non verò realis, *l. fin. in fine*, *ff. de contrah. empt.* & *l. liberto*, juncta glossa ibi, *ff. de annuis leg.* 485

Vtrum verò contra singularem successorem ex titulo oneroso, si possideat omnia patris bona, vel majorem partem bonorum, filio inopi detur, seu dari debeat actio ex officio Judicis, sicut suprà *num* 482. conclusum est dari talem actionem contra donatarium, & possessorem omnium bonorum patris ex titulo merè lucrativo? Affirmativè respondet Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *quæst.* 50. *num.* 2. eo quòd, inquit, militet contra eum eadem æquitas, quæ contra possessorem omnium bonorum ex titulo lucrativo; contra ementem verò aliqua bona ait non dari talem actionem, quia contra illum ea æquitas non militat. Etsi huic responsioni ait obstare regulam, quod pater potest de bonis suis liberè disponere, præcipuè titulo oneroso, seclusa fraude, & fictione. 486

Hanc tamen Surdi responsionem refutat Gaspar Ant. Thesaurus *d. q.* 67. *num.* 20. quia si esset vera, etiam pro legitima filiis competeret actio contra emptores & alios creditores, quod negant communiter Doctores, quos referunt Merlinus *de legit. d. lib.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 18. 19. & Gratianus *d. cap.* 66. *num.* 3. & nunquam fuisse observatum sub prætextu hujus æquitatis, ait *loco citato* Gaspar Antonius Thesaurus.

Verùm autem est, quod Surdus *d. quæst.* 50. *num.* 3. 487
& cum aliis Merlinus *de legitima*, *d. tit.* 3. *quæst.* 6. *n.* 24. *&* 25. aiunt, scilicet pro alimentis filiorum dari actionem contra singularem successorem ex titulo oneroso, si pater alienat bona fictè, vel in fraudem, ad eludendum filium, ut si fingat vendere, & confiteatur recepisse pretium: quo casu venditio, seu alienatio non præjudicat filiis quoad legitimam, ut tradunt communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Surdus *d. num.* 3. & Merlinus *de legitima*, *lib.* 2. *tit.* 1. *q.* 18. *& d. quæst.* 6. *num.* 22. & ita etiam Ioannes Lupi *d. n.* 29. *versic. Verùm traditionem*, Joan. Nicol. Lucidorus *allegat. n.* 1. ac etiam Ant. Thesaurus *decis.* 211. *n.* 11. ubi post relatam Durantis opinionem, illam admittit solùm quando bona alienata essent à parentibus in fraudem; tunc enim ait filiis competere actionem

Differentia inter dotem, & alimenta, ibid.

Frater dives, ut frater, tenetur sororem uterinam pauperem dotare usque ad quantitatem alimentorum, num. 500.

Agnationis, & cognationis differentia in succedendo ab intestato inter fratres, & sorores hodie est sublata, & post fratres, & sorores utrinque conjunctos aequaliter vocantur conjuncti ex altero tantùm parente, numero 501.

De jure naturali, & lege charitatis frater dives fratri, & sorori in extrema, vel gravi necessitate constitutis tenetur subvenire, sicut extraneus, n. 503.

An de jure naturali in foro conscientiae sub mortali obligante frater dives, ut frater, teneatur in subsidium alere fratres, & sorores pauperes. Negativa, n. 504. Affirmativa, n. 506. 507.

Quae alimenta, an solùm simpliciter necessaria vitae, an pro dignitate, n. 507.

Stante dispositione juris humani, & legum civilium, quod frater dives, ut frater teneatur, & debeat alere fratrem, & sororem pauperes, an etiam in foro conscientiae ad id obligetur sub mortali ad subministranda illis alimenta, & pro dignitate personae, num. 508. 509. 510. & 511.

Si frater, & soror pauperes sint, & frater dives non possit utrinque subvenire, magis obligatus est praebere alimenta sorori quàm fratri.

Frater dives, ut frater, tenetur alere etiam fratres naturales egenos, n. 512.

In materia alimentorum naturalis non differt à legitimo, ibid.

Frater dives, ut frater tenetur fratres, & sorores spurios uterinos egenos alere pro dignitate, & conditione personae, n. 513. & 514.

An teneatur alere fratres, & sorores spurios ex parte patris pauperes, n. 515. 516. & 517.

Fratres spurii ex parte patris non retinent jura cognationis, nec naturales, aut fratres vocari possunt, numero 515.

Frater dives, ut frater, etiam sorori nuptae aliunde non habenti tenetur subministrare necessaria vitae, n. 518.

An etiam fratri, & sorori egenis justè à patre exhaeredatis, n. 519. & 520.

Quid si fuissent injustè exhaeredati, n. 521.

Frater an, & quando possit fratri inopi erga se ingrato denegare alimenta, n. 522.

An fratri egeno, qui bona pro alimentis sibi à patre assignata malè consumpsit, teneatur praebere alimenta, & quae, n. 523. ad 526.

Frater non tenetur ut frater alere fratrem, qui ex bonis propriis, vel artificio, aut officio potest honestè vivere: & quid si solùm extra patriam possit honestè vivere, n. 527. & 528.

Primogenitus ex Principis rescripto, vel dispositione statuti, aut consuetudinis successor in tota haereditate, in primogenio, aut in toto feudo, an teneatur alere secundogenitum divitem, qui habet aliunde, num. 529. ad 534.

Legitima debetur etiam habentibus unde se alere possunt, n. 532.

Praeterita alimenta possunt peti, quando debentur jure actionis, & ex dispositione statuti, vel consuetudinis, aut hominis, ibid.

Vita, & militia à primogenito succedente in feudum debetur secundogenito diviti, & etiam si pater eidem secundogenito aliquid certum, vel aliqua alia bona reliquerit, n. 533.

Frater dives, ut frater, tenetur sororem utrinque, vel ex parte patris conjunctam dotare, ubi ejus pater, aut mater, caeterique ascendentes, aut eorum haeredes non extant, vel dotare non possunt, nec ipsa aliunde habere potest dotem, n. 536.

Idque procedit etiam in fratre pupillo, aut minore divite, num. 537.

Ut minor, seu ejus tutor validè pro dote sororis inopis alienet bona mobilia, & immobilia, an requiratur decretum judicis, ibid.

An requiratur minoris juramentum, ut adversus alienationem praedictam, & promissionem dotis non detur eidem minori restitutio, n. 536. fine.

Sorori habenti aliquid, quod tamen non sufficit ad congruam dotem, frater dives tenetur dare supplementum usque ad quantitatem competentis dotis, n. 538.

Tenetur etiam frater dives ad additamenta dotis, scilicet jocalia, & vestes, quae sponsis dantur, n. 539.

Ultra dotem filiae à patre, vel avo relictam frater haeres tenetur eidem filiae tradere praetensa additamenta dotis, licèt in testamentis patris, aut avi non fuerint relicta, ibid.

Frater ut haeres matris ejusdem, tenetur dotare sororem uterinam ex alio patre natam, n. 540.

Frater dives, ut frater, an jure civili teneatur in subsidium dotare sororem uterinam inopem, & an ut pro conditione sui generis possit honestè nubere, num. 541. ad 546.

Iuxta legem Regum Hispan. 18. tit. 6. p. 6. frater dives, ut frater, an teneatur dotare sororem uterinam inopem, num. 543.

Leges municipales sumunt interpretationem à jure communi, ibid.

Frater pro dotanda sorore utrinque, vel ex parte patris conjuncta inope potest alienare bona fideicommissi à patre, vel avo paterno constituti, & an etiam pro dotanda sorore uterina, n. 547.

Pro dotanda sorore utrinque, vel ex parte patris conjuncta egena, an frater possit alienare bona fideicommissi à fratre relicti, etiamsi haberet bona propria libera. Negativa, n. 548. Affirmativa, n. 549.

An etiam pro dotanda sorore uterina inope, n. 550.

Ex fructibus majoratus, & fideicommissi frater, ut frater tenetur dotare sororem inopem, n. 551.

Frater dives, ut frater, an ex obligatione juris naturalis teneatur dotare sororem, n. 552. & 553.

An ex vi juris humani teneatur eandem sororem inopem dotare, ut honestè iuxta genus suum possit nubere, n. 554. & 555.

Frater, ut frater, an sorori, iustè à patre exhaeredatae teneatur dotem dare, si sit pauper, num. 556. & 557.

Constante matrimonio, neque pater, neque frater filiam & sororem semel dotatam, quae dotem etiam absque sua culpa amisit, tenetur iterum dotare, n. 558.

Pater filiam à se dotatam semel, si dos absque eius culpa sit amissa, tenetur iterum dotare, n. 559.

Frater dives, ut frater, an sororem inopem, quam semel dotavit, si dotem absque sua culpa amiserit, dotare iterum teneatur, n. 559. & duobus sequentibus.

Sermo simpliciter prolatus regulariter intelligitur de prima vice, n. 560.

Limitatur in dispositione legis, & iuris communis, ac statuti, quae nunquam intelligitur de prima vice tantùm, n. 559. & 560.

Frater non tenetur dare vel relinquere legitimam fratri, n. 560.

Si filius legitimam à patre acceptam casu, & absque sua culpa amiserit, pater vivens tenetur ei novam legitimam dare, vel relinquere, ibid.

Frater dives, ut frater, an teneatur dare dotem sorori naturali, & etiam spuriae egenae, quae aliunde habere non potest. Negativa num. 562. Affirmativa num. 563.

Quod si filia, vel soror spuria dotem datam à patre, vel fratre amiserit, an pater, & frater teneatur eam iterum dotare, ut possit secundò nubere. Negativa n. 564. Affirmativa n. 565.

In casibus, in quibus frater tenetur dotare sororem, eum non posse apponere pactum, quod sorore mortua sine liberis, ad eundem fratrem dos transeat, qui Doctores censuerint, n. 566.

Frater,

Frater dotans sororem inopem ex propriis bonis, & dotans etiam sororem ex bonis paternis, vel communibus, vel ex legitima sorori debita, in ipso dotis contractu potest apponere validè pactum, ut dos ad eundem fratrem transeat, ipsa sorore consentiente tacitè, vel expressè, n.567.

Quid si apponat tale pactum, ipsa non consentiente, vel contradicente, dum dotat ex propriis bonis sororem inopem, quæ aliunde non habet, nec habere potest dotem, n.568.

Frater clericus beneficiatus ex redditibus beneficii ecclesiastici potest fratres, & sorores pauperes alere, & dotare, n.569.

Imò si non habet propria bona, tenetur ex eisdem redditibus ecclesiasticis fratres, & sorores pauperes, etiam uterinos, & etiam spurios alere, num. 570. 571. & 572.

Et licèt quidam asserant non teneri ex eisdem redditibus ecclesiasticis dotare sorores pauperes, verius tamen est, obligari, si alia bona propria non habent, & dotare etiam uterinas, & spurias, num. 573. & sequentibus.

Patruus dives, ut patruus, an teneatur alere nepotem, & neptem ex fratre pauperes, & è contra. Negativa, num. 578. & 579. Affirmativa, n.580. & tribus sequentibus, quæ intelligitur dum nepos ex fratre eget ipso patruo vivente, non verò si egeret post illius mortem, ibid.

Nepos si sit Dux, Marchio, aut Comes, cogendus est alere patruum pauperum, ne in opprobrium mendicare cogatur, n.579.

Iure civili filius fratris in successionibus ab intestato repræsentat personam patris sui, n.580.

Frater, & soror appellatur filius, & filia fratris, ibid.

Ratio naturalis habetur pro lege, n.581.

Intellectus ad l. instituto, §. de inofficioso, ff. de inoff. testam. *n.578. & 582.*

Argumentum de dote ad alimenta negativè semper non valet, præsertim quando non est eadem, sed diversa ratio alimentorum, & dotis, n.583.

Patruus dives an teneatur dotare neptem ex fratre inopem. Negativa num. 584. Affirmativa num. 585. & quanta debeat esse dos, remissivè ibid.

Religiosi an debeant esse solliciti de procurandis alimentis, & dotibus filiis, & filiabus fratrum pauperibus, ibid.

Patruus clericus beneficiatus ex redditibus ecclesiasticis potest, & tenetur alere, & dotare sobrinos, & sobrinas pauperes, n.586.

Frater, & patruus clericus beneficiatus ex redditibus ecclesiasticis dotans sororem, aut sobrinam pauperem, an possit, & teneatur in contractu dotis apponere pactum, ut dos soluto matrimonio ad Ecclesiam revertatur, n.587. & 588.

Vitricus non tenetur alere in subsidium privignos pauperes, n. 589.

Vitricus repetit alimenta privigno præstita absque animo donandi, ibid.

Non censetur tanquam pater, sed uti extraneus respectu privigni, ibid.

Mater de fructibus dotis non potest alere filios ex alio jure, ibid.

Noverca non tenetur alere privignos ex propriis bonis: potest tamen, & tenetur alere ex fructibus dotis, qui detractis præstitis in sui viri, & filiorum communium sustentationem supersunt, n.590.

Ex dictis fructibus non potest alere noverca filios ex priori matrimonio susceptos, sed tales fructus spectant ad maritum, n.589. & 590.

Privignus an teneatur præstare alimenta novercæ inopi, sive sit hæres patris, sive non, dummodò sit dives, n.591. & quatuor sequentibus.

CAPUT IX.

An frater dives, ut frater, & soror dives, ut soror, teneatur alere fratrem, & sororem pauperem: & qui Doctores hac de re agant, & quid de patruo, & vitrico.

QUæsitum primum, utrum frater dives, non ut hæres patris, aut matris, sed ut frater, fratres, & sorores inopes non habentes aliunde unde se alere possint, teneatur alere in subsidium, scilicet quando non extant proximiores conjuncti, nempe pater, aut mater, aut ascendentes majores ex linea paterna, vel materna, aut descendentes; vel si extent, impotentes sint ad alendum; neque etiam extent hæredes patris, aut matris, vel avi paterni, aut materni: & è contra, an soror pariter dives, non ut hæres, sed ut soror teneatur in subsidium alere fratres, & sorores pauperes nequeuntes aliunde, neque etiam ex honesto artificio habere alimenta. 488

Dixi, non ut hæres, sed ut frater, aut soror; quia quando frater est hæres patris, an teneatur alere fratres, & sorores pauperes, explicatum est latissimè præcedenti quæsito, *à num.342.*

Difficultas autem esse potest, vel spectato solùm jure positivo, humano, & foro externo, vel spectato jure naturali, & foro conscientiæ: & juxta utrumque jus, & forum, hic seorsim majoris claritatis gratiâ agendum est, de qua materia agit Pontanus *de alim. cap.10.* Corduba à Lara *in §. idem rescripsit, à num. 83. ff. si quis à liberis*, Tiraquellus *de primog. q.62.* Ludovicus Molina *de primog. lib. 2. cap.15. à num. 57.* & *ibidem* Additionator, Petrus Barbosa *in l.1. p.4. num.124. ff. soluto matrim.* Garzias *de expensis, cap.3. num.34.* Antonius Thesaurus *decis.192.* Mantica *de tacitis, & ambig. lib.12. tit.16.* Surdus *de alimentis, tit.1. quæst.25.* Gomez *ad l.40. Tauri, n.75.* Menochius *de præsumpt. lib.4. præsumpt. 189. à n.30.* Fontanella *de pactis nupt. clausula 5. gloss.3. à num.11.* Mesenda *controv. juris tom.3. lib.14. cap 31.* Molfes. *ad consuet. Neap. p.5. q.11. n.10.* Valerus *de diff. inter utrumque forum, verbo Alimenta, differ. 7.* Rota *decis.538. p.1. recentiorum*, Carterius *p.1. c.16. num.31.* Marius Iuncturinus *consl.12. num.22. cum sequentibus*, & alii Iurisperiti apud eosdem: & ex Theologis Molina *de justitia, tom.3. disp.616. num.8.* Azorius *p.1. lib.2. cap.4.* Rebellus *de obligat. just. p.2. lib.5. quæst.4.* Megala *p.2. instruct. lib.2. cap.3.* & Fagundez *in Decal. lib.4. cap.16. & 17.* 489

§. Primus.

Iuxta dispositionem juris humani an frater dives, ut frater, teneatur fratribus, & sororibus pauperibus alimenta præbere, & è contra.

SPectato igitur jure positivo civili, certa conclusio 490
est primò, fratrem teneri alere sororem pauperem utrimque conjunctam, scilicet natam ex eodem patre & matre. Ita omnes præallegati Doctores, & alii, qui numero sequenti allegantur, & alii communiter: & colligitur, seu probatur *ex l. tutor secundùm dignitatem, §. finali, ff. de administr. tutorum*, ibi: *Aliud est* (ait Caius) *si matri fortè, aut sorori pupilli tutor ea quæ ad victum necessaria*

necessaria sunt, præstiterit, cùm semetipsas sustinere non possint. Nam ratum id habendum est; nec enim eadem causa est ejus, quod in eam rem impenditur, & quod minoris, aut legatorum nomine erogatur. Et *l.* 1. §. *Sed nonnullos, ff. de tutela, & rationibus distrahendis,* ibi: *Sed nonnullos casus posse existere* (inquit Ulpianus) *quibus sine reprehensione tutor author sit pupillo ad diminuendum, decreto scilicet interveniente, veluti si matri, aut sorori, quæ aliter se tueri non possunt, alimenta tutor præstiterit.* In his enim textibus etsi hæc communis conclusio expressè non traditur, tamen dum ibi approbatur, quod tutor, aut curator loco, & nomine minoris in alenda sorore paupere, & egente expenderit, virtualiter, & tacitè adstruitur, scilicet quod solutio alimentorum non esset liberalis, seu ex liberalitate tutoris, sed debita, & facienda etiam à pupillo, & minore ex obligatione legali, cùm tutor non possit alienare res pupilli, nisi ob æs alienum, *l. ob æs, Cod. de prædiis minorum, & l. magis puto, §. si æs alienum ff. de rebus eorum.* Cùm ergo tutor possit alienare res pupilli ob alendas sorores, ut probant præcitati textus, sequitur alimenta sororum pauperum censeri æs alienum fratris pupilli, & sic eundem fratrem pupillum obligari sororem inopem alere, ut in simili de dote sorori inopi danda concludunt Corduba *in d. §. idem rescripsit, n.* 93. & P. Barbosa *in d. l.* 1. *p.* 4. *n.* 25. Ad id quoque eadem ratione probandum Doctores præallegati, & alii qui infrà allegantur, & alii communiter adducunt textum *in l. qui filium, ff. ubi pupillus,* ibi: *Existimo* (ait Julianus) *& si citra magistratuum decretum tutor sororem pupilli sui aluerit, & liberalibus artibus instituerit, cùm hoc ei aliter contingere non posset, nihil eo nomine tutelæ judicio pupillo, aut substituto pupilli præstare debere.* Qui textus esset clarissimus, si ibi ageretur de fratre pupillo, seu minori, qui non esset hæres patris defuncti. Sed suprà *n.* 345. dictum est, ibi sermonem esse de fratre hærede patris, qui filiæ relicta dote eam excluserat ab hæreditate. Præterea eandem conclusionem probant tum textus *in l. mutus, ff. de jure dotium:* dicit enim ibi Paulus, quod manente matrimonio non perituræ uxori ob has causas dos reddi potest, ut se, suosque alat, ut fundum idoneum emat, ut in exilium, vel in insulam relegato parenti præster alimoniam, aut egentem virum, fratrem, sororemve sustineat: tum textus *in l. quamvis, ff. soluto matrimonio,* ubi idem Paulus ait: *Quamvis mulier non in hoc recipiat constante matrimonio dotem, ut æs alienum solvat, aut prædia idonea emat, sed ut liberis ex alio viro egentibus, aut fratribus, aut parentibus consuleret, vel ut eos ex hostibus redimat, quia justa, & honesta causa est, non videtur malè accipere.* In his enim textibus etiam approbatur, quod uxor ex sua dote in alimentis fratri, & sorori inopi, & egenti præstitis impendit: quo tacitè, seu virtualiter exprimitur, solutionem dictorum alimentorum fuisse ex obligatione debitam: qui textus etsi loquuntur in sorore divite, à fortiori urgent in fratre divite; & ita prædictos textus intellexere Jurisperiti communiter, ut mirum videatur, quod Molina *de just. tom.* 1. *disp.* 228. §. *quartus effectus, circa finem, vers. Utrum frater fratri,* præfatam communem conclusionem revocaverit in dubium, dixeritque non videri sibi certam. Quam tamen firmiùs amplexus est *d. disp.* 616. *citato n.* 8. *vers. fin.* Eandem conclusionem probant textus, ex quibus constat fratrem teneri, & cogi dotare sororem utrinque conjunctam pauperem, quos textus allegant Corduba, & P. Barbosa *locis proximè citatis,* & alii Doctores *n. præced* relati, præsertim Menochius, Mantica, Fontanella, & Tiraquellus; qui enim tenetur dotare, tenetur etiam alere, ut docent Barbosa ubi suprà, *n.* 126. & Fagundez *allegato cap.* 16. *n.* 16. & Doctores communiter, quos Giurba *decis.* 5. *n.* 12. & Tiraquellus *d. q.* 62. *n.* 4. & 5. referunt: quare hanc eandem conclusionem approbant Doctores communiter, asserentes fratrem divitē, ut fratrem teneri dotare in subsidium sororem pauperem, quos Doctores referunt, & sequuntur Tiraquellus, Menochius, Mantica, P. Barbosa, Corduba, Fontanella, Surdus, Martius Venturinus *locis numero præcedenti allegatis,* de qua re infrà.

491 De fratre divite, an fratri utrinque conjuncto, scilicet nato ex eodem patre, & eadem matre, si egeat, pauperque sit, & aliunde ali non possit, teneatur eodem jure positivo, & civili alimenta præbere, Corduba *in d. §. Idem rescripsit, n.* 84. dubium movet ex eo, inquit, quod nullibi in jure cautum reperitur, ut frater fratrem alere cogatur: sed legibus prædictis cautum est, & probatur, fratrem compelli alere sororem inopem, nec videtur eadem ratio in fratre alendo, quæ in sorore, cùm sexus muliebris sit debilior, & fragilior, & minùs habilis ad alimenta sibi comparandum, præsertim citra periculum pudicitiæ: quod discrimen inter masculos, & fœminas constituit Glossa *in l. pen. verb. Uxorve, ff. ut in possess. legat.* unde confirmari potest, quod frater non sit de personis descriptis *in l. si quis à liberis, ff. de liberis agnosc.*

492 Cæterùm communis Doctorum sententia, & certa quoque conclusio est, fratrem divitem, ut fratrem, & sanguine conjunctum, jure positivo civili teneri, & cogi in subsidium præbere alimenta etiā fratri utrinquē conjuncto, pauperi aliunde non habenti ut sese possit alere. Ita Glossa *in l. si quis à liberis, in princ. & in §. idem rescripsit, verbo Iustè, ff. de liber. agnosc. in d. l. qui filium, vers. aliter, in d. §. sed nonnullos, verb. Præstiterit, & in l.* 1. *Cod. de alendis liberis;* ibidem Cynus, Bartulus, Salicetus: idem Bartolus *in d. l. si quis à liberis, in princ. & in §. Utrum, n.* 5. Joan. Imola *in d. l.* 1. *ff. soluto matrimonio,* ibidem Jason *n.* 31. idem Jason *in §. Et si quis, n.* 4. *Instit. de action.* ibidem Angelus, & Faber. Baldus *cons.* 10. *n.* 5. *lib.* 3. Joan. de Lignano, Fulgosius, Caldendis *de arte testandi,* Ruinus, Hieron. Serof. Joan. Anibal, Corasius, Alvitus, Ferrarius à Corduba *in d. §. idem rescripsit, n.* 83. allegati, Gregor. Lopez *l.* 4. *tit.* 19. *p.* 4. Navarrus *de spoliis cler.* §. 18. *num.* 10. August. Barbosa *collect. ad l.* 1. *n.* 18. & *n.* 124. & 130. *Cod. de alendis liberis,* Panormitanus, & alii Scribentes *in cap. Pervenit, de arbitris,* Giurba *decis.* 5. Gratianus *tom.* 2. *disp. fori, cap.* 259. *n.* 22. Sanleger. *quæst. civilium cap.* 38. *num.* 13. Cancerius *d. num.* 31. Ex Jurisconsultis superiùs *num.* 489. relatis, Corduba *in d. §. idem rescripsit, num.* 84. Ludovicus Molina in calce sui operis, *num.* 14. & *dicto cap.* 15. *num.* 56. 57. 64. & 68. Additionator ad eundem Molinam *d. l.* 2. *cap.* 15. *citato n.* 57. Gomez *ad d. l.* 40. *Tauri, d. n.* 75. Garzias *d. cap.* 3. *num* 34. Puntanus *d. cap.* 10. Rota *d. decis.* 538. *num.* 1. & *decis.* 454. *num.* 3. *part.* 2. *recent.* & *decis.* 9. *p.* 5. *diversorum,* Surdus *de alimentis, tit.* 1. *d. quæst.* 25. *num.* 1. 2. & 3. *cum sequentibus,* Joan. Valeron *d. diff.* 7. *num.* 1. Merenda *d. cap.* 21. Molfesius *d. q.* 11. *num.* 16. & *seq.* & plures alii Jurisperiti apud præallegatos: ex Summistis ita Silvester verbo *Alimenta, num.* 3. Corduba *in Summa, q.* 125. *dicto* 7. P. Navarr. *de restitutione, tom.* 1. *lib.* 1. *num.* 167. Ex Theologis Azorius *d. cap.* 10. *q.* 1. Megala *d. c.* 31. *n.* 1. Fagundez *n.* 1. & 3. Rebellus *d. q.* 4. *n.* 9. & Molina *d. disp.* 616. *num.* 8. *fine;* quamvis *tom.* 1. *allegata disp.* 218. dixerit id sibi non videri rem certam. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 20. *num.* 49. Villalobos *part.* 1. *sum. tract.* 27. *diff.* 4. *num.* 3. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 13. *num.* 5. Bonacina *de præceptis, tom.* 2. *disp.* 6. *q. unica, p.* 8. *n.* 12. & Trollench *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 9. Probatur à Doctoribus hæc communis sententia, & conclusio *ex d. l. mutus, ff. de jure dotium, & ex d. l. quamvis, ff. soluto matrimonio.* Ex quibus juribus expressè constat, sororem divitem, ut sororem obligari alere fratres pauperes, ut *numero præced.* ostensum est, & Jurisperiti communiter ita colligunt ex præfatis textibus: ergo & multò magis juxta eadē jura frater dives ut frater obligatur,

&

& cogi potest alere sororem pauperem, ot ex iisdem juribus præallegati Jutisperiti, & alii communiter concludunt: quemadmodum etiam iidem juris Interpretes commuoiter id quod in aliis juribus numero præcedenti allegatis dicitur de obligatione fratris alendi sororem pauperem, ob identitatem rationis, & æquitatis naturalis, in qoo jore illi fundantur, aiunt extendi, & habere locum quoad fratres pauperes; inspecta enim originali ratione prædictorum jurium, quæ est æquitas naturalis, & sanguinis charitas, seo conjunctio, ex qua alimentorum præstandorum obligatio inter coosanguineos descendit, ut dicitur *in d. l. si quis à liberis, §. Utrum autem, fin. ff. de liber. agnosc.* non est in sexu coostituendum discrimen, cùm sit eadem sanguinia, & conjunctionis proximitas, licèt in sorore ob fragilitatem sexos minimè apti ad quærendum victū, & proclivis ad peccandum, videaotur alimenta magis sorori, quàm fratri esse debita, & io Regoo Hispaniæ *lib. 3. fori, tit. 8. l. 1.* expresè jubetur, ut frater dives teneatur alare fratrem pauperem, de qua lege 1. agunt Cordoba, & P. Navarros *loc. cit.* Confirmant etiam plures ex Doctoribus allegatis hanc, & præcedentē conclusionem ex ratione mutuæ successionis, scilicet quia dum deficiont ascendentes, & descendentes, frater, & soror ex eodem patre, & eadem matre natus succedit. sorori ab intestato, id naturali æquitate, & sanguinis ratione suadente, *l. hac parte, ff. unde cognati*, ibi: *Hac parte Proconsul naturali æquitate motus*: ergo etiam in defectum patris, & matris, & ascendentium, nempe avorum, vel proavorum; & descendentium, scilicet filiorum, & nepotom, & hæredis patris, & matris, & avorum, frater, & soror dives ob eandem æquitatem naturalem, & sanguinis rationem tenebitur alere fratrem, & sororem inopem; valet enim juxta Doctores argumentum à successione ad alimenta, & ad dotem etiam, ita quod ut res se habet in jure quoad jus succedendi & hæreditandi, ita & quoad jus alendi, & dotandi. Ita præsertim Surdus *d. q. 25. n. 5.* & quoad collaterales valere argumentum à successione ad alimenta, tenent ferè communiter Doctores. Neque obstat quod Glossa *in l. cùm plures, §. cùm tutor, vers. alio patre, ff. de administ. tutorum*, & alii dicunt, scilicet paternum officium esse alere, & dotare filios, & filias: nam id intelligitur principaliter, & primò, & de strictiori obligatione. Noo obstat etiam illud, quod *in d. l. si quis à liberis*, non fiat mentio fratrum & sororum; nam primò sat est, quod in aliis legibus *num. præced.* adductis id habeatur. Præterea dum *ibid. §. Utrum autem*, dicitur obligationem alimentorum inter parentes, & filios descendere ex æquitate naturali, & charitate, ac coojunctione saoguinis, implicitè etiam innuitur, eandem esse obligationem inter fratres, & sorores, cùm in eis militet præfata æquitas naturalis, & charitas, seu coojunctio saoguinis, licèt fortiùs ob strictiorem coojunctionem locum habeat in parentibus, & filiis.

493 Et prædictæ duæ conclusiones intelliguntur non solùm de alimentis vitæ necessariis, sed & de alimentis congruis juxta statum, & dignitatem, ita qood frater dives fratri, & sorori pauperi aliunde non habenti obligatur præstare alimenta, quibus honestè vivere possit juxta genus suum, habita facultatum ratione, & ad id judicis officio implorato cogi potest, & debet; qoi judex etiam debebit condemnare, & cogere eundem fratrem divitem ad assignandum fratri, vel sorori inopi bona, quorum redditus ad hujusmodi honesta alimenta sufficiant, ut io terminis tenet Baldus *d. cons. 103. n. 3.* alios Jurisperitos allegans, Surdus *d. q. 25. n...* Et virtualiter tradunt omnes præallegati, & expresè etiam tradunt Azorius, Megala, & Fagundez *loc. cit.* & probatur ex doctrina generali communiter à Doctoribus recepta, suprà *n. 70. ad 74.* tradita, quod filiis, & quibuscumque ratione sanguinis, vel legati alimenta debita ex juris civilis dispositione, præstanda sunt juxta statum, & dignitatem ejus, qoi ali debet, habita ratione patrimooii ejus qui alere teoetur. Cootrarium tenuit Rota *decis. 581. n. 2. part. 1. in recent.* ubi tenet hæc alimenta subsidiaria taxanda esse ad meram alimentandi necessitatem, at etiam notavi suprà *n. 71.* ubi hanc Rotæ seoteotiam rejeci.

§. II.

Frater dives, ut frater, an teneatur præstare alimenta fratribus, & sororibus tantùm ex parte patris.

UTrum verò frater dives, ut frater, etiam fratri, & sorori, qui ex eodem tantùm patre, non ex eadem matre areati sint, juxta eadem jura præallegata teneatur, & cogi possit, & debeat præbere alimenta, si egeni sint? negavit Angelus Aretinus *in §. Etsi quis, Instit. de action.* 494

At cæteri Doctores commuoiter sine contradictione affirmant. Ita Doctores *n. 487.* relati, qui vel promiscue loquuntur de fratribus, & sororibus utrioque, vel ex parte matris, & patris conjuncti, vel etiam expresè de fratribus, & sororibus ex eodem tantùm patre genitis, ut Baldus *d. cons. 303. n. 3.* Cyoas *in d. l. 1. Cod. de lib. alendis*, Corduba *in d. §. Idem rescripsit, n. 85. & 86.* Surdus *d. q. 25. n. 6.* Pontanus *d. c. 10. n. 2.* & plures alii Jurisperiti à Corduba *d. n. 86.* & Pontano relati, & ex Theologis Azorius, Megala, Rebellus, & Fagundez *locis allegatis*: idem à fortiori senserunt Doctores assereotes fratrem divitem teneti dotare sororem pauperem carentem pareotibus divitibus, qui ei dotem præstare queant, qui sont Menochius, P. Barbosa, Fontanella, Mantica, Tiraquellus, Rebellus, Fagundez locis suprà *n. 484.* relatis, & alii, quos ipsi latè referunt, addentes etiam vix ollum ab hoc discedere. Rationem assignat Corduba com Baldo, quòd frater, & soror verè est qui, & quæ ex eodem patre natus, vel nata est, qoia pater gignendo filio est causa agens, mater verò patieos: causa verò agens est nobilior patiente, unde patris conditionem filius sequitur, à quo dignitas in filium descendit, ot probat idem Baldus *in l. fin. in fine, Cod. de servis fugit.* Aliæ etiam rationes assignantur à præfatis Doctoribus sequentibus de dote, scilicet tum quia in fratribus, & sororibus consanguineis, scilicet ex eodem patre, speciali modo considerantur in jure jura cognationis, sanguinis, & familiæ, *l. 2. & l. Spurius, ff. unde cognati*, & consequenter considerari etiam debet onus alendi, & dotandi. Tum quia iidem fratres, & sorores coosanguinei succedunt ab intestato fratribus, & sororibus consanguineis. Addendum, quod in hujusmodi fratribus, & sororibus coosanguineis militat eadem ratio æquitatis naturalis, & charitatis, & conjunctionis sanguinis, in qua fundaotor jura suprà *n. 483.* adducta, quæ etiam loquuntur indistinctè de fratribus, & sororibus pauperibus, & non solùm de conjunctis utrinque. 495

Frater dives, ut frater, an de jure civili teneatur præstare alimenta fratribus, & sororibus uterinis tantùm pauperibus.

COntroversia est, an frater dives, ut frater teneatur de jure civili alere fratrem, & sororem uterinos, seu taotùm ex eadem matre, non ex eodem patre natos, non habentes aliunde uode se alere possint. Dixi, *ut frater*; nam si frater dives sit hæres matris, uti hæredem, & quatenus hæreditatis bona patiuntur, teneri alere fratrem, & sororem uterinos tantùm, si egeni sint, constat ex traditis suprà *n. 369.* & expresè asseruot P. Barbosa *ad l. 1. part. 4. n. 127.* Rebellus *d. quæst. 4. num. 11.* Fagundez *dicto cap. 16. num. 5.* Fontanella *de pact. nupt. clausula 5. glossa 3. num. 17.* 496

*num.*17. & Villalobos loco suprà *num.* 496. citato.

497 Quod ergo fratet dives, ut ftater, non teneatur, nec cogi possit alere fratrem, & sororem uterinos tantùm pauperes, tenneruot Angelua loeo suprà *num.* 489. eiratu, Suatez *in l. quoniam in prioribus, 2. limitat. ad l. regni, num.*10. *ad fin.* Fulgosius *conf.*228. *num.*2. *ad finem*, Baldus Novellus *de dotè, 6. partes privilègio* 16. & Gomez *ad l.*40. *Tauri, num.*75. *fine*, qui moti sunt per textum *in l. cùm plures*, §. *fin. de administrat. tutor.* ibi: *Sed non dabit dotem sorori ex alio patre nata, etiamsi aliter ea nubere non possit. Nam etsi honestè facit, ex liberalitate tamen facit, non ex justitia.* Quo textu probatur, non teneri, nec cogi posse fratrem divitem, ut fratrem, doiare sororem inopem: ergo nec eam alere, cùm valeat argumentum de dote ad alimenta, etiam negativè; & dos, ac alimenta quoad obligationem æquiparantur, ut probat Tiraquellus *de primogen. d.q.* 62. *n.*4. & 5. & plures alii à Giuiba *decis.* 5. *num.*12. relati.

498 Contrarium tamen, & fratrem divitem teneri fratri, & sorori uterinis pauperibus & egenis, sicut & consanguineis, alimenta congrua præbere, affirmant communiter Doctores. Ita Cynus *in d. l.*1. *in* 2.*q. Cod. de liber. alendis*, Baldus *in d. l. qui filium, ff. ubi pupillus educ. debeat*, Imola & Alexander *in l.*1. *ff. soluto matrimonio*, Pontanus *de alimentis, cap.* 10. Tiraquellus *de primogen. d. quæst.*62. *num.*3. *fine*, Ludovicus Molina *eod. tract. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 62. Additionatot *ibid.* Corduba *in d.* §. *idem rescripsit, num.* 88. *ff. de liberis agnosc.* & *in* §. *idem videre, num.* 25. P. Barbosa *ad l.*1. *p.*4. *num.*127. *ff. soluto matrimonio*, Cancerius *d. c.*16. *n.*31. *versic. fratrum*, Surdus *de alimentis, tit.*1. *d.q.*23. *num.*17. Molfesius *ad consuet. Neapol. p.*3. *q.*11. *n.*23. Giurba *ad consuet. Messan. cap.*3. *glossa* 3. *p.*1. *n.*60. Fontanella *d. glossa* 3. *n.*16. & 28. Mangilius *de imputat. quæst.*76. *n.*9. & plures alii Jurisperiti à Corduba relati, & ex Theologis Azorius, Villalobos, Megala *locis suprà num.* 487. *citatis*, & Rebellus *allegat. q.*4. *num.*11. *fine*, & Fagondez *d. cap.*16. *n.*5. Probatur hæc sententia primò, quia leges *suprà n.*490. adductæ, decernentes quod fratet dives in subsidium teneatur, & cogi possit & debeat alere fratrem, & sororem egenos, non distinguunt an sint ex eodem patre procreati, sed indistinctè loquuntur, & proinde indistinctè sunt intelligendæ. Secundò probatur à Cyno & aliis, quia frater dives tenetur alere fratrem naturalem, & sororem patitet naturalem, *auth. licèt, Cod. de naturalibus liberis.* Ergo multò magis fratrem, & sororem uterinos legitimos. Confirmo etiam ex traditis suprà *n.* 490. nam etiam in fratribus, & sororibus militat ratio æquitatis naturalis, & charitatis, ac conjunctionis sanguinis, in qua fundantur leges constituentes fratrem divitem debere alere fratrem, & sororem pauperes: eadem enim cadit affectio secundùm naturalem cursum erga fratrem & sororem uterinos, sicut ergà consanguineos, & ex eodem patre genitos, *l. maximum vitium, Cod. de liber. agnosc.* Præterea intelligitur hæc sententia non extantibus fratribus, aut sororibus utrinque, vel ex parte patris conjunctis, vel si extent, sub paupertatem sint ad alimenta præstanda inhabiles, ut notavit etiam Surdus.

499 Ad legem *cùm plures*, §. *fin.* prò contraria sententia adductam, Corduba, P. Barbosa, Rebellus & Fagundez respondent, quod licèt argumentum de dote ad alimenta affirmativè valeat, & sic qui tenetur dotare, tenetur alere; non valeat tamen negativè, scilicet: Non tenetur dotare: ergo non tenetur alere; cùm non sit eadem ratio dotis, & alimentorum: nam hæc præstantur dietim, & menstruatim, vel ad summum annuatim; dos verò præstatur simul, & uno cumulo, & sic est onerosior, & continet majus præjudicium; ac proinde lex illa agens expressè solùm de dote, non habet locum in alimentis, quæ juxta alias leges *n.*485. adductas, à frate divite quibuscumque fratribus, & sororibus, etiam tantùm uterinis, pauperibus præstari debent.

Ludovicus Molina *d. cap.*15. *n.*62. & 63. respondet 500
textum *in d. l. cùm plures*, §. *fin.* & alios similes esse intelligendos solùm de dote ultra quantitatem alimentorum juxta alias leges debitorum, scilicet de dote secundùm dignitatem, & facultates suas, non verò quoad quantitatem alimentorum; dotem enim usque ad hanc quantitatem alimentorum vult Molina fratrem teneri dare sorori uterinæ pauperi, cùm validum sit argumentum de dote ad alimenta, & è converso, ut Tiraquellus *d.q.*62. *num.*4. & 5. & Doctores à Giurba *decis.*5. *n.*12. allegari docent.

Surdus, Molfesius, Giurba, & Megala cum aliis 501
respondent absolutè, fratrem divitem teneri hodie dotare sororem uterinam pauperem, quæ aliunde non possit habere dotem: dictam autem legem *cùm plures*, §. *fin.* in qua oppositum dicitur, & ponitur differentia inter sororem utrinque, vel ex parte patris conjunctam, & inter sororem uterinam tantùm, quoad obligationem dotandi, si sint pauperes, procedere de jure Digestorum, quo cognati non succedebant cum agnatis, sed tantùm post agnatos, ut patet *Institut. de legit. agnat. success.* & *Institut. ad Tertyll.* Hæc autem differentia sexus inter agnationem, & cognationem quoad simultaneam successionem hodie sublata est, & post fratres, & sorores utrinque conjunctos æqualiter vocantur conjuncti ex altero tantùm parente, scilicet sive patre, sive matre, *l. fin.* §. *Sed nec, Cod. de legitimis hæredibus*, §. *Si igitur*, & §. *Nullum verò, auth. de hæreditatibus ab intestato venientibus*, & *auth. itaque, Cod. communia de successionibus.* Sicut ergo inter eosdem fratres, & sorores consanguineos, & fratres, atque sorores uterinos datur successio ab intestato, ita etiam obligatio alimentorum, & dotis in subsidium, ob defectum ascendentium, vel descendentium: sed an frater dives teneatur non solùm alere, sed etiam dotare sororem uterinam in subsidium, infrà videbimus.

§. III.

Soror dives, ut soror de jure humano tenetur fratribus, & sororibus pauperibus præbere alimenta in subsidium.

POrrò sicut frater dives, ut frater, de jure positivo, 502
& civili tenetur alere fratres, & sorores inopes, juxta huc usque tradita: ita è contra soror dives, ut soror, tenetur in subsidium alere fratres, & sorores inopes: tum ex regula correlativorum, tum quia lex *maritus*, & lex *quamvis*, suprà *n.*485. adductæ, loquuntur in sorore quoad fratres, & sorores: tum demùm quia res hæc oritur ex æquitate naturali, & charitate, & conjunctione sanguinis, ac pietate, *d. l. si quis à liberis*, §. *Utrum autem*, quæ est originalis ratio legum *d. n.*485. adductarum, constituentium fratrem divitem debere alere sororem, & fratrem inopes, & æqualiter militat in sorore erga fratres & sorores, ac in fratre erga fratres & sorores: & ita in terminis credidere Paulus de Castro *cons.*435. *n.* 4. *lib.* 1. P. Barbosa *ad d. l.*1. *p.*4. *n.*144. *fine, ff. soluto matrimonio*, & alii Jurisperiti ab eodem Barbosa allegati, & Fagundex *in Decal. lib.*4. *c.*16. *n.*14. & Rebellus *de oblig. justit. p.*2. *lib.*5. *q.*4. *n.*18. & colligitur ex aliis Doctoribus suprà *n.*492. relatis.

Utrùm verò frater, & soror dives jure positivo teneantur alere fratrem, & sororem illegitimos, & non solùm naturales, sed etiam spurios, explicatur infrà.

& cogi potest alere sororem pauperem, ut ex iisdem juribus præallegati Jurisperiti, & alii communiter concludunt: quemadmodum etiam iidem juris Interpretes communiter id quod in aliis juribus numero præcedenti allegatis dicitur de obligatione fratris alendi sororem pauperem, ob identitatem rationis, & æquitatis naturalis, in quo jure illi fundantur, aiunt extendi, & habere locum quoad fratres pauperes; inspecta enim originali ratione prædictorum jurium, quæ est æquitas naturalis, & sanguinis charitas, seu conjunctio, ex qua alimentorum præstandorum obligatio inter consanguineos descendit, ut dicitur *in d. l. si quis à liberis, §. Utrum autem, fin. ff. de liber. agnosc.* non est in sexu constituendum discrimen, cùm sit eadem sanguinis, & conjunctionis proximitas, licèt in sorore ob fragilitatem sexus minimè apti ad quærendum victũ, & proclivis ad peccandum, videantur alimenta magis sorori, quàm fratri esse debita, & in Regno Hispaniæ *lib. 3. fori, tit. 8. l. 1.* expresse jubetur, ut frater dives teneatur alere fratrem pauperem, de qua lege 1. agunt Corduba, & P. Navarrus *loc. cit.* Confirmant etiam plures ex Doctoribus allegatis hanc, & præcedentẽ conclusionem ex ratione mutuæ successionis, scilicet quia dum deficiunt ascendentes, & descendentes, frater, & soror ex eodem patre, & eadem matre natus succedit sorori ab intestato, id naturali æquitate, & sanguinis ratione suadente, *l. hac parte. ff. unde cognati,* ibi: *Hac parte Proconsul naturali æquitate motus*: ergo etiam in defectum patris, & matris, & ascendentium, nempe avorum, vel proavorum; & descendentium, scilicet filiorum, & nepotum, & hæredis patris, & matris, & avorum, frater, & soror dives ob eandem æquitatem naturalem, & sanguinis rationem tenebitur alere fratrem, & sororem inopem; valet enim juxta Doctores argumentum à successione ad alimenta, & ad dotem etiam, ita quod ut res se habet in jure quoad jus succedendi & hæreditandi, ita & quoad jus alendi, & dotandi. Ita præsertim Surdus *d. q. 25. n. 5.* & quoad collaterales valere argumentum à successione ad alimenta, tenent ferè communiter Doctores. Neque obstat quod Glossa *in l. cum plures, §. cùm tutor, vers. alio patre, ff. de administ. tutorum,* & alii dicunt, scilicet paternum officium esse alere, & dotare filios, & filias: nam id intelligitur principaliter, & primò, & de strictiori obligatione. Non obstat etiam illud, quod *in d. l. si quis à liberis,* non fiat mentio fratrum & sororum; nam primò satis est, quod in aliis legibus *num. præced.* adductis id habeatur. Præterea dum *ibid. §. Utrum autem,* dicitur obligationem alimentorum inter parentes, & filios descendere ex æquitate naturali, & charitate, ac conjunctione sanguinis, implicitè etiam innuitur, eandem esse obligationem inter fratres, & sorores, cùm in eis militet præfata æquitas naturalis, & charitas, seu conjunctio sanguinis, licèt fortiùs ob strictiorem conjunctionem locum habeat in parentibus, & filiis.

493 Et prædictæ duæ conclusiones intelliguntur non solùm de alimentis vitæ necessariis, sed & de alimentis congruis juxta statum, & dignitatem, ita quod frater dives fratri, & sorori pauperi aliunde non habenti obligatur præstare alimenta, quibus honestè vivere possit juxta genus suum, habita facultatum ratione, & ad id judicis officio implorato cogi potest, & debet; qui judex etiam debebit condemnare, & cogere eundem fratrem divitem ad assignandum fratri, vel sorori inopi bona, quorum redditus ad hujusmodi honesta alimenta sufficiant, ut in terminis tenet Baldus *d. cons. 103. n. 3.* alios Jurisperitos allegans, Surdus *d. q. 25. n...* Et virtualiter tradunt omnes præallegati, & expresse etiam tradunt Azorius, Megala, & Fagundez *loc. cit.* & probatur ex doctrina generali communiter à Doctoribus recepta, suprà *n. 70. ad 74.* tradita, quod filiis, & quibuscumque ratione sanguinis, vel legati alimenta debita ex juris civilis dispositione, præstanda sunt juxta statum, & dignitatem ejus, qui ali debet, habita ratione patrimonii ejus qui alere tenetur. Contrarium tenuit Rota *decis. 581. n. 2. part. 1. in recent.* ubi tenet hæc alimenta subsidiaria taxanda esse ad meram alimentandi necessitatem, ut etiam notavi suprà *n. 71.* ubi hanc Rotæ sententiam rejeci.

§. II.

Frater dives, ut frater, an teneatur præstare alimenta fratribus, & sororibus tantùm ex parte patris.

494 UTrum verò frater dives, ut frater, etiam fratri, & sorori, qui ex eodem tantùm patre, non ex eadem matre creati sint, juxta eadem jura præallegata teneatur, & cogi possit, & debeat præbere alimenta, si egeni sint? negavit Angelus Aretinus *in §. Etsi quis, Instit. de action.*

495 At cæteri Doctores communiter sine contradictione affirmant. Ita Doctores *n. 487.* relati, qui vel promiscuè loquuntur de fratribus, & sororibus utrinque, vel ex parte matris, & patris conjuncti, vel etiam expresse de fratribus, & sororibus ex eodem tantùm patre genitis, ut Baldus *d. cons. 303. n. 3.* Cynus *in d. l. 1. Cod. de lib. alendis,* Corduba *in d. §. Idem rescripsit, n. 85. & 86.* Surdus *d. q. 25. n. 6.* Pontanus *d. c. 10. n. 2.* & plures alii Jurisperiti à Corduba *d. n. 86.* & Pontano relati, & ex Theologis Azorius, Megala, Rebellus, & Fagundez *locis allegatis*: idem à fortiori senserunt Doctores asserentes fratrem divitem teneri dotare sororem pauperem carentem parentibus divitibus, qui ei dotem præstare queant, qui sunt Menochius, P. Barbosa, Fontanella, Mantica, Tiraquellus, Rebellus, Fagundez locis suprà *n. 484.* relatis, & alii, quos ipsi latè referunt, addentes etiam vix ullum ab hoc discredere. Rationem assignat Corduba cum Baldo, quòd frater, & soror verè est qui, & quæ ex eodem patre natus, vel nata est, quia pater gignendo filio est causa agens, mater verò patiens: causa verò agens est nobilior patiente, unde patris conditionem filius sequitur, à quo dignitas in filium descendit, ut probat ideo Baldus *in l. fin. in fine, Cod. de servis fugit.* Aliæ etiam rationes assignantur à præfatis Doctoribus sequentibus de dote, scilicet tum quia in fratribus, & sororibus consanguineis, scilicet ex eodem patre, speciali modo considerantur in jure jura cognationis, sanguinis, & familiæ, *l. 2. & l. Spurius, ff. unde cognati,* & consequenter considerari etiam debet onus alendi, & dotandi. Tum quia iidem fratres, & sorores consanguinei succedunt ab intestato fratribus, & sororibus consanguineis. Addendum, quod in hujusmodi fratribus, & sororibus consanguineis militat eadem ratio æquitatis naturalis, & charitatis, & conjunctionis sanguinis, in qua fundantur jura suprà *n. 483.* adducta, quæ etiam loquuntur indistinctè de fratribus, & sororibus pauperibus, & non solùm de conjunctis utrinque.

Frater dives, ut frater, an de jure civili teneatur præstare alimenta fratribus, & sororibus uterinis tantùm pauperibus.

496 COntroversia est, an frater dives, ut frater teneatur de jure civili alere fratrem, & sororem uterinos, seu tantùm ex eadem matre, non ex eodem patre natos, non habentes aliunde unde se alere possint. Dixi, *ut frater*; nam si frater dives sit hæres matris, uti hæredem, & quatenus hæreditatis bona patiuntur, teneri alere fratrem, & sororem uterinos tantùm, si egeni sint, constat ex traditis suprà *n. 369.* & expresse asserunt P. Barbosa *ad l. 1. part. 4. n. 127.* Rebellus *d. quæst. 4. num. 12.* Fagundez *dicto cap. 16. num. 5.* Fontanella *de pact. nupt. clausula 5. glossa 3. num. 17.*

num. 17. & Villalobos loco suprà *num.* 496. citato.

497 Quod ergo frater dives, ut frater, non teneatur, nec cogi possit alere fratrem, & sororem uterinos tantùm pauperes, tenuerunt Angelus loco suprà *num.* 489. citato, Suarez *in l. quoniam in prioribus*, 2. *limitat. ad l. regni*, *num.* 10. *ad fin.* Fulgosius *consf.* 228. *num.* 2. *ad finem*, Baldus Novellus *de dote*, 6. *partes privilegio* 16. & Gomez *ad l.* 40. *Tauri*, *num.* 75. *fine*, qui moti sunt per textum *in l. cùm plures*, §. *fin. de administrat. tutor.* ibi: *Sed non dabit dotem sorori ex alio patre natæ, etiamsi aliter ea nubere non possit. Nam etsi honestè facit, ex liberalitate tamen facit, non ex justitia.* Quo textu probatur, non teneri, nec cogi posse fratrem divitem, ut fratrem, dotare sororem inopem: ergo nec eam alere, cùm valeat argumentum de dote ad alimenta, etiam negativè; & dos, ac alimenta quoad obligationem æquiparantur, ut probat Tiraquellus *de primogen. d. q.* 62. *n.* 4. & 5. & plures alii à Giurba *decis.* 5. *num.* 12. relati.

498 Contrarium tamen, & fratrem divitem teneri fratri, & sorori uterinis pauperibus & egenis, sicut & consanguineis, alimenta congrua præbere, affirmant communiter Doctores. Ita Cynus *in d. l.* 1. *in* 2. *q. Cod. de liber. alendis*, Baldus *in d. l. qui filium*, *ff. ubi pupillus educ. debeat*, Imola & Alexander *in l.* 1. *ff. soluto matrimonio*, Pontanus *de alimentis*, *cap.* 10. Tiraquellus *de primogen. d. quæst.* 62. *num.* 3. *fine*, Ludovicus Molina *eod. tract. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 62. Additionator *ibid.* Corduba *in d.* §. *idem rescripsit*, *num.* 88. *ff. de liberis agnosc.* & *in* §. *idem videre*, *num.* 25. P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *num.* 127. *ff. soluto matrimonio*, Cancerius *d. c.* 16. *n.* 31. *versic. fratrum*, Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *d. q.* 23. *num.* 17. Molfesius *ad consuet. Neapol. p.* 5. *q.* 11. *n.* 23. Giurba *ad consuet. Messan. cap.* 3. *glossa* 3. *p.* 1. *n.* 60. Fontanella *d. glossa* 3. *n.* 16. & 28. Mangilius *de imputat. quæst.* 76. *n.* 9. & plures alii Jurisperiti à Corduba relati, & ex Theologis Azorius, Villalobos, Megala *locis suprà num.* 487. *citatis*, & Rebellus *allegat. q.* 4. *num.* 11. *fine*, & Fagondex *d. cap.* 16. *n.* 5. Probatur hæc sententia primò, quia leges *suprà n.* 490. adductæ, decernentes quod frater dives in subsidium teneatur, & cogi possit & debeat alere fratrem, & sororem egenos, non distinguunt an sint ex eodem patre procreati, sed indistinctè loquuntur, & proinde indistinctè sunt intelligendæ. Secundò probatur à Cyno & aliis, quia frater dives tenetur alere fratrem naturalem, & sororem pariter naturalem, *auth. licèt*, *Cod. de naturalibus liberis*. Ergo multò magis fratrem, & sororem uterinos legitimos. Confirmo etiam ex traditis suprà *n.* 490. nam etiam in fratribus, & sororibus militat ratio æquitatis naturalis, & charitatis, ac conjunctionis sanguinis, in qua fundantur leges constituentes fratrem divitem debere alere fratrem, & sororem pauperes: eadem enim cadit affectio secundùm naturalem cursum erga fratrem & sororem uterinos, sicut erga consanguineos, & ex eodem patre genitos, *l. maximum vitium*, *Cod. de liber. agnosc.* Præterea intelligitur hæc sententia non extantibus fratribus, aut sororibus utrinque, vel ex parte patris conjunctis, vel si extent, ob paupertatem sint ad alimenta præstanda inhabiles, ut notavit etiam Surdus.

499 Ad legem *cùm plures*, §. *fin.* pro contraria sententia adductam, Corduba, P. Barbosa, Rebellus & Fagundez respondent, quod licèt argumentum de dote ad alimenta affirmativè valeat, & sic qui tenetur dotare, tenetur alere; non valeat tamen negativè, scilicet: Non tenetur dotare: ergo non tenetur alere; cùm non sit eadem ratio dotis, & alimentorum: nam hæc præstantur dietim, & menstruatim, vel ad summum annuatim; dos verò præstatur simul, & uno cumulo, & sic est onerosior, & continet majus præjudicium; ac proinde lex illa agens expressè solùm de dote, non habet locum in alimentis, quæ juxta alias leges *n.* 485. adductas, à frate divite quibuscumque fratribus, & sororibus, etiam tantùm uterinis, pauperibus præstari debent.

500 Ludovicus Molina *d. cap.* 15. *n.* 62. & 63. respondet textum *in d. l. cùm plures*, §. *fin.* & alios similes esse intelligendos solùm de dote ultra quantitatem alimentorum juxta alias leges debitorum, scilicet de dote secundùm dignitatem, & facultates suas, non verò quoad quantitatem alimentorum; dotem enim usque ad hanc quantitatem alimentorum vult Molina fratrem teneri dare sorori uterinæ pauperi, cùm validum sit argumentum de dote ad alimenta, & è converso, ut Tiraquellus *d. q.* 62. *num.* 4. & 5. & Doctores à Giurba *decis.* 5. *n.* 12. allegati docent.

501 Surdus, Molfesius, Giurba, & Megala cum aliis respondent absolutè, fratrem divitem teneri hodie dotare sororem uterinam pauperem, quæ aliunde non possit habere dotem: dictam autem legem *cùm plures*, §. *fin.* in qua oppositum dicitur, & ponitur differentia inter sororem utrinque, vel ex parte patris conjunctam, & inter sororem uterinam tantùm, quoad obligationem dotandi, si sint pauperes, procedere de jure Digestorum, quo cognati non succedebant cum agnatis, sed tantùm post agnatos, ut patet *Institut. de legit. agnat. success.* & *Institut. ad Tertyll.* Hæc autem differentia sexus inter agnationem, & cognationem quoad simultaneam successionem hodie sublata est, & post fratres, & sorores utrinque conjunctos æqualiter vocantur conjuncti ex altero tantùm parente, scilicet sive patre, sive matre, *l. fin.* §. *Sed nec*, *Cod. de legitimis hæredibus*, §. *Si igitur*, & §. *Nullum verò*, *auth. de hæreditatibus ab intestato venientibus*, & *auth. itaque*, *Cod. communia de successionibus*. Sicut ergo inter eosdem fratres, & sorores consanguineos, & fratres, atque sorores uterinos datur successio ab intestato, ita etiam obligatio alimentorum, & dotis in subsidium, ob defectum ascendentium, vel descendentium: sed an frater dives teneatur non solùm alere, sed etiam dotare sororem uterinam in subsidium, infrà videbimus.

§. III.

Soror dives, ut soror de jure humano tenetur fratribus, & sororibus pauperibus præbere alimenta in subsidium.

502 PORrò sicut frater dives, ut frater, de jure positivo, & civili tenetur alere fratres, & sorores inopes, juxta huc usque tradita: ita è contra soror dives, ut soror, tenetur in subsidium alere fratres, & sorores inopes: tum ex regula correlativorum, tum quia lex *maritus*, & lex *quamvis*, suprà *n.* 485. adductæ, loquuntur in sorore quoad fratres, & sorores: tum demùm quia res hæc oritur ex æquitate naturali, & charitate, & conjunctione sanguinis, ac pietate, *d. l. si quis à liberis*, §. *Utrum autem*, quæ est originalis ratio legum *d. n.* 485. adductarum, constituentium fratrem divitem debere alere sororem, & fratrem inopes, & æqualiter militat in sorore erga fratres & sorores, ac in fratre erga fratres & sorores: & ita in terminis credidere Paulus de Castro *cons.* 435. *n.* 4. *lib.* 1. P. Barbosa *ad d. l.* 1. *p.* 4. *n.* 144. *fine*, *ff. soluto matrimonio*, & alii Jurisperiti ab eodem Barbosa allegati, & Fagundez *in Decal. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 14. & Rebellus *de oblig. justit. p.* 2. *lib.* 5. *q.* 4. *n.* 18. & colligitur ex aliis Doctoribus suprà *n.* 492. relatis.

Utrùm verò frater, & soror dives jure positivo teneantur alere fratrem, & sororem illegitimos, & non solùm naturales, sed etiam spurios, explicatur infrà.

§. IV.

De jure naturali, & ex lege charitatis frater dives fratri, & sorori in extrema, vel gravi necessitate constitutis tenetur subvenire, sicut quilibet extraneus.

503 MOdò disquirendum, an solo jure naturali inspecto, & attento etiam foro conscientiæ, frater & soror dives, ut frater teneatur alimenta præbere fratri, & sorori inopi nequeunti aliunde habere, & ea sibi quærere, & providere? Et difficultas procedit extra extremam, vel gravem necessitatem. Fratri enim, & sorori ad extremam, vel quasi extremam, aut gravem necessitatem redactis, fratrem divitem jure naturali, & in foro conscientiæ teneri subvenire, certum est, ut Azorius, & Fagundez locis suprà *n.*493. citatis notarunt; cùm etiam extraneis, & nullo modo ratione sanguinis conjunctis, in tali necessitate constitutis charitatis, & misericordiæ lege succurrere debeamus. Ut autem res clarè, & distinctè enodetur. Primò inquirendum, an jure naturali stricto frater, & soror dives teneatur alere fratres, & sorores inopes. Secundò, an supposito quod jure naturali non obligetur, nihilominus stante dispositione juris positivi, & legum civilium, quod frater, & soror dives debeat, & cogi possit in foro externo alere fratres, & sorores inopes, prout hucusque explicatum est, etiam in foro conscientiæ ex obligatione ejusdem juris positivi ad idem teneatur.

§. V.

An de jure naturali in conscientia obligante frater dives, ut frater teneatur in subsidium alere fratres, & sorores pauperes.

504 SIt prima inquisitio, an jure naturali stricto, & obligante in conscientia, frater & soror dives, ut frater & soror, teneatur alere fratrem, & sororem inopem, deficientibus aliis proximioribus, vel eis existentibus inhabilibus ad præbenda alimenta. Ludov. Molina *de justitia, tom.* 3. *disp.* 616. *n.* 8. *circa finem, & n.* 14. affirmat, stando in jure naturali fratrem & sororem divitem, ut frater & soror, propriè, & simpliciter non teneri, nec obligari sub peccato alere fratrem, & sororem inopē, sed tantùm ex quadam honestate morali, ac decentia, postulante id pietate, & conjunctione naturali; ac proinde, quod non possit ad id cogi, nisi accederet dispositio juris humani, quæ præciperet fratrem divitem debere alere fratrem pauperem. P. Navarrus quoque loco suprà *n.*487. citato expressè ait, de jure naturali solùm parentes obligari alere filios, & è contra, non autem fratres alere fratres. Hoc pariter asserit Villalobos *p.* 2. *tr.* 35. *diffic.* 7. *n.* 11. & etiam Azorius *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 3. *q.* 8. Idem sensit Joan. Valerus *de differ. aliment. diff.* 7. *versic. Ego verò, cum seqq.* Ejusdem sententiæ etiam videtur Corduba *in sum. alleg q.* 125. *paulò ante dictum* 10. & huius sententiæ est etiam Corduba à Lara *in §. idem rescripsit, n.* 101. *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* ubi expressè ait, fratrem divitem teneri alere fratrem egenum solùm ex præcepto juris civilis, in quo ait differre à patre, qui jure naturali debet filium egenum alere. Denique eandem sententiam tenere apertè videntur Suarez *de religione, tom.* 3. *lib.* 5. *c.* 6. *n.* 4. Castrus Palaus *tom.* 2. *tr.* 16. *disp.* 1. *punct.* 7. §. 5. *n.* 12. Trullench *in Decal. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 4. §. 23. *n.* 10. & Sanchez *in sum. lib.* 4. *c.* 20. *n.* 3. dum asserunt fratrem ex charitate tantùm teneri subvenire fratri, & sorori in extrema, vel gravi necessitate constitutis: sicut solùm ex charitate quis tenetur extraneo in simili necessitate constituto, licèt charitas in eadem necessitate magis obliget erga eosdem fratres uti sanguine conjunctos, quàm erga extraneos. Fundamentum ipsi expressè non ponunt, sed aliud esse non potest, nisi quod officium parentum sit alere filios, & è contra, ob arctissimam sanguinis conjunctionem inter eos intercedentem, & communicationem ipsius esse, quod parentes conferunt filiis, & filii à parentibus recipiunt: conjunctio verò sanguinis inter collaterales, etsi fratres, & in primo gradu existentes, non videtur tanta, ut propter eam natura, seu jus naturæ propriè, & strictè obliget ad alimenta mutuò præstanda extra extremam, aut gravem indulgentiam, sed solùm inducit quandam honestatem moralem, & decentiam.

Contrarium, & fratres ac sorores divites in defectum ascendentium, & descendentium, ex propria, & stricta obligatione juris naturalis, specialiter ut fratres, & sorores teneri alere fratres, & sorores inopes, nequeuntes aliunde habere alimenta, & non tantùm ex generali lege charitatis, & misericordiæ, quia tenemur proximis nostris in extrema, vel gravi necessitate subvenire, tanquam verius, & probabilius asserendum est, & affirmant ex Theologis Azorius non sibi constans *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 40. *q.* 1. 2. & 4. Fagundez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 6. *per totum*, præsertim *n.* 13. ubi ait obligationem fratris divitis alendi fratrem inopem esse adnexam juri sanguinis, Megala *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 33. *n.* 1. ubi asserit in terminis fratrem divitem fratri, & sorori indigenti ex vi quarti præcepti Decalogi, & obligatione pietatis erga conjunctos sanguine teneri alimenta præbere, Bonacina, & etiam Trullench, non sibi omninò constans *locis suprà n.* 492. *citatis*. Ita videtur tenere Emanuel Sà *verbo alimenta, n.* 6. dum ait quod frater dives fratrem pauperem alat, esse juri naturali consentaneum: & licèt addat, se non audere dicere quantum peccet, si non faciat; statim tamen monet opulentos, ut cogitent quod S. Paulus ait, *Qui suorum curam non habet, esse infideli deteriorem*; quibus verbis indicat se inclinare potiùs, quod sit peccatum grave. Hujus sententiæ quoque fuit Rebellus, quem propterea malè pro opposita sententia allegat Joan. Valerus *de oblig. justit. p.* 2. *lib.* 5. *q.* 4. *n.* 30. asserit enim ibi, dispositionem, seu necessitatem legalem, quod frater dives debeat alere, & dotare sororem pauperem, inducere obligationem peccati mortalis, saltem ex genere suo, & multò magis post sententiam judicis; additque rationem ex jure naturali desumptam, nempe quod licèt hæc necessitas legalis non fundetur in debito de justitia commutativa, fundatur tamen non tantùm in charitate, sed etiam in speciali vinculo pietatis, qua inter se prædicti sanguine conjuncti tenentur, quæ inducit obligationem non purè ex charitate, sed quasi de justitia. Ita Rebellus, qui tamen subdit, sæpissimè intervenire causas quæ rationabiliter deobligant parentes & consanguineos, vel absolutè, vel saltem ab accelerata præstatione dotis; ideóque non esse temerè peccati mortalis damnandos à confessariis. Pro hac eadem sententia stant Jurisperiti suprà *n.*487. allegati, qui ferè omnes expressè aiunt, fratrem divitem, non hæredem patris, aut matris, teneri fratrem & sororem pauperem in subsidium alere, & dotare ratione conjunctionis, & vinculi sanguinis, & pietatis erga consanguineos; & super hanc originalem rationem conjunctionis, & charitatis sanguinis, & pietatis fundari dispositionem legalem, seu juris humani, de qua *in præcedentibus*: idque præsertim aiunt Surdus *de alim. tit.* 1. *d. q.* 25. & Molfesius *ad consuetudines Neapol. tom.* 1. *part.* 5. *quæst.* 11. *num.* 17. Hanc eandem sententiam approbant Jurisperiti asserentes, fratrem divitem teneri fratrem, aut sororem pauperem alere, licèt fuerint justè exheredati; aiunt enim fratrem justè exhæredatum alendum esse à fratre divite, ratione sanguinis, licèt non hæreditario jure 505

jure. Ita plures Jurisperiti, quos refert, & sequitur Surdus *d. q.25. n.6. & 7.* & alii, de qua re infrà. Ejusdem pariter sententiæ sunt Navarr. *in Sum. lib.26. n.36.* Faber *in §.1. in fin. Instit. de hæred. quæ ab intestato*, & alii à Joan. Valero *verb. Hæreditas, differ.9.* relati, asserentes fratrem divitem instituentem hæredem extraneum, omissis omninò consanguineis indigentibus, facere contra officium pietatis, & mortaliter peccare: quod idem Valerus approbat, si relinquat extraneo diviti, secus si monasterio, vel hospitali, aut similibus, omissis consanguineis: hoc enim in casu dicit cessare illam rationem æquitatis, & offensæ Dei, quia relinquit aliis pauperibus, vel melioribus, vel in majori necessitate constitutis. Ratio igitur hujus sententiæ communis est, quod si mutua obligatio parentum, & filiorum sibi invicem alimenta præstandi, cùm illis indigent, nec aliunde sibi comparare, aut habere possunt, descendit ex ipsa natura, quæ ad id illos inclinat, & dictat debitam esse hujusmodi mutuam alimentorum præstationem ob intimam conjunctionem, & speciale vinculum sanguinis, & peculiarem charitatem, atque pietatem inter eos debitam, ex ipsa conjunctione, seu vinculo sanguinis, & dependentiæ naturalis inter eos provenientem, ut suprà §.1. probatum est, & constat *ex l. si quis à liberis, §. Utrum autem, ff. de liberis agnoscendis*: sic etiam ex eo, quod post parentes, & filios fratres, & sorores sunt arctissimo sanguinis vinculo conjuncti respectu ejusdem principii, & consequenter inter eos specialis charitas, & pietas videtur naturaliter debita; natura ipsa dictat, eos debere sibi invicem, dum egent, subvenire, & alimenta, atque alia vitæ necessaria subministrare; etsi hujusmodi debitum naturale strictiùs afficiat parentes, & filios, cæterósque ascendentes, & descendentes ad invicem, quàm collaterales, licèt in primo gradu consanguinitatis existentes, ut suprà *n.487. versu fin.* notatum est.

506 Ex quo patet, hujusmodi obligationem, cùm sit de re gravi, per se loquendo adstringere sub mortali, ut in specie docet Rebellus *loc. cit.* & supponunt omnes alii Theologi præallegati.

507 An autem ex vi hujus obligationis juris naturalis præcisè teneatur frater dives fratri inopi, & aliunde non habenti præbere solùm alimenta vitæ simpliciter necessaria, sine quibus vivere non posset; an verò alimenta etiam, quibus commodè, & decenter, aut juxta statum suum vivere possit? Resolutio petenda est ex traditis suprà *num. 14. & 15.* de simili obligatione parentum alendi filios, & filiorum alendi parentes.

§. VI.

Stante dispositione juris humani, & legum civilium, quod frater dives, ut frater debeat in subsidium alere fratres, & sorores pauperes, an etiam in foro conscientiæ obligetur ad præstanda illis alimenta sufficientia ad honestè vivendum juxta statum.

508 SEcunda inspectio, an stante dispositione juris humani, & legum civilium, de qua suprà *num.485. cum sequentibus*, & juncta communi Doctorum interpretatione, quod frater dives fratri, & sorori pauperi, & soror dives sorori, & fratri inopi debeat in subsidium, & in defectum parentum, & ascendentium, vel descendentium præbere alimenta; etiam in foro conscientiæ, ex vi prædictarum legum, & juris humani teneatur frater dives fratri, & sorori inopi, & soror dives fratri, & sorori inopi præstare alimenta, ut possit vivere secundùm conditionem, & qualitatem suam, seu sui status. Emanuel Sà, & Joan. Valerus locis citatis suprà *num. 504. & seq.* negarunt fratrem divitem ex dispositione juris humani, & prædictarum legum obligari in foro conscientiæ præstare ulla alimenta fratri inopi. Moti sunt Sà, & Valerus, quòd præfata juris humani dispositio, & communis Jurisperitorum opinio non practicatur, & in foro judiciali recesserit ab aula; & sic per non usum, imò usum contrarium, prædictæ leges civiles ampliùs non obligant, neque in foro externo, neque in foro conscientiæ. Quare idem Valerus *d. diff. 7.* addit quod in foro conscientiæ non auderet indistinctè cogere fratrem divitem ad alimenta præstanda fratri, vel sorori pauperi, & multò minùs ad dotandam sororem pauperem, cùm id sit onus gravius, ut suprà dictum est. Subdit etiam multas circumstantias fore à confessario considerandas, ut possit cogere fratrem ad alendum fratrem, vel sororem dotandam; an scilicet habeant filios, an patrimonium sit utrisque sufficiens, an frater, vel soror dederint causam justam ad ipsos oblivioni tradendum, an egestas sit magna, nec possit aliquo honesto labore manuum sublevari, & quæ sit qualitas personæ pauperis, & alias hujusmodi. Hæc Valerus, quæ quoad considerationem præfatarum circumstantiarum admittuntur; sententia verò principalis ipsius, & Emanuelis Sà rejici debet. Itaque

Contrarium, & stante dicta dispositione legum, & juris humani, fratrem divitem teneri in foro conscientiæ, & sub mortali fratri, vel sorori pauperi, & è contra sororem divitem fratri, vel sorori pauperi præstare in subsidium alimenta sufficientia ad vivendum juxta statum suum, tradunt communiter Doctores. Ita Corduba, & P. Navarrus locis suprà *num.497. citatis*, Azorius, Rebellus, Megala, Fagundez, Trullench locis suprà *num.498.* relatis, Sylvester, Reginaldus, Layman, Villalobos, & Bonacina locis suprà *n.487. citatis*. Ratio est, quia leges civiles constituentes fratrem divitem debere alere, & dotare fratrem & sororem pauperem in subsidium, & è contra, non sunt pœnales, sed dispositivæ, & etiam in æquitate, & ratione naturali fundatæ, & consequenter habent requisita ad obligandum etiam in foro conscientiæ: neque constat per desuetudinem, seu consuetudinem contrariam amisisse vim obligandi in utroque foro, cùm id dicatur solùm ab Emanuele Sà, & Joan. Valero; cæteri autem Doctores, tam Jurisperiti, quàm Theologi, & Summistæ *in præced.* allegati, non solùm antiqui, sed etiam recentiores, absolutè aiunt, fratrem divitem teneri, & judicis officio cogi posse, & debere alere, & dotare sororem pauperem, & alere fratrem pauperem. Quod præsertim juniores Jurisperiti, & Theologi non dicerent, si constaret jura civilia, & communem opinionem de hac re in foro non practicari, & ab aula recessisse: imò contrarium expressè colligitur ex Rota Romana *decis. suprà num. 487. alleg.* & aliis decisionibus ab eadem Rota ibidem relatis. 509

Dixi, *Alimenta sufficientia ad vivendum juxta statum suum.* Quia quoties alimenta ex legis dispositione debentur, præstanda sunt juxta qualitatem, & dignitatem ejus qui alendus est, habita ratione patrimonii ejus qui tenetur alere, ut suprà *n.70. ad 74.* dictum est, & in his terminis notatum est suprà *n. 493.* & tradunt Doctores *d. n.493. & n. præced.* allegati. 510

Si igitur constet de paupertate, & indigentia fratris, aut sororis pauperis, frater, vel soror dives, habita ratione suorum redditúum qui sufficientes sint, in utroque foro, externo, & conscientiæ, tenetur, & cogi potest, & debet illi alimenta juxta genus suum præbere. Quod si uterque, scilicet frater, & soror pauperes concurrunt, & frater dives juxta suas facultates non possit utrique subvenire, magis obligatus est subministrare alimenta sorori pauperi, eamque dotare, quàm 511

teneatur fratri pauperi; nam ut suprà *n.* 492. dictum est, illa ob sexus fragilitatem non potest sic de facili, & decenter sibi victum quærere, ut potest frater; & etiam ut evitetur turpido familiæ, & peccandi occasio, dum fœmina data sibi occasione faciliùs peccare solet ob sexus fragilitatem: & ita sentiunt etiam Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *d. quæst.* 25. *num.* 3. & Molfesius *tom.* 1. *ad consuet. Neapol. part.* 5. *quæst.* 11. *num.* 19.

§. VII.

Frater dives, ut frater, tenetur alere fratres naturales egenos.

512 PRædicta autem procedunt non solùm quoad fratres, & sorores legitimos & naturales, sed etiam quoad illegitimos; siquidem frater, & soror dives, ut frater & soror cogi debet, & cogi potest alere fratrem & sororem naturalem inopem, quando alii à quibus primò debent ali, desunt, vel inhabiles sunt. Ita Bartolus *in l. si quis à liberis*, §. *utrum*, *num.* 5. *ff. de liber. agnosc.* & *in l. Qui filium, in fin. ff. ubi pupill. educ. deb.* Ripa *in l. penult. num.* 83. *ff. soluto matrim.* Corduba à Lara *in* §. *idem rescripsit*, *n.* 86. & 88. *d. l. si quis à liberis*, Surdus *d. q.* 25. *n.* 28. Rota *decis.* 538. *n.* 1. *p.* 1. *recent. & d. decis.* 92. *n.* 2. *p.* 5. *diversorum*, & *decis.* 3. *n.* 4. *p.* 7. *diversorum*, apud Rubeum, Ludov. Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 64. Cynus, Baldus, Alexander, Pontanus, P. Barbosa locis suprà, *n.* 491. citatis & alii Iurisperiti à Surdo *d. q.* 25. *n.* 28. & 31. relati, & Megala 2. *part. instruct. lib.* 2. *c.* 33. *n.* 4. *fin.* qui omnes probant ex textu expresso *in* §. *si quis igitur, auth. quibus modis natur. efficiant sui, circa fin. & in auth. licèt, Cod. de naturalibus liberis:* qui tamen textus, ut suprà *n.* 350. & 351. notatum est, à Doctoribus ibidem citatis adducuntur ad probandum fratrem legitimum, & naturalem, uti hæredem patris teneri alere fratres naturales, & ita juxta eosdem Doctores intelliguntur de fratre divite uti hærede, non uti fratre. Sed quatenus non constet ex dictis authenticis, probatur quia in materia alimentorum naturalis non differt à legitimo, ut suprà *n.* 187. & 189. ostensum est, & præter citatos suprà *n.* 16. tradidere Tiraquellus *de Nobilitate*, *c.* 15. *n.* 35. Surdus *d. q.* 25. *n.* 31. & *tit.* 7. *q.* 9. *n.* 5. alios allegans, & Rota *prælleg. decis.* 538. *num.* 1. Confirmat Surdus *d. q.* 25. *n.* 31. quia si frater legitimus, licèt non sit hæres, tenetur juxta jura alere fratrem & sororem legitimos, etiam uterinos, quia in omnibus militat ratio æquitatis naturalis, & conjunctionis sanguinis, in qua jura humana fundantur, ut suprà probatum est, tenetur etiam juxta eadem jura alere fratrem, & sororem naturales, cùm in iisdem militet præfata ratio, in qua jura illa fundantur.

§. VIII.

Frater dives, ut frater, tenetur alere fratres, & sorores spurios uterinos.

513 COncordant etiam Doctores, fratrem divitem, ut fratrem, & etiam non hæredem matris, teneri alere fratrem, & sororem spurios ex parte matris, seu eadem matre, qua ipse procreatus est. Ita Marianus, & Socinus senior *in l.* 1. *ff. soluto matrim.* Lupus *in repet. c. Per vestras, not.* 3. §. *fin. n.* 3. Corduba à Lara *in d.* §. *Idem rescripsit*, *n.* 89. P. Barbosa *ad d. l.* 1. *part.* 4. *n.* 127. *ff. soluto matrim.* & ex Theologis Megala *par.* 2. *instruct. lib.* 2. *cap.* 33. *n.* 4. ubi addit, quod Corduba *d. n.* 89. refert Covarr. *de sponsf. par.* 2. *cap.* 8. *n.* 5. §. 19. asserentem ab hac sententia neminem discrepare: quod non dicit Corduba, sed relata sententiâ quod fratres naturales, & spurii uterini sibi invicem ab intestato succedunt (quam sententiam probat *d. n.* 19. Covarr.) addit eundem Covarruviam ostendere ab hac sententia neminem discrepare. Igitur quod frater dives, ut frater teneatur alere fratrem & sororem spurios ex communi matre procreatos, Corduba *d. n.* 89. probat ex eo, quod fratres, & sorores naturales & spurii uterini, quanvis agnationis jura non habeant, retinent tamen juxta jus civile jura agnationis, & ad invicem ab intestato succedunt, ut per textum *in* §. *fin. Instit. de success. cogn. in l. Si spurius*, & *l.* 2. *ff. unde cognati*, tradunt Corduba *ibid.* Paleotus *de nothis*, *cap.* 39. *n.* 5. Covarr. *d. n.* 19. & innumeros alios allegans Gaspar Antonius Thesaurus *quæst. for. lib.* 1. *q.* 22. *num.* 24. ubi etiam in facti contingentia ait se ita censuisse, & suum Senatum in hanc sententiam inclinasse. At ratio, inquit idem Corduba, quæ ad hæreditatem, seu successionem vocat eos, procedit in alimentis: ergo idem de alimentis asserendum est; ad successionem enim naturalis æquitas, & ratio sanguinis vocat, *allegata l. Hac parte*, *ff. unde cognat*, ibi: *Hac parte Proconsul naturali æquitate motus omnibus cognatis permittit bonorum possessionem, quos sanguinis ratio vocat ad hæreditatē, licèt jure civili deficiant.* Ergo vocabit ad alimenta, cùm ex charitate sanguinis descendat, ut inopes parentes, filii, aut fratres alantur à filiis, parentibus, & fratribus, allegato sæpiùs §. *utrùm autem*, *l. si quis à liberis*, *ff. de liberis agnosc.* Ita Corduba, & confirmat ex suprà allegato §. *Sed nonnullos*, *l.* 1. *ff. de tutelis & rat. distrah.* ibi: *Nemo feret, aut pupillum, aut substitutum ejus querentes, quòd tam conjuncta persona alita sint.* Ex quibus apparet, ait idem Corduba, eandem rationem, quæ vocat fratres uterinos spurios ad hæreditatem, vocare etiam ad alimenta, ac proinde esse idem jus constituendum. Hæc sententia magis confirmabitur ex dicendis post duos numeros sequentes.

Erunt autem tum fratribus, & sororibus naturalibus, tum spuriis uterinis à fratre divite præstanda alimenta pro dignitate alendi, ut in his terminis tenet Corduba *in d.* §. *idem rescripsit*, *num.* 90. & constat ex traditis suprà *n.* 162. & 258. & tradunt Doctores iisdem numeris allegati, & alii, quos Corduba *d. n.* 90. refert. 514

§. IX.

Frater dives, ut frater, an teneatur alere fratrem spurium ex parte patris.

UTrum verò frater dives, ut frater, teneatur præbere alimenta etiam fratribus spuriis pauperibus ex eodem communi patre progenitis? negarunt Ludovicus Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 66. Corduba à Lara *in d.* §. *idem rescripsit*, *n.* 91. & P. Barbosa loco suprà *n.* 506. citato; nam ex una parte jure civili fratres spurii ex parte patris non retinent jura cognationis, neque naturales, neque filii, neque fratres vocari possunt, §. *fin. auth. quibus modis natur. eff. sui*, *auth. ex complexu, Cod. de incest. nupt.* & sic inter eos cessat consideratio consanguinitatis, *d. l. hac parte, ff. unde cognati*; nec inter se succedunt, ut probat Covarr. loco suprà *n.* 506. relato, & cæteri Jurisperiti communiter, quos latè refert, & sequitur Gaspar Ant. Thesaurus *qq. for. lib.* 1. *cit. q.* 22. *n.* 23. & 24. & ex altera parte æquitas *capitis cùm haberet, de eo qui duxit, &c.* locum tantùm habet in personis parentum, de quibus solis textus ille loquitur; ideóque ad fratrem extendenda non est, in quo longè minor ratio militat, ac proinde jura civilia præcisè in hoc casu observanda sunt. Ita Molina. 515

Contrarium tamen, & fratrem divitem, ut fratrem teneri in utroq; foro, externo, & cōsciētiæ alere fratres 516

&

& sorores spurias, etiam ex parte patris, asserunt alii. Ita ex Theologis expressè Azorius *p. 2. lib. 2. cap. 40. quæst. 7.* Megala *d. c. 33. n. 4.* & Fagundez *in Decalogum, lib. 4. cap. 17. n. 6.* & Trullench *in Decalog. lib. 4. cap. 1. dub. 9. n. 2.* Ita etiam sentire videtur Surdus *de Alim. tit. 1. quæst. 25. n. 33.* dum absolutè ait, fratrem divitem teneri alere fratrem spurium, etsi alleget Cordubam *in d. §. Idem rescripsit, n. 89.* ubi loquitur solùm de fratre spurio uterino tantùm. Pro hac etiam sententia stant Doctores absolutè asserentes, fratrem divitem teneri dotare sororem spuriam, & ii præsertim sunt Socinus *in d. l. 1. ff. soluto matrim.* & Joannes Lupus *in cap. Per vestras, notab. 3. §. fin. n. 3.* quos ad id allegat Corduba *in d. §. Idem rescripsit, n. 97.* & expressè ita tenet Rota Rom. *decis. 358. n. 4. p. 1. recent. & decis. 92. n. 9. & seqq. p. 5. diversorum*, apud Rubeum, & *decis. 30. n. 4. p. 7. diversorum*, apud eundem Rubeum: ita etiam expressè Joan. Nicolaus Lucidor. *in tract. de illegitim. cler. cap. 18. n. 2.* qui tractatus ad meas pervenit manus post absolutum hunc tractatum de alimentorum obligatione. Ratio desumitur ex traditis in præcedentibus, præsertim *num. 17. & 189.* ac *n. 505.* scilicet quod in materia alimentorum nulla est differentia inter legitimos, & illegitimos; nam obligatio alimentorum inter sanguine conjunctos, ab æquitate naturali, naturalique jure, atque pietate manat, ratione vinculi sanguinis, ut sæpè suprà dictum est, & constat *ex l. Si quis à liberis, §. Utrum autem, ff. de liber. agnosc.* in qua æquitate, ac jure naturali, sanguinisque conjunctione fundatur canonica dispositio *in d. cap. Cùm haberet*, ut suprà *d. n. 189.* notatum est: quæ ratio cùm militet non solùm in filiis quibuscumque legitimis, naturalibus, & spuriis, sed etiam in fratribus quibuscumque legitimis, naturalibus, atque spuriis, eadem dispositio canonica *in d. cap. Cùm haberet*, licèt expressè loquatur tantùm de parentibus, venit jure extendenda etiam ad fratres: id quod etiam confirmari potest *ex can. non satis, dist. 86. & cap. Cùm quidam, §. Illi verò, de jurejurando*, ex quibus textibus apparet indistinctè, quibuscumque fratribus, & sororibus in necessitate constitutis subveniendum esse. Et quoad obligationem in foro conscientiæ certior res est, cùm natura nullam fecerit differentiam inter legitimos, & illegitimos quoscumque, & in omnibus fratribus militat illa ratio sanguinis, ob quam jus naturale dictat, & obligat filios parentibus, & fratribus præbere saltem alimenta vitæ simpliciter necessaria, si illis egeant, nec aliunde possint habere.

517 Ex quibus, cùm æquitas canonica etiam in fratribus, & sororibus spuriis locum habeat, sequitur à fratre divite eisdem pauperibus præbenda esse alimenta, non solùm simpliciter vitæ necessaria, sed etiam quibus honestè juxta illorum conditionem, & statum vivere possint, per tradita suprà *n. 258. 259.* & tradit etiam Megala *d. c. 33. n. 5.*

Frater dives, ut frater tenetur alere etiam sororem nuptam pauperem, quæ aliunde non potest habere necessaria vitæ?

518 ADvertendum autem, quod in omnibus casibus, in quibus superiùs ostensum est, fratrem divitem teneri alere sororem pauperem aliunde nequeuntem habere alimenta, & victum, tenetur frater etiam sorori virum habenti subvenire, si dotis fructus non sufficiunt pro ea infirma curanda. Ita Ruinus *cons. 139. n. 4. vol. 4.* & Surdus *de alim. tit. 1. q. 25. n. 8.* id limitans ad medicum, & medicinas; sed intelligendum videtur saltem quoad omnia vitæ conservandæ necessaria: & ratio est, quia hujusmodi obligatio fratris erga sororem originaliter descendit ex jure naturali, ratione vinculi sanguinis, quæ militat tam in sorore nupta egente, quàm in soluta.

§. X.

Frater dives, ut frater an teneatur præstare alimenta fratri, & sorori pauperibus justè à patre exhæredatis.

SEd nunquid frater dives, ut frater tenetur præbere alimenta fratri pauperi, qui justè à patre exhæredatus est? Respondetur teneri: ita per textum *in l. Cùm plures, §. fin. de administ. tutor.* Baldus Novellus *de dote, 6. p. privil. 19. versic. Item si pater filium*, Joan. Lupus *in c. Per vestras, notab. 3. §. 24. n. 4. de donat. inter virum, & uxorem*, Gulielmus *in c. Raynutius, verb. Dotem, n. 71. de testam.* Surdus *de alim. tit. 1. q. 25. n. 7.* qui addit idem priùs voluisse Baldum *cons. 103. n. 3. vol. 5.* dum docuit alendum esse fratrem, quantumvis malè merentem respectu patris: quod fuit dicere exhæredatum, vel qui meruit exhæredari. Ex Theologis idē tradunt Azorius *p. 2. lib. 2. c. 40. q. 4.* Reginald. *lib. 20. n. 89.* Rebellus *de oblig. justit. p. 2. lib. 5. q. 4. n. 17.* & Megala *p. 2. lib. 2. c. 33. n. 3.* Ex quibus præfati Jurisperiti, & Rebellus loquuntur etiam in dote, quam aiunt fratrem ut fratrem teneri præbere sorori inopi justè à patre exhæredatæ. Probatur, quia hæc obligatio alendi fratrem pauperem, & dotandi sororem pauperem, non oritur ex jure hæreditario, sed à jure sanguinis, ut suprà sæpiùs dictum est: quæ ratio sanguinis habet locum etiam in fratre, & sorore justè exhæredatis, & quoad forum conscientiæ non videtur dubitandum, teneri fratrem, cùm hujusmodi obligatio ex jure naturali, & charitate sanguinis procedat. 519

Sed contra responsionem P. Barbosa *ad l. 1. part. 4. n. 13. ff. soluto matrim.* negans fratrem teneri dotare, & consequenter etiam alere sororem à patre justè exhæredatam, objicit; quia cùm pater propter injuriam sibi factam liberetur ab onere alendi, & dotandi filiam ingratam, Bartolus *in l. dives, ff. de parricidis*, eadem ratione debet censeri liberatus ejus filius, quia injuria facta patri, filio, & toti familiæ videtur irrogata, *l. lex Cornelia, ff. de Injuriis.* Respondetur iis probari tantùm, non teneri fratrem divitem fratrem, vel sororem pauperem per patrem justè exhæredatos alere, & dotare juxta dignitatem, & statum; non autem non teneri præbere alimenta simpliciter necessaria, & etiam dotem juxta quantitatem eorundem alimentorum, ad quæ jure naturali ratione vinculi, & charitatis sanguinis (quod exhæredatio non tollit) obligatur, cùm etiam pater filio, & filiæ à se justè exhæredatis teneatur alimenta saltem simpliciter vitæ necessaria præstare, nisi sint exhæredati ex causa ob quam sint digni ultimo supplicio, & pœnâ mortis, ut Azorius docet loco citato, de quo *infrà*. 520

Quod si frater, & soror pauperes fuissent injustè, putà quia eo inconsulto nupsissent, exhæredati, tunc citra omne dubium frater dives teneretur eos alere, sic in terminis Pontanus *de Alimentis, c. 10. n. 2.* nam sicut illa non esset legitima causa exhæredandi, nec esset pariter denegandi alimenta, etiam respectu patris, ut loco citato Pontanus: de quo etiam *infrà*, & plura dixi *in tract. de contractu matrim. cap. 11.* 521

Poterit autem frater dives denegare alimenta fratri, & sorori pauperibus, qui contra eundem commisissent aliquam ingratitudinis causam ex iis, quibus filius potest à patre exhæredari, & privari alimentis: ita Corduba à Lata *in §. idem judex, num. 37. leg. Si quis à liberis, ff. de liberis agnoscendis*, Surdus alios allegans *de alimentis, tit. 7. quæst. 15. num. 1. & 2. cum seq.* & Megala *d. cap. 33. num. 9.* Si enim filio erga patrem 522

patrem ingrato, ait Surdus, non tenetur pater subvenire, eique alimenta potest denegare, *d. §. idem Iudex*; multò magis frater ea denegare poterit fratri erga se ingrato, cui minùs, seu non ita arcta obligatione sunt debita. Aliam rationem adducit Corduba ex amissione juris succedendi in bona fratris qui instituit vilem, & infamem hæredem, quam frater erga eum ingratus incurrit, *§. ingratitudinem, auth. de nuptiis, collat.* 4. de qua amissione, & privatione juris querelandi contra fratris testamentum, in quo turpis persona sit instituta, ob vitium ingratitudinis, agit Corduba *d. num.* 17. & Surdus *d. q.* 15. *num.* 3. *cum pluribus sequentibus.*

§. XI.

Frater dives, ut frater an fratri egeno, qui bona pro alimentis sibi à patre assignata dilapidavit, & malè consumpsit, teneatur alimenta præbere, & qua.

523 QVid etiam si frater inops sit redactus ad egestatem, quia bona sua sibi à patre tradita, vel aliunde habita, & quibus alioqui commodè, & decenter sustentari potuisset, dilapidavit, & suâ culpâ, quia luxu, aliave causa, consumpsit, vel amisit, fortè quia homicidium commisit, à cujus pœna ut liberaretur, bona omnia distraxit; an huic fratri sic suâ culpâ ad egestatem redacto frater dives ut frater teneatur alimenta præstare? Salicetus *in l.* 1. *in fine, Cod. de alendis liberis*, absolutè dicit fratrem non teneri alere fratrem inopem, qui sua bona dilapidavit, & consumpsit: sic etiam Corduba à Lara *in d. §. idem rescripsit, num.* 100. *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.*

524 Corduba à Lara *in d. §. idem rescripsit, num.* 100. *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* dicit primò non teneri alere, si dolosè consumpserit ut à fratre aleretur: dicit secundò, si in adolescentia, seu juventute, animi levitate, & juvenili calore dilapidaverit bona, scortisque dederit, alendum esse à fratre divite; secus verò si jam vir factus malè, & culpabiliter consumpsisset. Primum dictum supponit ut evidens, secundum quoad primam partem probat, quòd indulgendum sit ætati, cujus fragile est consilium, ex Vlpiano *in l.* 1. *§. de minoribus*, ac proinde huic fratri vitio ætatis ad paupertatem redacto alimenta esse præstanda à fratre divite, cùm alendi onere jus civile fratres adstrinxerit ex æquitate ob sanguinis charitatem, ut suprà sæpiùs dictum est. Idem secundum dictum quoad secundam partem confirmat, quia cùm vir effectus malè consumpserit, vitio animi, non ætatis fecit, ac proinde sibi imputare debet quod egeat, & consequenter egestate laborabit, *l. bona fides, ff. depositi.* Hoc autem addit procedere in fratre, qui juris præcepto alit fratrem, non in filio qui alitur jure naturali, quod civilis ratio corrumpere non potest, *l. eas obligationes, ff. de capit. dimin.* & consequenter pater debet alere filium egenum, qui suâ culpâ depauperatus sit: quod idem Corduba latiùs probat *in §. idem judex, num.* 50. Cordubam sequitur P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *num.* 141. *ff. soluto matrim.* qui etiam ad id allegat Salicetum *in l.* 2. *fine., Cod. de alend. liber.*

525 Surdus *de alim. tit.* 7. *q.* 15. *n.* 11. admisso primo dicto Cordubæ, quod tamen vult nunquam verificari posse, cùm nemo, inquit, sit tam insani capitis, qui velit sua perdere eo animo, ut aliena consequatur; dicit quod si frater, sive juvenis, sive vir, animi levitate, vel judicii imbecillitate, aut alia de causa, quæ non sit culpabilis (puto intelligendum de culpa lata, non de levi, per ea quæ tradit *eodem tit.* 7. *q.* 5.) devenerit ad inopiam, succurrendum ei esse à fratre divite, *d. l.* 1. *ff. de minoribus*, eo quòd etiam fratri perfectæ ætatis ignoscendum sit, qui ad paupertatem devenerit sine culpa, scilicet lata; secus verò si suâ culpâ, nempe latâ dilapidaverit, tunc enim ait eum non debere ali à fratre divite, eo quòd non sit succurrendum ei, qui suâ culpâ incidit in egestatem, & necessitatem. Glossa *in cap. quæ in Ecclesiarum, ex verbo Inopiam, de constit.* & latè Menochius *de arbitr. casu* 282. sibi enim imputare debet, quod egeat. Confirmatur, quia etiam filio qui bona sibi à patre pro alimentis assignata ex lata sua culpa malè consumpsit, atque dilapidavit, patrem non teneri amplius præstare alimenta, tradit Baldus *in auth. contrà rogatus, Cod. ad Trebell.* & alii, quos referunt, & sequuntur Menochius *d. casu* 282. *n.* 55. Surdus *d. q.* 15. & Giurba *decis.* 5. *num.* 11.

Verùm quicquid sit de jure civili, dicendum est de jure naturali, & in foro conscientiæ, fratrem divitem, ut fratrem obligari dare alimenta, saltem simpliciter necessaria fratri ad egestatem redacto, ex eo quod culpâ suâ, licèt latâ, bona ex quibus poterat honestè vivere, consumpsit, dummodo prædictis alimentis non sit abusurus. Ita ex Theologis Azorius *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 40. *q.* 3. & locis suprà *n.* 519. citatis, & Megala *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 33. *num.* 8. & ex Iurisperitis Ioannes Andreas *in rub. qui filii sint legitimi, verbo Nunc patrem*, & Pontanus *de alim. cap.* 10. *n.* 1. ubi absolutè, & sine distinctione asserit, fratrem teneri alere fratrem inopem, qui bona à patre ei data consumpsisset. Ratio est, quia cùm alimenta fratri inopi à fratre divite debeantur jure naturali, & ex charitate sanguinis, & pietatis vinculo, ut in præcedentibus sæpiùs dictum est, ex quacunque causa egeat, si aliunde alimenta habere non possit, frater dives ut frater tenetur ei subvenire; obligatio enim illa naturalis non potest tolli ex culpa præterita, si jam emendatus est, & non sit abusurus alimentis, quæ frater præstaret; ob emendationem enim censetur ac si non deliquisset, *can. ferrum, dist.* 50. & Menochius *de præsumpt. lib.* 5. *præs.* 32. *n.* 34. & ita etiam patrem teneri alimenta saltem simpliciter vitæ necessaria dare filio egeno, qui malè, & suâ culpâ latâ dilapidavit portionem sibi bonorum à patre assignatam pro alimentis, asserunt plures Iurisperiti à Surdo *d. q.* 15. *n.* 8. *& sequentibus* allegati, quos sequitur Fontanella *de pactis nupt. clausula* 5. *glossa* 1. *n.* 77. & communiter Theologi, de qua re infrà. Quod si frater post malè consumpta sua bona tali levitate, & vitio animi laboraret, ut etiam esset abusurus malè illa consumendo, alimentis quæ illi indies frater ministraret, tunc subventione foret indignus, & meritò frater dives ei denegaret. Vtrum verò si frater jam semel alimenta præstitit fratri, aut sorori, quæ ipsi consumpserint, vel amiserint, iterum teneatur frater alia præstare, tractatur infrà *n.* 676. 526

§. XII.

Frater ut frater an teneatur alere fratrem qui extra patriam potest honestè vivere.

SEd cùm frater dives, ut frater non teneatur alimenta præbere fratri diviti, vel qui aliunde ex officio, vel artificio honesto congruentia alimenta sibi comparare, & suppeditare potest, per doctrinam generalem suprà *num.* 22. *& pluribus sequentibus, & num.* 45. traditam, scilicet quod diviti, vel aliunde habenti non debentur alimenta, quæ à legis dispositione per Iudicis officium debentur, & etiam expressè loquentes in fratribus tenent Alexander *consilio* 27. *num.* 2. *vol* 4. Corduba à Lara *in d. §. idem rescripsit, num.* 99. *l. si quis à liberis, de liber. agnoscendis*, Surdus *d. tit.* 7. *citata quæst.* 15. *&* 16. & Megala *d. cap.* 33. *num.* 7. & attestatus Clarus *in l. tutor secundum dignitatem, in fine, ff. de administrat. tutor.* ubi dicitur, quod tutor potest alere sororem pupilli, cùm semetipsam sustinere non potest, meritò quæritur. 527

Quid

528 Quid si frater in provincia patria, seu propria careat bonis, nec officio, vel artificio honesto possit alimenta sibi quærere, possit autem extra patriam exercere artificium, vel habere officium, ex quo ali honestè possit, an tunc teneatur exire è patria ut se alat, an verò frater dives ut frater teneatur eum alere? Respondent Corduba *d. n.* 10. Surdus *d. q.* 15. *num.* 17. & *sequentibus*, & Megala *d. n.* 7. teneri exire è patria, & proficisci ubi se commodè, & honestè alere potest; fratremque divitem, ut fratrem non obligari illi subministrare alimenta. Ad quod faciunt tradita suprà *citato n.* 22. & confirmat Surdus, quia qui facere potest, ut habeat, & non facit, perinde est ac si haberet, *l. qui potest facere*, *ff. de reg. jur.* & non dicitur egenus qui potest egestate non laborare: & cùm frater ex sola æquitate, & charitate sanguinis in casu necessitatis, ne fame pereat, à fratre ut fratre alendus sit, cessat hujusmodi æquitas, & obligatio ex sanguinis charitate & conjunctione, quando potest aliunde consequi alimenta. Neque obest, quod debeat proficisci, & degere extra patriam, cujus amor cuique dulcis; nam ibi patria, ut notat Corduba *d. n.* 100. ubi bonum, beneque vivitur; ibi exilium ubi parum commodè vivitur; nec amor patriæ debet in tertii præjudicium redundare.

§. XIII.

Frater primogenitus ex principis rescripto, vel dispositione statuti, aut consuetudinis successor in tota hæreditate, in primogenio, & in feudo toto, an teneatur alere fratres divites qui habent aliunde.

529 CÆterùm occasione prædictorum, hic enodanda est difficultas omissa, tacta suprà *n.* 45. *fin.* scilicet an primogenitus ad quem defertur tota hæreditas, & primogenium, seu majoratus, aut totum feudum, teneatur secundogenito diviti, & aliunde habenti unde se alere possit, præstare alimenta statui congruentia? Affirmat absolutè Guillielmus à Perno *cons.* 11. *n.* 10. inter consilia feudalia à Corduba, & Surdo *locis infrà citatis* allegatus.

530 Martinus Laud. *in tract. de primogen.* à Tiraquello, & Surdo *locis inf. cit.* allegatus absolutè dixit, primogenitum cui ex consuetudine tota hæreditas defertur, non teneri alere fratres, qui aliunde possunt se alere, per textum *in* §. *sed etsi filius*, *l. si quis à liberis*, *ff. de liber. agnoscendis*, & doctrinam suprà *num.* 22. traditam, junctis Doctoribus *ibid.* allegatis.

531 Corduba à Lara *in* §. *idem rescripsit*, *n.* 139. *l. si quis à liberis*, *ff. de liber. agnosc.* asserit primogenitum feudi successorem teneri præstare alimenta secundogenito diviti, & qui aliunde se potest alere; primogenitum verò qui in primogenium succedit, non teneri alere secundogenitum divitem: & ait ita sentire Afflictum *in* §. *Imperialem*, §. *præterea ducatus*, *in principio*, *n.* 63. *de prohib. feud. alien.* quam distinctionem reprobat Surd. *de alim. tit.* 7. *q.* 15. *n.* 24. dicens non apparere rationem diversitatis cur magis in feudis, quàm in aliis rebus debeantur alimenta fratri diviti.

532 Resolutio sit, si rescriptum Principis concedens institutionem majoratus ex omnibus bonis, jubet alimenta dari secundogenito, & aliis fratribus, vel lex municipalis, aut consuetudo deferens successionem integram, seu totam hæreditatem, aut totum feudum primogenito, mandat secundogenitum ali, seu alimenta consequi debere, primogenitus etiam secundogenito diviti, & qui aliunde vivere possit, tenetur alimenta præstare. Ita Tiraquellus *de primogen. q.* 75. *n.* 3. 4. 5. & 8. Ludovicus Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 6. & Surdus *d. q.* 15. *n.* 26. & 27. & Molina Theologus *de justit. & jure*, *tom.* 3. *disp.* 616. Ratio est primò, quia hujusmodi alimenta jubentur dari secundogenito, & aliis fratribus loco legitimæ, quæ alioqui eis deberetur ex hæreditate paterna, vel feudo; legitima autem etiam habentibus unde se alere possint, debetur, & consequenter hujusmodi alimenta etiam habentibus unde se alant, debita sunt. Secundò quia alimenta ex dispositione legis municipalis, vel consuetudinis, aut dispositione hominis debita, etiam habenti aliunde unde se alere potest, sunt præstanda; quia tunc ad illa consequenda datur actio, & non officium judicis, ut *locis citatis* docent Tiraquellus, Molina, & Surdus, & dictum est suprà *n.* 45. & tradunt alii Doctores *ibid.* citati; unde etiam in hoc casu à secundogenito, & aliis fratribus potuerunt peti alimenta præterita, quibus ampliùs non egent, ut cum aliis tenet Tiraquellus *d. q.* 75. *n.* 4. per textum *in l. liberti quos*, §. 1. ibi, *Tam præteriti temporis, quàm futuri*, *ff. de aliment. & cibar. legat.* Textus autem *in d.* §. *sed & si filius*, & doctrina tradita *n.* 22. & Doctores ibidem relati intelliguntur quando alimenta debentur sanguinis ratione, & non judicis officio, non verò quando peti possunt judicis actione.

Hinc ubi vita, & militia à primogenito succedente in feudum, ex vi legis municipalis, seu constitutione, aut consuetudine regni, vel civitatis debetur secundogenito, ut præstet servitium militare, primogenitum teneri vitam, & militiam præstare secundogenito diviti, & aliunde habenti unde vivat, tradunt Afflictus ubi suprà, & *decis.* 158. ubi Ursillus, Tiraquellus *d. q.* 75. *n.* 3. Surd. *d. q.* 15. *n.* 22. & 28. & Molfes. *cons.* 9. & addunt Tiraquell. & Surdus præterea, quod etiamsi pater aliquid, putà castrum aliquod, vel alia bona reliquerit eidem secundogenito, relictum non censeretur factum animo compensandi cum vita, & militia, quia pater non est debitor ipsius vitæ & militiæ, sed primogenitus post mortem patris, ex dispositione legis, vel consuetudinis: debitum autem ab uno non compensatur cum relicto facto per alium, secus si pater ipse esset debitor ejusdem vitæ militiæ; tunc enim posset dubitari an relictum factum esset animo compensandi, sicut quando quis aliquid reliquit suo creditori, ut Alexander, & alii tradunt *in l. si cùm dotem*, §. *pater*, *ff. soluto matrim.* Notandum autem hîc, in proposito vitam dici alimenta, militiam verò dici alimenta milite digna, scilicet larga, & nobilia. Ita Cord. *in d. l. si quis à liberis*, §. *si mater*, *n.* 59. Sed unde dicta, & quid sit vita militia, videndus est Molfesius *ad consuet. Neap. tom.* 1. *cons.* 9. De vita militia etiam, quæ viget in feudis Regni Siciliæ, ex peculiari lege illius Regni, plura habet Salgado *in labyrintho cred. p.* 1. *c.* 24. *n.* 201. & 202. præsertim quam ob causam hujusmodi vita militia dicta lege illius Regni Scilicíæ assignata sit præbenda secundogenitis, quando secundogenitis debeatur, aut non debeatur vigore ejusdem legis: & iisdem numeris allegat plures Iurisperitos Hispanos de ista vita militia juxta dictam legem Scilicíæ scribentes. 533

Utrum verò si rescriptum Principis, aut statutum, seu consuetudo deferens primogenito totam hæreditatem, & integram successionem, non exprimat ut secundogenito, & cæteris fratribus alimenta præstentur, etiam tunc secundogenito diviti, & qui aliunde se potest alere, sint præstanda, negat Martinus Laud. loco suprà *n.* 530. citato, relatus à Tiraquello *de primog. q.* 4. *num.* 35. qui tamen *ibid. fine*, sicut, & *d. q.* 75. *numeris allegatis*, præsertim *n.* 5. videtur sentire contrarium, & etiam secundogenito diviti debere præstari: quod idem sentiunt uterque Molina locis suprà *n.* 532. allegatis, & etiam Corduba *in d.* §. *si mater*, *d. n.* 59. & puto sentire Surdum *d. q.* 15. Ratio est, quia alimenta, quæ etiam in tali casu secundogenito, & cæteris fratribus debentur, ut suprà *num.* 328. probatum est, subrogantur, & debentur loco legitimæ, quæ 534

 etiam

etiam fratri diviti danda est, ut suprà *n.* 532. dictum est.

535 Post hæc esset juxta ordinem materiæ immediatè agendum, an frater clericus ex redditibus beneficii possit, & teneatur fratri, & sorori pauperibus ut fratribus alimenta præbere, & an frater, seu patruus dives, ut patruus teneatur alere filium fratris pauperem, qui aliunde non habet, & è contra nepos patruum pauperem? Sed commodiùs, & cum majori brevitate hæc explicabuntur post sequentem controversiam, quæ etsi spectato eodem ordine materiæ, spectat ad materiam de dote, infrà post materiam alimentorum pertractandam, tamen propter conjunctionem quam cum præcedentibus habet, hic longè faciliùs potest expediri.

§. XVI.

Frater dives, ut frater in subsidium, & defectum patris, & matris, & aliorum ascendentium tenetur jure humano dotare sororem inopem, quæ aliunde non habet, si sit utrimque, vel ex parte patris tantùm conjuncta.

536 HUjusmodi controversia autem est, an in omnibus casibus suprà explicatis, in quibus frater dives, ut frater, & soror dives, ut soror in subsidium tenetur alere sororem pauperem, quæ aliunde non potest alimenta habere, teneatur etiam illam dotare, cùm aliunde dotem habere non potest, scilicet nec ab ascendentibus, nec eorum hæredibus, nec alia ratione.

537 Extra controversiam est, fratrem divitem, ut fratrem de jure positivo humano & civili teneri, & cogi dotare sororem pauperem, quæ aliunde habere non potest, sit utrinque, scilicet ex parte patris, & matris conjuncta, vel saltem sit consanguinea, scilicet ex eodem patre progenita. Ita communiter Doctores, Glossa *in l. cùm plures*, §. *cùm tutor, verbo alio patre, in fin. ff. de administr. tutor. & in l. non omni, verb. nulla, Cod. eodem,* Ripa *ibid. n.* 83. Tiraquellus *de primog. q.* 62. *per totam,* Lud. Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 57. Additionator *ibid. n.* 57. *& n.* 62. Menoch. *de præs. lib.* 4. *præsumpt.* 189. *n.* 41. Padilla *in auth. res quæ, n.* 62. *C. comun. de legat.* Corduba à Lara *in §. idem rescripsit, n.* 92. *&* 93. *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* Mantica *de tacitis, & ambig. lib.* 12. *tit.* 16. *num.* 25. *&* 33. *cum seq.* P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *n.* 124. *&* 125. *ff. solut. matr.* Gomez *ad l.* 40. *Tauri, n.* 75. Spino *in speculo testam. gloss.* 11. *num.* 40. Cancerius *var. p.* 1. *c.* 16. *n.* 31. *versic. Fratrum etiam,* Franchus *dec.* 26. *num.* 6. *dec.* 73. *n.* 4. *dec.* 87. *num.* 12. *& dec.* 178. *n.* 7. *&* 13. Ant. Thesaur. *dec.* 192. *num.* 7. Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 25. *n.* 9. *& seq.* Garzias *de expensis, c.* 3. *n.* 34. Giurba *dec.* 45. *n.* 12. *& in com. ad consuet. Messan. c.* 3. *gloss.* 3. *p.* 1. *num.* 57. *& seq.* Mangilius *de imputat. q.* 53. *n.* 34. Fontanella *de pact. nupt. clausula* 5. *glossa* 3. *num.* 11. *cum pluribus seq.* Martin. Venturinus *cons.* 12. *n.* 25. Molfesius *ad consuet. Neap. tom.* 1. *p.* 6. *q.* 4. *n.* 14. & innumeri alii Jurisperiti apud eosdem. Ex Theologis ita Molina *de justit. tom.* 1. *disp.* 224. §. *causa legitima,* Azor *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 40. *q.* 1. Rebell. *de oblig. justitiæ, p.* 2. *lib.* 5. *q.* 54. *num.* 9. *& seq.* Fagund. *in Decal. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 2. *&* 3. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 27. *diff.* 4. *num.* 3. Laym. *lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 13. *n.* 5. Sylvester *verb. Dos, n.* 6. & Angelus *eod. verb. n.* 5. Probatur hæc communis sententia primò per textum *in d. l. cùm plures, §. fin. ff. de administr. tutor.* ibi, *Sed non dabit* (scilicet tutor) *dotem sorori alio patre natæ.* Dum enim ibi dicitur, quod sororem uterinam, & non ex eodem patre natam frater, seu loco fratris pupilli tutor non tenetur dotare, à contrario sensu, ut omnes Interpretes, & Jurisperiti colligunt, significatur quod sororem consanguineam, & ex eodem patre natam, & à fortiori utrinque conjunctam dotare tenetur. Et licèt Joannes Lupus *in cap. per vestras,* 3. *notab.* §. 24. *n.* 3. *de donat. inter virum, & uxorem,* dixerit hanc communem non probari ex illo textu, eo quòd *ibi* non dicatur esse necessarium, sed solùm tanquam honestum, & pium opus permittatur tutori dotare sororem consanguineam, & utrimque conjunctam; tamen Corduba, & P. Barbosa *loc. cit.* hunc Lupi intellectum reprobant satis evidenter ex traditis suprà *num.* 490. scilicet quod ex dicto textu colligatur necessitas dotandi, quia tutor non potest alienare res pupilli, nisi ob æs alienum, *C. de præd. minor.* & aliis juribus *d. num.* 490. adductis. Cùm ergo tutor possit alienare res pupilli ad dotandas sorores, juxta *d. §. fin.* meritò dotatio sororum censetur æs alienum, & necessaria. Secundò probatur hæc communis omnibus aliis juribus suprà *d. num.* 490. adductis, quibus probatur fratrem ut fratrem in defectum parentum, & ascendentium, & hæredum eorum teneri alere sororem inopem: si enim tenetur alere, ut probant illa jura, & tradunt Doctores suprà *num.* 491. citati, & alii communiter: ergo etiam tenetur dotare sororem inopem, cùm dos sit æquè favorabilis ac alimenta, imò magis favorabilis ob causam procreandæ prolis, & tuendæ pudicitiæ mulieris, ut tenent Doctores, præsertim Tiraquellus *d. q.* 62. *num.* 5. *fin.* & Surdus *d. q.* 25. *citat. num.* 9. Quapropter Jurisperiti communiter volunt valere argumenta de alimentis ad dotem, & è contra, & qui tenetur alere, tenetur dotare; & qui dotare, tenetur alere. Ita Tiraquellus *d. n.* 5. Everardus *in sua topica lega i, loco à dote ad alimenta,* & innumeri alii ab iisdem *locis citatis,* & à Giurba *decisione* 5. *num.* 12. allegati.

Procedit autem ita hæc communis, ut quanvis frater sit minor, aut pupillus, adhuc teneatur ut frater in 537
subsidium dotare sororem utrinque, aut ex parte patris conjunctam, ita quod curatores, vel tutores cogi possunt ad congruam dotem sorori pupilli, vel minoris constituendam, ut colligitur ex dicta lege *cùm plures, §. fin. & d. l. quæ lex, §.* 1. *& l.* 1. *§. fin. ff. de tutel. & ration. distrab.* & notarunt P. Barbosa ubi suprà, *num.* 128. Ant. Thesaurus *d. decis.* 192. *num.* 8. Fagundez *d. c.* 16. *num.* 71. & Rebell. *d. q.* 4. *num.* 12. Addit Thesaurus, quod quanvis *in d. l.* 1. *illo §. fin.* videatur requiri decretum judicis, tamen ille textus intelligendus sit ad abundantem cautelam, ex Goffredo per textum ibi *in l. qui filium in fine, ff. ubi pupill. educari debeat,* ubi etiam sine decreto judicis receditur à paterna voluntate ex causa justa; sed P. Barbosa *num.* 129. quem sequuntur Fagundez, & Rebellus, vult solùm mobilia pupilli sine decreto judicis pro dote sororis posse validè alienari, & dari in dotem, observata dicta lege *si curatorem, Cod. de in integrum restitutione minor.* immobilia verò pupilli, aut minoris pro dote sororis pauperis validè alienari non posse absque præcedente judicis decreto: quod probat, quia judicis decretum requiritur quando immobilia alienantur pro dote ipsius minoris, *d. l. lex quæ, §.* 1. ibi: *Scilicet per inquisitionem judicis & probationem causæ, interpositionemque decreti, ut fraudi locus non sit. Cod. de administr. tutor.* A fortiori ergo requiretur quando prædicta bona alienantur pro dote aliena. Licèt igitur dotare sororem pauperem inducat causam faciendi alienationem bonorum immobilium, nihilominus ultra justam causam decretum judicis requiritur, *l. ob æs, Cod. de prædiis minor.* & etiam ita sentire Corneum *cons.* 282. *num.* 57. *lib.* 1. Baldum Novellum, & Afflictum tenet Barbosa *ubi suprà,* & ita sentiendum videtur, saltem propter textum *in d. l. quæ lex.* Quare adversus præfatam alienationem causâ dictæ dotis, aut contra promissionem ejusdem dotis minori, seu pupillo posteà non conceditur restitutio, ut tradunt Thesaurus, Barbosa, & Fagundez *locis citatis,* quia cùm jure communi fuerit usus, cessat restitutio, *l. fin. Cod. de in integr. restitut. l. inter eos* 52. *§. cùm inter, ff. de fidejuss.* & ita etiam Ruinus *cons.* 200. *n.* 4. *lib.* 1. & Silvanus *cons.* 13. *n.* 1. Nec ut mi-

nor

nor in præsenti casu à restitutione excludatur, requiritur juramentum, ut contra Panormitanum *cons.* 12. *col. ult. lib.* 1. illud exigentem juxta Authenticam *Sacramenta puberum, Cod. si adversus venditionem*, notavit P. Barbosa *n.* 129. qui opinionem Panormitani admittendam ait quando soror erat dives, quam frater dotare non tenebatur; nam tunc cùm jure communi non sit usus, poterit adversus promissionem dotis petere restitutionem, nisi juramentum interveniat, juxta dictam authenticam *Sacramenta puberum.*

537 Item procedit eadem communis, ut frater quatenus frater teneatur sorori inopi aliunde non habenti præstare dotem pro dignitate, & generi, ac statui suo congruam, & colligitur ex traditis suprà *num* 493. de alimentis à fratre divite præstandis sorori inopi, & in terminis tradunt Antonius Thesaurus *d. decis.* 192. *num.* 8. *fin.* Giurba *d. decis.* 45. *num.* 12. & *in dictis commun. allegato num.* 57. Papon. *cons.* 24. *num.* 1. & *quatuor sequent.* ab eodem Giurba relati, Ludovicus Molina *d. cap.* 15. *num.* 62. & *num.* 63. Fontanella *d. glossa* 9. *num.* 11. *fin.* & de dote statui congrua loquuntur etiam cæteri Iurisperiti suprà allegati, licèt non explicent. Ex Theologis expressè idem aiunt Azorius & Fagund. *loc. cit.* Sicut enim alimenta à fratre debita in subsidium sorori inopi, intelliguntur de congruis: ita etiam dos, quæ non minùs favorabilis est quàm alimenta, ut suprà dictum est. Confirmat Thesaurus *d. num.* 8. quia filiæ, seu fœminæ non dicuntur posse nubere, si ex dote constituta congruè, & ex dignitate non possunt nubere, *l. nepos Proculo, ff. de verborum significat.*

538 Quare etiamsi soror habeat aliquid, sed id ad congruam ejus dotem satis non sit secundùm ejus dignitatem, & qualitatem, frater dives ut frater in subsidium tenetur illi præbere supplementum usque ad congruã dotem, ut Thesaurus, Papon, Giurba, & Fontanella *locis citat.* & Martin. Venturinus *d. cons.* 12. *n.* 24. tradunt; & idem est in alimentis, quæ si is qui ex judicis officio debet ali, non habet sufficientia, ut honestè juxta suum statum, & dignitatem vivere possit, supplementum consequi debeat ab eo, qui alere tenetur, ut *in præcedentibus* notatum est.

539 Addunt Thesaurus *d. decis.* 192. *n.* 6. & 10. Fontanella *d. glossa* 3. *n.* 12. fratrem divitem obligari etiam ad additamenta dotis, nempe jocalia, & vestes, quæ sponsis dantur: quod latè tradere Costam *de remed. subsid. remed.* 66. *per totum*, refert Fontanella *d. n.* 12. & multò magis frater hæres patris, vel avi, ultra dotem à patre, vel avo relictam filiæ eidem tradere debet prædicta dotis additamenta, jocalia, & vestes sponsis dari solita, licèt in testamentis patris, vel avi non fuerint relicta. Ita Thesaurus *d. n.* 9. confirmans *per l. qui filium, ff. ubi pupillus educ. debeat*: ubi si pater diversa tantùm filiæ legasset, & nihil aliud, tamen tutor consequi poterit etiam alimenta, & alias expensas circa eruditionem filiorum. Neque obstare ait idem Thesaurus, quod fratres ad plus non teneantur, quàm ab avo, & patre filiæ statutum sit, eo quòd illorum voluntas sit servanda, quia hoc, subdit, non est verum, ubi irrationabilis circà filiam voluntas sit, *l.* 2. *in fine, ff. ubi pupillus educari debeat*, & *l.* 3. §. *quamvis, ff. de administr. tutor.* idque confirmat Thesaurus exemplis.

§. XX.

Frater dives ut frater an jure civili teneatur dotare etiam sororem uterinam tantùm, quæ aliunde non habet ubi possit dotari.

Difficultas non exigua est, an frater dives, ut frater in subsidium teneatur dare dotem sorori tantùm uterinæ, & ex eadem matre, non autem ex eodem, sed alio patre genitæ? Dixi *ut frater*, nam ut hæres matris tenetur, ut tradunt P. Barbosa, Fontanella, Villalobos, Fagundez, Rebell. locis suprà *n.* 496. relatis, & constat ex traditis suprà *n.* 369. onera enim matris defunctæ transeunt in illius hæredem universalem; mater autem in defectum patris proximi tenetur dotare filiam; de qua re latiùs quando de dote danda. Solùm ergo hìc controvertitur de fratre divite, ut frater est, an teneatur dotare sororem uterinam, quæ aliunde non potest habere dotem? Et attenta dispositione *d.* §. *fin. l. cùm plures, ff. de administr. tutor.* ibi: *Non dabit dotem* (loquitur de tutore) *sorori pupilli ex alio patre natæ, etiamsi aliter ea nubere non potuit*; videtur constare fratrem divitem, ut fratrem non teneri, seu cogi dotare sororem uterinam, & non ex eodem patre genitam, licèt honestum, & pium sit illam dotare; & si tutor dotaverit, ex honestate, & liberalitate pupillus debeat approbare, ut in eodem §. finali dicitur verùm circa hanc materiam diversæ sunt Doctorum sententiæ.

Prima sententia asserit, textum *in d.* §. *fin.* loqui de dote juxta dignitatem, & statum, atque juxta facultates fratris; non autem loqui de dote usque ad quantitatem alimentorum, juxta alias leges sorori etiam uterinæ tantùm debitorum (prout deberi suprà *n.* 498. probatum est;) atque adeo fratrem divitem non teneri quidem sorori uterinæ inopi dare dotem pro dignitate, & ratione sui patrimonii, teneri verò usque ad quantitatem alimentorum, cùm propter æquiparationem valeat argumentum de alimentis ad dotem affirmativè, saltem juxta quantitatem alimentorum necessariorum, ut suprà *n.* 500. & *n.* 536. *fin.* notatum est, & post alios tradit etiam Giurba *decis.* 5. *num.* 51. & dos ob bonum conservandæ pudicitiæ, & prolis suscipiendæ videatur magis necessaria, & favorabilis, quàm alimenta. Ita Ludovicus Molina Iurisperitus loco suprà *num.* 500. citato, & additionator ad eundem *ibid.* Baëza *tract. de non melior. filiabus, cap.* 12. *à num.* 30. & Gregorius Lopez *loco infrà, num.* 543. *relato.* Hanc eandem sententiam re ipsa tradidit Ruinus *cons.* 104. *col.* 6. *versic. Nec obstat*, quem ad id refert, & sequitur Mantica *de tacit. & ambig. lib.* 12. *d. tit.* 16. *n.* 34. ubi asserit fratrem teneri dotare etiam sororem uterinam, quæ aliunde dotari non potest, & non habet unde alimenta suscipiat, dicitque quod in hoc casu non loquitur dictus §. fin. *l. cùm plures*, quando scilicet soror uterina non habet unde se alat, sed quando non habet unde possit dotari, ita quod in hoc consistit differentia inter sororem consanguineam, seu ex eodē patre genitam, & sororem uterinam, quod frater tenetur dotare sororem consanguineam, etiamsi habeat unde se alere possit, dummodo non habeat unde possit dotare, & hæc quoque sententiam approbare videtur Fontanella *d. glossa* 3. *n.* 28. refert enim illam ultimo loco post sequentes sententias, nec impugnat, sed imò addit: *Cum quibus, aut aliàs rogo, facias quando possis, ut istis miseris, & pauperculis sororibus subvenias, sicut ego facerem si possem; non enim video, quod peccaverint nascendo potiùs ex eadem matre, quàm ex eodem patre, ut dote careant, innuptæque manere debeant in tam notorio periculo.* Tanquam hujus sententiæ à Fagundez allegatur Tiraquellus, Campegius, & Boërius *locis infrà n.* 544. *citatis* qui ibi referuntur pro tertia sententia. 541

Secunda sententia absolutè, & indistinctè affirmat, fratrem divitem, ut fratrem non teneri jure civili dotare sororem uterinam tantùm. Ita Jason *in Auth. res qua, n.* 63. *comm. de legat.* Ripa *in l.* 1. *num.* 38. *ff. soluto matr. ibid.* Bolognetus *n.* 131. Fusatius *de substit. q.* 535. *num.* 102. & alii Jurisperiti, quos referunt Tiraq. *de primogen. d. q.* 62. *num.* 1. & 3. Corduba à Lata *in d.* §. *idem rescripsit, n.* 94. & Menoch. *de præs. lib.* 4. *d. præs.* 199. *num.* 43. idem affirmant iisdem locis iidem Corduba, & Menochius, & ex aliis Doctoribus suprà *num.* 536 relatis Padilla, Mart. Venturinus locis eodem *num.* 536. 542

*n.*356. citatis, Aug. Barb. *collect. ad cap. pervenit*, *n.*3. *de arbitris*, Cancerius *var. p.*1. *c.*16. *num.*31. P. Barbosa *d. l.*1. *p.*4. *n.*125. *ad* 129. Rebell. *d. p.*4. *n.*9. Fagundez *d. cap.* 16 *num.*5. & 7. Molina *allegat. disp.*124. *d.* §. *causæ legitimæ*, *versic. Secus autem*, & Villalobos *d. disp.*4. *num* 4. & esse communem Jurisperitorum testatur Jason, Corduba, & alii ab iisdem citati, & Tiraquellus *de primog. d. q* 62. *num.*4. Nititur hæc sententia *d.* §. *fin. l. cum plures*, cùm ibi expressè habeatur, quod frater ut frater non teneatur alere sororem uterinam. Rationem hujus differentiæ legalis inter sororem utrinque conjunctam, & consanguineam, & inter uterinam tantùm, Molina dixit esse, quia dotare filiam potiùs ad patrem quam ad matrem spectat; quæ tamen ratio differentiæ displicuit Tiraquello *d. q.*62. *n.*8. & rejicitur ex eo quod etiam alere potiùs spectet ad patrem quàm ad matrem, & tamen juxta leges, & communem opinionem Doctorum, tenetur frater dives ut frater alere sororem uterinam inopem aliunde non habentem, ut suprà *n.*498. probatum est. Quod ergo dotare filias sit officium paternum, non maternum, solùm probat patrem strictiori obligatione ad id teneri, & primo loco: quod si ipse non possit, & mater sit dives, & filia inops, eadem mater tenetur illam dotare, ex Tiraquell. cum aliis *d. n.*8. P. Barb. *n.*128. & affert rationem discriminis dicens non esse novam inter sorores consanguineas, seu ex eodem patre progenitas, & uterinas constitui differentiam, cùm & ea inveniatur inter eas constituta *in l. fratres & sorores*, *Cod. de inoffic. testam.* ubi fratres, vel sorores uterini à querela inofficiosi contra fratris testamentum omninò arcentur, consanguinei verò admittuntur instituta persona infami, vel turpitudinis, aut non levis notæ maculâ aspersa, juxta communem Doctorum interpretationem, ut *in collect. ad d. l. fratres*, *n.*1. notat Aug Barb. & tradunt alii Doctores relati ab eodem Aug. Barb. *ibid. n.*39. & 40. ex quo P. Barb. *d. n.* 128. vult etiam hodie quoad successiones testamentarias non esse sublatam differentiã agnationis, & cognationis: quod notarunt Glossa *in d. l. fratres*, *verbo Arceantur*, *ibid.* Aug. Barb. *n.* 38. & alii Jurisperiti relati ab eodem P. Barb. qui addit prædictã differentiam non carere ratione, scilicet quia inter fratres consanguineos arctior est necessitudo, cum quibus nobis per patrem sunt communia jura nominis, familiæ, & originis, ut ostendit Viglius *in princ. Instit. eod. tit. de inoffic. testam.* Tiraquell. latè *d. q* 62. *num.*9. & Alexander *cons.*124. *n.*2. *lib.*6. ubi propterea etiam expressè dixit, quod is tantùm propriè frater est, qui ex eodem patre est, ad idque etiam adducit textum *in l. Jurisconsultos*, §. *secundo gradu*, *ff. de gradib. affin.* Et hæc sententia procedit etiam in dote pro sola quantitate alimentorum, esto sorori uterinæ à fratre debita sint iure civili, & naturali, ut expressè volunt P. Barb. Rebellus, Villalob. & Fagundez *locis cit.* Dicit enim cum nonnullis aliis Jurisperitis ex præallegatis P. Barbosa *n.*126. in hac materia non valere argumentum affirmativè de alimentis ad dotem, cùm adsit textus expressus, quod frater non teneatur dotare sororem uterinã, *d. l. cùm plures*, §. *fin.* & tamen lex 1. §. 1. *ff. de tutel. & ration. distrah.* probat quod tenetur alere, assignatque ibidem, & post eum etiam Fagundez *d. cap.*16. *d. n.*7. rationem differentiæ inter alimenta, & dotem *in præced. num.*201. adductam scilicet quod alimenta præstantur menstruatim, vel dietim, ac ita faciliùs solvuntur quàm dos, quæ præstatur simul, ac uno cumulo; & sic in dote agitur de majori præjudicio: & quod semper non valeat argumentum affirmativè de alimentis ad dotem, tradit etiam cum aliis Tiraquellus *d. quæst.*62. *n.*11.

543 Hinc Corduba *d. n.*94. loquens de lege regia Hispana 18. *tit.*6. *p.*6. quæ absolutè, indefinitè, & generaliter jubet fratrem teneri dotare sororem, contra Gregorium Lopez *ibi*, *scholio de las hermanas*, asserentem juxta præfatam legem teneri fratrem dotare etiam sororem uterinam, cùm lex non distinguat sororne sit consanguinea, aut uterina, sed generaliter loquatur de sorore, tenet legem illam intelligendam de sorore utrinque conjuncta, & consanguinea tantùm, non verò de uterina, ob eam rationem, quod leges Regiæ trahi debent ad jus commune, à quo effluxerunt, & recipiunt in dubio interpretationem à jure communi, ut Iurisperiti docent communiter. Iure autem civili posteriores leges per priores restringuntur, aut ampliantur, & extenduntur, *l. non est novum*, *ff. de legib.* Supplebitur ergo ex jure civili, quod legi Regis deest, ac proinde cùm dicat, fratrem teneri dotare sororem, restringi debet secundùm regulas juris communis, ut intelligatur loqui de consanguinea, non de uterina.

Tertia sententia indistinctè affirmat, fratrem divitem teneri dotare sororem uterinam inopem, quæ nec 544
à patre, nec à matre, nec aliunde potest habere dotem: Ita Tiraquell. *de primog. d. q.*62. *n.*3. *cum seq.* Boërius *decis.*129. *n.*9. Campegius *de dote*, 1. *p. q.*23. Surdus *de aliment. tit.*1. *quæst.*27. *num.*19. & *seq.* Giurba *in comm. ad consuet. Senatus Messanæ*, *c.*3. *glossa* 3. *p.* 1. *n.*60. Molfesius cum aliis *ad consuet. Neap. p.*5. *q.* 11. *num.*23. & Megala *p.*2 *instruct. lib.*2. *cap.*53. *num.*2. ac novissimè Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. Clericor. cap.*18. *n.*6. & pro hac sententia stare videntur omnes Doctores, qui absque ulla distinctione, sed absolutè, & generaliter asserunt, fratrem divitem ut fratrem iure civili teneri dotare sororem inopem, quæ aliunde dotem non potest habere, quos Doctores latè refert Fontanella *d. clausula*, *glossa* 3. *num.*11. Præter quos ita etiam loquuntur Mangilius, Garzias, & Layman locis suprà *num.*536. citatis, & Garzias ad id adducit omnes textus suprà *n.*490. productos, qui loquuntur generaliter de sororibus, ut suprà *num.*498. notatum est. Probatur præterea hæc sententia. Primò, quia dos succedit loco alimentorum: ergo si frater uterinus dives in subsidium tenetur sorori uterinæ inopi alimenta congrua præstare, sorori uterinæ etiam ad dotem eidem aliunde non habenti constituendam tenetur: tum quia in præsenti casu, & similibus valet argumentum de alimentis ad dotem, ut omnes præallegati Doctores, & alii à Tiraquello *d. q.*62. *n.*3. & 4. & Giurba *decis.*5. *n.*12. & 41. relati docent: tum quia fortiori iure videtur debita dos propter bonum procreandæ prolis, & evitandi in fœmina periculum pudicitiæ. Secundò iura constituentia fratrem divitem debere alere, & dotare sororem inopem aliunde non habentem, fundantur in affectione naturali, & charitate, ac coniunctione sanguinis, ut suprà *n.*492. 495. & 513. dictum est: eadem autem affectio, & charitas secundùm naturalem cursum cadit erga uterinam, sicut erga consanguineam sororem, ut *d. n.*498. notatum est. Tertiò quia hodie quoad successionem ab intestato inter fratres, & sorores consanguineos, & uterinos sublata est differentia agnationis, & cognationis, ita quod inter eos datur mutua successio ab intestato, ut suprà *n.*501. dictum est, & constat ex iuribus ibidem allegatis, & tradunt Surdus, Giurba, Molfesius, Megala *locis citatis*, & alii Doctores communiter tradunt. Et etiam inter fratres dives uterinus tenebitur dotare sororem uterinam inopem in subsidium, cùm ex iure successionis valeat argumentum ad dotem, ut suprà *n.*492. *circa fin.* dictum est. Quare differentia inter sororem consanguineam, & uterinam quoad dotem, de qua *in d. l. cùm plures*, §. *fin.* non obstat, procedit enim de iure Digestorum, quo cognati non succedebant ab intestato cum agnatis, ut dictum est suprà *d. n.*501. & tradunt iidem Surdus, Giurba, Molfesius, Megala. Falsum est etiam, non dici fratrem, qui tantùm ex eadem matre natus est, ut contra Alexandrum loco superiùs *n.*641. citato probat Tiraquellus *d. q.*62. *num.*10. quod probat ex illo textu per Alexandrum adducto scilicet *illo* §. *secundo gradu*, *l. Iurisconsultus*, *ff. de gradib. affin.*

affin. Nam ibi habetur, fratrem dici qui ex utroque parente, aut ex altero tantùm est. Additque Tiraquellus id non negasse Bartolum *in l. Lucius*, *§. quæsitum*, *ff. de legat.* 3. ab Alexandro allegatum, sed ibi tantùm dicere, fratres patrueles, scilicet filios fratrum, non propriè, nec simpliciter fratres dici, sed cum ea adjectione, patrueles: intelligitur autem hæc sententia non solùm non extantibus patre, aut matre, aut avo paterno, vel materno, sed non extantibus fratribus, aut sororibus utrinque, vel ex parte patris conjunctis, vel si extant, ob paupertatem sint ad dotem dandam inhabiles, ut in simili de alimentis dictum est suprà *num.* 498. *fine.*

545 Quantam verò dotem frater dives sorori uterinæ egenæ, jure civili attento, præstare debeat, Ludovic. Molina, Baëza, Greg. Lopez locis suprà *n.* 541. citatis, expresè sentiunt, fratrem non teneri dotare sororem uterinam inopem pro ejus dignitate, & secundùm facultates, sed solùm usque ad quantitatem alimentorum, quæ eidem innuptæ præbere tenetur: & idem videntur sentire Ruinus, & Mantica *loc. eodem num.* 541. *allegat.* Ita sensisse etiam Campegium, Boërium, & Tiraq. *locis n. praeced. alleg.* putat Fagundez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 6. cùm argumententur de alimentis ad dotem, & sic potest dici ita sentire alios Doctores *eod. num. praeced.* allegatos, cùm & ipsi arguant ab alimentis ad dotem.

546 Respondetur, quod sicut frater dives, ut frater, habita ratione facultatum sorori uterinæ inopi aliunde non habenti tenetur præbere alimenta, non solùm vitæ simpliciter necessaria, sed etiam tanta quibus possit honestam vitam ducere, habita ratione sui generis, ut suprà *n.* 493. *&* 498. probatum est: ita etiam tenetur dare dotem congruam, qua possit honestè juxta genus suum nubere. Ita proculdubio sentit Tiraquell. *d. q.* 62. *n.* 16. junctis iis quæ tradit *q.* 4. *num.* 33. & ita quoque Giurba, Molfesius, Surd. Megala, cùm sentiant hodie jure authenticorum attento, fratrem divitem teneri dotare sororem uterinam æquè ac consanguineam; hanc autem dotare tenetur ut honestè juxta statum, & genus suum possit nubere, si facultates suppetant. Nec dissentire puto Boërium, & Campeg. licèt enim arguant de alimentis ad dotem, nihilominus quemadmodum loquuntur de alimentis, non solùm vitæ sustentandæ simpliciter necessariis, sed de iis quibus soror possit honestè vivere juxta conditionem, & qualitatem suam, cùm & talia alimenta dare teneantur parentes, in quorum defectum obligatur frater dives, ita etiam loquuntur de dote, qua possit honestè juxta genus suum nubere. Probatur hæc responsio primò, quia parentes tenentur filiæ dare dotem congruam, qua possit nubere honestè juxta suam conditionem, & statum, si vires patrimonii suppetant. Ergo & frater dives, eisdem legibus in subsidium, & loco parentum obligatur sororem dotare. Secundò quia frater dives tenetur sorori utrinque, vel ex parte patris conjunctæ dare dotem congruam, ut possit honestè nubere juxta genus suum, ut suprà *n.* 537. probatum est, & docent Iurisperiti communiter. Ergo etiam sorori uterinæ similem dotem præstare tenetur, cùm hodie juxta jus civile nulla sit inter eas quoad hæc differentia, ut suprà *n.* 501. *&* 544. ostensum est. Denique quia fœmina dicitur non posse nubere, quando congruè, & ex dignitate nubere non potest, ut suprà *n.* 537. *fin.* notatum est ex Thesauro. Quare communis, & certa doctrina, seu regula est, dotem cùm jure civili videtur dari, constitui semper oportere congruo, convenientique modo honestati ejus quæ nubit, ut colligitur ex authentica *res quæ*, *Cod. comm. de legatis*, ibi: *Pro modo honestati personarum congruo*; & ex aliis juribus allegatis tradit Padilla *in d. authent. res quæ*, *num.* 17.

§. XVI.

Frater an possit alienare bona fideicommissi, majoratus, & primogenii, ut dotem constituat sorori inopi utrinque coniunctæ, vel ex altero parente tantùm.

Utrum verò frater non habens alia bona libera, 547
possit alienare bona fideicommisso, majoratui, vel primogenio subjecta pro constituenda dote sorori inopi, quæ illam aliunde habere non potest? Difficultas esse potest primò, an frater pro hujusmodi dote possit alienare bona fideicommisso, vel primogenituræ subjecta à patre, vel avo; & sic non est dubium, posse alienari, si soror sit ex eodem patre nata, *auth. res quæ, Cod. comm. de legatis*: & ratio est, quia si pater, aut avus, qui fideicommissum constituit, viveret, teneretur omninò hanc filiam, vel neptem dotare: ita cum aliis tenet Menochius *d. q.* 189. *n.* 38. *& præsumpt.* 191. *num.* 1. *& seq.* Ludovic. Molina *de primog. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 6. Padilla loco suprà *n.* 536. citato, Tiraquell. *d. quæst.* 62. *fin. &* q. 61. Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 27. *num.* 4. & Fusarius *de substit. d. q.* 531. de qua re etiam latiùs infrà *n.* 836. *& seq.* Pro sorore autem uterina dotanda fratrem non posse alienare bona fideicommisso à patre, vel avo paterno subjecta, tenent iidem Doctores, & præsertim expresè Padilla, & omnes qui sentiunt, fratrem non teneri jure civili dotare sororem uterinam: nam supposito quòd non teneatur dotare, cessat etiam causa alienandi prædicta bona, quæ est necessitas. At supposità alterà sententià, quod teneatur etiam sororem uterinam dotare, dicendum est posse alienare præfata bona fideicommisso subjecta, quia tunc adest necessitas, quæ facit ut alienari possint bona alioqui prohibita alienari. Quod si fideicommissum esset constitutum à communi matre, vel avo, tunc extra controversiam frater non habens alia bona posset, & deberet pro sorore uterina inope dotanda alienare bona fideicommissi, quia si mater, vel avus maternus fideicommissi institutrix, vel institutor viveret, teneretur illam dotare.

Secundò est difficultas, an pro dotanda sorore inope, quæ aliunde sibi dotem constituere, aut habere non potest, frater alia bona libera non habens, possit alienare bona fideicommisso subjecta à fratre suo defuncto? Et pro negativa Menoch. *d. præsumpt.* 199. *n.* 39. adducit Bartolum *in d. Auth. res quæ*, *n.* 4. ubi ita habet: *Illud tamen, quod hîc dicitur, quod possunt alienari res quæ subjaceant restitutioni, in istis casibus non habet locum, nisi in liberis, qui sunt gravati à parentibus; non enim permittitur aliis, ut vidistis in hoc textu, & in corpore unde sumitur.* Quibus verbis Bartolus satis apertè significat bona fideicommissi constituti à transversali, pro constitutione dotis sororis alienari non posse. 548

At alii Iurisperiti affirmant, fratrem, si alia bona non habeat, posse pro sorore utrinque conjuncta, & etiam consanguinea, eodemve patre genita egena aliunde non habente, alienari bona fideicommissi à patre constituti. Ita Menochius *d. præs.* 189. *num.* 4. Fusarius *d. quæst.* 531. *num.* 100. & plures alii ab iisdem relati. Ratio est, quia cùm teneatur frater sororem dotare, ut suprà *num.* 536. probatum est, adest necessitas alienandi bona fideicommissi: imò idem Menochius *num.* 4. *vers. quam sanè*, & Fusarius *num.* 101. cum aliis aiunt, etiamsi ipse frater gravatus habeat bona propria, ex quibus posset dotare sororem, eum posse alienare partem bonorũ fideicommissi à fratre relicti pro dotanda sorore communi; quia hoc onus dotandi sororem est commune horum fratrum, ac proinde frater defunctus vel non potuit, vel non præsumitur voluisse subjicere bona sua fideicommisso, atque ita recusare dotem dare 549

sorori

ſorori pro ſua portione, juxta rationem traditam *in l. mulier, §. cùm proponeretur, ff. ad Trebell.*

550 Pro ſorore autem uterina inope dotanda fratrem non poſſe alienare bona fideicommiſſi à fratre conſtituti, tradunt Jaſon *in d. auth. res qua, num.* 11. Padilla *ibid. num.* 62. & plures alii, qoos referunt, & ſequuntur Menochius *d. præſ.* 199. *num.* 43. & Fuſarios *d. quæſt.* 531. *num.* 102. fundati in eo, quod frater non teneatur ut frater dotare ſororem uterinam, juxta ſententiam ſuprà *num.* 542. traditam, ex quo fit juxta ſententiam *num.* 544. approbatam, quod ſi frater teneatur dotare eandem ſororem uterinam inopem, poſſit etiam pro dote ei conſtituenda alienare bona fideicommiſſi à patre conſtituri.

551 Porrò ex fructibus majoratus, aut fideicommiſſi à patre, vel avo paterno, vel à fratre conſtituti, fratrem divitem, uti fratrem & divitem teneri dotare ſororem inopem, ſaltem utrinque, vel ex parte patris conjunctam, conſtat ex traditis ſuprà *num.* 395. & 397. & *ibidem citatis*, & præter eos etiam P. Barboſa *ad d. l.* 1. *p.* 4. *n.* 130. & Fagundex *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 12.

§. XVII.

Frater dives ut frater an ex obligatione iuris naturalis teneatur dotare ſororem inopem non habentem aliunde.

552 UTrum autem frater dives ut frater jure naturali in conſcientia, & coram Deo obligante teneatur dotare ſororem inopem, quæ alionde nec alimenta, nec dotem habere poteſt? Reſolvendum eſt ex traditis ſuprà *n.* 504. *ad* 506.

Negativam quidem partem ſuſtinent Doctores *d. num.* 504. allegati, aſſerentes nec alimenta teneri fratrem ut fratre ex obligatione juris naturalis propriè, & ſtrictè præbere ſorori pauperi, cùm dotare filias ſit proprium officium parentum, & in fratribus ceſſet ea charitatis ſanguinis ratio, quæ in parentibus militat.

553 Sed longè probabilius eſt, fratrem ut fratrem, ſi ſit dives, & juxta facultates poſſit, & ſoror ſit inops, quæ neque ex propriis bonis, neque ab aſcendentibus, eorumve hæredibus, neque ex propria induſtria, & labore honeſto poſſit habere dotem, aut illam ſibi conſtituere, ex obligatione juris naturalis vera & propria teneri ei dotem ſaltem juxta quantitatem alimentatum date, & ita abſque dubio puto ſentire Azorium, Rebellum, Molfeſium, & Megalam *locis ſuprà n.* 505. *relatis*, & probant *ibid.* tradita ad probandum, fratrem jure naturali obligari alere ſororem inopem; eadem enim æquitas naturalis, & charitas, ac conjunctio ſanguinis, quæ dictat fratrem divitem debere ſubminiſtrare alimenta neceſſaria ſorori pauperi, dictat etiam debere ſubminiſtrare dotem, quæ loco alimentorum eſt, & etiam eſt magis neceſſaria ob vitandum pudicitiæ periculum.

§. XVIII.

Frater dives, ut frater ex vi juris humani, an non ſolùm in foro judiciali; ſed etiam in foro conſcientiæ teneatur ſorori inopi dotem dare.

554 SUppoſito autem, quod jure naturali non teneatur, an adhuc ſtante diſpoſitione juris humani jubentis fratrē divitem ut fratrem debere in ſubſidium dotare ſororem, ſaltem utrinque conjunctam, & ex eodem patre genitam, etiam in foro conſcientiæ teneatur eandem ſororem inopem dotare congruenter, ut poſſit honeſtè juxta genus ſuum nubere? Joannes Valerus & Emanuël Sa locis ſuprà *num.* 504. & 508. relatis negant, eo quòd jura civilia, & etiam communis Juriſperitorum de tali dote per fratrem præſtanda non practicentur, & in foro judiciali ab aula receſſerint; quanvis idem Emanuel Sà *verbo Dos*, *n.* 1. abſolutè dicat, fratrem teneri dotare ſororem ex utroque parente, vel ex patre natam, licèt non natam ex eadem matre tantùm; unde videtur tenere, etiam in foro conſcientiæ obligari, ſecus diſtinxiſſet, ſicut fecit verbo *Alimenta, num.* 6.

555 At affirmandum eſt, teneri in foro conſcientiæ: ita abſque dubio Sylveſter, Angelus, Molina, Azorius, Layman, Fagundez locis ſuprà *n.* 536. citatis, ubi abſolutè, & ſine diſtinctione aſſerunt, fratrem divitem teneri dotare ſororem inopem, allegantes jura civilia, & Juriſperitos, de quibus Sà *d. n.* 536. Cùm enim de rebus moralibus agant, præſertim juxta conſcientiæ forum, ſi aliter ſenſiſſent, ſeſe explicaſſent. Idem etiam affirmarunt expreſsè idem Molina loco ſuprà *num* 504. *citato*, & Rebellus loco ſuprà *num.* 505. allegato. Ratio eſt, quia leges civiles jubentes fratrem divitem debere dotare in ſubſidium ſororem pauperem, ſunt diſpoſitivæ, non pœnales, & juſtæ, cùm fundentur in æquitate naturali, & charitate, ac vinculo ſanguinis, ac proinde obligant in conſcientia; nec verum eſt abiiſſe in deſuetudinem, nec ampliùs practicari in foro judiciali; nam alioqui fruſtra Juriſperiti, & Theologi, præſertim recentiores, de hac materia pertractaſſent, & nullus ex Doctoribus *ſupra num.* 536. allegatis advertit jura civilia, & opinionem communem de obligatione fratris divitis dotandi ſororem inopem, in foro judiciali ampliùs non prodeſſe, ſed potiùs ſupponunt contrarium, & juxta præfata jura & opinionem ſæpiùs pronunciaſſe Senatum Pedemontanum, tradit Antonius Theſaurus *d. deciſ.* 595. *num.* 7. Progrediamur ad aliorum dubiorum reſolutionem in hac materia dotis ſororis pauperis.

§. XIX.

Frater dives ut frater, an ſorori pauperi juſtè à patre exhæredata teneatur dotem dare.

556 DUbium primum, an frater dives ut frater ſorori pauperi juſtè à patre exhæredatæ, quæ neque à matre, neque avo materno, nec aliunde poteſt habere, teneatur dotem dare.

Negant P. Barboſa loco ſuprà *num.* 520. allegato, nempe *ad l.* 1. *p.* 4. *num.* 135. *ff. ſoluto matrimonio*, & Fagundez *in Decalogum, lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 16. Moventur ratione *d. num.* 510. adducta, nempe quia cùm pater propter injuriam ſibi irrogatam liberetur ab onere dotandi filiam ingratam, eadem ratione cenſeri debent liberati ejus filii, quia injuria patri facta, filiis, & toti familiæ videtur irrogata, *l. Cornelia, ff. de injuriis.* Neque obſtat, inquit Barboſa, *l. qui filium, ff. ubi pupillus educ. debeat*, quam ait procedere qoando pater exhæredaret ſine cauſa, ut poteſt jure Digeſtorum attento; ſecus ubi conſtaret exhæredaſſe ex juſta cauſa: nec etiam obſtat, quod jus canonicum leges civiles abrogaverit, per quas patresfamilias poterant filios & filias exhæredare, ait Fagundez; nam ſolùm illas, ut inquit, abrogavit in matrimonii favorem in eo caſu, quo filiæ contra patris voluntatem, vel matris, defuncto patre, nupſerint; at in aliis caſibus non abrogavit.

557 At his non obſtantibus, aſſerendum eſt, teneri, & cogi: ita Baldus Novellus, Joannes Lupus, Guillelmus locis ſuprà *num.* 519. *relatis*, & Rebellus *de obligat. juſtit.*

justit. p. 2. lib. 5. q. 4. num. 17. probant præfati Jurisperiti ex generalitate dictæ legis *cum plures*, §. *fin. ff. de administrat. tutor*: & videtur facere secundùm ipsos, & Glossam ibi *d. l. qui filium.* Confirmatur ex traditis *d. n.* 519. nempe quod hujusmodi obligatio dotandi sororem pauperem, sicut & alendi, non oritur ex jure hæreditatio, sed à jure, seu charitate sanguinis; ratione cujus jus civile constituit fratrem divitem debere dotare sororem inopem aliunde non habentem dotem.

§. XX.

Frater qui sorori inopi semel dotem dedit, an iterum illam dotare teneatur, si dotem absque sua culpa amiserit.

558 DUbium secundum, sororem inopem semel à fratre dotatam, quæ vel casu, & fortuitò, & absque sua culpa dotem amiserit, an frater dives ut frater teneatur iterum dotare? Procedit autem difficultas quãdo soror semel fuit dotata, & dote amissa, defuncto primo marito iterum nubit, seu vult nubere; nam constante priori matrimonio, nedum fratrem, sed nec patrem filiæ semel dotatæ teneri novam dotem constituere, quamvis primò data sine ejus culpa amissa sit, tanquam rem indubitatam asserunt Ruinus *cons.* 1 a t. *num.* 8. *lib.* 5. P. Barbosa *ad leg.* 1. *p.* 4. *num.* 141. *ff. soluto matrimonio*, & Rebellus *de obligat. justitia*, *p.* 2. *lib.* 5. *quæst.* 4. *num.* 21. per textum *in leg. pater filia* 71. *ff. de evictionibus.*

559 Prima sententia asserit, quod sicut pater tenetur iterum dotare filiam, quæ casu, aut fortuitò, vel saltem absque dolo, & culpa lata, seu gravi dotem semel acceptam amisit, ut sentiunt communiter Iurisperiti, quos latè referunt, & sequuntur Corduba à Lara *in* §. *idem Iudex*, *num.* 23. Lodovicus Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 23. Tiraquellus *in l. boves*, §. *hoc sermone*, *limitatione* 9. *num.* 4. & 14. Fontanella *de pactis nuptial. claus.* 5. *glossa* 1. *num.* 72. & *num.* 73. Giurba *decis.* 5. *num.* 39. & Menochius *de arbitr. casu* 182. *num.* 57. Ita etiam frater dives, ut frater sorori inopi à se semel dotatæ tenetur iterum novam dotem dare, si primò datam casu, & absque dolo, & culpa lata amiserit. Ita Alexander *in l. si cùm dotem*, §. 1. *num.* 7. & 8. relatus à Tiraquello *loco citato*, & *eodem* §. 1. regula ejusdem legis *num.* 12. & Ludovicus Molina *d. cap.* 16. *num.* 26. *versic. Sed in contrariam*, Cepolla *in d. l. boves*, §. *hoc sermone*, *num.* 5. *ff. de verborum significat.* & ita sentire etiam videtur Tiraquellus *in* d. §. *hoc sermone*, in regula *dicto num.* 12. & *dicta limitatione* 9. *num.* 14. *fine*, ubi tandem post relatam sequentem sententiam, se refert ad Alexandrum. Hujus etiam sententiæ esse Ludovicum Molinam *d. num.* 26. dixit P. Barbosa *d. num.* 140. sed molina *d. n.* 26. *versic. in hac autem*, oppositum tenet loquendo de fratre; *ibi* enim opinionem Alexandri *in d. l. si cùm dotem*, *d.* §. 1. (ad quem ait omnes Scribentes se referre) quod frater iterum dotare tenetur sororem, quæ sine dolo, & culpa lata, & gravi dotem primò acceptam amisit, dicit sibi placere, & esse veram quando agitur de filio institutoris majoratus, ejusdem majoratus possessore, quia in ipsum obligatio alendi, & dotandi, quæ erat penes parentem transfunditur nec ulla differentia inter ipsum, & parentem, assignari poterit; secus tamen (subdit) dicendum erit in fratre, in quem hæc obligatio non transmittitur. Ita Molina, ex quibus patet ipsum sentire fratrem divitem, ut fratrem, sororem à se semel dotatam non teneri iterum dotare, etiã si casu fortuito dotem amiserit. Hæc sententia Alexandri, & sequentium probatur, quia quamvis pater potiori ratione quàm frater teneatur filiam dotare; nihilominus ideo pater tenetur iterum dotare filiam, quæ casu amisit primam dotem, quia obligatus est ille dotare ex dispositione legis, & juris communis, *l. qui liberis*, *ff. de ritu nupt.* cum aliis Iuribus allegatis à Fontanella *d. gloss.* 1. *num.* 28. siquidem dispositio legis nunquam intelligitur de sola prima vice, *l. veluti*, §. *hac vox*, *ff. edendo*, & cum aliis Tiraquellus *dicta limit.* 9. *citato num.* 4. & Barbosa *citato num.* 140. sed etiam frater dives, ut frater sororem inopem, quæ aliunde dotem habere non potest, dotare tenetur ex dispositione legis, & juris communis, *l. cùm plures*, §. *fin. ff. de administrat. tutor.* ut suprà *num.* 556. ostensum est. Ergo & ipse tenetur iterum dotare sororem à se semel dotatam, si fortuitò dotem amiserit, nec adsint alii ad quos dotatio primò spectet, qui illam dotare possint. Alexander enim, & reliqui Doctores allegati, Tiraquellus *d. limit.* 9. *citato num.* 4. & alii Jurisperiti communiter ab eodem Tiraquello ibidem allegati, approbant illam distinctionem, scilicet quod qui tenetur dotare ex dispositione legis, aut statuti, iterum dotare tenetur, si dos sine culpa saltem lata, & gravi amissa sit: sic per textum *in l. ult. Cod. de dotis promiss.* & *in authent. quamvis*, *Cod. de rei uxor. act.* Qui verò ex pacto, aut alia dispositione hominis dotare tenetur, non obligatur iterum dotare, etiamsi dos semel data casu, & fortuitò amissa sit, per textum *in l. si sociam pro filia*, *ff. pro socio.*

Altera sententia ponit differentiam inter patrem, 560
& fratrem; patrem asserit teneri iterum dotare filiam quæ sine culpa dotem amisit, & est communis opinio; fratrem verò divitem, ut fratrem, qui simul dotavit sororem pauperem, negat teneri, & cogi eam iterum dotare, licèt fortuitò, & absque culpa dos amissa sit. Ita Baldus *in l. fin. num.* 8. *Cod. de dotis promiss.* Romanus *in authent. quod locum*, *numero* 10. *Cod. de collat.* Ioannes Lupus *in cap. per vestras*, §. 24. *num.* 5. *de donat. inter virum*, & *uxorem.* Boërius *decisione* 131. *num.* 7. Ripa *in leg. prima*, *num.* 84. *ff. soluto matrimonio*, Petrus Barbosa *d. num.* 140. & *num.* 141. & ex Theologia Rebellus *de obligat. justit. parte* 2. *lib.* 5. *quæstione* 4. *num.* 19. & 20. & Fagundez *in Decalog. libro quarto*, *cap.* 16. *num.* 20. ubi loquitur in utroque foro: in hanc eandem sententiam valdè inclinat Tiraquellus *d. limitat.* 9. *num.* 14. ubi quod illius regula generalis *in leg. boves*, §. *hoc sermone*, quod sermo simpliciter prolatus, de primo intelligitur, limitationem à se datam, nempe quod regula procedat in dispositione hominis, non in dispositione legis, vel statuti, declaret non procedere in dispositione legis communis, secus si ex speciali beneficio legis cuipiam competat; & ita patrem teneri iterum dotare filiam, quæ sine culpa dotem amisit, quia ex dispositione juris communis eam dotare tenetur, *d. leg. qui liberos*; fratrem verò, qui etiam certis casibus tenetur dotare sororem inopem, ex speciali beneficio ipsi sorori concesso, *d. leg. cùm plures*, §. *fin.* si semel eam dotaverit, non amplius teneri eam dotare, etiamsi sine culpa dotem amiserit. Quamvis postea in fine numeri lectorem remittat ad Alexandrum *in d. leg. si cùm dotem.* Igitur hæc sententia probatur ex diverso modo obligationis patris, & fratris; nam pater primò per se, regulariter, ac ordinariè tenetur dotare filiam; frater verò secundariò tantùm, & in subsidium, ac defectum patris. Quare ad fundamentum prioris sententiæ Jurisperiti hujus sententiæ respondent, quod tunc dispositio legis non intelligitur de prima vice, quando procedit secundùm juris regulas ordinarias, & generales; secus si nitatur in sola æquitate, & procedat secundùm juris regulas speciales, & extraordinarias, & in subsidium; tunc enim etiam dispositio

intelligitur de prima vice, ut concursus specialium evitetur, *l. 1. Cod. de dotis promiss.* Confirmat P. Barbosa *d. num. 140. fine,* quia frater non debet legitimam fratribus, *l. fratres, Cod. de inofficioso testam.* Pater verò debet filiis legitimam ex ratione naturali, *l. cùm ratio, ff. de bonis damnatorum*; & consequenter tenetur novam legitimam dare filio, qui casu jam datam amisit, ut post alios docet idem Barbosa *ibidem*, & proinde etiam tenetur dotare iterum filiam semel dotatam, quia dos succedit loco legitimæ. Cùm ergo dos succedat loco legitimæ, & frater non teneatur dare sorori legitimam, satis est quod semel dotaverit. Verùm si hoc argumentum urgeret, probaret, neque etiam semel teneri fratrem dotare sororem inopem. Extenditur autem hæc sententia, ut etiamsi frater ut hæres patris, & possessor majoratus, vel fideicommissi à patre constituti, vel ex bonis communibus sororem dotaverit, eidem non teneatur novam dotem dare, etiamsi casu amiserit, licèt pater si viveret, teneretur. Ita Ripa *loco citato*, P. Barbosa *ad leg. 1. parte 4. n. 135.*
561 *ff. soluto matrimonio,* & Fagundez *d. c. 16. n. 15.*

Quid in hac varietate dicendum? Priorem sententiam uti æquiorem, & benigniorem præferendam puto, cùm versemur in materia favorabili, & quia posterior nullam legem habet, quæ illi favere videatur; & admittendam esse illam differentiam inter patrem, & fratrem, cùm uterque verè teneatur ex dispositione legis, & juris communis, quæ dispositio in utroque casu fundatur in eadem ratione, scilicet æquitate, & charitate ac vinculo sanguinis, etsi hujusmodi æquitas, & charitas sanguinis potentior sit in patre, quàm in fratre, illumque primariò, hunc verò secundariò, & in defectum patris obliget; & præterea si quando frater dives fratri, aut sorori inopi dedit aliquid loco alimentorum, si illud casu, & sine sua culpa amiserit, tenetur frater iterum alimenta præstare, ut sentiunt Corduba, idem P. Barb. Surdus, Pontanus, Joan. And. Azorius, & Megala locis suprà *num. 524. 525. & 526.* allegatis: ergo non etiam tenebitur sorori pauperi, quæ absque sua culpa dotem semel ab eo acceptam amisit, novam dotem præbere usque ad quantitatem alimentorum quæ ei deberet, cùm dos succedat loco alimentorum, & sorori non minùs necessaria videatur, quàm alimenta ob periculum pudicitiæ vitandum. Et quod alimenta, & dos, quando dos loco alimentorum succedit, à pari procedant, traditum est suprà *num. 202.* & docent auctores ibidem citati; multò autem magis si frater sit hæres & possessor majoratus à patre instituti, tenebitur iterùm dotem sorori dare, cùm prima fuit sine culpa amissa, ut tenuit etiam Ludovicus Molina loco suprà *num. 559. citato*, idque ob rationem ejusdem Molinæ ibidem adductam, quia in ipsum fratrem hæredem, & majoratus possessorem transfunditur obligatio dotandi, quæ erat penes patrem: & ita nulla differentia potest assignari inter patrem, & ipsum fratrem.

§. XXI.

Frater dives, ut frater, an teneatur dotare sororem naturalem, & spuriam egenam, quæ aliunde non potest dotem habere.

562 DUbium tertium, an frater dives, ut frater sorores naturales, & etiam spurias, tam ex parte matris, quam ex parte patris egenas, quas omnes suprà *n. 511. ad 517.* ostensum est à fratre divite ut fratre in subsidium, & defectum parentum esse alendas, teneatur etiã dotare usque ad quantitatem alimentorum eisdem debitorum, negat expressè Fagundez *in Decal. lib. 4. c. 17. n. 9.* & pro hac sententia allegari possunt omnes Doctores *n. 201.* citati asserentes patrẽ, licèt teneatur filiæ spuriæ præstare alimenta, non tamen teneri ei dare dotem, etiam solùm usque ad quantitatem, & pro modo alimentorum debitorum. Nituntur ratione *d. n. 201. & n. 542.* adducta, scilicet quod non valeat argumentum affirmativè de alimentis ad dotem, ob rationem diversitatis, quod alimenta annuatim, vel menstruatim, aut dietim præstari possunt, dos autem uno cumulo præstatur, & sic in dote interveniet majus onus, & gravius præjudicium.

At dicendum est, fratrem divitem ut fratrem sororẽ 563
naturalem, & etiam spuriam inopem, & aliunde non habentem teneri dotar pro quãtitate, & modo alimentorum, quæ illi præstare debet. Valet quippe argumentum affirmativè de alimentis ad dotem usque ad alimentorum quantitatem, ut suprà *n. 202. & 544.* dictum est; dos enim loco alimentorum succedens non minùs necessaria est quàm alimenta, ne alioqui soror carens dote, & non valens nubere, facilè periculo turpiter vivendi exponatur; quare illud onus majus fratris, sicut & patris, quod in dotanda sorore, aut filia naturali, aut spuria contingit, potest & debet tolerari, ut conservetur pudicitia sororis, aut filiæ, ut suprà *d. n. 202. & 511.* dictum est. Quare pro hac sententia allegari possunt omnes Doctores *d. n. 202. & 511.* allegati, & expressè Ludovicus Molina *de primog. ibid. cap. 15. n. 54.* & alii abusdem allegati affirmant, & etiam Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegitim. Clericor. allegat. cap. 18. n. 5.* ad id allegans Costam *de remed subsid. remed. 66. n. 3.*

Quid verù si soror, vel filia spuria dotem semel à 564
patre, vel à fratre sibi præstitam amiserit, an teneatur pater, vel frater dives novam dotem dare, ut possit denuò nubere? Fagund. *d. cap. 17. n. 10.* absolutè, & indistinctè negat, dicitque quod sibi imputent filiæ spuriæ, quod amiserint; neque enim (subdit) illarum honor tantùm conducit ad honorem parentum & fratrum, ut illis tantum onus necessariò imponendum sit, præsertim cùm non sit consequentia necessaria, ut non constituta dote, pudicitiæ jacturam faciant, cùm eis non desint alimenta necessaria.

Sed dicendum est, si absque culpa amiserint, iterum 565
debere dotari, non solùm à patre, de quo non mihi videtur dubitandum, cujus officium proprium est alere, & dotare filias, non solùm legitimas, sed etiam naturales, & etiam spurias, de qua te latè *seq. cap.* & plura tradita sunt à me *in tract. de contract. matrim. cap. 11.* sed etiam à fratre divite in subsidium, & defectum parentum, cùm etiam in hoc casu, seu in hac nova dote præstanda, sicut in prima constituenda militet eadem ratio æquitatis, & charitatis, atque conjunctionis sanguinis; & etiam evitandi periculum pudicitiæ, quod semper magni faciendum est; & sicut quando aliquid loco alimentorum datum fuit, si amissum fuerit, saltem absque culpa, iterum alimenta sunt præstanda: ita etiam priori dote absque culpa amissa, nova erit constituenda, cùm succedat loco alimentorum.

§. XXII.

In hoc casu, in quo frater dives ut frater tenetur dotare sororem inopem, an in contractu dotis possit stipulari, & apponere pactum, quod dos ad ipsum revertatur, eâ absque filiis defunctâ.

DVbium quartum, an frater dives, ut frater de 566
propriis bonis dotans sororem inopem, quæ aliunde nec à patre, nec à matre, avóque paterno, aut materno, eorumve hærede dotem habere potest, possit in actu constitutionis dotis apponere pactum, ut ipsa decedente sine liberis ad eundem fratrem dos revertatur.

Petrus

566 Petrus Barbosa, quem sequitur Fagundez *in Decalog. lib. 4. d. cap. 16. num. 15. ad d. l. 1. p. 4. n. 135. & 136.* constituit generalem conclusionem, scilicet qood in omni casu, in quo frater tenetor dotare sororem, non potest apponere pactom, quod mortua ipsa sorore, ad eundem frattem revertatur dos: & pro hac sententia plures Jurisperitos allegat, præsertim Ancharanum *cons. 434.* & Ripam *ad l. 1. num. 84. ff. soluto matrim.* Probat, quia cùm ex necessitate, & obligatione legis dotet, ut suprà probatum est, succedit regula *l. si adrogator, ff. de adoptionibus*, ibi: *Caterùm si fidei ejus committit, ut quandocunque restitnat, non oportet admitti fideicommissum; quia hoc non judicio ejus ad ipsam pervenit, sed principali providentia, scilicet constitntione, seu statuto Imperatoris*, ut ibi Glossa. Neque obstare ait P. Barbosa cum Ripa, quod pater, qui magis tenetur dotare filiam quàm frater sororem, possit appooere tale pactum, ut ad se dos redeat decedente filia sine liberis, *l. quoties 30. ff. soluto matrimonio*; nam patre donante, ioquit, agitur de parvo filiæ præjudicio, quia pater tenetur dotem illi reservare, vel etiam novam constituere, ut tradunt Doctores relati suprà *num. 559.* & alii communiter, & constat *ex Authent. Sed quamvis, Cod. de rei uxor. actione*: quam rationem subdit Barbosa cum eodem Ripa cessare in fratre, qui non tenetur iterum dotare, juxta tradita suprà *n. 560.*

667 Respoodetur primò, si tale pactum doti sorori constitutæ, aut promissæ, in acto ipso constitutioois, aut promissionis appositum sit sorore ipsa præsente, & consentiente, vel oon contradiceote, seu expresè, vel tacitè illud acceptante, pactum tenet, nec soror potest pacto, seu coonventioni contradicere, sed eà sine liberis defunctâ, dos ad fratrem dotantem, vel ad ejus hæredes transire debet. Ita Surdus *de alimentis, tit. 1. d. quæst. 25. num. 10.* Franciscus Molinus *de ritu nupt. q. 35.* & Fontanella *de pactis nuptialibus, claus. 5. gloss. 10. parte 1. à num. 13. ad 27.* ubi in fortioribus terminis, scilicet quando frater de bonis paternis (ut quando certa pecuniæ quantitas est per pactum filiæ relicta pro dote) vel de bonis communibus, vel ex legitima sorori debita eandem sororem dotat, ait quod si in ipso dotis contractu apponat pactum, ut ipsa sine liberis decedente, dos ad ipsum fratrem traoseat, ipsa expresè, vel tacitè consentiente, & acceptante, pactum esse servandum, nec ipsam posteà posse illi contradicere. Quod docuerunt Lucas de Peña à Molina, & Fontanella relatus, & alii Jurisperiti, quos idem Funtanella *d. p. 1. num. 21.* refert; quiquid secus sentire videatur P. Barbosa *loco citato*, Vincentius de Franchis *decis. 196.* & Meoochius *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 10. n. 24.* probat Molinus *num. 5. & sequentibus*, & Fontanella *num. 19. & seqnent.* quia tale pactum fieri, & apponi, sororemque illi consensum præbere, nullo io jure prohibitum reperitur, & ipsa mulier rei propriæ est libera iooderatrix, & arbitra, de qua re latè dicti Molinus, & Fontanella, & latiùs *infrà*, ubi de dote filiabos à patre danda. Neque obstat dicta lex *si adrogator*, quæ venit intelligenda quando is, cui à lege aliquid conceditur, & ex legis dispositione debetor, consensum oon præstat pacto, vel coonditioni onerosæ.

568 Respondetur secundò, etiamsi in contractu dotis frater apposuit præfatum pactum sine consensu tacito, vel expresso sororis, & ipsa contradicente, pactum fore validum, nec sororem posse de tali dote contra pactum disponere, sed ea defuocta ad fratrem ipsum traosire. Ratio est, quia talis dos datur de propriis bonis ipsius fratris; & licèt ob paupertatem sororis aliunde non habentis frater ex necessitate legis, & coojunctionis sanguiois dotet; tamen hujusmodi necessitas oon reddit pactum nullum, sicut non reddit simile pactum à patre appositum, maximè cùm & frater teneatur novam dotem date, amissa priori absque culpa, juxta tradita suprà *num. 559. & num. 561.*

§. XXIII.

Frater Clericus beneficiatus non habens alia bona propria, an possit, & teneatur fratres, & sorores pauperes alere, & dotare ex redditibus Beneficii Ecclesiastici.

DUbium quintum, an frater Clericus beneficiatus oon habens bona patrimonialia, possit, & teneatur ex redditibus, seu fructibus beneficii suæ sustentationi honestæ non necessariis fratres, & sorores pauperes, & egenos aliuode non habentes alere, & dotare juxta genus suum, & decentiam status. 569

Conveniunt Doctores, & certum est, posse in utroque foro alere, & dotare. Ita Panormitanus, & cæteri Scribentes *in cap. Pervenit, de arbitris*, Navarrus *de spoliis Clericorum, §. ult. num. 11. & num. 12.* Garzias *de expensis, cap. 3. num. 36.* Corduba à Lara *in §. idem rescripsit, num. 96. & 97.* Tiraquellus *de primogen. q. 62. num. 2.* Petrus Barbosa *ad l. 1. p. 4. num. 132. & 133.* Surdus *de alimentis, tit. 1. quæst. 25. num. 11. cum seqq. & tit. 8. privil. 92. num. 5.* Mantica *de tacit. & ambiguis, lib. 13. tit. 36. num. 35. & 32.* Fontanella *de pactis nuptial. claus. 5. gloss. 3. num. 30. ad 35.* Molfesius *ad consuet. Neapolit. p. 5. quæst. 15. num. 20. & 21.* Giurba *decis. 45. num. 12.* Stephanus Gratianus *tom. 3. c. 552. num. 1.* Augustinus Barbosa *collectaneo ad cap. pervenit, de arbitris, & collectaneo ad cap. 1. num. 5. de cohabitatione Clericorum*, Additionator ad Ludovicum Molinam *de primogen. lib. 2. cap. 15. num. 62. fine*, Rota Romana *decis. 269. num. 1. post tom. 2. consil. crim. Farinac.* & Jorisperiti commoniter apud præallegatos, & ex Summistis & Theologis Angelus *verbo Clericus, quæst. 13. num. 15. & verb. Dos, num. 4.* Sylvester *verb. Clericus 4. num. 11. quæst. 15. & verb. Dos, quæst. 5.* Rosella *verb. Clericus 4. num. 11.* Azor *p. 2. lib. 2. cap. 40. quæst. 5. 6. & 7.* Rebellus *de justit. obligat. part. 2. lib. 5. quæst. 4. num. 12.* Villalobos *p. 2. tract. 22. diffic. 4. n. 7.* & Fagundez *in Decalog. lib. 4. cap. 17. num. 1. & 3.* Ratio manifesta est, qood beneficiatus habens administratiooem in vita, æquiparatur usufructuario, ut possit per actum inter vivos de fructibus beneficii disponere, ut post Glossam communiter receptam *in cap. præsenti, verb. Reservari, de offic. ordin. in 6.* notat Rota *d. decis. 269. num. 1. & decis. 41. num. 1. de probat. in antiquis*: & fructus beneficii superfluos propriæ sustentationi juxta statum potest, & debet beneficiatus expendere in eleemosynas, & usus pios, ut coostat ex sacris Canonibus, & novissimè ex Trident. *sess. 25. cap. 1. de reform.* & tradunt communiter Canonistæ, Theologi, & Summistæ. Clericus autem magis tenetur exercere charitatis actus quàm alius; clericatus enim auget potiùs charitatem erga proximum, *cap. 1. de empt. & vendit.* & lex charitatis potiùs nos ad consanguineos, quàm ad extraneos in æqoali necessitate obligat, & sic cæteris paribus clericus ex fructibus beneficii potest, & tenetur subvenire patri, matri, fratribus, sororibus, & aliis consanguineis, & sibi conjunctis, ut *loc. cit.* probat Panormit. per textum clarum *in cap. 5. de cohabit. cler. & can. Omnia, dist. 31. & can. Non satis, dist. 86.* & post alios latè tradit Surdus *d. q. 25. n. 14.* allegato autem *c. 1. sess. 25.* & *c. pervenit, 1. q. 6.* reprehenduntur Episcopi, & cæteri beneficiati, tanquam rei gravis peccati, ex bonis, seu

seu redditibus Ecclesiæ dantes consanguineis solùm, quando dant non ad subveniendum necessitati, sed dant consanguineis divitibus ad augendum illorum opes, & luxum inducendum; secus verò si dent illis uti pauperibus, & ad succurrendum illorum necessitati, illorum statu attento, ut apertè constat *ex d. cap. 1. sess. 25.* Hujusmodi etiam elargitio redditùum Ecclesiæ non prohibetur fieri consanguineis, sed intra usus pios continetur, ut præallegati Doctores censent.

570 Videntur etiam convenire Doctores, fratrem Clericum, & beneficiatum non habentem propria, ut sunt patrimonialia bona, teneri alimenta præbere fratribus, & sororibus pauperibus, non solùm ut pauperibus, & titulo eleemosynæ, sed etiam ut fratribus, & sororibus, & sanguinis vinculo conjunctis. Ita præallegati Doctores, præsertim Navarrus, Corduba, uterque Barbosa, Rota, Villalobos *locis citatis*, & Fagundez *d. c. 17. n. 3.* Probatur, quia frater dives, ut frater tenetur in subsidium alere fratres, & sorores pauperes aliunde non habentes, ut suprà *n. 490.* & *491.* probatum est ex juribus *d. n. 490.* allegatis fundatis in jure, & vinculo sanguinis, quod locum habet tam in Clericorum personis, quàm laïcorum. Ergo ex consequenti frater Clericus beneficiatus, ut frater ex fructibus beneficii tenetur, & cogi potest in subsidium alere fratres, & sorores, pauperes quando non habet propria bona, quibus possit illis subvenire. Confirmatur, quia etiam pater Clericus beneficiarius non habens alia bona propria, tenetur ex redditibus beneficii alere filios, & filias juxta genus suum, ut dictum est suprà *n. 195.* & tradunt Doctores *ibid.* citati.

571 Hinc frater beneficiarius, uti frater, non habens propria bona, tenetur ex fructibus beneficii alere etiam sororem uterinam pauperem, cùm quilibet aliàs frater dives, ut frater suam sororem uterinam inopem alere obligetur, ut suprà *n. 498.* dictum est.

572 Hinc quoque frater beneficiarius, ut frater, alia bona non habens, tenetur alere etiam fratres, & sorores spurios, etiam ex parte patris, ex redditibus benefici Ecclesiastici: quod tradunt in terminis Navar. Cord. P. Barbosa *loc. cit.* & alii Iurisperiti apud eosdem, ex Theologis Azorius *d. c. 40. q. 7.* & Fagundez *d. c. 17. n. 6.* & probatur ex traditis suprà *n. 513.* & *516.* ubi ostensum est, fratrem divitem ut fratrem teneri quoscumque fratres, & sorores spurios inopes alere, attenta æquitate, & dispositione canonica, ac proinde ex necessaria consequentia etiam fratres Clericus ex fructibus beneficii tenetur eosdem pauperes alere.

§. XIV.

Frater Clericus ex redditibus Ecclesiasticis tenetur dotare sororem inopem, quæ aliunde habere non potest.

573 Difficultas est, an frater Clericus beneficiarius non habens bona patrimonialia, ex fructibus beneficii teneatur dotare sororem pauperem aliunde non habentem, uti sororem, seu tanquam frater.

Prima sententia asserit, quod licèt frater Clericus ex fructibus beneficii possit, non tamen tenetur sororem inopem dotare: Ita Panormitanus *in d. c. pervenit, n. 1. de arbitris*, quem sequitur Fagund. *d. cap. 17. num. 2. & seq.* Probat Panormitanus, & post eum Fagundez, quia ex fructibus beneficii dos danda est titulo eleemosynæ, & sic à fratre Clerico beneficiario dos est danda sorori tanquam pauperi, & sub titulo eleemosynæ, sicut cæteris extraneis pauperibus; solùm enim hoc titulo beneficiati sorores suas, & filios in defectum bonorum patrimonialium dotare possunt ex fructibus beneficii, *can. quisquis, 12. q. 2. & sess. 25. d. cap. 1. de reform.* Vnde necessaria est consequentia, quod ad hoc cogi non possint; nam extra casum necessitatis extremæ relinquitur arbitrio eleemosynam facientis, cui potiùs velit eleemosynam præstare, ut docent S. Thomas *quodlib. 8. art. 13.* Caietanus *tom. 2. tract. 5. cap. 3.* & alii, P. Barbosa loco suprà *n. 569.* & Fagundez *d. n. 2.* relati. Neque obstare dictum caput *pervenit, de arbitr.* ait Panormitanus, quia textus ibi dicit tantùm, fratrem Clericum ex fructibus beneficii sponte sua dotasse sororem, non autem probat invitum ad hoc cogi posse. Non etiam obstare, quod frater Clericus ex fructibus beneficii teneatur alere sororem pauperem, & dos loco alimentorum subrogetur, inquit Fagundez; nam ait argumentum affirmativè non valere de alimentis ad dotem, cùm alimenta faciliùs, utpote annuatim, vel mestruatim, aut dietim præstentur quàm dos, quæ uno cumulo constituitur.

Verùm altera sententia, & communis tenet oppositum, & affirmat fratrem Clericum beneficiatum, ubi non extant dotandæ parentes, aut eorum hæredes, nec ipse habet bona patrimonialia, & propria, in subsidium teneri dotare sororem pauperem, etiam ut sororem. Ita Sribentes *in d. cap. pervenit*, per textum ibi *de arbitris*, Alexander *in l. 1. num. 24. ff. soluto matrimonio*, Ripa *ibidem, num. 83.* Guillielmus *in cap. Raynutius, verb. dotem, num. 72.* Bærius *decis. 129. num. 8.* Navarrus *in apologia de redditibus, quæst. 1. monit. 26. num. 2.* & loco suprà *num. 569.* relato, Corduba, Mantica, P. Barbosa, Giurba, Molfesius, Fontanella locis *eodem num. 569. citat.* Augustinus Barbosa *collect. ad d. c. pervenit, num. 3. fine*, dicens hoc ex dicto textu communiter colligi, *& collect. ad c. 1. num. 7. de cohabit. cler.* Rota *decis. eodem num. 569. allegata, num. 1.* & plures alii Iurisperiti à Corduba, P. Barbosa, & Rota allegati: & idem aiunt præter Fagundez Summistæ, & Theologi *præfato num. 569.* allegati. Probatur primò hæc sententia *ex d. cap pervenit, de arbitr.* ibi enim non exprimitur, quod frater Clericus sponte dotaverit sororem, ac proinde potest intelligi etiam quando invitus id facit. Secundò quia dispositio legis *cùm plures, §. fin. ff. de administr. tutor.* quod frater dives teneatur sororem inopem dotare, quia frater, est generalis, & fundata in jure, & vinculo sanguinis: ergo comprehendit etiam fratres Clericos, sicut & dispositio *legis promittendo, de jure dotium*, comprehendit omnes promittentes dotem, qui obligantur, cujuscumque sexus, & conditionis sint, etiam Clericus, ex Glossa ibi, & ratione *in l. fidejussor, §. Prætor ait, ff. qui satisdare cogantur*, & P. Barbosa loco suprà *num. 569. citato*; & quia jus sanguinis, in quo lex civilis fundatur, etiam in persona Clericorum locum habet: quare cùm onere dotandi sororem sit astrictus Clericus beneficiarius, si bona propria non habet, tenetur de redditibus beneficii obligationi satisfacere. Neque obstat exceptio Fagund. quod jus civile absque Papæ facultate de bonis Ecclesiasticis, quales sunt beneficii fructus, non possit disponere, nec etiam Clericos comprehendere; nam id non procedit ubi lex civilis fundatur in æquitate, jure naturali; & præterea cùm Clericus beneficiarius habeat administrationem bonorum beneficii in vita, eo ipso quod ut frater tenetur dotare sororem, Clericatus non potest illum eximere ab obligatione, si habeat bona, de quibus possit disponere in vita, esto bona ex beneficio Ecclesiastico sint acquisita. Tertiò, & ultimò probatur hæc sententia, quia beneficiarius ex fructibus, & redditibus beneficii Ecclesiastici tenetur solvere sua debita, *cap. pervenit, de fidejussoribus*, Navarrus *in d. apolog. de redditibus, citato num. 2.* Rota *d. decis. 269. num. 2. & decis. 41. num. 2. de probat. in antiquis.* Cùm igitur dos sorori inopi à fratre ut fratre, jure civili, & etiam naturali in subsidium sit debita, illam solvere, & constituere tenetur ex redditibus beneficii Ecclesiastici, attenta conditione, & qualitate ejusdem sororis, si propria

ptia bona, sive patrimonialia, non habeat frater.

575 Augustinus Barbosa *d. collect. ad d. cap. pervenit, de arbitr. num.* 3. limitat quoad sororem uterinam, quam sequens sententiam, & Doctores, de quibus suprà, *num.* 542. ait fratrem Clericum ex redditibus beneficii non teneri dotare; quæ tamen limitatio rejicienda est juxta tradita *n.* 541. *&* 544.

576 Sororem etiam spuriam inopem fratrem Clericum beneficiarium bona patrimonalia non habentem teneri in subsidium dotare ex fructibus beneficii Ecclesiastici, tradidere Corduba à Lara *in d. §. idem rescripsit, num.* 97. B. Barbosa *ad d. l.* 1. *p.* 4. *num.* 133. *ff. soluto matrim.* Navarrus *de spoliis Clericorum, d. §. ult. num.* 11. August. Barbosa *d. collect. ad cap. pervenit, num.* 4. *de arbitris*, Marianus Socinus, Ioannes Lupos relati à Corduba, & alii Iurisperiti, & Azorius *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *quæst.* 7. ac novissimè Ioannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. Clericorum, cap.* 18. & probant tum ex traditis suprà, *num.* 572. de obligatione fratris beneficiarii alendi sororem inopem ex redditibus beneficii; dos enim loco alimentorum succedit, & favorabilior est quàm alimenta, propter bonum publicum procurandæ prolis, & conservationis pudicitiæ, ob quod frater tenetur ferre illud majus onus, quod est in dote constituenda, ut dictum est suprà *num.* 202. *&* 544. & alibi: tum etiam ex traditis suprà *d. num.* 202. *fin.* ubi ostensum est, patrem Clericum teneri dotare filiam spuriam ex redditibus beneficii, si aliunde dotari non possit: ergo etiam frater Clericus, quando tenetur in subsidium, & defectum patris dotare sororem spuriam inopem, tenetur etiam ex fructibus beneficii, si aliunde non habet unde possit illam dotare. His autem, & traditis suprà *num.* 572. non obstare constitutionem Pii V. incipientem, *Quæ ordini Ecclesiastico*, constat ex traditis suprà *n.* 192. *&* 193.

Patruus dives, ut patruus an teneatur alere, & dotare sobrinos, & sobrinas pauperes; & è contra sobrinus dives patruum pauperem alere.

577 QVæsitum secundum, an patruus, ut patruus, si dives sit, teneatur alere, & dotare filios, & filias fratris; & avunculus ut avunculus filios, & filias sororis inopes aliunde habere nequeuntes. Dixi ut patruus, nam ut hæres, & successor in fideicommisso vel majoratu, aut primogenitura tenetur, ut explicatum est suprà *hoc cap. quæsito* 7. præsertim *num.* 378. unde majoris claritatis gratiâ seorsum agimus de alimentis, & dote.

§. XXV.

Discutitur an patruus teneatur alere sobrinam, seu neptem ex fratre pauperem.

578 IGitur quoad alimenta, fratrem non teneri ea præstare filiis, & filiabus fratris, & sororis pauperibus in subsidium, sicut tenetur præstare fratri, & sorori, ex Iurisperitis affirmarunt Odofredus *in l.* 2. *Cod. de alendis liberis*, Costa *select. lib.* 2. *cap.* 20. Corduba *in §. idem rescripsit, num.* 109. *&* 127. *& in §. si mater, num.* 53. Sylvanus *contr.* 33. *num.* 14. Ludov. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 67. Additionator *ad eundem Molinam, lib.* 2. *d. cap.* 15. *num.* 67. *&* 68. ubi asserit jure communi inspecto alendi onus inter collaterales ultra primum gradum non porrigi, & sic in Regia Audientia pro quodam Marchione de Poza contra patruum fuisse obtentum: P. Barbosa *ad l.* 2. *p.* 4. *num.* 142. *ff. soluto matrimonio*, Garzias *de expensis, cap.* 3. *num.* 55. Gaspar Antonius Thesaurus *quæst. for. lib.* 2. *D. Ioan. Angel. Bossius de oblig. parentum.* Pars II, *q.* 67. *num.* 13. *fine*, Fontanella *de pactis nuptial. claus.* 5. *glossa* 3. *num.* 38. Larrea *decis.* 47. *à num.* 15. & præsertim *num.* 18. 20. 21. *& seq.* & plures alii Iurisperiti à Corduba, Molina, Garzia, Larrea *locis citatis*, & Surdo *de alimentis, tit.* 1. *q.* 28. *num.* 6. relati: & ita sentire communiter Iurisperitos dixit Sylvanus *loco citat.* Sylvanum in hac re sequuta est Rota Romana *decis.* 408. *num.* 17. *p.* 5. *diversorum, apud Rubeum*, ubi alios allegat. Ex Theologis Molina *de justitia & jure, tom.* 5. *disput.* 616. *num.* 8. *fine*, Rebellus *de obligat. justitia, p.* 2. *lib.* 5. *q.* 4. *n.* 26. Villalobos *p.* 2. *tract.* 27. *diff.* 4. *n.* 9. Fagundez *in Decal. lib.* 4. *c.* 16. *num.* 21. & Fragosus *de Republ. Christ. p.* 3. *lib.* 2. *disp.* 5. *num.* 47. Probat primò, quod nullibi in jure cautum reperitur, quod patruus teneatur alere sobrinum, aut sobrinam pauperes. Ergo compelli non debet, *argum. leg. illam, Cod. de collat.* Secundò ex textu *in l. institutа, §. de inofficioso, ff. de inofficioso testamento*, ubi nepti contra eum agenti de inofficioso cogitur patruus exhibere alimenta pendente lite, eo quòd nepos sententiam obtinuerat in favorem: ergo circumscripta sententia non fuisset alendus. Tertiò quia lex naturæ in transversales remotiores, quales sunt filii, & filiæ fratris, & sororis, non habet eandem vim, quam habet in ipsos fratres, & sorores. Quintò, & ultimò, quia patruus nullo jure cogitur dotare sobrinam, juxta sententiam Doctorum magis communem, de qua infrà: ergo neque alere. Neque his repugnare ait Petrus Barbosa textum *in cap. fin. de cohabit. Cleric.* ubi sobrinus Clericus jubetur amitæ alimenta præstare, quia non ea ratione, inquit, jubetur id facere, quia amita erat, sed quia pauper erat; & quia Clericus ex redditibus Ecclesiasticis tenetur subvenire pauperibus, maximè consanguineis, *c. non satis, dist.* 50. & notatum est suprà *num.* 569. Neque etiam æquiparatio, quæ de fratre ad nepotem quoad successionem ab intestato fit, ad alia (inquit Molina *d. n.* 67. *versic. sed quamvis*) est pertrahenda, & præsertim ad id, ut sicut frater dives ad alendum fratrem, & sororem tenetur, ita etiam ad alendum filios, & filias fratris, & sororis, cùm ad alendum fratrem, & sororem ex specialibus rationibus teneatur: quod confirmat à simili, quia quavis frater possit turpi persona instituta testamentum fratris contratabulare; id tamen nepos ex fratre prædefuncto facere non potest, *leg. fratris, Cod. de inofficioso testamento, glossa in §.* 1. *verb. Agentes, Inst. eod.* & esse communem opinionem tradit Iason *in l. fratres, num.* 5. *Cod. eod.* Hinc per regulam correlativorum, neque sobrinum aut sobrinam divitem teneri, aut cogi posse præstare alimenta patruo pauperi, tradunt Corduba *in d. §. idem rescripsit, n.* 126. P. Barbosa *d. n.* 142. Larrea *d. decis.* 57. *à n.* 20. & Salgad. *in labyrintho cred. concurr. p.* 1. *c.* 24. *n.* 153. 154. 155. 158. 159. *&* 162. qui pro hac eadem sententia plurimos alios Iurisperitos allegant, & idem Larrea *n.* 21. addit in facti contingentia suum Senatum pro nepote contra patruum judicasse, ut ei petenti alimenta nepos exhibere non teneretur.

579 Limitatur autem ab aliquibus hæc sententia, ut non procedat quando nepos, seu sobrinus, à quo patruus pauper petit alimenta, possideret majoratum, qui esset dignitas, nempe esset dux, marchio, aut comes: tunc enim ne patruus in Ducatus, Marchionatus, vel Comitatus opprobrium mendicare cogatur, alimenta esse ei omnino decernenda, tradidere Fabian. *in auth. novissima, n.* 73. *Cod. de inoff. test.* & plures alii, quos Rot. Rom. *decis.* 194. *n.* 48. *p.* 7. *divers.* apud Rub. refert, & sequitur, quibus tamen contradicit Corduba *in d. §. si mater, cit. n.* 53. dicens quod non debet cogi præstare alimenta, qui præstare ullo jure non obligatur, quamvis addat se in hoc casu quid affirmandum sit, relinquere aliis judicandum.

580 Oppositum tamen, & patruum divitem teneri alere sobrinum, aut sobrinã pauperem aliunde non habentẽ,

& è contrà, asseruerunt Crotus *in l. filiusfamilias*, §. *Divi, n. 30. in fine, ff. de leg. 1. ibid.* Ripa *num.* 43. & Loazes *num.* 96. Rota Romana *decis.* 30. *n.* 5. *& seq. p.* 7. *diversorum*, apud Rubeum, *& decis.* 194. *n.* 4. 45. *&* 46. *eadem p.* 7. *diversorum*, & latissimè *decis.* 136. coram Dunozetto post repertorium Farinae. *de ult. vel.* Surdus *de alim. d. q.* 28. *num.* 7. *& seq. dict.* 12. & Andreas Fachineus *controv. juris lib.* 12. *cap.* 61. Pontanus *de alim. cap.* 10. *num.* 2. *fine*, Giurba *decis.* 5. *n.* 14. *& seq.* ubi allegat Colerum *de alim. tit. I, quæst.* 9. *à num.* 27. Joannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. Clericorum, c.* 18. *num.* 14. *&* 15. & ex Theologis Azorius *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 40. *quæst.* 10. & ita hanc sententiam in supremo conventu Castellæ judicatam fuisse testatur Ludovicus Molina *d. n.* 67. *versic. His tamen non obstantibus*, & in Senatu Aragoniæ decisum refert Mont. *decis.* 16. *n.* 1. & in Sicilia refert Giurba *d. decis.* 5. *n.* 14. communi omnium voto pronunciatum, nepotem divitem cogendum ad alendum patruum pauperem: ita etiam fuisse judicatum à suo Senatu refert Thesaurus loco suprà *n.* 578. allegato. Probatur hæc sententia primò, quia jure civili in successione ab intestato filius fratris repræsentat personam patris sui, in ejusque locum ingreditur, ita ut censeatur una, & eadem persona, §. *si igitur, in auth. de hæred. ab intestato ven. auth. cessante, Cod. de legitim. hæred.* Becius *cons.* 81. & plures alii à Surdo *d. q.* 28. *num.* 2. adducti. Cùm ergo sobrinus jure civili repræsentet patrem suum, & eodem jure cautum sit fratrem teneri alere fratrem inopem in subsidium, ut suprà *quæsito præcedenti*, latè probatum est, etiam nepos inops alendus erit à patruo. Præterea frater appellatur filius fratris, *cap. quæritur*, 22. *q.* 2. ubi soror dicitur, scilicet Sara uxor Abraham, quia filia fratris erat. Tertiò facit dictum cap. 1. *de cohabit. Clericorum, num.* 578. relatum & caput *cùm quidam*, §. *fin. de jureiur.* in eo enim sensu sancitum esse, ut quilibet cognatus subsidia vitæ cognato suo ministrare teneatur, colligitur ex illis verbis ejusdem textus, *humanitatis subsidium*; quæ verba referuntur ad alimenta, ut notant Scribentes *in cap. cùm haberet, fin. de eo qui duxit in matrim. &c.* & tradunt alii, quos latè refert Giurba *d. decis.* 5. *num.* 18. Demùm quia eadem æquitas, & ratio naturalis, & vinculi sanguinis, qua nituntur jura constituentia fratrem divitem debere alere fratrem inopem, militat etiam in nepote ex fratre, ob maximam, licèt non ita proximam, & strictam sanguinis conjunctionem respectu ejusdem principii, à quo descendunt: quæ etsi non est æqualis, sed minor, tamen cùm parum distet, non impedit, seu non facit, ut jus naturale, seu natura ipsa dictet fratrem, etiam fratris filium inopem, & aliunde non habentem debere alere. Igitur cùm obligatio alendi descendat ex æquitate naturali, & sanguinis conjunctione, *l. si quis à liberis*, §. *utrum, ff. de liberis agnosc.* tenetur patruus dives nepotem inopem & nepos dives patruum inopem alere. Et hanc candē sententiam ex parte sequitur Merenda *controv. juris tom.* 3. *lib.* 14. *c.* 31. dum vult *in d.* §. *utrum*, ibi: *An verè etiam matrem cæterosque parentes, & per illū sexum contingentes cogamur alere, videndum est. Et magis est* (quæ est responsio ad dubium) *ut utrobique Iudex sese interponat*; esse sermonem non de parentibus, de quibus in antecedentibus verbis, sed de diversis, nempe de collateralibus ex parte matris, respectu quorum, an sint alendi aliunde non habentes, remittitur considerationi judicis, cùm respectu parentum regula certa sit debere ali, si aliunde non habeant, à filiis qui ab eis esse habuerant. Dicit ergo Merenda, quod judex circa obligationem alendi collaterales, juxta sequentia verba responsionis primæ *in d.* §. *utrū*, ibi: *Quorumdam necessitatibus faciliùs succursurum, quorumdam ægritudinibus; & cùm ex æquitate hæc res descendat, charitate que sanguinibus, singulorum desideria judicem perpendere oportet*; debet attendere, & considerare æquitatem, & eam charitatem, qua se invicem complecti debent sanguinis vinculo conjuncti, & singulorum desideria; & inde decernere quod æquo, ac bono convenire putaverit, & charitati debitæ, ac conjunctioni sanguinis, consideratis quantitate patrimonii illius, qui debet alere, necessitate, & bonis, malisve moribus alendi, & ejusdem reverentia erga eum, a quo alimenta postulabit; nam si contumax fuerit erga eum, & inobediens, aut suis malis moribus ei sit dedecori, addit Merenda quod abstinere debebit judex, quia tunc nimis durum esset ei ex suo alimenta præbere, nisi ratio valdè urgens id persuaserit. Notat verò idem Merenda *d. cap.* 31. *num.* 5. inter has obligationes collateralium illud esse discrimen, quod frater habet fundatam intentionem adversus fratrem divitem, cæteri verò collaterales remotiores debent judicibus ostendere sese obsequio, necessitate, integrisque moribus meruisse subsidia vitæ obtinere ab eo, quem vinculo sanguinis non obligant simpliciter, sed ita demùm si probitate, & erga eum reverentia sese dignos commiseratione reddiderint. Prædicta Merenda, quæ an ex dicto paragrapho *Utrum*, colligantur, videant alii; illius enim sententiam amplector solùm quatenus favet huic posteriori sententiæ; secus tam subtinis, quàm fratribus pauperibus aliunde non habentibus teneri patruum subministrare alimenta, nisi constet de ingratitudine eorum erga ipsum; & non intercedere illud discrimen, absque dubio sentiunt Doctores in principio allegati pro hac sententia. Quæ tamen ita intelligitur, scilicet quod patruus, seu amita dum vivunt, teneantur filios ex fratre, vel ex sorore, si egeant, alere ipsis viventibus, non autem quod post eorum mortem possint vendi bona hæreditatis eorum pro necessitatibus nepotum supervenientibus, etiam post eorum obitum, sive hæreditas pervenerit ad alios consanguineos remotiores, sive ad extraneos institutos hæredes ab ipso patruo, vel ab ipsa amita, ut in terminis notat Rota *d. decis.* 408. *num.* 56. *parte* 5. *diversorum*, & colligitur etiam ex aliis Doctoribus præallegatis, qui loquuntur de patruo, quando ipso vivente nepos ex fratre, vel sorore eget, nec aliunde potest habere alimenta; nec ullus unquam dixit hoc onus transire ad hæredes patrui, sicut dicitur de hæredibus patris, vel avi. Porrò huic sententiæ non obstant deducta pro priori sententia.

Ad primum enim argumentum respondetur primò 580
jura ipsa constituentia fratrem divitem debere alere fratrem, & sororem pauperem, comprehendere etiam sobrinum, & sobrinam, ob eandem æquitatem æqualem, vel ferè æqualem, & ob cætera in primo & secundo argumēto posterioris sententiæ tradita.

Respondetur secundò, cum Surdo, Fachineo, & Giurba, si lex scripta deficit, rationem naturalem, & rei æquitatem non deficere, quæ sufficere debet pro lege, & judicem non minùs debet movere quàm lex ipsa scripta, *leg. cùm ratio, ff. de bonis damnatorum*, ibi: *Cùm ratio naturalis quasi lex quadam.* Cùm ergo ratio naturalis, quæ omnibus animantibus communis est, suadeat nos propter sanguinis charitatem conjunctos alere, ratione ejusdem cognationis, & charitatis sanguinis patruus nepotem & sobrinum pauperem, & è contrà nepos patruum, & amitam pauperem alere tenetur, & cogitur. Ex quibus, & ex traditis *numero præcedenti*, argumento ultimo satis evidenter probatur collaterales in secundo gradu sibi invicem egentibus jure naturali teneri præbere alimenta necessaria, cùm hæc obligatio oriatur ex sanguinis vinculo, ut dictum est, & id indicant omnes Doctores *num. hoc, & præcedenti* allegati.

Ad secundum desumptum ex lege *instituta*, §. *de inofficioso*, omissa alia responsione, quod textum illum non 582
solùm in causa appellationis, sed etiam in causa principali

pali,& in prima instantia intelligunt plures Doctores, præsertim Afflictus *decis.*10. Surdus *d.quæst.*28.*num.*11. Giurba, & Fachineus *d. lib.*12. *cap.*62. *versic. Fundamentum*, respondent textum non fundari in eo, quod sententia esset lata pro pupillo nepote contra patruum, sed propter inopiam, ut in textu expresse habetur ibi: *Interim propter inopiam pupilli.* Solùm igitur ex facto contigit, ut alimenta post latam sententiam fuerint decreta. Alias responsiones vide apud Giurbam *d. decis.*5.*num.*27. *ad* 32.

Ad tertium ex traditis argumento tertio ad probandam posteriorem sententiam,& in responsione ad primum patet, legem, & æquitatem naturalem se extendere etiam ad sobrinum, & sobrinam.

583 Ad quartum,& ultimum primò negatur antecedens, cùm contrarium teneant non pauci Iurisperiti, ut infrà. Secundò, illo admisso, Surdus *d.quæst.*28.*n.*9.& Fachineus *d.cap.*61.negant consequentiam, eo quòd argumentum de dote ad alimenta negativè sumptum non valeat, scilicet: Non tenetur dotare, ergo nec alere; quia multæ sunt personæ, quibus alimenta debentur, non tamen sunt dotandæ, quales sunt,inquit,mater,& aliæ,& in specie soror uterina. Sed quod soror uterina inops sit etiam dotanda, suprà ostensum est. Quid de matre,*cap.seq.*videbitur. Tertiò respondetur,argumentum de dote ad alimenta negativè non procedere,quãdo non est eadem, sed diversa ratio. Everardus *loco de dote ad alimenta*, Surdus *tit.*9. *quæst.*1. *n.*8. *& quæst.*14. *num.*14. Fachineus *lib.*11.*cap.*40 *fin.* Monter.*d.decis.*16. *num.*16. Diversa autem est ratio alimentorum,& dotis, cùm alimentorum causa urgentior sit, ex quo sine eis quis vivere non possit: at sine dote posset, modò tamen alimenta subministrentur. Hæc quoad alimenta.

§. XXV

Discutitur an patruus dives teneatur dotare sobrinum, seu nepotem fratris sui filium pauperem.

584 QVoad dotem verò, patruum divitem, ut patruum non teneri, nec cogi posse dotare sobrinam, seu neptem ex fratre,neque avunculum nepotem ex sorore, tradidere ultra Iurisperitos, & Theologos suprà *n.*578.relatos, Angelus, Imola,& Alexander *in l.*1.*ff.soluto matrimonio,ibidem* Ripa *num.*86. & Baldus Novellus *num.*147.*& de dote* 6.*p.princip.*16.*speciali,n.*5. Corrasius *in l.qui liberos,num.*122.*ff.de ritu nuptiarum*, Campegius *de dote*,1.*p.quæst.*19. Riminaldus junior *cons.*777. *num.*6. Menochius *de præs.lib.*4. *præs.*189.*num.*43. *fine*, Mantica *de tacitis, & ambig.lib.*12. *tit.*16.*n.*36. & nonnulli alii Iurisperiti à Corduba, Molina, P. Barbosa,& Fragoso locis suprà *d.num.*578.citatis relati,& Sylvanus suprà allegatus,*d.cons.*33.*num.*12.ubi dicit opinionem esse communem,& secundùm eam in causa magni ponderis fuisse judicatum. Fundamentum est idem, quod *d.num.*578.adductum est,scilicet quod lege non reperitur cautum.Confirmant,quia frater dives,ut frater non tenetur dotare sororem uterinam pauperem, juxta tradita suprà *num.*542.Ergo neque sobrinam,seu filiam fratris,aut sororis, quæ est in remotiori gradu: & hanc sententiam videtur tenere etiam Fachineus loco suprà *num.*580. *citato.* Hanc doctrinam, & traditam suprà *d.num.*578.Rebellus *loco ibidem allegato*, addit notari debere præsertim à Religiosis, ne fortè majori solicitudine procurandi dotes, & alimenta sobrinis, teneantur mare, & aridam circumire cum suo majori spiritualis quietis, & ædificationis detrimento quàm obligatio exigat, & benè ordinata charitas permittat.

585 Contrarium,& patruum,& avunculum divitem teneri dotare sobrinam inopem aliunde non habentem, sentiunt Baldus *in d. l.*1. *num.*1. *ff. soluto matrimonio*, Afflictus *decis.*571. *num.*5. & Surdus *tit.*1. *d. quæst.*28. *num.*9. & Rota Romana *d. decis.*30. *num.*3. *ad* 8. *p.*7. *diversorum*,apud Rubeum, & Ioannes Nicolaus Lucidorus *de illegit. Clericor. cap.*18.*num.*14. probant Baldus, & Afflictus per textum *in l. & nihil*, *ff. de in rem verso*; qui tamen textus loquitur de nepte respectu avi,scilicet de nepte ex filio. Probatur ergo argumentis primo, secundo, & quarto suprà *num.*580. adductis, quæ procedunt non solùm quoad alimenta, sed etiam quoad dotem, saltem usque ad quantitatem alimentorum debitorum. Et confirmatur,quia dos,& alimenta æquiparantur, saltem quoad quantitatem alimentorum,præsertim vitæ necessariorum: & valet affirmativè argumentum de alimentis ad dotem,ut suprà *num.*500.536.541. *&* 544. notatum est;& quia dos est magis favorabilis, & videtur magis necessaria ob bonum prolis suscipiendæ, & pudicitiæ conservandæ, ut iisdem locis dictum est. Quanta autem debeat esse hujusmodi dos, resolvendum est juxta tradita suprà *num.* 537. *&* 546. Licèt autem hanc sententiam, & aliam *num.*578.stabilitam veriores existimem; non ideo tamen putò Religiosos debere esse nimis solicitos de providendis alimentis,& dotibus suis sobrinis pauperibus, saltem ubi non constat evidenter de paupertate, & quod aliunde nullo modo honestè habere possent: quo casu etiam obtinenda erit superiorum licentia, & cavendum ne id fiat cum detrimento propriæ,& aliorum quietis interioris,& exercitiorum spiritualium notabili; & ne inde aliis, tam secularibus, quàm Religiosis gignatur scandalum, malumve præbeatur exemplum, de qua re latiùs infrà, *cap.*23.

Ex dictis huic quæsito, junctis traditis præcedenti 586
quæsito, *à num.*569. *ad* 575. infertur patruum Clericum beneficiarium posse filios, & filias fratris pauperes alere, & dotare ex redditibus beneficii Ecclesiastici, imò & teneri ubi non habeat propria bona patrimonialia, sicut suprà *à d. num.*569. probatum est de fratre Clerico beneficiario erga fratres, & sorores pauperes.

Vtrum verò, dum frater, aut patruus Clericus be- 587
neficiatus, qui non habet alia bona patrimonialia, dotat ex redditibus Ecclesiasticis sororem, aut sobrinam pauperem, teneatur, vel possit in dote, seu dotis contractu apponere pactum, ut soluto matrimonio, nullis relictis liberis, dos ad Ecclesiam revertatur, Fagundez *in Decalog. lib.*4.*cap.*17. *num.*5. primò dicit, non teneri apponere tale pactum, quia prædicta dos (inquit) datur titulo eleemosynæ, juxta doctrinam, & sententiam traditam suprà *num.*573. & Doctores ibidem allegatos: eleemosyna autem cùm datur, absolutè datur, & non sub conditione revertendi ad dantem, si accipiens emoriatur, vel vivus redeat ad meliorem fortunam. Secundò dicit, eum posse apponere hujusmodi pactum, si voluerit, & nullam hujus affert rationem; sed ea est assignanda,quod frater Clericus beneficiatus, cùm juxta ejusdem Fagundez sententiam traditam suprà *d. n.*573.non teneatur ex redditibus Ecclesiasticis dotare sororem inopem,in dote illa danda, & constituenda se habet, & censetur tanquam extraneus, qui sponte, & liberaliter fœminam dotet: extraneus verò mulierem dotans, in ipso dotis contractu,ipsa etiam invita, potest apponere pacta quæ voluerit,& sic ut dos ad se,vel ad alium revertatur,ipsa defuncta, *ex l.unic.*§. *accedit, Cod.de rei uxor. act.* Franciscus Molinus *de ritu nupt. lib.*3. *quæst.*59. *num.*23. & alios allegans Fontanella *de pactis nuptialibus*, *claus.*5. *gloss.*10. *p.*1. *num.*8.

Respondetur, non teneri tale pactum apponere, 588
quia dotat ex necessitate, cùm teneatur dotare juxta tradita suprà *n.*574. Respondetur secundò,posse validè illud pactum apponere,ipsa sorore,vel sobrina consentiente expresse,vel tacitè,juxta tradita suprà *n.*567.

Respondetur tertiò, posse apponere etiam ipsi neque expressè, neque tacitè consentiente; quia non dotat de bonis ipsius sororis, aut communibus, sed de bonis Ecclesiasticis ad se spectantibus quoad usum, & administrationem, & etiam quoad dominium, juxta magis communem sententiam, licèt cum obligatione expendendi in usus pios: & si soror semel dotata absque sua culpa admitteret dotem, iterum frater teneretur illam ex iisdem redditibus dotare, unde intrant tradita suprà *n.* 568.

§. XXVII.

Vitricus, & noverca an teneantur in subsidium privignum pauperem, & è contra privignus alere vitricum, & novercam pauperes.

589 QUæsitum tertium, an vitricus dives teneatur alere privignos, seu filios suæ uxoris ex alio viro pauperes, qui neque à matre ipsa, neque ab avo paterno, neque aliunde alimenta habere possunt.

Respondetur non teneri. Ita Baldus, Salicetus, & alii Scribentes *in l. si paterno, Cod. de negotiis gestis,* Lancellotus *in l. si constante, in fine principii, ff. soluto matrimonio*, Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. si quis ex eis, n.* 273. *ff. de liber. agnosc.* Surdus *de alimentis, tit.* 1. *q.* 41. *per totam, & tit.* 6. *quæst.* 11. *num.* 13. Molfesius *ad consuetudines Neapol. tom.* 1. *p.* 5. *quæst.* 11. *num.* 37. *& seq.* & cæteri Jurisperiti, quos latè refert Surdus *d. quæst.* 41. *num.* 1. *&* 2. & constat *ex d. l. paterno*, ubi decernitur, quod vitricus qui alimenta privigno præstitit cum animo, aut declaratione expressa, vel tacita repetendi, potest illa repetere: quod ei non permitteretur, si obligaretur præbere; nam censeretur proprium debitum exsolvisse. Ratio autem est, quia judicatur tanquam extraneus respectu privigni, cùm non sit loco parentum, ut colligitur *ex l. si nondum, Cod. de furt.* ubi privignus accusat vitricum, cùm tamen filius non accuset patrem. Ampliant Lancellotus *loco citato*, Corduba *num.* 274. & Surdus *d. quæst.* 41. *num.* 2. *& d. quæst.* 11. *num.* 13. cum aliis, ut etiam quando dos ob vergentiam mariti ad inopiam fuit collata in tuto, mater ipsa non possit eos alere ex fructibus ejusdem dotis; sed si aliqui fructus supersint ultra id quod pro oneribus matrimonii erat necessarium, reserventur marito, & ejus lucro cedant, ut præter citatos Doctores docet Baldus *in d. l. si constante, num.* 104. *ff. soluto matrimonio*, Joannes Lupus *in cap. per vestras, in* 1. *notabili, §.* 19. *num.* 1. *de donat. inter virum, & uxor.* Molfesius *d. quæst.* 11. *n.* 41. *& tom.* 2. *cons.* 11. *n.* 38. *& seq.* & alii allegati infrà *num.* 842.

590 Addunt Surdus *d. q.* 41. *n.* 9. & Molfesius *d. q.* 11. *n.* 40. neque novercam ex bonis propriis teneri privignos, seu filios mariti ex alia uxore pauperes alere, quia etiam ipsa respectu privignorum habetur uti extranea persona, nec major erga privignos debet esse obligatio novercæ quàm vitrici. Addit Surdus *d. q.* 41. *n.* 12. aliam rationem, quare vitricus, & noverca non teneantur ex propriis bonis alere privignos pauperes, scilicet quia inter eos nullum est jus successionis, *l. vitrico, Cod. comm. de successION.* sed quædam sola affinitas, cujus vigore non datur successio. Dixi, *ex propriis bonis*; nam noverca ubi propter vergentiam mariti ad inopiam, vel ex alia causa esset illi dos restituta, vel aliter in tuto collocata, deductis alimentis, quæ sibi, viro, & communibus liberis sunt necessaria, si quid fructuum ejusdem dotis, & donationis propter nuptias supersit, de eo debet alere privignos, ut probat Cynus *in l. Ubi adhuc, q.* 10. *Cod. de jure dot.* Surdus *d. q.* 41. *n.* 50. Molfesius *d. n.* 40. *&* 41. & alii Jurisperiti relati à Surdo. Ratio manifesta deducitur ex traditis numero præcedenti, scilicet quia durante matrimonio fructus dotis, & donationis propter nuptias sunt mariti, & quando ob aliquam causam ad uxorem perveniunt deductis expensis, & aliis necessariis pro ipsa uxore, filiis, & familia, quod superest pertinet ad maritum, in ejusque, & creditorum beneficium remanet; ac proinde cùm onus paternum sit alere filios ut creditores alimentorum, hoc onus adimplet noverca ex fructibus viri, licèt non teneatur ex bonis propriis, ut dictum est.

Verùm prædictis obstare videtur, quod privignus tenetur alere novercam inopem, ut tenent Jason *in auth. præterea, n.* 2. *Cod. unde vir, & uxor,* & Surdus *tit.* 1. *q.* 40. & Molfesius *d. q.* 11. *n.* 39. Ergo per regulam correlativorum, etiam noverca tenetur alere privignum pauperem, & ex consequenti etiam vitricus tenebitur privignum pauperem alere. 591

Hæc objectio postulat resolutionem difficultatis, an privignus ex aliqua speciali ratione teneatur alere novercam pauperem. Igitur non teneri, sustinent Angel. *in d. auth præterea*, Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, in princ. n.* 37. *ff. de liber. agnosc.* & nonnulli alii à Surdo *d. q.* 40. *n.* 5. relati. Probant quia nullo jure cautum est, privignum debere alere novercam, cui viduæ, & inopi ideo jus alio remedio consuluit, scilicet ut in quartam bonorum viri defuncti succederet, *d. auth. præterea, Cod. unde vir, & uxor.* Ex quibus concludunt, privignum neque ut hæredem patris, seu mariti novercæ teneri eam alere, cùm habeat prædictam quartam. Confirmat Corduba, quia non potest dici officio pietatis privignũ alere debere novercam quasi matrem, argumento *§. itẽ rescriptam, l. si quis à liberis ff. de liber. agnosc.* quia inter matrem, & filium pietatis ratio inest secundùm naturã, *l.* 1. *ff. de obsequiis:* at inter privignum, & novercam odiũ intestinum, *l.* 4. *ff. de inoffic. testam.* unde idem Corduba infert, jure regio sanctè statutum esse, ne privignus cogatur alere novercã, *l.* 1. *tit. de los goviernos, lib.* 3. *fori.* 592

At privignum hæredem mariti teneri alere novercam, si aliunde alimenta non habet, tenent Jason *loco citato*, Surdus *d. q.* 40. *n.* 3. *&* 4. & Molfesius *d. n.* 39. quia sicut maritus pietatis officio tenetur uxorem alere, quæ sit inops: ita hæres, qui eodem modo, eaque actione, & jure convenitur, quibus defunctus erat obstrictus, ita quod hæres eos alere tenetur, quibus defunctus alimenta præstare tenebatur, *§. si quis igitur habens. auth. quibus modis natur. eff. sui.* Decius *in l. qui cum alio, ff. de reg. jur.* & latè ostensum est suprà, dum ageretur de obligatione hæredis patris alendi filios inopes: & sicut quæcumque vidua est alenda ab hæredibus viri intra annum luctus, ut latè docet Surdus *tit.* 1. *q.* 44. ita etiam noverca, cùm noverca non sit alimentis privanda magis quàm aliæ viduæ; atque adeo etsi non invenitur expressè jure cautum, privignum hæredem debere alere novercam, sufficit tamen quod generaliter uxor vidua juxta Doctores sit ab hæredibus viri alenda. Sicut etiam non obstat, quod viduæ sit cautum alio remedio, *d. auth. præterea*, inquit Surdus, cùm multi dentur casus, in quibus non est locus, putà quando maritus non est ita dives, vel quando est dotata uxor tali dote, quæ non potest dici parva respectu mariti, vel quando etiam maritus non fuisset dives, & filius adivisset hæreditatem. Supposito autem quod sit locus dictæ authenticæ *præterea*, cùm tunc noverca non possit dici inops, utpote habens, vel volens habere quartam, non erit à privigno alenda. 593

Imò novercæ pauperi privignum divitem, etsi non hæredem patris, adhuc teneri alimenta præstare, putant Surdus *d. q.* 40. *n.* 6. *& seq.* Molfesius *loco citato*, primò ob rationem authenticæ *præterea*, quam ibi Doctores considerant, scilicet ne noverca cum patris opprobrio cogatur mendicare. Secundò quòd novercæ eadẽ sit reverentia exhibenda quæ matri, *§. socrũ, Instit. de nupt.* & alimenta his debeantur, quibus exhibenda est 594

est reverentia, ut probat Crotus *in d. l. si constante, in 1. repet. n. 162. ff. soluto matrim.* & alii relati à Surdo *dec. 6.* qui id numeris sequentibus pluribus confirmat.

595 Hinc ad objectionem suprà *n. 591.* positam ex Surdo *d. q. 41. n. 3.* & Molfesio *d. q. 11. n. 39.* admisso antecedente, negatur consequentia ob diversitatem rationis; nam quod privignus debeat in subsidium alere novercam, si illa non habeat unde commodè vivere valeat, id evenit propter reverentiam novercæ debitam, quia loco matris habetur, & multò magis propter honorem patris, ut ipse obligationem patris adimpleat: quæ rationes non procedunt in vitrico, neque in noverca respectu privigni.

SUMMARIUM

Capitis noni.

In defectum parentum, & ascendentium, & aliorum qui de jure ad alimenta præstanda tenentur, valdè conveniens est ut filii pauperes alantur ab aliis consanguineis, si sint divites, & præsertim si inter eos detur successio ab intestato, n. 596.

Infantes expositi, quorum parentes ignorantur, sunt alendi ab hospitali ad hunc effectum constituto, n. 597.

Deficiente in loco hospitali, an onus alendi eosdem expositos spectet ad Ecclesiam, seu ejus Rectorem, vel ad Dominum loci, vel ad communitatem, vel pro usu facueltatum ad Clericos, Laicos, & Magistratum, vel ad eum ad cujus januam sint expositi, à n. 598. ad 601.

Prælatus monasterii, ad cujus januam infans exponitur, an & quando teneatur expensis monasterii providere illi de alimentis, & an expediat eum suscipere infantem expositum impensis monasterii educandum, n. 601.

Parentes inopes impotentes ad eos alendos, non peccant exponendò suos infantes in hospitali ad hos pauperes alendos constituto, vel hospitali deficiente, ad januam alicujus, vel Ecclesiæ, curando ne infans periclitetur interim donec ab aliquo recipiatur, n. 602.

Parentes licitè exponunt filium illegitimum, aut spurium ad crimen tegendum, infamiamque, aut mortem evitandam, adhibita cautione, ne frigore, vel alio casu moriatur, n. 603.

Non peccant parentes, si curent filium educari in hospitali, dummodo fiat sine dedecore, n. 604.

Ex natura rei, & seclusa aliqua legitima causa ex prædictis excusante, gravissimum peccatum est exponere filios, tam legitimos, quàm illegitimos, n. 605.

Parentes secretò exponentes filium illegitimum, aut spurium in hospitali ad infantes expositos, & alios similes alendos constituto, si sint divites, an teneantur restituere eidem hospitali expensas alimentorum, num. 606. & 607.

Parentes infantium illegitimorum, ac spuriorum in hospitali expositorum, postquam ab infantia excesserint, curam habere debent, & illis, si egeant, necessaria subministrare, ut juxta conditionem, & statum parentum, & proprium vivere possint, & possint obtinere eam bonorum portionem, quam juxta leges loci tenentur illis dare, aut relinquere, n. 608.

Is ad cujus januam infans expositus est, an, & quando licitè possit ad januam alterius exponere, num. 609. ad 612.

Referuntur jura punientia parentes, patronos, & dominos exponentes filios, libertos, & servos, n. 613.

Infans dicitur usque ad septimum annum inclusivè, n. 614.

Languidi qui dicantur, ibid.

Expositi qui dicantur, ibid.

Pater exponens filium infantem, vel si alius exponat ipso sciente, & non contradicente, amittit in eum patriam potestatem, & filius efficitur sui juris, num. 615.

Item si exponat filium languidum, vel ei deneget alimenta, ibid.

Filius impiè à patre expositus, postea patrem occidens, non punitur pœnâ parricidii, ibid.

Exponens servum infantem, aut languidum cujuscumque ætatis, aut ei denegans alimenta, perdit jus servitutis, & si patronus exponat libertum infantem, vel languidum, amittit jus patronatus, n. 616.

Recipiens & alimentans filium, vel servum expositum, nullum in ejus personam jus acquirit, n. 617.

Patronus liberto egeno illa petenti negans alimenta perdit jus patronatus, nec amplius habet jus ei succedendi, num. 618.

Privatio patriæ potestatis, juris servitutis, & juris patrotronatus, statuta contra patrem, dominum, & patronum exponentes infantes, vel languidos, incurritur ipso facto, n. 619.

An ubi filio, servo, vel liberto adultis egenis negantur alimenta, ad incurrendas pœnas præfatas requiratur interpellatio, seu filii, servi, vel liberti petitio alimentorum præmissa, ibid.

Ubi pœna imponitur pro facto negativo, requiritur monitio, ibid.

Quando filiis, servis, adultis, non languidis, sed sanis, egentibus tamen negantur à patre, vel domino alimenta, an ab iis incurratur privatio patriæ potestatis, & juris servitutis, de qua in c. unico de infant. expos. *n. 620. & 621.*

Si filius ob denegata alimenta periret, puniretur pater ac si propriis manibus filium necasset, n. 621.

Pater impiè denegans alimenta filio egenti, puniri debet pœna ad judicis arbitrium, ibid.

Exponentes impiè filium, servum, aut libertum infantes, ultra privationem patriæ potestatis, etiam sunt puniendi alia pœna judicis arbitrio, n. 622.

Pater exponens impiè filium, an non solùm impediatur acquirere in posterum usumfructum bonorum adventitiorum filii, sed etiam amittat usumfructum antea acquisitorum. Ubi an ususfructus in bonis filii in potestate existentis à patre acquisitus, extinguatur cessante patria potestate, an verò duret durante vita patris, n. 623.

Pater, & dominus necessitate coacti exponentes filium, vel servum infantem, excusantur, nec incurrunt præfatas pœnas, n. 624. & duobus sequentibus.

Si patre ignorante, vel domino expositus sit filius, aut servus, pater, vel dominus potest repetere, cùm sciverit, & an solvat expensas educationis, n. 627.

Pater potest agnoscere filium expositum, qua agnatione sequuta, censebitur ut filius legitimus, & servus hæres patris, n. 628.

Pater exponens filiam non eximitur ab onere illam dotandi, n. 629.

Cùm quis propter odium consideratur ut alius, seu ut diversa persona, id procedit quoad honores, non quoad incommoda, ibid.

Cessante patria potestate, regulariter cessat dotandi necessitas, quæ ab illa descendit, ibid.

Pater, & dominus repetens filium, aut servum ab alio, ipsis ignorantibus, aut invitis expositum, solvit expensas in alendo, vel educando puero in aliqua arte factas, nisi vindicet à fure, cui nil restituere deberet, num. 630.

Pater filiam exponens, & non consentiens in ejus nuptias, cum nutritoris filio, alimentorum expensas solvere tenetur, n. 631. & quid si solùm filia renuat, vel filius nutritoris sit valdè dispar ætatis cum illa, ibid. fine.

An idem sit dicendum, si exponens filium, recuset eum nubere cum filia nutritoris, ibid.

Alumnus ingratus in altorem alimenta accepta restituere tenetur, ibid.

Alimenta

Alimenta intuitu pietatis præstita regulariter non possunt repeti, ibid.

Qui collegit, & aluit filium à patre volente, aut consentiente expositum, qui non tenebatur recolligere, & alere, an possit petere à patre expensas alimentorum factas sine expresso animo, aut expressa protestatione repetendi. Negativa, n.632. Affirmativa, n.633.

Impensa facta pro erudiendo puero exposito in bonis artibus, à patre solvi debet, n.633. & 634.

Impensam alimentorum, etiam factam animo, aut præmissa protestatione repetendi, potest nutritor expositi repetere, & in foro conscientiæ sat est à principio fuisse animum repetendi, n.636.

Recollector alimenta filio, vel servo exposito præstita expressè, vel implicitè intuitu pietatis, & amoris Dei non potest repetere, n.637.

Infantem expositum consanguineum qui suscepit, & aluit, nec constat de animo repetendi, præsumitur in dubio aluisse intuitu pietatis, nec potest expensam alimentorum repetere, n.638.

E contra recollector, & nutritor extraneus præsumitur aluisse animo repetendi, & potest repetere, nisi aliàs sit dives, & liberalis, n.639. & 640.

In præsumendo animum donandi attenditur quantitas impensæ, & conditio personæ donantis, si sit dives, vel nobilis, n.640.

Hospitale alendis pueris expositis deputatum, aut Ecclesia expositum alens, non potest alimenta repetere, non obstante protestatione repetendi, nisi parentes expositi essent divites, n.641.

Protestatio non relevat in iis quæ non pendent à voluntate protestantis, & ubi præcedit obligatio, ibid.

Exposito non succedit ab intestato nutritor privatus, neque fiscus, sed hospitale, vel Ecclesia, qui, vel quæ illum suscepit alendum, n.642.

CAPUT IX.

In defectum parentum, & ascendentium, & eorum quos suprà probatum est de jure teneri, ad quosnam alios spectet onus alendi pueros egenos.

596 QUæsitum undecimum. In defectum patris, matris, & ascendentium, & eorum hæredum, & etiam fratrum, & sororum, ac patrui, & avunculi, quinam alii teneantur, & cogantur alere pueros inopes alioqui fame perituros, nisi ab aliquibus eis alimenta necessaria vitæ subministrentur, præsertim à quibus debeant ali infantes expositi ad januas Ecclesiæ, vel alicujus privati, vel in platea, aut solitudine?

Quando constat quorum sint filii alimentis egentes, & nulli extant ex his, qui alioqui jure naturali & civili, aut saltem jure naturali eos alere deberent, extant tamen alii consanguinei eorundem puerorum divites, & habiles ad eos alendos, & edocendos, valde conveniens est, ut ab iis consanguineis alerentur, maximè si inter eos daretur successio ab intestato. Hac de causa in Lusitaniæ regno, ut testatur Ludovicus Molina *de justitia & jure, tom. 1. disp. 168. versus finem, versic. in defectum*, constitutum est, ut in defectum parentum, & ascendentium requirantur alii consanguinei, qui si non voluerint, vel non sint ob inopiam inhabiles ad alimenta præstanda, dicendum erit sicut de expositis, quorum parentes ignorantur.

§. I.

Infantes expositi, quorum parentes ignorantur, ubi non extant hospitalia ad illos alendos destinata, an sint alendi ab Ecclesia, vel Domino loci, vel communitate, vel ab eo ad cujus januam sunt expositi.

IGitur quoad infantes expositos, quorum parentes ignorantur, si in loco adsunt hospitalia ad hunc finem alendi hujusmodi expositos, & alios pueros, qui neque à parentibus fortè jam defunctis, nullo relicto patrimonio, vel ita egenis ut non possint se, & pueros alere, communis sententia est, quod hi infantes expositi debeant ali, & educari in hospitali, seu de bonis hospitalis publici. Ita Glossa *in can. fin. dist. 87.* Thesaurus *decis. 118. versic. Tandem*, Surdus *de aliment. tit. 1. q. 81.* Molfesius *ad consuet. Neapol. tom. 1. p. 5. q. 11. n. 24. & 25.* August. Barbosa *collect. ad cap. unicum, n. 5.* Molina *loco numero præced. allegato*, & Sanchez *in consil. mor. lib. 1. c. 5. dub. 5. n. 71.* & alii infrà allegandi. Quare præfectus hujusmodi tenetur hujusmodi infantes expositos suscipere, & eo magis quia in extremo periculo vitæ sunt. 597

Si in loco non adsit hospitale publicum ad præfatum effectum constitutum, aliqui voluerunt onus alendi eosdem expositos spectare ad Ecclesiam, seu ejus Rectorem, si Rector habeat ad id sufficientes facultates. Ita Panormitanus *in d. cap. unicum, n. 3. de infantibus expositis*, Jacobus de S. Georgio *in l. hæres absens, §. si quis tutelam, num. 41. ff. de judiciis*, Sola *in constit. Pedemontanas, super decret. de capt. debitor. pro causis civilibus, glossa unica, 3. p. n. 2.* Surdus *d. q. 81. n. 1.* August. Barbosa *d. collect. n. 4.* & juxta hanc sententiam in facti contingentia judicasse Senatum Taurinensem, testatur Thesaurus *loc. cit.* Quod si Ecclesia, seu ejus Rector non haberet sufficientes redditus, tunc hoc onus alendi expositos præfatos spectare ad Principem, seu vassallum loci Dominum, dixit Sola *loco citato*, & censuerunt etiam absolutè nonnulli ex Senatoribus Pedemontanis, ut refert Thesaurus *de decis. 118. n. 2.* ob eam rationem, quod cùm Princeps, seu Dominus loci succedat in bonis vacantibus, *l. 1. Cod. de bonis vacantibus*, & succedere debeat istis qui non habent consanguineos cognitos, meritò etiam ad illum spectabit onus alendi, *arg. l. pro tutela, & l. secundùm naturam, ff. de reg. jur.* Senatus Pedemontanus autem, teste Thesauro, ubi Ecclesia non habet sufficientes redditus, censuit Rectorem, vassallum, & communitatem debere concurrere simul pro rata, juxta Authenticam *de infantibus expositis*. 598

Alii censuere, tale onus spectare pro rata facultatum ad Ecclesiam, vassallum, seu loci Dominum, & communitatem simul. Ita Thesaurus *d. decis. 118. n. 4. initio, & fine*, id inferens ex §. *Quin sancimus, auth. de infantibus expositis*, ubi sic habet Imperatoris constitutio: *Quin sancimus, ut tam religiosissimus Thessalonicensium Archiepiscopus, quàm sancta Dei sub ipso constituta Ecclesia, & gloria tua his* (scilicet infantibus expositis) *opem ferat.* Ibi enim nomine Ecclesiæ ait Thesaurus debere intelligi omnium Fidelium congregationem, tam Laicorum, quam Clericorum, & etiam ipsum Magistratum Laicum, cùm Imperator etiam ipsi Præfecto (ibi, *Gloria tua*) præcipiat, ut eisdem expositis opem ferat. Quare juxta hanc sententiam, & præfatas illius Authenticæ interpretationes, hi infantes expositi alendi sunt pro rata à Laicis, Clericis, & ab ipso Magistratu: & rationem addit Thesaurus, quia opus alendi hos infantes expositos est causa pia, & debitum ex eleemosyna, ad quod Ecclesia, & populus tenentur, ac proinde ad ipsos pro rata facultatum suarum spectabit: & in hanc sententiam subdit Thesaurus convenire præcedentem sententiam, & sequentem. 599

Alii

600 Alii ergo sentiunt, hoc onus alendi expositos, ubi non adsunt hospitalia publica ad id destinata, spectare ad communitatem, ita quod non debeat ali ex redditibus bonorum communium, vel ex collectis ad id statutis. Ita Molina loco suprà *n.*597. citato, Augustinus Barbosa *d. collectaneo ad d. cap. unicum*, *n.*5. *de infant. expos.* Molfesius *d. q.*11. *n.*26. *& seq.* & Surdus *d. quæst.*81. *num.*2. ubi ait deficientibus publicis hospitalibus consuevisse communitates locorum tales recipere, & nutricibus nutriendos dare publica impensa: & in confirmationem hujus sententiæ Thesaurus *d. decis.*118. *num.*3. eam affert rationem, quod cùm tales expositi dicantur filii populi, ob idque vulgò quæsiti appellentur, ideò etiam ad universitatem tanquam matrem dictorum filiorum onus illos alendi spectare debet, & id puto verius, si communitas commodè ex suis redditibus communibus, vel collectis id præstare possit: quod si communitas esset pauper, etiam Rectores Ecclesiarũ, & quicumque beneficiati ex redditibus Ecclesiasticis deberent concurrere; imò consultius facerent, si semper opem ferrent, cùm ad ipsos maximè spectet ex fructibus Ecclesiasticis eleemosynam facere. Animadvertit etiam Surdus *d. q.*81. *n.*3. ex Baldo *in l. Imperator*, *ff. de statu hom.* & Boërio *decis.* 306. *num.*6. partum mulieris ali debere publicis impensis, quando ille non habet.

601 Ex dictis resolvi potest dubium, scilicet an is ad cujus januam infans expositus fuerit, possit à Iudice cogi ad illum educandum, si non sit locus publicus ad talium infantium educationem destinatus: etsi enim Sanchez *cons. mor. lib.*1. *d. cap.*5. *dub.*5. *num.*72. sentit posse cogi, eo quòd infans ibi inventus fuerit, & commodiùs ita ali possit: nihilominus dicendum est, non posse cogi. Colligitur ex traditis, scilicet quia onus hos infantes alendi & educandi spectet ad communitatem, unde præfatus solùm pro rata, ut pars communitatis tenetur concurrere, ubi communitas non habeat redditus communes sufficientes, sed pro hoc opere sint imponendæ collectæ. Sententia ergo Sanchez procedit solùm in casu extremæ necessitatis, ut si infans esset moriturus, nisi ei statim provideretur de nutrimento, & cæteris ad vitam hîc, & nunc cõservandam necessariis. Cùm enim eo casu extremæ necessitatis is ad cujus januam infans est expositus, si posset, ex lege charitatis sub mortali teneatur ei succurrere, posset etiam eo casu à Iudice cogi, juxta doctrinam ejusdem Sanchez, & aliorum, quos ipse *d. dub.*5. *n.*63. refert, & dicit esse communem, nempe quod Iudex potest cogere divites ad dandam eleemosynam pauperibus in extrema necessitate constitutis. Hinc etiam Prælatus monasterii, ad cujus januam, vel in cujus Ecclesia infans sit expositus, licèt si infanti immineat mortis periculum, nisi illicò illi succurratur, teneatur statim curare ut eidem provideatur de nutrimento, & aliis tunc ad vitam illius conservandam necessariis, non tenetur tamen expensis monasterii educare, sed potest tradere illis, qui priùs, & magis tenentur, juxta tradita. Nec etiam expedit Prælatum suscipere hos expositos impensis monasterii educandos cum distractione à meliotibus exercitationibus, ut notavit Henriquez loco infrà, *n.*603. citato.

§. II.

Parentes exponentes suos filios infantes, an, & quando à culpa excusentur, vel peccent.

AN verò, & quando parentibus liceat filios infantes exponere, vel peccent exponendo?

602 Certum est, si parentes sint adeò pauperes, ut non possint illos alere, & educare, nec inveniant, aut sperent se invenire posse qui pro educatione necessaria subministrent eleemosynas elargiendo, non peccare eos etiam legitimos exponendo, seu mittendo illos, sive publicè, sive secretò in hospitale ad id destinatum, vel hoc non existente, exponendo ad januam alicujus, vel Ecclesiæ, aut in aliquo loco publico, credentes probabiliter, quod ab aliqua pia persona infans expositus recipietur, & educabitur, curando tamen ne ob defectum nutrimenti, vel operimenti periclitetur; tunc enim est justa causa expositionis, nam tunc cessat obligatio parentum alendi, & consulunt proli eo modo quo possunt. Ita communiter Doctores, Glossa, Hugo, Turrecremata *in cap. si expositus, dist.*87. Scribentes *in cap. unicum de infantibus expositis*, Angelus, & Sylvester, Tab. Rosella, Armilla *verbo expositus*, Henriquez, Azorius, Sanchez, & alii Theologi, qui numero sequenti allegantur. Dicit tamen Layman *loco numero sequenti citato*, vix posse contingere casum, ut prolem exponere liceat propter inopiam, quia eam alere non possint. Nam inter homines (inquit) qui prolem suscepturi sperantur ad alendum ex misericordia, reperientur etiam aliqui qui parentibus subsidium præstabunt ad alimoniam prolis. Verùm experientiâ constat non ita facilè moveri homines ad eleemosynas faciendas parentibus pauperibus, sicut ad subveniendum expositis.

Item certum est, parentes posse licitè, & absque peccato filium illegitimum, vel spurium exponere hospitali ad tales educandos destinato, vel hoc deficiente, ad januam alicujus, aut Ecclesiæ, vel monasterii, vel in loco publico, adhibita tamen præfata cautione, ne infans frigore, vel defectu nutrimenti, &c. moriatur, aut periclitetur, quousque ab aliqua persona recipiatur, si id fiat necessitate ita exigente, nempe ad tegendum crimen adulterii, aut fornicationis occultum, & ad infamiam, vel mortis periculum evitandum. Ita ex Iurisperitis clarus *in practica criminali*, §. *fin. q.*83. *n.*7. ubi scribit, quod Senatus Mediolanensis in facti contingentia quandam puellam nubilem absolvit, quæ infamiæ vitandæ gratiâ puerum quem pepererat, exposuit: & Menochius *de arbitrariis, casu* 396. *n.*6. ex Summistis, & Theologis ita Armilla *verb. Adulterium*, *n.*8. Caietanus *in sum. verb. eod. fine*, Henriquez *lib.*11. *c.*19. *n.*3. in textu & glossa 3. Azorius *part.*2. *lib.*2. *c.*4. *quæst.*7. Sanchez *in cons. moralibus*, *lib.*1. *cap.*5. *dub.*4. *num.*16. Molina *de justitia, tom.*4. *tractat.*3. *disput.*103. *num.*4. Lessius *de justitia, lib.*2. *cap.*19. *n.*69. Paulus Layman *lib.*3. *tract.*3. *part.*3. *cap.*14. *num.*4. Bonacina *de præceptis Decalogi*, *disput.*6. *quæst. unica*, *part.*6. §.1. *num.*6. Villalobos *part.*2. *tract.*41. *diffic.*7. *n.*11. Fragosus *de Republica Christiana, disput.* 2. *n.*16. Trullench *in Decalogum, lib.*4. *cap.*1. *dub.*3. *num.*25. Cùm enim in hujusmodi, & præcedenti casu impietas non moveat ad expositionem, sed vel paupertas & impotentia alendi, vel honor, aut metus vitæ amittendæ, expositio cum illa cautela, ut proles non periclitetur, non potest imputari ad culpam, neque in interiori, neque in exteriori foro; cùm impotentia alendi, & conservatio honoris, & vitæ sint justa causa exponendi. In hujusmodi autem casu consultum est, ut proles priùs baptizetur, apposita ei schedula de baptismo testante. 603

Item si pater curet filium educari, & ali in hospitali, in quo recipi, & educari, atque ali possit sine dedecore, attentis dignitate personæ, & hospitalis conditione, non peccabit si id contingere possit ubi pater, & filius non est persona vilis, ut suprà *num.*34. notatum est, & tradunt Doctores ibidem allegati: quando enim pater curat filium ali, & educari sine dedecore, & pro dignitate personæ, licèt in hospitali, non censetur deserere filium, nec impietatem committere, & excusatur à peccato, & qui tenetur alium alere, huic oneri satisfacit, ab eoque liberatur, si curet, efficiatque ut ab alio, vel in hospitali domo honestè juxta statum alatur, 604

alatur, ut dixi suprà *n.* 34. & tradunt Doctores ibidem citati: vix autem potest evenire, ut in hospitali publico filius sine dedecore educetur, nisi pater, & filius sint personæ viles, vel saltem filius sit vilis ob turpitudinem natalium, ut etiam *cit. n.* 34. dictum est: & ideo Rebuffus, & Menoch. locis *d. n.* 34. citatis aiunt, absolutè patrem non liberari à præstatione alimentorum, si vult filium ali in hospitali: excusaretur etiam pater à culpa, si non haberet in facultatibus, ut posset decenter filium juxta ejus dignitatem alere, ut *eodem num.* 43. notavi.

605 Item certum est ex natura rei, & seclusis prædictis causis, seu circumstantiis legitimè excusantibus, exponere filios, tam legitimos, quàm illegitimos, sive in hospitali, sive ad januas Ecclesiæ, vel monasterii, vel alicujus privati, vel in locis publicis, aut aliis locis, esse gravissimum peccatum; cùm omni jure parentes teneantur alere à se progenitos partus: unde dum eos sic exponunt, & à se abjiciunt, committunt maximã impietatem, & adversus ipsum naturæ instinctum agunt; cùm brutis hoc inesse videamus, ut quanquam feræ sint, non tamen prolem suam negligant. Quapropter contra hujusmodi parentes filiorum propriorum expositores, & abjectores, in utroque Jure, canonico & civili sunt gravissimæ pœnæ constitutæ, de quibus infrà, quæ etiam indicant talem expositionem esse gravissimum peccatum: quod etiam tradunt in terminis Menochius *d. casu* 396. *n.* 1. Barbosa *collect. ad d. c. unicum, n.* 2. & omnes Summistæ, & Theologi suprà *n.* 602. *&* 603. allegati, & confirmat textus *in l. necare, ff. de liber. agnosc.* ubi dicitur, *Necare videtur non tantum is qui partum præfocat, sed & is qui abjicit, & alimoniam denegat; & is qui publicis locis misericordiæ causa ædificatis exponit, quam ipse non habet.* Ubi Glossa ait, cujusmodi sunt qui in hospitali domo, aut præ foribus ædis sacræ exponunt.

Parentes fornicarii, aut adulteri divites, qui ad evitandam infamiam filium illegitimum, aut spurium exposuerunt secretò in hospitali, an teneantur restituere alimentorum expensas.

606 Difficultas est, an quando parentes fornicarii, aut adulteri ad crimen occultandum, & infamiam, vel mortem evitandam exponunt secretò filium nutriendum in hospitali ad effectũ hos pueros expositos alendi destinato, si pauperes non sint, sed divites, teneantur restituere hospitali expensas quas in filio exposito nutriendo, & educando fecerit. De rigore negat absolutè Henriquez *d. c.* 19. *in com. lit. F*, secus de æquitate, ob eam rationem, quod hujusmodi hospitalia ad hos infantes expositos, & alios similes parvulos alendos sint instituta ne parvuli à parentibus abjecti, & neglecti pereant, vel etiam ab iisdem parentibus enecentur; & talis præsumatur intentio eorum qui ex officio pietatis, & zelo boni communis hospitalia hujusmodi dotant, vel eis dant eleemosynas: & hujus sententiæ esse etiam Glossam *in d. can. si expositus, dist.* 87. refert Azorius *d. q.* 7. ubi tamen Glossa id apertè non dicit, nec videntur adesse verba, quæ id etiam implicitè contineant: verbo enim, *intra decem dies*, solùm dicit illum qui colligit expositum infantem, non repetere alimenta à patre repetẽte, nisi cùm protestatus est, & pater repetens non vult ut ducat filium ipsius collectoris; quia quæ pietatis causâ dantur, non repetuntur, *c. sacrorum*, 12. *q.* 2. de quo *infrà* Lessius, qui *cit. n.* 69. & Ipse dicit non teneri de rigore parentes, etsi divites, restituere sumptus hospitali, nisi constet pro solis pauperibus alendis fuisse institutum; sed solùm de decentia, & gratitudine. Layman *alleg. n.* 4. *versic. Dico tertiò*, asserit si hospitale in quo infans spurius recipitur, non sit dives, pater, & in ejus defectum mater, si divites sint, tenentur facere hospitali compensationem aliquam, quatenus sine periculo suæ famæ possunt: si verò hospitale sit dives, tunc præsumi posse fundatum esse pro omnibus expositis, ob causam justam absque compensationis obligatione, quod desumpsit ex Molina *d. disp.* 103. *n.* 41. ubi ait parentes divites non teneri ad præfatam restitutionem hospitali faciendam, quando hospitale ex sui institutione haberet redditus ad alendos pueros expositos, & esset valdè dives, ita ut intelligendum esset, institutorem voluisse omnes ali, nihil spectando de parentibus, esto divites essent. Fragosus *de Rep. Chr. p.* 3. *d. disp.* 2. *n.* 129. dicit de rigore justitiæ teneri restituere impensas, si hospitale sit erectum tantùm pro pauperibus alendis; secus si etiam pro expositis alendis esset erectum, & bona illi applicata. Quare etiam à fortiori addit, non teneri quando aliqua communitas imponit populo collectam aliquam, sive tributum de mandato Principis pro educandis pueris expositis; quia cùm omnes, ait, concurrant ad hanc collectam, quamvis parentes qui exposuerunt filium, sint divites, non tenentur reficere expensas communitati, cùm bona sic collecta fuerint jam destinata ad alimenta expositorum ab ipso populo, & sint recepta à communitate cum illo onere alendi expositos.

Cæterùm reliqui Doctores communiter sentiunt, 607
parentes, si sint divites, teneri restituere hospitali præfatas impensas in educatione filii ab ipsis expositi. Ita Armilla, Sylvester, Tabiena, Rosella, Caietanus *verb. Adulterium*, Navarrus *in man. c.* 16. *n.* 48. Azorius, Villalobos, Trullench locis suprà *n.* 603. citatis. Item Azorius *d. lib.* 2. *c.* 26. *q.* 1 *versus finem*, Vasquez *in opusc. de testam. c.* 5. §. 1. *n.* 23. Bonacina loco suprà *d. n.* 603. allegato, & *de matrim. q.* 4. *part.* 15. *n.* 10. Rebell. *de oblig. just. part.* 1 *lib.* 3. *q.* 10. *n.* 8. Fagundez *in Decal. lib.* 4. *c.* 1. *n.* 5. Sanchez *alleg. dub.* 4. *n.* 16. & alii apud eundem, & Joseph Rocafull *in praxi Quid agendum, p.* 3. *lib.* 2. *n.* 43. Unica omnium ratio est, quia hospitalia sunt constituta, & redditus eisdem applicati, ac eleemosynæ datæ pro pauperibus, filiisve pauperum, non pro divitibus, divitumque filiis, & etiam collectæ quæ à communitate imponuntur, censentur imponi pro alendis expositis, quorum parentes sunt egeni, quamvis in hoc casu prior sententia habeat majorem probabilitatem.

Ad quam restitutionem principaliter tenetur pater, cui ex dispositione juris incumbit onus alendi filios, & etiam faciendi expensas pro ablactatione, quando mater commodè, aut decenter ablactare non potest, ut suprà suo loco probatum est: in patris autem defectũ, qui ob paupertatem, aut alia ex causa non possit restitutionem præfatam facere, tenetur facere mater, ut docent Layman & Molina *loco citato*, facienda autem est dicta restitutio, seu compensatio alimentorum, quæ hospitale præbuit, pro eo tempore, quo iidem expositi inservire aliis non poterant, ut notavit Fagundez, quia postea serviendo aliis victum sibi poterant comparare. Facienda autem erit restitutio non solùm pro alimentis ab hospitali præstitis, sed etiam pro impensis ab eodem factis, ut iidem expositi aliquam disciplinã, aut artem addiscerent, ut notat Azorius *d. q.* 7. nam pater tenetur curare, ut filii artem aliquam addiscant, qua victum sibi possint comparare, ut suprà suo loco probatum est. Addit Fagundez *alleg. c.* 1. *n.* 5. *fin.* si restitutio aliqua ex causa hospitali fieri non possit, pauperibus faciendam esse, vel in operibus piis expendendum id quod restitutioni obnoxium est, juxta communem doctrinam in materia restitutionis; proderit enim id animabus ea bona applicantium.

Advertendum etiam ex Molina, & Layman *locis* 608
suprà allegatis, parentes filiis expositis in infantia ab hospitali educatis, postquam ex infantia excesserint, & adoleverint, teneri vel secretè, vel publicè, quatenus sine infamatione fieri poterit, subministrare necessaria ad sustentationem, si egeant, & ex ratione, & mensura,

seu

seu quantitate, sicuti deberent si expositi non fuissent, & ita juxta qualitatem personarum, & quantitatem redditruum, ut iidem filii, licèt illegitimi, & spurii, possint vivere juxta conditionem eorundem parentrum; hac enim ratione tenentur parentes etiam filiis spuriis alimenta præstare, ut pariter suprà suo loco probatum est. Item addit Molina, quod si juxta legum dispositionem in eo regno, aut provincia, vel civitate præfati filii illegitimi, & spurii succederent in parte bonorum eorum parentum, quam parentes illis licitè denegare non possent, curare tenerentur, secluso infamationis periculo, ut illam vel in vita talium parentum, vel post mortem consequerentur, ac proinde semper curare deberent ut intelligerent quid de eis filiis disponeretur, & ubi essent, & ut de illis notitiam semper haberent.

§. V.

Is ad cujus januam infans expositus fuit, an & quando ad alterius januam exponere possit.

609 Utrum verò ei ad cujus januam infans expositus sit, liceat ad alterius, vel Ecclesiæ, aut Monasterii januam exponere?

Certum est, quod non peccaret contra justitiam, nec teneretur alteri restituere expensas alimentorum, quæ præbuisset, quia sic exponendo non cogit alterum recipere, & alere. Ita Sanchez *lib. 1. consil. mor. cap. 5. dub. 5. n. 71. & 72.* ubi dicit esse diversam rationem de eo qui exponeret ad januam alterius hominem occisum, unde orta sit suspicio, & judicium adversus eundem, ad cujus januam inventus est, ipsique hoc damnum subsecutum est; tenetur enim, inquit, hoc damnum restituere; quia in hoc casu cogitur quis ad id, ad quod non tenebatur, sumpto judicio ex tali expositione, ita ut Iudex teneretur procedere contra illum.

610 Non peccaret etiam contra charitatem, si existente hospitali, vel alio pio loco pueris expositis alendis destinatò, ita ibi exponeret, quod infans nullum subiret periculum; sicut non peccaret non excipiens aliquem ægrotum, mittens illum in Xenodochium, quia in neutro casu adest extrema, aut gravis necessitas, cùm hospitale statim succurrat, & semper cùm est alius qui succurrat, non datur extrema necessitas. Ita Sanchez *d. dub. 5. n. 74.* Quare etiam ubi non est locus pro alendis expositis constitutus, si esset aliquis alius in promptu, qui puero sic exposito subveniret, non peccaret contra charitatem qui ad illius portam exponeret, ut etiam Sanchez *d. dub. 5. n. 75.* tenet.

611 Si etiam iste exponens ad alterius januam non habeat superfluum naturæ sibi, & suis, nullo modo peccaret, etiamsi infans laboraret evidenter extrema necessitate, versareturque in periculo mortis proximæ, nisi ei subveniretur. De necessario enim sibi, & suis nemo tenetur facere alteri eleemosynam, tametsi extremè egenti, juxta communem Doctorum. Ita Sanchez *d. dub. 5. n. 73.* Vix autem credo posse contingere talem casum, ut non possit ob inopiam pro parvo tempore infanti succurri.

612 Similiter quando ex susceptione infantis expositi probabiliter immineret infamia recipientis, vel infamiæ periculum, ut si esset Sacerdos, aut virgo, vel vidua, qui essent honestæ vitæ, de quibus possent alii suspicari puerum esse suum, non esset peccatum exponere eundem puerum ad alterius januam, quanvis exponens non adeò certò sciret illum esse in promptu ad subveniendum eidem puero; nam si mater ipsa ad tegendum proprium delictum potest licitè exponere puerum, ut suprà probatum est, multò magis poterit extraneus ad evitandam delicti imputationem, & infamiam gravem inde subsequuturam; etenim lex charitatis non obligat cum tanto periculo, ac dispendio: de quo etiam Sanchez *d. dub. 5. n. 77.* qui *n. 78.* addit moraliter loquendo non peccare hunc exponentem ad januam alterius contra charitatem, eo quia valdè probabiliter possit esse certus, se non subveniente, esse alios qui his expositis subveniant, dummodo sit illi cura, & prospiciat ne puer expositus tamdiu ibi moretur, quin ab alio excipiatur, ut immineret illi aliquod periculum.

§. VI.

Quibus pœnis afficiantur pater, patronus, & dominus exponentes filium, libertum, & servum.

Sed videamus quibusnam pœnis afficiantur parentes, & patroni, ad domini, qui absque justa, & probata causa filios proprios, vel servos, aut libertos adhuc infantes in Ecclesia, vel in vicis publicis, vel in aliis locis ab aliis enutriendos exponunt. De hoc in jure civili agitur *l. 1. 2. & 4. Cod. de infantibus expositis*, & *Auth. de infantib. expositis*, §. *qui itaque*, *d. l. 1.* sic habetur: *Si invito, vel ignorante te partus ancillæ, vel adscriptitiæ tuæ expositus sit, repetere eum non prohiberis, sed restitutio ejus, si non à furo vindicaveris, ita fiat, ut si qua in alendo eo, fortè ad discendum artificium justè consumpta fuerint, restituas.* Præfata autem lege 2. ita dicitur: *Unusquisque sobolem suam nutriat; quod si exponendum putaverit, animadversioni, qua constituta est, subjacebit; sed non dominis, nec patronis repetendi aditum reliquimus, si ab ipsis expositos quadammodo ad mortem volentes misericordia amica collegerit; nec enim suum quis dicere poterit, quem pereuntem contempsit.* Allegata verò lege 4. sic scribitur: *Sancimus, ne quosdcumque vel in Ecclesia, vel in viis, vel aliis locis abjectos constiterit, ii modis omnibus liberi sint, etiamsi certeam quandam probationem petitor habeat, qua ostendat hujusmodi personam ad suum pertinere dominium. Nam si legibus nostris statutum est, ut servi ægrotantes à dominis neglecti, & qui velut desperata eorum valetudine, possessorum curatione digni non censentur, omnino in libertatem abripiantur, quonam pacto in ipsis vitæ primordiis aliorum hominum pietati relictos, & ab eis educatos, in servitutem iniquam pertrahi patiamur? Enimverò liberos esse sancimus, ne illis quidem, qui hæc faciunt, irrogandas ex legibus nostris pœnas effugientibus, velut omni referta inhumanitate, & crudelitate, quo tamè quovis homicidio pejor est, quantò miserioribus eam inferunt.* Eadem sanctio iisdem verbis exarata habetur *in dicto §. qui itaque, auth. de infant. expos.* 613

In jure canonico, *cap. unico de infant. exposit.* sic statuit Gregor. IX. *Si à patre, sive ab alio, sciente ipso, aut ratum habente, relegato pietatis officio, infans expositus existit, hoc ipso à potestate patria fiat liberatus: nam & hoc casu in ingenuitatem libertus, & servus in libertatem recipitur: quod & de prædictis cujuscumque ætatis languidis, si expositi fuerint, vel si alicui eorum alimenta impiè denegari contigerit, est dicendum. Sanè qui hos suscipiunt, non possunt propter hoc in eorum personis jus aliquod vindicare.*

Circa quam dispositionem advertendum, infantem dici usque ad septimum annum inclusivè, ut alibi dixi, & tradunt communiter Doctores, Menochius *de arbitr. casu 57. num. 2. 7. & seqq. & de præsumpt. lib. 4. præs. 47. num. 3.* Azotius *part. 2. lib. 2. cap. 26. quæst. 1. versic. Quæstio est*, & Sanchez *in consil. mor. lib. 1. c. 5. dub. 4. num. 2.* & alii apud eundem. Languidos verò esse propriè infirmos, & morbo perpetuo detentos, & tali qui noceat rei cuicumque gerendæ, *l. morbus sonticus 113. ff. de verborum signific.* ita quod non sufficit quempiam brevi, aut levi morbo laborare, ut dicatur languidus; sed debet esse gravis infirmitas, & multum duratura, ut tradit Aug. Barb. *collecta-* 614

neo ad d. cap. unic. initio versic. Languidi, post Rebuffum in d. l. morbus, Gomez *in reg. de infir. q.* 28. & Azevedo *in l. 6. n. 9. tit. 5. lib. 5. novæ recop.* Quod verò duratura sit ægritudo, de jure præsumi, dum contrarium non probatur, tradit *ibid.* Barb. ex Flaminio Parisio *de resign. lib. 5. q. 3. n.* 39. & Menochio *lib. 6. præs.* 44. *n.* 2. Addit idem Barbosa *versic. seq. fine*, expositos dici & esse omnes eos, qui à patre, aut domino abjiciuntur, & veluti extra domum, familiam, & potestatem ponuntur.

615 Igitur pater exponens filium infantem ab aliis nutriendum, vel si alius exponat ipso sciente, & non contradicente, aut postea quam scivit, ratum habens, jus filiationis, seu patriam potestatem amittit, nec eum ut filium amplius potest vindicare; item si exponat filium languidum, cujuscumque ætatis sit, vel ei deneget alimenta: constat ex præfato capite unico, & ex aliis juribus, & tradunt ibidem Scribentes communiter, & alii. Glossa *in l. nec filium, Cod. de patria potestate*, Ascanius *de patria potestate, cap. ult. n.* 96. Paleotus *de nothis, cap.* 63 *n.* 6. Menochius *de arbitr. casu* 396. *n.* 9. *&* 11. *& in addit. ad casum* 356. *n.* 40. Corduba à Lara *in l. si quis liberis*, §. *si quis ex his*, *n.* 10. Surdus *de alim. tit. 6. q.* 18. *n.* 19. & latiùs *tit. 8. privil.* 63. *num.* 4. Farinacius *in pract. crim. q.* 520. *n.* 164. Stephanus Gratianus *discept. for. tom. 2. c.* 257. *n.* 1. *&* 4. Augustinus Barbosa *collectaneo ad cap. unicum*, *n.* 3. *& collectaneo ad can. ult. dist.* 87. alii Iurisperiti, & Canonistæ apud eosdem Sanchez *d. dub. 4. n.* 1. & Azorius *d. p. 2. lib. 2. cap. 26. quæst.* 1. Sylvester, Tabiena, Armilla, Rosella *verbo Expositus*. Ex quo fit, ut filius infans, & à patre expositus efficiatur sui juris, & sibi acquirat; & pariter filius languidus, quem pater exposuit, vel ei alimenta denegavit. Hinc Menochius *d. casu* 396. *n.* 14. *& d. addit. n.* 39. & Farinacius *d. q.* 120. *n.* 164. *&* 165. & Gratianus *d. c.* 162. *n.* 2. cum aliis aiunt, quod si filius ita impiè à patre expositus occidat ipsum patrem non punitur pœna parricidii, ob eam rationem, quia pater ob talem sævitiam, & impietatem amittit patriam potestatem, & sic pater esse desinit.

616 Item dominus exponens servum infantem, aut languidum cujuscumque ætatis, vel ei denegans alimenta, perdit jus servitutis in servum, ita quod servus consequitur libertatem. Constat ex præallegatis juribus, & tradunt Scribentes *ibidem*, Menochius, Gratianus, Barbosa *locis citatis*. Item si patronus exponat libertum infantem, vel languidum, amittit jus patronatus, & libertus efficitur ingenuus, ut probatur *d. cap. unico*, & iidem Doctores docent.

617 Dixi filium infantem, vel languidum expositum effici sui juris, & servum acquirere libertatem, quia recipiens, & alimentans filium, vel servum expositum, nullum acquirit jus in personam alimentati, ut habetur expressè *d. cap. unico de infant. expos. & d. l. 4. Cod. eodem*. An autem præfatus alimentans possit postea repetere expensas ab alimentato, examinatur infrà.

618 Patronus etiam liberto egeno illa petenti negans alimenta amittit jus patronatus, & libertus acquirit ingenuitatem; nec patronus ampliùs habet jus ei succedendi. Constat *ex l. alimenta, ff. de liber. agnosc.* & tradunt Corduba *in d. l. si quis*, §. *solent*, *n.* 14. Menoch. *de casu* 396. *n.* 11. Surd. *d. privil.* 64 *n.* 1. *&* 2. & Sanch. *d. dub. 4. n.* 2. Dicitur autem *d. l. alimenta*, §. 1. *fine*, quod patronus non cogitur præcisè alere libertum, si potest, sed solùm causativè, scilicet ne jure suo privetur. Advertit etiam Surdus *d. privil.* 64. *n.* 10. ex *d. l. alimenta*, §. 1. Corneo *cons.* 120. *vol.* 1. & Roland, *de lucro dotis*, *q. 67. cap. fin.* patronum non perdere jus suum ob alimenta non præstita, si libertus fuerit, seu reperiatur à tertio aliquo alimentatus.

§. V.

Prædicta pœna privationis patriæ potestatis, juris servitutis, & juris patronatus in præallegatis juribus inducitur ipso jure.

AN verò privatio patriæ potestatis in filium infantem, vel languidum à patre expositum, & juris 619
servitutis in servum infantem, vel languidum, à domino pariter expositum, atque juris patronatus in libertum infantem, vel languidum à patrono expositum, *de cap. unico de infant. expositis*, inducatur ipso facto, vel requiratur interpellatio? Respondetur induci ipso facto, ut in terminis docet Surdus *d. privil.* 64. *n.* 4. & colligitur ex aliis Doctoribus suprà allegatis, qui absolutè aiunt, patrem perdere jus filiationis, dominum jus servitutis, & patronum jus patronatus. Constat etiã *ex d. cap. unico*, ibi: *Hoc ipso patria potestate liberatus sit.* Nam tum verbum, *hoc ipso*, cùm sit idem ac *eo ipso*, & *ipso jure*, seu *ipso facto*, ut post alios tenet Surdus *d. privil.* 64. *n.* 7. importat privationem ipso jure ante sententiam, de quibus dictionibus, seu particulis latè egi *tom. 3. mor. tit.* 3. tum verbum illud *fuit*, præteriti temporis significat canonem latæ sententiæ, ut cum aliis docet idem Surdus *n.* 5. tum etiam participium illud, *liberatus*, quod non requirit declarationem, ut tradit idem Surdus *n.* 6. de quo etiam *cit. c.* 3. confirmat Surdus *n.* 7. non requiri interpellationem, quia exponendo filium servum, vel libertum, exponens delinquit committendo. Secus autem ait idem Surdus *n.* 8. ubi à patrono negantur alimenta liberto egeno: tunc enim nisi egens priùs petierit alimenta, non incurritur privatio juris patronatus, & sic prærequiritur interpellatio; textus enim *in d. l. alimenta*, præsupponit petitorium liberti præcessisse: & universaliter ubi dominus vel patronus, vel pater negat alimenta adulto, & sano, filio, servo, & liberto, ad incurrendam dictam pœnam Surd. *d. n.* 8. ait requiri interpellationẽ: tum quia pater, dominus, & patronus non tenentur alere nisi in subsidium, scilicet quando filius, servus aut libertus aliunde habere non possunt. Tum quia ubi pœna imponitur pro facto negativo, requiritur monitio, ut probat Tiraquell. *in l. si unquam, verbo Revertatur, n.* 68. *C. de revoc. donat.* & alii ab eodem Tiraquello, & Surdo *d. n.* 8. allegati. Tum demùm, quia dum agitur de privatione ob denegata alimenta, nullibi (inquit idem Surdus) extant in jure verba, quæ denotent privationem induci ipso jure; privatio autem non inducitur ipso jure, nisi in casibus expressis; ubi autem non est expressum in jure, requiritur sententia. Tiraquell. *d. verbo Revertatur, n.* 248. & alii apud eundem Surdum *d. privil.* 64. *n.* 9.

§. V.

Dispositio pœnalis dicti capitis unici de infantibus expositis, an comprehendat etiam patrem, & dominum, qui filiis & servis sanis adultis negant alimenta, cùm ipsi egeant.

SEd quidem controvertitur, an Summus Pontifex *in* 620
d. c. unico, quoad posteriorem illius partem, ubi privat patrem patria potestate, & dominum jure servitutis, vultque quod filius efficiatur sui juris, & servus liber, si eis languidis, cujuscumque sint ætatis, à patre vel domino denegentur alimenta, loquatur solùm quãdo eisdem languidis alimenta denegantur, an indistinctè, & generaliter, sive eis languidis, sive sanis tamen egentibus, & aliunde non habentibus, alimenta à patre, vel domino negantur. Et multorum sententia est præfatum textum intelligi solùm quando filiis, & servis languidis pater vel dominus negant alimenta, non verò quando negant sanis, & valentibus, licèt egenis. Ita Innocent. Hostiens. Joan. Andreas, Vincent. & Panorm. *in d. c. unic. de infant. expos.* Surd *de alim. tit.* 8. *d. privil.* 64. *n.* 4. *& tribus seq.* Azor. *p. 2. lib. 2. c.* 26. *q.* 1. *versic. Sed quæstio*, & Sanchez *in consil. mor. lib.* 1.

cap. 5.

cap. 5. d. dub. 4. num. 3. & alii apud eundem. Probant quia diversa ratio aggravandi pœnam est de infantibus, & languidis, ac de adultis sanis; nam infantes, & languidi nihil possunt per seipsos, & inhabilea sunt ad recurrendum ad judicam, ideo voluit jus illis pinguiùs providere pœnam graviorem imponendo. Confirmatur, quia privatio juris alicui competentis est pœna, ut alibi suprà *p. 1. hujus tr. de effectibus cont. matr.* probatum est, & tradunt Doctores communiter à Surdo *d. privil. 64. n. 7.* allegati: pœna autem non incurritur nisi in casibus à jure expressis, ut numero præcedenti dictum est: & in pœnis etiam mitior fit interpretatio in dubio.

621 Aliorum nihilominus sententia fuit, præfatam pœnam privationis patriæ potestatis, & juris servitutis in dicto textu à S. Pontifice statutam, habere locum etiam quando filiis, vel servis adultis sanis egentibus à patre, vel domino alimenta denegantur. Ita Glossa *in l. nec filium, Cod. de patria potestate.* Idem sentire videtur Glossa *in d. c. unicum, verb. Languidis.* Ita etiam *ibid.* Goffred. & Butrios: & hic eandem sententiam amplexos est Corduba *in l. si quis à liberis, §. si quis ex his, n. 10. ff. de lib. agnosc.* & Surdus *d. privil. 64. n. 7.* etsi ait se existimare hanc sententiam valida ratione non sustineri; addit tamen esse servandam in judicio favore alimentorum, & quod difficilè contrarium posset obtineri. Ratio præcipua hujus sententiæ est illa, quam affert Glossa *d. verb. Languidis,* scilicet quia pater, aut dominus filio, aut servo egenti negans alimenta, videtur illum habere pro derelicto, ac proinde perdit omne jus quod in eo habet, *l. fin. ff. pro derelicto.* Et ad hoc idem facit Textus *in d. l. 2. Cod. de infantibus expositis,* in illis verbis suprà *n. 613.* recitatis: *Nec enim suum quis dicere poterit, quem pereuntem contempsit.* Additur quod etiam in adultis satis egentibus videtur militare eadem ratio aggravandi pœnam, quia etiam ipsis sic egentibus impiè negantur alimenta; & sic negans alimenta æquiparatur homicidæ, Menoch. *d. casu 396. n. 3.* & *l. necare, ff. de liber. agnosc.* unde ibi Glossa & Panorm. *in c. fin. n. 5. de convers. infid.* aiunt quod si filius ob negata alimenta periret, punietur pater ac si propriis manibus filium necasset: & concordat Bartolus *de alim. num. 14.* dicens quod eo casu pater teneretur lege Cornelia. Demùm pro hac sententia stant Costa *in l. si ex cautione, verb. Sen doli, Cod. de non numer. pecun.* & Corduba *in d. l. si quis à liberis, §. Etsi impubes, n. 43.* dum dicunt ad extraneorum conditionem penè rediguntur parentes, qui liberis alimenta impiè denegarunt.

Datu autem quod pater impiè denegans alimenta filio egenti non amittat patriam potestatem in ipsum, venit tamen puniendus pœna extraordinaria, & Judicis arbitrio, ut tradunt Menoch. *d. casu 396. n. 3. & seq.* & Surd. *d. privil. 64. n. 10.* per textus mox citandos.

§. VII.

Exponentes impiè filium, servum, vel libertum infantes, debent etiam puniri alia pœna, Iudicis arbitrio.

622 IMò etsi pater, patronus, & dominus exponentes impiè filium, aut libertum, vel servum infantes ipso jure amittunt jus filiationis, patronatus, & servitutis; adhuc tamen eos debere puniri alia pœna Judicis arbitrio, latè tradit Menoch. *d. casu 396.* & constat tum *ex d. l. 2. Cod. de infantibus expositis, suprà n. 613.* relata, ibi: *Animadversioni, quæ constituta est* (scilicet Senatus-Consulto Planciano, ut notat Menoch.) *subjacebit.* Ubi Glossa ibi, *Animadversioni,* interpretatur, idest pœna extra ordinem, & sic judicis arbitrio. Tum *ex §. qui itaque, fin. auth. de infantibus expositis,* ibi: *Neutiquam illis, qui hac patrant, legibus nostris constitutas pœnas* (scilicet de quibus *in d. l. 2.*) *effugientibus, nimirum qui omni inhumanitate, & crudelitate referti sunt, tanto deteriore homicidio polluti, quanto calamitosioribus id inferunt.* Tum *ex l. nec filium, Cod. de patria potestate,* ubi Glossa *verb. Pœna,* interpretatur, idest arbitrio Iudicis. Tum *ex l. 1. §. Pœna, ff. de liber. agnosc.* ubi maritus, cui denunciatum erit, si custodes ad ventrem custodiendum, inspiciendumque non miserit, neque contestato dixerit, eam ex se prægnantem non esse, partum editum tenetur agnoscere, & si non agnoverit, punitur extra ordinem: quod Glossa ibi interpretatur, idest *Iudicis arbitrio*; & rationem hujus sanctionis pœnalis Menochius *d. casu 396. n. 3.* ait fuisse, quia hic pater non agnoscens partum, despexisse, abjecisse, & alimentis denegatis necasse videtur.

An verò pater impiè exponens filium, cùm amittat in eum patriam potestatem, non solùm impediatur ab acquirendo in posterum usumfructum in bonis filii expositi adventitiis, sed etiam amittat usumfructum, quem ante expositionem, & perditam patriam potestatem acquisivit; resolutio videtur dependere ex illa quæstione, an pater usumfructum acquisitum in bonis adventitiis filii, dum existeret in ejus potestate, amittat cessante patria potestate, an verò duret durante vita patris. In qua quæstione plures, quos Sanchez *in sum. lib. 7. c. 13. n. 68.* refert, sentiunt amittere, cùm cesset fundamentum ususfructus, nempe patria potestas. Alii verò magis communiter asserunt, patrem retinere usumfructum dum vivit, eo quia licèt patria potestas requiratur ad principium, & causam acquisitionis dicti ususfructus, non tamen requiritur in processu durationis, & continuationis. Ita Baldus *in l. 3. Cod. de usufructu,* & innumeri alii, quos referunt, & sequuntur Ant. Gomez *ad l. 6. Tauri, n. 11.* Vasquius *de success. progress. lib. 1. §. 1. num. 28. & 29.* Paschalis *de patria potest. p. 1. c. 3. n. 34. & 35.* & Sanchez *d. c. 13. n. 70.* de qua re infrà latiùs, ubi de patria potestate. Ego existimarem in præsenti casu patrem per Judicem fore privandum tali usufructu in pœnam suæ impietatis, esto quod ipso jure non amittat. 623

§. VIII.

Pater, & dominus necessitate coacti exponentes filium, aut servum infantes, an excusentur, & evadant præfatas pœnas.

POrrò quod suprà *n. 615. & præced.* dictum est, patrem exponentem filium infantem privari patria potestate in eum, & puniri debere Judicis arbitrio, non procedit si non spontè, sed necessitate coactus exposuerit, scilicet quia non poterat præ inopiâ alere, nec erat hospitale, aut alius publicus locus pueros pauperes alens; quia intuitus exposuit. Ita Glossa *in can. si expositus, dist. 87.* & ibi Hugo, & Turrecrem. & Butrius *in d. cap. unic. n. 5. de infant. expos.* Silvestr., Angelus, Tabiena, Rosella *verbo Expositus,* & Sanchez *in cons. mor. lib. 1. cap. 5. d. dub. 4. n. 3.* 624

At si dominus etiam necessitate compulsus servum infantem exposuit in vicis, vel aliis locis publicis, vel ad januam privati, eum non evadere privationem dominii in eundem infantem, & servum effici liberum, tradunt Glossa *in d. can. si expositus, dist. 87. & in d. c. unic. verbo Libertus,* & ibi Butrius, Silvester, Angelus, Tabiena, Rosella *ubi suprà,* dicentes quod debebat potiùs vendere, aut donare. Confirmat Glossa, quia dominus servum egentem, putà ægritudine periclitantem, non potest à sua domo ejicere, sed debet eum in xenodochium mittere, alioqui servus abjectus consequitur libertatem, *l. un. §. sed scimus, Cod. de Latina libertate tollenda.* 625

Contrarium, & dominum ex necessitate exponentem servum infantem, excusari non minùs quàm patrem eadem necessitate filium exponentem, atque adeo servum non effici liberum, sustinent Gulielm. & Turrecrem. in præfatos textus, quos Sanchez *d. dub. 4. n. 20.* 626

sequitur, quia non tenebatur dominus in eo casu necessitatis servum infantem donare, nec tam facilè inveniri potest, qui infantem emat, & si inveniret, vili venderet, ad quod non tenetur, ac proindè invitus vendit.

§. IX.

Si patre ignorante, vel domino expositus est filius, aut servus, potest pater, & dominus repetere cùm sciverit.

627 ET prædicta quando sponte, & scienter, ac præstito consensu, vel ratihabitatione adhibita, expositio infantis fit à patre, aut domino, aut ab alio: si autem patre ignorante, vel domino expositus est filius, aut servus infans, potest pater, vel dominus repetere cùm sciverit, ut constat *ex d. l. 1. Cod. de infant. exposit.* suprà *n. 613.* relata & *ex d. c. unico de infant. exposit. n. 614.* pariter relato, ibi: *Si à patre, vel ab alio, sciente ipso, &c.* Et hujusmodi repetitio fieri potest, & debet intra decem dies, ut habetur *d. can. si expositus, dist. 87.* qui dies juxta Glossam ibidem, *verb. Intra decem dies*, & Sanchez *d. dub. 4. n. 6.* currunt à die scientiæ, & sunt continui, juxta eandem Glossam ibidem *in princ.* quæ subdit, quod si in tali loco est, ut non possit venire, restituitur per clausulam generalem, argumento legis primæ, *ff. ex quibus causis major.* Addit eadem Glossa, quod juxta alios illi dies sunt utiles, cùm scilicet experiri potest, *l. cùm lex, ff. de ædilit. edict.* & *l. 1. ff. de diversis, & tempor. præscript.* Repetens autem à collectore, & alimentatore (nisi is fuerit fur, qui puerum, vel servum surripuerit) rest tuet expensas puero erudiendo in aliqua arte factas, ut habetur *d. l. 1.* Idem sentiunt Glossa *in d. c. unic. verb. Liberatus fin. de infant. expos.* Angelus, Sylvester, Tabiena *verb. Expositus, initio*, dum absolutè aiunt, quod repetens restituet expensas intra decem dies post epistolam contestationis factam. Idem etiam Surdus *de alimentis, tit. 6. q. 19. n. 1. & 2.* Verùm an, & quando collector, & alimentator pueri expositi possit, vel non possit repetere expensas in illius educatione, & alimentatione factas, paulò infra explicatur.

628 Hîc advertendum duxi, quod *in tom. 1. mor. var. tit. 1. §. 43. n. 1580. & seq.* tradidi, scilicet posse parentes per nominationem, vel tractatum, vel per utrumque agnoscere expositos pro filiis, qua agnatione secuta, censebuntur constituti in quasi possessione filiationis legitimæ, seu censebuntur filii legitimi, & ceu hæredes patris, ut Gratianus *allegato c. 267. n. 14* Rota & Seraphinus locis *ibid.* relatis tradunt, quod ibidem latiùs probo annutans etiam nonnulla alia circa hanc materiam, ad quæ, si placet, recurrat lector, vel ad Stephanum Gratianum *d. c. 267.*

§. X.

Pater exponens filiam, etsi amittit patriam potestatem, eam tamen tenetur dotare.

629 ADvertendum etiam, quod etsi pater exponens filiam perdit patriam potestatem in eam, per hoc tamen non eximitur ab onere eam dotandi, ut latè probat Surdus *tit. 6. q. 18. n. 10.* & Stephanus Gratian. *c. 267. n. 35. cum seq.* Nam perdit patriam potestatem quoad ea quæ sunt sibi utilia, non circa sibi onerosa, & damnum afferentia; ubi enim quis propter odium consideratur ut alios, seu ut diversa persona, procedit quoad honores, & utilia, non quoad incommoda, & damna, *l. in actione, §. Item qui societatem, ff. pro socio*, cum aliis ab iisdem Surdo, & Gratiano adductis. Et ratio est, quia pœna non debet esse causa præmii; pater autem exponendo filiam consequeretur præmium, quia eximeret se ab onere dotandi, quod antè incumbebat. Quare hîc non procedit regula, quod cessante patria potestate, cessat necessitas dotandi, quæ ab illa descendit, *l. fin. Cod. de dot. promiss.* Glossa *in l. cùm post, §. gener, verb. Placuit, ff. de jure dot.* & Ascanius *de patria potestate, effect. 11. in princ.* Intelligitur enim regula quando non ob delictum quis amittit patriam potestatem.

§. XI.

Alimenta exposito præstita an, & quando repetantur.

INspiciamus modò an, & quando qui collegit, & educavit puerum expositum, possit repetere expensas factas in illius educatione. 630

Primò certum est, quando puer ignorante patre fuit expositus, & pater à collectore repetit, teneri patrem solvere eidem collectori (dico collectori, nam furi qui puerum surripuisset, nihil pro expensis alimentarius dare teneretur) expensas factas in alendo puero, & etiam in erudiendo in aliqua arte. Colligitur *ex d. l. 1. Cod. de infantibus expositis*, cujus verba suprà *n. 613.* sunt relata, & tradunt Surdus *tit. 6. q. 19. n. 1.* & alii Doctores suprà *num 627.* allegati: & etiam Azorius *p. 2. lib. 2. c. 26. q. 1. versic. Sed quæstio.* Licèt enim dicta lex 1. *Cod. de infant. exposit.* loquatur in servo, idem est in filio, quia in eo major cadit ratio quàm in servo.

Secundò certum est, si pater qui filiam exposuit, renuit ut nubat filio ejus qui illam aluit, & cum eodem filio non vult copulari, iste alimentans potest expensas alimentorum filiæ, tametsi intuitu pietatis, & miserationis causâ præstitorum repetere. Ita decernitur *l. patrem, Cod. de nuptiis*, cujus decisionis rationem esse odium, & ingratitudinem patris, tradunt tum Scribentes *ibid.* Cynus, Bartolus, Baldus, Fulgosius, Salicet. tum alii, Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. idem Index, n. 50.* Surdus *de alim. tit. 6 q. 1 n. 15. & q. 19. n. 2. & 3.* Glossa *in can. si expositus, verbo Intra decem dies, dist. 82.* Aug. Barbosa *collect. ad d. l. patrem*, Molina *de justit. tom. 2. disp. 569. n. 2.* Azorius *loco num. præced. citato*, & Sanchez *in consiliis mor. lib. 1. c. 5. dub. 4. n. 9.* cùm alioqui regula generalis utriusque juris sit, quod non repetuntur alimenta intuitu pietatis præstita, *l. cùm is, §. pen. ff. de condictione indebiti, l. alimenta, ff. de negotiis*, & *can. sacrorum, 12. q. 2.* quam regulam Cynus, & alii prællegati dicunt limitari *in d. l. patrem*, ob odium, & ingratitudinē patris nolentis filiam expositam nubere filio altoris. Advertit autem Corduba *d. §. idem index, n. 51.* legem Regiam Hispanam ampliasse dispositionē dictæ legis *patrem*, etiam ad patrem qui filium exposuit ut si is recuset, ne filius ducat in uxorem filiam altoris cogatur refundere alimenta quod idem Corduba ait rationabiliter fuisse constitutum ex eo, quod lex etiam pœnalis ad similes casus trahatur, *cap. unic. §. sed quia natura, quæ fuit prima causa benef. amitt.* idem quoque Corduba *d. §. idem index, n. 48. & 49.* cum Accursio *scholio penult. in l. iniquum, Cod. de his, qui accus. non possunt*, ampliat procedere in alumno, qui sit ingratus in altorem, ut iste alimenta, quæ accepit, alteri teneatur restituere; cùm in hoc alumno eadem ratio quæ in patre nolēte filiam expositā nubere filio altoris æqualiter militet, scilicet ingratitudo erga alterum. Licèt enim alimenta præstita pietatis intuitu non repetantur nisi in eo tantùm casu quo pater renuit filiam expositam nubere filio altoris, ut lex ipsa ait; in aliis tamen, inquit Corduba *d. n. 49.* similibus illa sententia obtinebit, si eadem ratio subsit, eo quòd dictiones taxativæ non excludant casus similes, ut tenet idem Accursius *in l. Ob æs, Cod. de prædiis minor. & in l. fin. Cod. de revoc. donat.* & hanc esse sententiam communem Doctorum testatur *ibid.* Corduba. Contrà tamen sentit Molina *d. n. 2.* asserens dispositionem dictæ legis *pater*, & legis regiæ *35. tit. 14. p. 5.* ubi idem statuitur, etiamsi qui filiam expositam nutrivit, velit eam ducere uxorem, non esse plus extendendam, nec plus habere locum quàm fuerit jure definitum. Imò addit eam legem fortasse non esse æquam,

revo

revocarique debere tum ob matrimonii libertatem, tum etiam quia nulla fit culpa, quòd ea mulier non velit in maritum nutritorem, aut ejus filium, ac proinde non justè possit puniri, ut ipsa, aut pater illius solvat quod ejus alimentis Dei, ac pietatis intuitu fuerat semel condonatum, & quod re vera non debebat. Sed lex *patrem*, loquitur quando pater tenueret filiam nubere filio alterius: quare si filia ipsa renueret, non renuente patre, legis dispositio non procederet, alioqui adimeret libertatem matrimonii: sicut etiam si nutritor, aut ejus filius volens expositam ducere uxorem, esset dispar admodum ætatis eum illa, ita ut matrimonium minimè puellæ expediret, tunc quoque cessaret illa dispositio pœnalis, & puella, & pater illius renuentes non inciderent in eam pœnam, ob ingratitudinem, ut etiam tradidere Lopez *ad d. l.* 35. & Molina *d. num.* 2.

632 Difficultas est, an excepto casu, de quo *in d. l. patrem, Cod. de nuptiis*, is qui recollegit, & aluit filium, aut servum à patre, aut domino sponte expositum, possit repetere expensas alimentorum, si sponte recollegit, & non tenebatur alere, putà si qui recollegit non est hospitale, aliusve locus publicus deputatus ad expositos, & pauperes alendos, vel Ecclesia.

Vna sententia asserit, non posse repetere, nisi animo repetendi fecerit, & id protestatus sit, juxta legem *Nesennius ff. de negotiis gestis*. Ita Glossa *in d. can. si expositus, verbo Intra decem dies*, Ioannes Andreas, Panormitanus, & alii *in d. cap.* 1. *de infantibus expositis*, Silvester, Angelus, Tabiena, Armilla, Rosella *verb. Expositus*, Azorius *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 16. *quæst.* 2. *versic. Sed quæstio est*, & Sanchez *in consil. mor. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 4. Probatur hæc sententia primò *ex d. l. patrem*, quæ in illo solummodò casu, quando pater tenuit filiam expositam nubere filio alterius, decernit ut alimenta altori reddantur: ergo in aliis casibus non reddentur, cùm casus exceptus firmet regulam in contrarium, *l. nam quod liquidè*, §. *fin. ff. de penu. leg.* Secundò, quia ubi non adfuit expressè animus repetendi, & protestatio, non potest in eodem recollectore, & altore alius considerari, & præsumi impulsus ad alendum, quàm pietatis, & amoris Dei, alimenta autem intuitu pietatis, & amoris Dei præstita non repetuntur, *d. l. cum is* & *l. alimenta*, *ac can. sacrorum, num. præced. adductis*. Et ratio est, quia eo ipso quod quis alimenta præstat intuitu pietatis, & amoris Dei, censetur habere, & habet animum donandi, & consequenter jam ampliùs non potest repetere. Et hanc sententiam approbant etiam Surdus *de alim. tit.* 6. *q.* 19. *num.* 6. & Augustinus Barbosa *in lib.* 5. *Cod. collectaneo ad d. l. patrem, num.* 5. *de nuptiis*.

633 Altera sententia indistinctè, & absolutè affirmat, à recollectore, & altore alimentorum expensas repeti posse. Primò quia non præsumitur donatio in dubio, *l. cùm de indebito, ff. de probat.* Secundò quia datur repetitio ei qui aluit non expositum, nam alimenta non censentur præstita animo donandi, *d. l. Nesennius*, & aliis juribus allegatis per Surdum *d. tit.* 6. *q.* 1. *n.* 1. Ergo moltùmagis debebitur ei, qui præstitit aliméta exposito, ne sit melioris conditionis pater iniquus, & de filio malè meritus, quàm pius, & bonus. Tertiò quia filio exposito recollector, qui illum aluit, non succedit ab intestato, ut tenent Hostiensis, & Zabarella *in d. c. unic. de infant. exposit.* per textum clarum *in l. mauritoribus, Cod. communia de successionibus*. Cùm ergo altor non sentiat commodum, neque etiam incommodum sentire debet. Hanc sententiam Surdus *d. q.* 19. *n.* 4. attribuit Glossæ *in d. cap. unic. de infantibus, & languidis*, & probabilem putat. Eandem sequitur Stephanus Gratianus *d. t.* 1. 167. *n.* 41. ejusdem etiam sententiæ videtur Thesaurus *decis.* 118. *num.* 5. ubi ait, sibi durum videri quod ia, qui pietatis causâ expositum suscipit, & alit, non possit alimenta repetere, nisi in casibus in quibus prior sententia admittit. Et hæc sententia extenditur etiam ad expen-

sas factas pro filio exposito erudiendo in aliqua arte, has enim altor expositi repetere posse tradit expressè Gratianus *d. cap.* 167. *num.* 42. quia etiam ad hoc tenebatur pater, qui debet facere impensam necessariam pro erudiendo filio in bonis artibus, & disciplinis, quibus cæteri ejusdem conditionis informari solent, ut probatum est in prima parte hujus tractatus, *cap.* 10. *n.* 46. & hac parte de alimentorum obligatione, *n.* 97. ubi etiam discutitur de quibus artibus, & disciplinis id sit intelligendum.

Imò etiam Doctores prioris sententiæ illam limitant; quoad præfatas expensas factas in erudiendo filio exposito; has enim posse à recollectore & altore repeti, absolutè affirmant Glossa *in d. can. si expositus, dist.* 87. Panormitanus *in cap. unic. n.* 3. *de infantibus expositis*, & ibidem Ancharanus *n.* 8. Butrius *n.* 5. Angelus, Sylvester, Tabiena, Rosella *d. §. expositus*, & Sanchez *d. dub.* 4. *n.* 8. qui fundantur *in d. l.* 3. *Cod. de infantibus expositis*, quæ tamen loquitur in domino repetente servum, eo invito, & ignorante expositum. Præterea hanc limitationem præfatæ prioris sententiæ, supposito quod alimentorum expensæ non possint repeti, Surdus dicit difficilè posse sustineri, quia ea impensa, quæ fit pro filio bonis artibus erudiendo, non est minus favorabilis quàm ea, quæ fit pro alimentis, ut probat textus *in l. si paterno, Cod. de negot. gest.* ubi eodem modo determinat de expensa alimentorum, & ea quæ fit in conducendis magistris, & ibi Accursius ait æquiparari expensæ alimentorum, & notat etiam idem Surdus *tit.* 9. *quæst.* 11. 634

Quid dicendum? Respondetur primò, omnes convenire, expensas factas pro erudiendo filio exposito in aliqua arte posse repeti. 635

Respondetur secundò, alimentorum expensas à pueri expositi recollectore factas animo, & cum protestatione repetendi, posse repeti in utroque foro, conscientiæ, & externo. Ita omnes Doctores, Glossa, Panormitanus & alii Canonistæ, Sylvester, & alii Summistæ suprà *n.* 632. relati, Surdus *d. q.* 19. *n.* 6. Azorius *loco d. n.* 632. *citato* & Sanchez *d. dub.* 4. *n.* 10. In hoc enim casu, cùm constet de certa intentione, non potest præsumi alimenta pietatis gratiâ fuisse præstita, & sic datur repetitio. Vt verò in foro conscientiæ detur repetitio, non est necessaria protestatio, sed sufficit recollectorem ab initio habuisse animum alimenta repetendi, ut Summistæ *n.* 632. relati, & Sanchez *d. dub.* 4. *n.* 11. notant. 636

Respondetur tertiò, si recollector filii, aut servi expositi expressè, & implicitè ei alimenta præstitit causâ pietatis, & amoris Dei, cùm ab initio animus ipsius fuerit donandi, non potest ea in foro conscientiæ repetere, ut ferè omnes præallegati Doctores, & etiam Fragosus *d. disp.* 3. *n.* 127. tenent: in foro autem externo non dabitur repetitio, si ex conjecturis probabiliter possit, & debeat præsumi alimenta fuisse præstita pietatis intuitu, & animo repetendi. 637

Quid autem quando protestatio repetendi non est explicitè facta, neque adfuit expressus animus repetendi, sed neque habitus fuit expressè animus præstandi exposito alimenta intuitu pietatis, an & quando in utroque foro præsumendum sit præstita, fuisse animo repetendi, vel amore Dei. 638

Respondetur quartò, si recollector, & altor expositi est ejus consanguineus, præsumitur in dubio præstita esse intuitu pietatis, & adfuisse animum donandi à principio; quia conjunctio sanguinis inducit præsumptionem donationis, ut tradunt Menochius *de arbitr. casu* 88. & in his terminis Panormitanus, & Butrius *in d. cap. unic. de infantibus expositis*, Surdus *d. quæst.* 19. *num.* 13. Azorius loco suprà *num.* 632. relato, Fragosus *de Rep. Christ. p.* 3. *disput.* 3. *num.* 30. & Sanchez *d. dubio* 4. *num.* 12. idque Surdus addit procedere, non obstante, quod sola sanguinis

N 3 conjun-

conjunctio non sit sufficiens ad inducendam donationem, eo quòd duo vincula magis ligent, *cap. 1. de tregua, & pace.* Limitatur tamen ubi essent conjecturæ contrarium suadentes, ut si impensa fuisset magna, per tradita à Surdo *d. tit. 6. q. 12. n. 30. & seq. quæst. 17. n. 11. & q. 21. num. 10.*

639 Respondetur quintò, si recollector non sit conjunctus, sed extraneus, præsumitur in dubio non causâ pietatis, sed animo repetendi alimenta præstitisse, si impensa esset magna. Ita Doctores *n. præc.* allegati.

640 Declaratur hæc responsio, ut non procedat quando recollector est dives, & liberalis; hoc enim casu præsumi animum donandi, tradunt Panormitanus ubi suprà, Surdus *d. q. 19. n. 17.* & Azorius loco suprà citato: idque Surdus ait probari ex doctrina Iurisperitorum *in l. alimenta, in l. si paterno, & in l. si negotium, C. de negotiis gestis*, asserentium in præsumendo animum donandi attendendam esse quantitatem impensæ, & conditionem personæ donantis, si ut sit dives, vel nobilis; quia divites, & nobiles sunt proclives ad donandum.

§. XII.

Hospitare, vel Ecclesia alens puerum expositum non repetit expensas & an exposito ab intestato succedat.

641 Porrò si alimenta exposito sint præstita ab eo qui tenebatur, ut est hospitale ad alendos expositos deputatum, juxta tradita suprà *n. 598.* conveniunt Doctores alimentorum expensas non posse repeti, licèt à rectore, seu præfecto hospitali facta fuisset protestatio repetendi, quando expositus, & parentes essent pauperes. Ita Panormitanus, Ancharanus, Butrius *in d. cap. unic. infant. de expos.* Surdus *tit. 6. d. q. 19. n. 12.* Summistæ suprà *n. 634.* relati, Azorius *loco ibid. citato*, & Sanchez *d. dub. 4. n. 13.* Repetitio enim alimentorum non conceditur ei qui aliquo jure erat obligatus alere, nec protestatio relevat in iis quæ non pendent à voluntate protestantis, & ubi præcedit obligatio, ut docent Scribentes *in l. alimenta, Cod. de negotiis gestis.* Quod si expositi parentes fuerunt divites, tunc educationis expensæ ab eis essent restituendæ hospitali, quod aluit ex suis bonis, quæ pro pauperibus, non pro divitibus alendis sunt destinata, ut suprà *n. 607.* dictum est: & in his etiam terminis ita tenent Azorius & Sanchez *locis allegatis.*

642 Hîc autem advertendum, infantibus expositis non succedere fiscum, ut voluit P. de Castro *in l. nutriteribus, n. 3.* sed hospitale quod eos recepit, ut tradunt Peregrinus *de jure fisci, lib. 5. tit. 3. in rub. de bonis vacantibus, n. 16.* Farinacius *1. p. fragmentorum, verbo Fiscus, n. 134.* & alii Jurisperiti apud eosdem. Sicut enim hospitale sentit incommodum alendi, ita meritò sentire debet commodum successionis: & si dicat Thesaurus *d. decis. 118. n. 5.* cum Jacobino de Sancto Georgio *in l. 1. Cod. de bonis vacantibus*, propter textum *in Auth. omnes peregrini, Cod commun. de successión.* exposito succedere Ecclesiam, quæ erogat bona in pias causas, ut dicitur *in d. auth.* id puto intelligendum quando in loco non esset hospitale alendis expositis deputatum; sed Ecclesia expositum suscepisset alendum.

Plura alia de expositis, quæ hîc quis posset desiderare, jam tradidi *in tom. primo moralium, tit. 1. p. 2. §. 43. à num. 1564.*

SUMMARIUM
Capitis X.

Pater qui ob paupertatem habet tantùm alimenta sibi simpliciter necessaria, tenetur non alere filium, n. 643.

Nec etiamsi alendo filium, non potest seipsum alere salva honestate, & existimatione, nisi filius esset in extrema necessitate, n. 644.

Pater qui non potest filio egenti præstare integra alimenta, tenetur præstare id quod potest, deductis propriis alimentis, num. 645.

Quid attendendum ad cognoscendum an pater possit se, & filium alere, n. 646.

Ad patrem spectat onus probandi, quod ex suis redditibus non possit se, & filium alere, n. 647.

Si pater malè dissipat bona sua, an filius per officium Iudicis possit facere illum cogi assignare sibi tantum quantum sufficiat pro alimentis suis, ibid.

An etiam possit cogere ad restituendam dotem maternam, ne ab eo dissipetur prodigè, vel mala administratione, ibid.

Ex quibus causis parentes filium, & filiam possunt exhæredare, possunt eisdem dotem, & alimenta denegare, n. 648.

Patri incumbit onus probandi causam ingratitudinis ibid.

An ob easdem causas possit pater denegare filio, & filiæ alimenta vitæ sustentandæ simpliciter necessaria. Affirmativa, n. 649. Negativa, num. 650. præsertim juxta æquitatem, ibid.

Filiæ ingratæ, & exhæredatæ tenetur pater dare dotem juxta quantitatem alimentorum ad sustentandam vitam pro vitæ tempore necessariorum, n. 649.

Vbi filius, vel filia potest exhæredari ex causa, ob quam possit ad mortem condemnari, privari potest alimentis vitæ simpliciter necessariis, n. 651.

Hæredes scripti filio justè à patre exhæredato an, & quæ alimenta dare teneantur, n. 652.

Quæ sint justæ causæ exhæredandi filios, & an præter in jure expressas sufficiant aliæ similes, vel graviores, remissivè, n. 653.

Inter causas, ob quas filii à parentibus possunt exhæredari an comprehendatur hæc, scilicet si filius familias, aut filiafamilias minor 25. annis ipsis parentibus invitis nubant, n. 654. & 655.

Iuxta probabilem Iurisconsultorum sententiam, nec filiusfamilias, nec filiafamilias minor 25. annis, contra parentum voluntatem nubens potest exhæredari, etiam jure civili inspecto, n. 656.

Et ita filia minor 25. annis nubens etiam viro indigno contra patris voluntatem non potest privari dote, & alimentis, licèt minor dos debeatur, ibid.

Probabilius est, filiam familias intra 25 annum nubentem, etiam absque legitima causa, viro digno contra voluntatem patris, jure civili attento non posse privari dote, aut alimentis, si aliunde non habeat, n. 657. & 658.

Quid si sit dives, & possit sibi dotem solvere, n. 657 fine

Etiamsi filiafamilias minor 25. annis nubat absque justa causa viro indigno contra patris voluntatem, debet habere, si aliunde non habet, dotem, & alimenta à patre, in minori tamen quantitate, quam si indigno nupsisset, n. 659.

Leges laicales privantes legitima filios masculos, & fœminas nubentes dignè vel indignè contra patris voluntatem absque justa causa, sunt valida, n. 660.

Hoc non obstante, si pauperes sint, & aliunde habere non possint, pater tenetur, & cogi potest præstare illis alimenta ad vitæ sustentationem necessaria. ibid.

Filius familias nubens digna contra voluntatem patris, non privatur alimentis, si aliunde non habeat. Imò pater non solùm tali filio, sed etiam ejus uxori tenetur præbere alimenta, si aliunde non habeant, num. 661. & 662.

Quid si absque consensu patris duxerit uxorem indignam, & ignominiosam. num. 662. & 663. fine.

Filia familias minor 25. annis, quæ in suum corpus peccavit vivendo luxuriosè, an possit à parentibus privari alimentis, n. 664.

Vbi

-ei pater vult filium, aut filiam ab alimentis excludere, tenetur prebare causam indignitatis, n. 665.

Filio qui legitimam portionem, seu bona, quibus decenter vivero poterat, pro alimentis à patre assignata dolosè, & sua culpâ malè consumpserit, patrem nonteneri ei de novo prastare alimenta, etiam vita sustentatieni necessaria, qui affirmant, n. 666. 667. & 668.

Contrarium qui sentiant, n. 670.

Prafato filio qui dolosè, & suá culpâ consumpsit, & inops est, nec aliunde habet, pater tenetur prastaro alimenta, qua pro indigentia, & vita sustentatione sunt necessaria, n. 671.

Pinguiora alimenta, & dignitati condecentia non tenetur pater prastare, n. 672.

Alimenta que filio & filia qui malè dissiparnut legitimam, vel dotem, subministrantur, non transeunt post mortem ad haredes, ibid.

Non solùm pater vivens, sed etiam ipsius hares tenetur filio, dissipata legitimâ, prastare hujusmodi alimonta, ibid.

Quid si culpa non fuit premeditata, nec ad casum necessitatis ordinata, n. 673. & 674.

Quid etiam si culpa filii fuerit levis, & ex animi levitate consumpserit, n. 675.

Filio qui citra dolum, & culpam, casu, & fortuito legitimam, vel bena pro alimentis sibi assignata amisit, an pater teneatur iterum praStare alimenta condecentia. Negativa n. 679. Affirmativa & vera, n. 676.

Necessitas gravati orta ex casu, & fortuna erit justa causa alienandi bona fideicommisse subjecta, quatenus sufficit, & opus est pro alimentis ejusdem gravati, num. 676. fine.

Culpa debet tenere suum auctorem, non nocere innocenti, num. 666.

Maleficus, & malè merens debet egestate laberare, ibid.

Necessitas est illi imputanda, qui suâ culpâ in eam incidit, ibid. & n. 674.

Culpa ad casum non ordinata non est considerabilis, n. 675.

Fratri, vel serori, qui alimenter, & dotem simul à fratre tradita consumpserunt, vel amiserunt, an fratar iterum praStare teneatur, n. 677.

CAPUT X.

An, & quando, quibusque ex causis parentes filiis alimenta prebere non teneantur, eisque possint denegare.

DE nonnullis, quæ ad propositam quæstionem reduci possunt, in præcedentibus actum est, scilicet an filiis, qui habent, vel habere possunt alimenta aliunde ex propriis bonis, vel industria, artificio, aut servitio, parentes teneantur ea præstare; an filio naturali, qui habuit à patre unciam, vel ab intestato duas uncias, debeantur adhuc alimenta; an filio bannito, deportato, excommunicato, hæretico, Judæo, Infideli, monacho: de quibus proinde hic nihil dicendum, sed agendum tantùm de sequentibus usque modò non explicatis.

§. I.

Pater inops, qui non habet unde se & filium alere possit, non tenetur illum alere.

DUbium primum, an pater qui non habet unde se, & filium alere potest, teneatur illum alere.

Si pater ita sit egenus, ut tantum sibi alimenta vitæ sustentandæ necessaria ministrare possit, non tene- 643
tur alere filium. Ita Glossa *in l. si quis à liberis*, §. *si mater, vers. necessariò, ff. de liberis agnosc.* Benintendus *decis.* 89. *n.* 3. 4. & 5. Corduba *in eandem l. si quis à liberis*, §. *sed si filius, n.* 134. & §. *si quis ex his, n.* 87. Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 91. & *tit.* 7. *q.* 8. *per totam*, Stephan. Gratian. *to.* 3. *cap.* 519. *n.* 14. & 79. & *c.* 551. *n.* 2. & 3. Rota *decis.* 470. *n.* 7. *p.* 2. *recent.* Ferentillus *in annot. ad decis.* 707. *Buratti, n.* 8. & 9. & alii Jurisperiti à Surdo *d. q.* 8. *n.* 7. relati, Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 4. *n.* 27. Megala 2. *p. lib.* 2. *c.* 23. *q.* 1. *n.* 64. & alii Doctores initio hujus capitis allegati, & constat etiam *ex l. non quemadmodum, penult. ff. de liber. agnosc.* ubi in fine habetur, egentem patrem non obligari ad alimenta erga filium. Prima enim, & ordinata charitas à seipso incipit, *l. prases, Cod. de servit. & aq.* & quilibet sibi magis quàm aliis providere tenetur, *l. Lege Iulia, ff. si quis omiss. caus. testam.* & ita etiam filius non tenetur alere patrem inopem, quando fructus reddituum, vel prædiorum non sufficiunt ad alendum se, & patrem, ut notat Corduba à Lara *in d. l. si quis à liberis, in princ. n.* 40. & probatur infrà *num.* 811.

Imò nec tenetur pater filium alere quoties ex red- 644
ditibus sui patrimonii non potest filium commodè alere, & seipsum honestè juxta existimationem, & conditionem sui status, nisi filius versetur in extrema necessitate, ut in terminis tradit Megala *d. n.* 64. & innuit Benintendus *loco citato*, & Surdus *d. q.* 8. *n.* 9. dum dicit, quod nemo tenetur coarctare sibi victum, ut alium alat: & idem etiam docet Baldus *in l.* 1. §. *praterea, ff. de tutel.* ubi dicit quod quis non tenetur arctare victum suum propter alimenta matris, vel alterius cujusque, qui debet ali: quod tradit idem Salgado *in Labyrintho creditorum, p.* 1. *cap.* 24. *n.* 130. Et ratio est, quia illud tantùm dicimur posse facere, quod commodè facere possumus salva honestate, & existimatione, *l. nepos Proculo, ff. de verb. signif. & can. faciat,* 22. *q.* 2. propter quam rationem suprà suo loco dixi, parentes teneri alere filios, qui aliquo artificio, vel servitio non possunt sibi victum quærere honestè, & decenter juxta conditionem, & genus suum. Et ita etiam filium non teneri præstare alimenta patri, quando fructus, seu redditus suorum prædiorum non sufficiunt ad se alendum pro ordine, & gradu suo, tradit post alios Corduba *d. n.* 40. Addidi, *Nisi filius versetur in extrema necessitate*; hoc enim casu, concurrente vita filii cum existimatione patris, cùm vita filii sit altioris ordinis, præferenda est ex debito ordinatæ charitatis, sicut etiam quilibet deberet sibi aliquid necessarium ad decentiam status subtrahere, ut succurreret existenti in extrema vitæ necessitate, & alioqui perituro, & eodem modo teneretur filius erga patrem extremè egentem.

Quod si pater ob paupertatem, deductis propriis 645
alimentis, non possit quidem integra alimenta filio egenti præstare, possit autem partem alimentorum, eo quòd detractis propriis alimentis aliquid de illius bonis, seu redditibus supersit, hanc præstare tenebitur; ab eo enim quod præstare potest, non liberatur, cùm alimenta recipiant divisionem per tempora, & quantitates: ita tenet Surdus *d. q.* 8. *n.* 14. ubi addit omnia prædicta, & quæ mox dicentur, intelligi debere de quocumque descendente, & etiam in hæredibus patris.

646 Ad cognoscendum autem, an pater possit seipsum alere, & filium, attendi debent redditus bonorum, non quantitas patrimonii, ut docent Graveta *cons.* 199. *n.* 11. Benintendus *d. decis.* 22. *n.* 5. Surdus *d. q.* 8. *n.* 10. post Alciatum *in tract. de præsumpt. reg.* 1. *præsumpt.* 52. *n.* 4. & idem Surdus *tit.* 4. *q.* 9. *n.* 9. cùm alimenta sint præstanda de lucro, non de capitali, *l.* 1. §. 1. *ff. ubi pupillus educ. deb.* de quo infià *cap.* 13. & suprà etiam aliquid dictum est: & oportebit quoad forum exterius constare patrem habere hos redditus sufficientes tempore litis contestatæ, vel tempore sententiæ, minimeque sufficeret probare, quod aliquando habebat capitale, ex quo lucrabatur, ut notat Surdus *d. q.* 8. *n.* 9. *&* 10. eo quia inquit, etsi in rebus particularibus præsumatur de præterito in præsens, *l. sive possidetis, Cod. de prob.* hoc tamen non procedit in re universali, ut est peculium, vel capitale, secundùm Bartolum *in l. Confirmatio, ff. de confirmautor.* & Alexandrum *cons.* 47. *n.* 14. *volum.* 1.

647 Putat verò Surdus *num.* 12. *& seq.* ad patrem spectare onus probandi, quod redditus non sufficiant pro alendo se, & filium: tum quia filius habet pro se regulam, & res est certa pro eo qui habet regulam. Decius *in l. jubere cavere, n.* 2 *ff. de jurisd. omn. judic.* & Beeius *cons.* 2. *num.* 16. tum quia ubi paupertas ab aliquo allegatur, est per illum probanda, juxta Glossam *in l. si verò, §. qui pro rei qualitate, versic. Dubitatur, ff. qui satisd. cog.* & ita etiam censuit Rota Rom. *in Ulissbonensi matrimonii*, 1. *Iulii* 1624. *coram Pirovano*, quam refert, & sequitur Ferentillus *in annot. ad decisionem* 707. *Buratti, num.* 10. de quo etiam infrà, *n.* 1046.

Sed quid si pater malè utitur suis bonis illa prodigè dissipando, vel malè administrando, ut sit periculum ne possint, eo ad inopiam redacto, filii alimentari, an iidem filii possint per judicem cogere patrem sibi assignare tantum in ejus bonis, quod illis sufficiat pro alimentis? Quæstionem hanc pertractat Joannes Campegius *de dote*, *p.* 3. *quæst.* 43. ubi agit, an mortua matre, filius patrem prodigum, aut alio modo dissipantem bona dotalia matris defunctæ, possit cogere per officium judicis restituere sibi dotem maternam, ut salva sit, sicut posset dotem repetere in tali casu mater ipsa, si viveret? Pro cujus quæstionis resolutione affert Campegius varias responsiones, & sententias Jurisperitorum, de qua re agemus cùm de dote, Deo dante. In præsenti asserendum, quod quando pater prodigè dissipat bona, estque pronunciatus prodigus, vel dissipat eadem propria bona malè ea administrando, etiam sine dolo, & fraude, potest filius facere cogi patrem sibi assignare tantùm in ejus bonis, quod alimentari possit, ne aliàs dissipando, & pater, & filii alimentis fraudentur. Ita Campegius *d. quæst.* 4. post Baldum *in l.* 2. *Cod. si quid in fraud.* non enim culpâ solius patris privari debent filii jure suo, ut ab eo alimententur, sed illius jus debet illi conservari salvum, cùm id fieri potest: de qua re latiùs infrà, *c.* 13. *à n.* 836.

Ita etiam si pater dissiparet abusu prodigalitatis, vel malè administrando dotem maternam, ea defuncta, posset à filio cogi eam restituere, ut jus suum salvum habeat. Ita Bartolus, Baldus, & alii Jurisperiti, quos *d. q.* 43. refert, & sequitur Campegius per textum *in l. Imperator, ff. ad Trebell. & in l.* 3. *Cod. de sent. pass.* nec in tali casu sufficere, quod pater suspectus de mala administratione compellatur officio judicis satisdare filio de rebus suis conservandis, & restituendis, contra Imolam *in l. si constante, ff. solut. matrim.* tradit idem Campegius *alleg. q.* 43. *fine*, respondens eidem Imolæ, filium non teneri se committere fragilitati cautionis, *l. qui ita*, §. 1. *ff. ad Trebell.* Quod si dos consistat in fundo, probabile etiam est, quod cogi possit pater dissipans, vel malè administrans, restituere fundum dotalem filiis, sicuti cogi potest restituere matri viventi, per legem *si constante*, eo quòd privilegium dotis transit ad filios ejusdem matrimonii, juxta eundem Bartol. *ibid.* & hoc ut probabile videtur approbare Campegius *d. q.* 43. *initio.* Idem tamen Bartolus *in l. Lis nulla, ff. de judiciis*, à Campegio adductus, asserens dictam legem *si constante*, habere locum solùm in muliere constante matrimonio, distinguit, nempe quod si pater dissipat prodigè abutendo, tunc debet ei constitui curator; si verò utitur malè, quia vendit fundum dotalem, tunc ait filios non posse agere, sed patre mortuo poterunt illam rem dotalem vindicare, per textum *in l.* 1. *Cod. de bonis mater.* & cum eodem Bartol. videtur transire Campegius *ad quæst.* 54.

§. II.

Ex quibus causis pater potest filios exhæredare, an ex eisdem possit eis etiam denegare dotem, & alimenta, etiam ad vitæ sustentationem præcisè necessaria.

DUbium secundum, an ex quibus causis filius, vel filia jure civili potest exhæredari, & legitimâ privari, ex eisdem possit etiam à parentibus privari alimentis vitæ simpliciter necessariis, quæ aliunde filius ingratus non habeat.

Certum est, & conveniunt Doctores, patrem ex quibus causis potest filios exhæredare, posse etiam eis alimenta, & dotem denegare. Ita Covarr. *de sponsal. p.* 2. *cap.* 8. §. 6. *n.* 17. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *idem judex, num.* 1. *ff. de liber. agnosc.* Ludovicus Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 1. Spino *in speculo testam. gloss.* 20. *num.* 66. Peregrin. *de fideicom. art.* 36. *n.* 145. Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 1. *n.* 1. *& seq. & q.* 4. *num.* 1. Guttierez *de matrim. cap.* 80. *n.* 3. Molfesius *ad cons. Neapol. tom.* 1. *p.* 5. *n.* 2. *& seq.* Ant. Gomez *var. tom.* 1. *cap.* 11. *n.* 13. Molina *de just. tom.* 1. *disp.* 168. *fine, & disp.* 176. §. *Ex quibus causis, & tom.* 3. *disp.* 616. *n.* 13. Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disp.* 26. *n.* 2. Megala *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 23. *q.* 1. *num.* 40. *&* 53. & Rebellus *de oblig. just. p.* 2. *lib.* 2. *q.* 14. *num.* 32. ego ipse *in tract. de contract. matrim. c.* 11. *n.* 138. & cæteri Doctores communiter, quos prætallegati Jurisperiti latè referunt, & colligitur *in d. §. idem judex, l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* ubi dicitur, patrem posse denegare alimenta filio ingrato, qui eum detulisset. Ex hoc enim textu Glossa *ibid.* & prætallegati Jurisperiti, & alii constituère illam regulam generalem, quod de jure civili pater ex illis causis potest filio alimenta negare, ex quibus potest eum exhæredare. Ad patrem verò qui denegat alimenta spectat onus probandi filium fuisse ingratum, & ingratitudinis causam, cùm id sit suæ intentionis fundamentum, ut in terminis tradit Corduba *in d. §. idem judex, n.* 1. *fin.* & Surdus *d. q.* 1. *n.* 20. *cum seq.* 648

Difficultas ergo est, an in eisdem casibus, in quibus pater potest filium, aut filiam exhæredare, possit etiam alimenta ad vitæ sustentationem simpliciter necessaria eis aliunde non habentibus denegare; an verò solùm pinguiora, & quæ excedunt necessariam vitæ sustentationem? Necessaria posse matrem in vita denegare filiis, quos exhæredare potest, videntur tenere Corduba *d. §. idem Iudex, n.* 2. Surdus *d tit.* 7. *cit. q.* 1. *n.* 2. *& q.* 2. *n.* 6. *&* 7. Navarr. *in Summa, c.* 14. *n.* 17. Gaspar Ant. Thesaurus *quæst. for. lib.* 1. *q.* 80. *n.* 3. & Doctores suprà *n.* 121. allegati. Idem videntur sentire Spino, Gomez, Gutierrez, & ferè omnes Jurisperiti ab ipsis, & à Corduba, Coarruvia, & Ludovico Molina locis allegatis relati, qui absolutè, & sine ulla distinctione affirmant, ex quibus causis pater potest exhæredare filios, eosdem posse privare alimentis, & sic videntur loqui de quibuscumque alimentis, etiam ad sustentandam vitam necessariis, Hoc idē sentire videtur 649

Bartol.

Bartolus *in l. Divus*, *ff. ad l. Pompeiam de Parricid.* ubì cùm negare alimenta sit necare, *l. necare. ff. de liber. agnosc.* infert quod pater non punitur pœnâ parricidii, quando occidit filium, qui causam aliquam commisit ex iis quæ sufficiunt ad exhæredationem; etsi hoc non admittit Surdus *d. q. 1. num. 2.* Hujus sententiæ ea ratio esse potest, quod ingratitudo est ventus urens, ut ait D. Bernardus, siccans fontem pietatis, & tollens naturale debitum in parentibus erga liberos, & è contra, juxta notata suprà *n. 121. fin.* & tradita à Surdo *d. q. 2. à num. 11.* Hanc sententiam etiam Sanchez ubi suprà putat probabilem.

650 At his non obstantibus, dicendum est, ex prædictis causis ad exhæredationem sufficientibus parentes posse quidem filiis ingratis negare alimenta ordinaria, & pinguiora, non autem regulariter loquendo, alimenta ad vitæ sustentationem necessaria, dum ipsis non suppetunt aliunde. Ita ex Doctoribus suprà *num. 648.* relatis, Covaruvias *d. n. 17.* Ludovicus Molina *d. c. 16. n. 3. initio*, Gutierrez *d. c. 80. n. 4.* Peregrin. *d. art. 36. n. 145. versic. Sed contrà*, Surdus *d. q. 1. in fin.* Molfesius *d. q. 12. n. 2. & 3.* Sanchez *d. disp. 26. cit. num. fin.* Molina *de justit. omnib. locis, d. num. 648. citat.* Megala *d. q. 1. cit. n. 40.* Azor *p. 2. lib. 2. c. 3. q. 6. fin.* Fragosus *de Repub. Christiana*, *§. 1. disp. 4. n. 295.* ego ipse cum nonnullis aliis *in præallegato tract. de contractu matrim. c. 11. n. 141.* & alii Doctores à me suprà hoc opere *n. 123.* allegati. Probatur, quia alimenta vitæ simpliciter necessaria à parentibus debentur filiis de jure divino naturali, & è contra, quod jus naturale non potest tolli per legem humanam. Quare jus civile, dum propter aliqua delicta concedit parentes posse filiis denegare alimenta, ne contineat iniquitatem, intelligendum est de alimentis pinguioribus secundùm personarum qualitatem, & solventis facultatem. Præterea iisdem filiis delinquentibus videtur subveniendum in simpliciter necessariis, ut detur eis occasio pœnitendi: & quidquid sit de rigore juris, saltem ex æquitate esse subministranda alimenta, sine quibus filius, & filia ingrati, & delinquentes fame perirent, & quoad hoc filium, vel filiam exhæredatos, si non habeant aliunde, posse implorare judicis officium, tradunt Gasp. Anton. Thesaurus *d. q. 70. num. 12. & 25. fin.* Ludovicus Molina *d. cap. 16. n. 15.* & alter Molina *d. disp. 616. num. 13.* qui propterea aiunt, filiæ ex eo quod in corpus suum peccaverit, vel absque consensu patris nupserit, exhæredatæ dandam esse dotem in quantitate necessaria ad vitam sustentandam, quando aliunde non habet, quod tradidere etiam Covarruvias, & Sanchez *loc. cit.* & in facti contingentia ita judicasse suum Senatum testatur loco citato Thesaurus.

651 Dixi, *Non autem regulariter loquendo*, quia si causa exhæredationis, seu ingratitudinis ejus foret qualitatis, ut ex ea filius, aut filia ad mortem damnari possit, eo casu etiam alimentis vitæ simpliciter necessariis à patre vivente privari posse tradunt Covarruvias *d. n. 17.* Ludovicus Molina *d. cap. 16. num. 3. circa fin.* & videtur certum apud omnes Doctores; tunc enim cessat illa obligatio juris naturalis, ex eo enim quod filius potest vita privari, potest etiam alimentis, quibus vita conservatur: & ad id faciunt tradita suprà *n. 121.*

652 Ex quibus infertur, hæredem patris, etiam extraneum, non teneri filio à patre vivente justè exhæredato præbere alimenta, nisi in ea quantitate ad quam tenebatur pater, scilicet in quantitate tantùm necessaria ad vitæ sustentationem, & omninò etiam ab his prætendi exemptum esse hæredem; si pater vivens filium exhæredavit, & privavit quibuscumque alimentis ob causam ingratitudinis, ob quam filius veniebat ultimo supplicio puniendus: idque persistendo in jure communi, ad hæredem enim descendit tantùm ea obligatio, qua pater vivens tenebatur, ut suprà suo loco probatum est. Et quod filio justè à patre exhæredato hæres scriptus non teneatur alimenta, nec quidquam aliud præstare, tradit Glossa *in §. si igitur, verbo Habere, auth. ut cùm de appellat. cognoscitur.*

653 Causæ autem ob quas filius, vel filia à parentibus possunt exhæredari, exprimuntur *in §. causas, dict. auth. ut cùm de appellat. cognoscitur*, de quibus Covarruvias *in cap. Raynutius, in principio, n. 9. & seq.* Molina *de justitia d. disput. 176.* Gomez *var. tom. 1. c. 11.* Molfesius *d. q. 12. num. 7.* & alii à me *in tract. de matr. d. cap. 11. num. 164.* relati. An verò ob alias causas *in d. §. causas*, non expressas, & illis similes, vel graviores possit filius, vel filia exhæredari, latè explicavi *eodem n. 164. & duobus sequentib.* & posse sustinent magis communiter Doctores à me ibidem relati, & alii, quos latè refert, & sequitur Surdus *de alim. tit. 7. cit. quæst. 2. num. 5.*

§. III.

Utrum filiisfamilias masculis, & fœminis minoribus vigintiquinque annis nubentibus contra voluntatem parentum, ipsi possint illis denegare alimenta.

654 DUbium tertium, an filiis contra parentum voluntatem nubentibus, ipsi possint illis alimenta negare, cùm *d. §. causas*, *Auth. ut cùm de appellatione cognoscitur*, inter alias causas exhæredationis enumeretur hæc, scilicet: *Si alicui ex parentibus volenti filiæ suæ, vel nepti maritum dare, & secundùm vires substantiæ suæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegerit; si verò usque ad vigintiquinque annorum ætatem pervenerit, & parentes distulerint eam marito copulare, & forsitan ex hoc contigerit in suum corpus peccare, aut sine consensu parentum marito se, libero tamen conjungere, hoc ad ingratitudinem filiæ nolumus imputari, quia non suâ culpâ, sed parentum commisisse cognoscitur.* Cùm, inquam, filia minor 25. annis nubens contra parentum voluntatem, aut sine eorum consensu, possit à parentibus exhæredari, argumento à contrario sensu ex dictis verbis sumpto, videtur absolutè asserendum, etiam ab iisdem parentibus privari posse dote & alimentis, juxta doctrinam communem *n. 648.* traditam quod ex iisdem causis parentes possunt filiis denegare dotem & alimenta, ex quibus possunt illos exhæredare.

655 Cæterùm de hac re, an tum filiafamilias non excedens 25. annum, ex eo solùm quod sine consensu parentum volentium eam marito digno cum competenti dote copulare, nubat domini liberto, tum filiusfamilias sine consensu patris nubens, possint tam jure Cæsareo, quam canonico exhæredari, & dote, & alimentis privari, latissimè egi *in tract. de contract. matrim. c. 11. à n. 157. ad 226.* ubi etiam latè disserui, an leges, & statuta de privandis legitima, dote, & alimentis filiabusfamilias, quæ intra 25. annum absque legitima causa sine parentum consensu nubunt, valeant. Ne igitur ibi latè tradita hîc omnino rescribens inutiliter augeam hoc volumen, supersedeo prolixæ tractationi, quam ibidem lector videre poterit, & solùm nonnulla ex ibi traditis frequentiùs à Doctoribus admissa summariè notabo.

656 Primò igitur valdè probabile est, neque filiumfamilias, neque filiamfamilias intra 25. annum contra parentum voluntatem nubentem posse exhæredari, etiam jure Cæsareo attento, dummodo filia turpiter, & obscænè non vivat; idque etiamsi filia personæ indignè, liberæ tamen nupserit: id pluribus allegatis Doctoribus dixi *d. cap. 11. num. 157. & num. 162.* eo quòd in *d. §. causas, Auth. ut cùm de appellat. cognoscitur*, hoc non contineatur inter causas ingratitudinis, quæ omnes ibi enumerantur, ob quas parentes possunt exhæredare

hæredare

hæredare filios. Argumentum enim à contrario sensu ex verbis illius authenticæ *n.*654. adductis, ibi: *Sine consensu parentum, &c.* & ex auth. *Sed si post*, *de inofficioso testam.* ibi: *Vel sine consensu tuo, marito se, libero tamen copulaverit*, desumptum habet locum ubi dicta filia minor invitis parentibus mancipio nuberet, secus si viro indigno libero, & honestè vivat. Legem etiam 3. §. *emancipatus*, *ff. de bonor. possess.* permittentem exhæredari filium sine parentum consensu ducentem mulierem ignominiosam; & si quæ aliæ similes leges, vel dispositiones juris civilis permittentes exhæredationem filiorum, vel filiarum dignis, vel indignis personis contra parentum voluntatem nubentium, correctas esse *in d.* §. *causas*, tradunt Glossa *in d.* §. *emancipatus*, & alii Doctores à me *d. num.*157. allegati. Hoc autem supposito, etiam jure civili attento, filiafamilias invito patre nubens viro indigno non poterit privari dote, & alimentis juxta à me tradita *d. cap.*11. *n.*197. poterit tamen dari minor dos juxta qualitatem & conditionem mariti, ut *eodem num.*197. *& num.*204. notavi, & tradunt Doctores *ibid.* etiam, licèt cum aliis contrarium doceat Fragosus *de Republ. Christ. p.*1. *disp.*4. *n.*283. *ad* 287.

657 Secundò longè probabilius est, filiamfamilias nubentem viro digno contra patris voluntatem, jure civili attento, & multò magis jure canonico inspecto, non posse exhæredari, & consequenter nec dote, nec alimentis congruis privari. Id tradidi *d. cap.*11. *n.*159. 161. 162. *&* 163. & tradunt Doctores innumeri iisdem numeris relati, & hoc idem tradit Fragosus *d. disp.* 4. *num.* 287. inspecto jure communi civili, aiens secus esse de jure Lusitano. Fundamentum præcipuum est, tum quia filia sic nubens nil nocet parentibus, vel familiæ; tum quia quod pater facere tenebatur, ipsa utiliter fecit, & sic non infert per tale matrimonium parentibus gravem injuriam, gravemve ingratitudinis causam, ob quam mereatur exhæredari, vel dote aut alimentis privari. Et licèt aliqui Doctores *d. c.*11. *n.*192. *&* 202. allegati velint in hoc casu, etiam jure canonico attento, patrem non teneri dotare hujusmodi filiam, si ipsa sit dives, & dotem possit solvere: ego tamen *n.*193. contrarium sentio, alioquin filiam sic nuptam digno esse à patre dotandam, licèt sit dives, propter rationes quas ibidem adduco.

658 Et non solùm quando ex legitima causa filiafamilias invito patre viro digno nupsit, sed etiam quando absque justa causa id fecerit, patrem adhuc teneri illam dotare, & consequenter etiam alere, si aliunde non habeat alimenta, tradunt magis communiter Doctores à me *d. c.*11. *n.*201. & 202. allegati, asserentes non valere leges civiles, & statuta de privandis legitima, aut dote, vel alimentis filiabus intra 25. annum sine patris consensu nubentibus, dummodò nubant digno viro, etsi absque justa causa id faciant. Dicunt tamen aliqui ibidem *num.*202. allegati, etiam jure canonico attento hanc filiam, quæ sine justa causa invito patre nupsit digno, non teneri patrem dotare, si ea dives sit.

659 Imò etiamsi filia minor 25. annis contra patris voluntatem nubat absque causa justa indigno cum dedecore familiæ, adhuc patrem, saltem jure canonico attento, teneri illam alere, & dotare, docuerunt plures Doctores *d. cap.*11. *num.*203. à me allegati, etsi nonnulli ibidem *num.* 204. relati addant in hoc casu dotem, & alimenta non teneri patrem dare in ea quantitate qua teneretur dare si digno nupsisset, sed in minori, attenta qualitate viri, & ejus dignitate. Fragosus etiam *d. disp.*4. *n.*295. asserit tali filiæ deberi alimenta, sed tamen solùm ad vitam sustentandam præcisè necessaria, cùm privatio horum alimentorum adæquet capitalem pœnam: neque etiam patrem hujus filiæ teneri dotem dare, si haberet aliunde bona, ex quibus se alere, & dotare posset, docent alii eodem *cap.*11. *num.*205. relati.

Licet etiam juxta multorum sententiam sit probabile, leges civiles communes, & municipales, quæ filias minores 25. annis, parentibus invitis nubentes, sive digno, sive indigno viro, privant legitima, esse justas, & validas, etiam jure canonico attento, ut dixi *dicto tract. de contractu matrimon. eodem cap.*11. *n.*208. *& seq.* nihilominus si tam filia quàm maritus essent pauperes carentes omninò bonis, quibus se alere possent, & etiã honesto & minimè indecenti labore de iisdem alimentis sibi providere non possent, tunc pater teneretur, & cogi posset, saltem judicis officio implorato, ad subministranda filiæ alimenta ad vitæ sustentationem necessaria, juxta tradita hoc capite, suprà *n.*650. *& in tractatu prædicto de contractu matrim. allegato cap.*11. *num.* 141. 142. *&* 143. & Doctores ibidem allegatos. 660

Portò quod de filiafamilias minori dictum est, dicendum etiam de filiofamilias invitis parentibus ducente uxorem dignam; huic enim tenetur pater præbere alimenta, si aliunde non habeat, etiam jure civili, supposita sententia quod non possit ob eam causam exhæredari, ut tradunt Doctores allegati *d. cap.*11. *num.*152. *& num.*201. & ita etiam in terminis Sanchez *de matr. lib.*4. *disp.*26. *num.*20. & Gutierrez *eod. tract. cap.*70. *num.*13. *versic. Quarta conclusio*, & alii Doctores suprà *hoc cap. num.*47. relati. 661

Item etiamsi filiusfamilias absque consensu patris duceret uxorem indignam ignominiosam, probabile est patrem teneri illi præbere alimenta ordinaria, si aliunde non habeat, cùm hac de causa non possit jure civili exhæredari, juxta sententiam, & Doctores, de quibus *in d. cap.*11. *num.*152. Alimenta autem vitæ necessaria tali filio aliunde non habenti patrem solùm propter æquitatem naturalem, ne fame pereat, teneri præbere, constat ex traditis suprà *num.*650. & ex Doctoribus *ibidem* allegatis, & in his terminis post alios tradunt Sanchez *d. disp.* 26. *num.* 19. & Guttierrez *d. num.*13. *versic. Tertia conclusio.* 662

Quin etiam non solùm tali filio, eo invito ducenti uxorem, tenetur pater præstare alimenta, sed etiam ejus uxori, si pauperes sint, & aliunde non habeant: Sanchez *d. disp.*26. *num.*20. & Guttierez *d. cap.*80. *num.*13. *versic. Quinta conclusio*, & alii Doctores communiter suprà *num.*95. *&* 97. allegati. Idque propter rationem *num.*95. adductam: idque procedit, licèt secus senserint Lud. Lopez 1. *part. instruct. cap.*294. §. *Sequitur & alia quæstio, fine, in* 2. *edit.* Covarr. *de spons. p.*2. *c.*8. §.6. *n.*5. *versic. Tertiò*, Surdus *de alimentis, tit.*1. *quæst.*38. *num.*35. & Joan. Lupi *de illegitimis, comm.* 2. §.1. *num.*25. etiamsi filius indignam uxorem duxerit. Ita in terminis Sanchez, & Gutierrez *locis citat.* & idem sentire videntur plures Doctores ex relatis suprà *num.* 97. dum absolutè asserunt, Patrem teneri alere uxorem, quam filius eodem patre contradicente indotatam duxerit, quando non habent unde se alant. Et confirmat Sanchez, quia filius ob hanc causam non potest exhæredari, ut dictum est suprà *num.*672. & consequenter etiam nec alimentis, saltem vitæ necessariis privari, imò nec convenientibus juxta statum, tenuioribus verò habita ratione indignitatis uxoris. 663

Plura de hac materia, an, & quo jure, quâve ratione filiifamilias ratione matrimonii, sive digni, sive indigni, absque consilio parentum, vel eis invitis contracti privari possint legitima, dote, & alimentis videantur *in d. tractatu de matrimonio, allegato cap.*11. *à dicto num.* 157. *ad* 225. ubi *num.*167. explicatur quis sit conjux indignus, vel dignus. 664

Verum verò filia minor 25. annis, quæ in corpus suum peccaverit vivendo luxuriosè, possit à parentibus alimentis privari? Dicendum posse, stantibus omnibus conditionibus requisitis, ut possit exhæredari. Ita Doctores communiter, quos refert, & sequitur Surdus 665

dus *de alimentis, tit.7. quæst.4. n.1. & 2.* An verò, & quando possit exhæredari, latè tradidi *in suprad. tr. de contractu matrimonii, citato cap.11. à n.125. ad 156.* & multa etiam tradit Surdus *d. q.4.* ac Megala *p.2. lib.2. c.23. q.1.* Intelligendum autem de alimentis pinguioribus, non de alimentis ad vitæ sustentationem simpliciter necessariis; hæc enim eidem filiæ non perseveranti in luxuriosa vita, & aliunde non habenti, forent præstanda, per tradita suprà *n.650.*

665 Quoties verò pater vult filium, aut filiam ab alimentis excludere, tenetur probare causam indignitatis, cùm id suæ sit intentionis fundamentum: ita Corduba à Lara *loco sup. n.647. alleg.* & aliis relatis Surdus *de alim. tit.7. q.1. n.26. & 27.* & Molfesius *ad consuet. Neapol. tom.1. p.5. q.12. n.24.*

§. IV.

Si filius legitimam portionem in tot bonis sibi à patre assignatam, vel bona, quorum fructibus se alere poterat, nomine alimentorum ab eodem patre sibi data consumpserit, an pater eidem de novo teneatur alimenta præstare.

Dubium quartum: Si pater filio pro alimentis totius vitæ legitimam in tot bonis dederit, vel assignaverit fundum, cujus fructus possint sufficere ad alimenta integra; & filius bona illa, seu fundum assignatum dissipavit, & ad paupertatem redactus est, an eidem filio dissipatori pater teneatur de novo præstare alimenta? De hoc dubio valde controverso latè agunt Vasquius *in qq. illust. cap.35. n.14.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. idem Iudex, à n.9. ad 37.* Menochius *de arbitr. casu 182.* Surdus *de aliment. tit.7. q.5.* & alii, qui infrà citantur, etsi non tam ampla. Difficultas autem potest esse, utrum teneatur pater de novo tali filio præbere alimenta pinguiora, & statui congrua, an verò tantùm necessaria ad vitæ sustentationem, ne fame pereat.

666 Aliqui (& sit prima sententia) absolutè affirmat, filio qui portionem bonorum sibi à patre pro alimentis assignatam dolo, & suâ culpâ, putà cum scortis, vel ludendo, aut lautè vivendo malè consumpsit, & prodegit, & ad necessitatem redactus est, patrem non teneri iterum dare alimenta. Ita Vasquez *loco citato,* Corduba *d. §. idem Iudex, n.19. & seq.* Menochius *d. casu 182. n.55. & de præsumpt. lib.4. præsumpt.191. n.9.* Peregrin. *de fideic. art.41. n.88.* Surdus *d. q.5. n.11.* Joannes Baptista de Barbobus *de filiisf. q.30. n.101.* & plures alii Jurisperiti à Corduba *d. §. idem Iudex, n.9.* & Surdo *d. q.5. num.1. & 2.* relati, præsertim Baldus *in auth. contrà rogatus, n.8. Cod. ad Trebell.* & Alexand. *in l. si cùm dotem, §.1. ff. solut. matrim.* Bart. *in tract. de aliment. n.17.* Jason *in l. scimus, in prima, n.6. Cod. de inoffic. testam.* & Pontanus *de alim. c.2. n.6. fin.* & Joan. Nicolaus Lucidorus *de illegit. Cleric. c.22. n.33.* Probatur primò, quia alioqui culpa desineret nocere authori suo, contra caput *culpa sua, de reg. jur. in 6.* & *l. quisquis in suo, §. legis, Cod. de inoffic. testam.* & *l.1. ff. de just. & jure.* Et eadem culpa filii dilapidantis patri innocenti noceret, contra dictum §. *Legis,* & contra omnes leges, quæ sunt sub titulo *ne filius pro patre,* & sub titulo *ne uxor pro marito,* & contra legem *non debet alteri, ff. de reg. jur.* & contra omne jus naturale, naturalemque rationem dictantem, pœnam debere sequi peccantem, & unum ex facto alterius non debere lædi, *l.1. Cod. ut nulli ex vicar.* & iniquissimum omnes judicant, ex facto unius alterum prægravari, *l. ex duobus, in fine, ff. de negot. gest.* Secundò, quia jure cautum est, maleficum, & malè merentem alendum non esse, sed egestate debere laborare, *l. bona fides, ff. depositi.* Scortis autem dare, vel ludendo bona perdere, est delictum: quare huic filio culpato victum non dare, sed permittere ut manibus, & labore suo sibi victum quærat, ut plures alii culpâ carentes faciunt, non erit peccatum, sed potiùs laudabile, & condignum. Tertiò quia frustra auxilium legis prætextu necessitatis quis implorat, quando in talem necessitatem culpâ suâ incidit, *l. jam dubitari, ff. de hæred. instit.* ibi: *Iam non ut necessarii, sed suâ sponte hæredes existent.* Et l. *jam dubitari, ff. de vulgari,* ibi: *Ius dicentis propositum est, liberos oneribus hæreditariis non sponte susceptis liberare.* Illi enim imputandum est, qui in talem necessitatem se sponte & suo facto conjecit, *l. fidejussor, §. si necessaria, ff. qui satisd. cogant.* cum aliis allegatis per Menochium *d. casu 191. n.51.* Confirfirmatur hæc sententia primò, quia filio qui legitimam sibi à patre in tot bonis assignatam dolosè, & suâ culpâ malè consumpsit, non tenetur pater de novo legitimam dare, ut cum aliis docet Menochius *d. casu 182. num.56.* & Merlinus *de legit. lib.2. tit.2. quæst.30. num.4. & seq.* Secundò, quia si filia malè suâ culpâ dotem sibi consignatam consumpsit, pater non tenetur iterum illam dotare, ut post alios tradit idem Menoch. *num.57.* Corduba d. §. *idem Iudex, num.23.* & Fontanella *de pactis nupt. clausf.5. gloss.1. p.1. n.72.* Surdus *d. quæst.5. num.5.* & Mangilius *de imput. q.164.* Tertiò quia quando filius fideicommisso gravatus habuit jam legitimam, & trebellianicam, quas suâ culpâ, & malè utendo consumpsit, non potest alienare bona fideicommissi, ut alimenta consequatur, ut cum aliis notat Menochius *d. præsumpt.191. num.8.* Antipadilla *in auth. res quæ, num.80. Cod. commun. de leg.* & Surdus *d. q.5. num.2.* Prædictis autem Vasquius, Corduba, & Surdus aiunt non obstare, quod alimenta debeantur jure naturæ, & obligatio naturalis non evanescit propter culpam filii: nam inquiunt, quod jus illud naturale, seu inclinatio naturalis parentum ad alendum filios non inducit obligationem præcisam, & coactam, ut suprà *num.5.* juxta eosdem Vasquium, & Surdum notatum est: sed obligatio strictè inducta est à jure civili, quo jure nullibi ait Vasquius legi, ut quis suæ obligationi amplius quàm semel satisfacere teneatur; sed imò contrarium eo jure dispositum est, *l. qui bis, ff. de verbor. obligat. l. qui usumfructum, eod. tit.* & *l. Planè, §. si eadem res, ff. de leg.1.* & *l. si ita sit, ff. & Cod. de condict. indeb.* Igitur cùm Christiana pietas non patiatur quod quis fame pereat, huic filio suâ culpâ ad egestatem redacto Surdus *d. q.5. num.11.* & post eum Lucidorus *ubi suprà,* dicit fore subveniendum per viam, & rationem eleemosynæ, & auxilii gratuiti, à quo non excluditur qui incidit in paupertatem culpâ suâ, per tradita à Menochio *d. casu 191. n.42. & nonnullis sequentibus,* & Covarruvia *var. lib.2. cap.16. num.9. versic. Contrarium,* & à me etiam *tom.3. mor. var. tit.6. num.47.* Et hujusmodi filio dissipatori in gravi necessitate existenti, si emendationem à vitiis seriò promitteret, Lucidorus dicit, quod judex cogere debet patrem, vel ejus hæredem ad novam præstationem alimentorum simpliciter vitæ sustentandæ necessariorum.

Ex quibus ultimo loco adductis constat, Vasquium, 667 Cordubam, & Surdum concludere patrem filio, qui dolo, & suâ culpâ consumpsit portionem legitimam, aut alia bona sibi assignata, ex quorum fructibus congrua alimenta habere poterat, non teneri præstare neque etiam alimenta vitæ sustentandæ simpliciter necessaria, nisi fortè titulo eleemosynæ, & gratuiti auxilii.

Item juxta eosdem Vasquium, & Cordubam, non 668 tenetur pater alere talem filium, licèt culpa non fuerit ordinata ad id, ut postea à patre aleretur: ad quod etiam faciunt tradita, & Doctores relati à Menochio *d. casu 191. n.45. cum pluribus seqq. & n.59. & 60.* & à Merlino *d. q.30. n.8.*

Item juxta Vasquium, non teneretur pater de novo 669 alimen

alimenta præbere filio, qui bona assignata, quibus poterat vivere, ex culpa levi, vel etiam casu fortuito dissipaverit, vel perdiderit; vult enim quod ubi semel pater alimenta sufficientia pro tota vita filio dedit, non teneatur de novo alia dare in ullo casu. Corduba tamen *in d. cap. si quis à liberis*, §. *idem rescripsit*, *n.* 100. sentit fratrem teneri dare alimenta fratri, qui portionem sibi assignatam sine dolo, sed tantùm animi levitate, & calore juvenili dissipaverit dando scortis, & aliter, ut supra *n.* 524. notatum est.

670 Alii è contra (& sit secunda sententia) asseruerunt, filio qui portionem bonorum qua poterat vivere, assignatam à patre pro alimentis dolo, & latâ culpâ cum scortis, ludendo, vel lautè nimis vivendo consumpserit, patrem teneri iterum præstare alimenta, si aliunde non habeat quo se alat. Ita Jacobus de Aren. *in l. libertus qui operarum*, *ff. de operis libertorum*, *& in l. Imperator*, *ff. ad Trebell.* Bald. *in l. si captivi*, *ad fin. Cod. de Episc. & cler. in l. Scimus*, *n.* 11. *Cod. de inoffic. testam. & in l.* 1. §. *Ius naturale*, *n.*7. *de just. & jur.* Joan. Sapolta *de collationib. n.* 100. Ozascus *decis.* 124. *n.*9. *&* 10. Benintendus *decis.* 22. *n.* 2. Marescot. *var. c.* 83. *n.* 5. Peregrin. *de fideicomm. art.* 36. *n.* 145. *&* 146. P. Barbosa *ad l.* 1. *p.* 4. *n.* 141. *ff. soluto matrim.* Carpan. *ad statuta Mediol.* 313. *n.* 5. *&* 36. *& ad stat.* 485. *n.* 67. Giurba *decis.* 5. *n.* 34. Merenda *controv. var. lib.* 4. *c.* 34. *n.* 6. & plures alii Jurisperiti à Corduba *d.* §. *idem judex*, *n.* 10. Surdo *d. q.* 5. *n.* 8. Peregrino, Giurba, Ozasco, & Carpano *locis allegat.* citati, & ex Theologis Azor. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 4. *q.* 12. & Megala loco suprà *n.* 526. allegati. Probant plures ex allegatis Doctoribus, tum per dictam legem *Imperator*, ubi licèt pater dolosè dilapidaret bona fideicommisso subjecta, filio qui in potestate patris esse desiisset, restituenda; filius tamen cui ante tempus fit restitutio, tenetur ex eis patrem alere: tum per dictam legem *libertus qui operarum*, ubi patrono qui amisit juspatronatus, cogitur libertus alimentorum nomine certam quantitatem præstare. Verùm ad dictam legem *Imperator*, Corduba *d.* §. *idem judex*, *num.* 32. respondet ibi à Papiniano dispositum, patrem dilapidatorem à filio alendum esse propter reverentiam quam filius patri debet, unde non est extendendum ad filium dilapidatorem. Surdus verò *d. q. n.* 8. respondet dictã legem *non obstare*, quia ibi bona erant patris, licèt fortè subjecta fideicommisso, cùm gravatus fideicommisso, pendente conditione dicatur verè dominus, per Doctores quos ibidem allegat. Quare suggerit æquitas, patrem alendum esse de bonis suis, qui sibi ante diem auferuntur; secus autem in alimentis filio debitis, non ex propriis, sed paternis bonis: non est autem tanta ratio dandi alimenta de alienis bonis, quanta de propriis. Ad legem *libertus qui operarum*, respondet Corduba *n.* 33. non obstare priori sententiæ, quia agit de patrono cui à liberto semper est honor deferendus, *l. liberto*, *ff. de obsequiis.* Alii ergo, ut Peregr. Ozascus, & alii apud eundem, probant hanc sententiam, quia alimenta à patre filio debentur jure naturali, quod facto patris assignantis bona, & filii consumentis, aut alia ratione tolli non potest, cùm jura naturalia immutabilia sint, §. *sed naturalia*, *Instit. de jure naturali*, *& l. Iura sanguinis*, *ff. de reg. juris.* Merenda confirmat ex eo, quod æquitati, & charitati nimis adversetur, parentem commodè, & ex dignitate vivere, liberos autem stipem quærere, vel vilissimas artes exercere.

671 Unde pro resolutione dicendum primò, filio qui dolosè, & culpâ sua lata, putà dando scortis, ludendo, & nimis lautè vivendo consumpsit bona nomine alimentorum sibi à patre assignata, quorum fructus sufficiebant ad alimenta, patrem teneri præbere alimenta quæ pro indigentia, & sustentatione naturæ, & ne fame pereat, sunt necessaria, si aliunde non habeat. Ita præter Doctores *num. præced.* relatos, in his terminis Lud. Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 24. alter Molina *de just. tom.* 3. *disp.* 616. *n.* 14. *versic. Quod si dos*, Merlin. *de legitima*, *lib.* 2. *tit.* 2. *allegat. q.* 30. *n.* 2. Fontanella *de pactis nupt. claus.* 5. *gl.* 1. *p.* 1. *n.* 76. *&* 77. Cabedo *decis. Portugal.* 148. ubi ait ita decisum in Senatu Portug. Gasp. Barzius *de non meliorandis filiabus*, *c.* 16. *n.* 19. *cum seq.* Giurba *decis.* 6. *n.* 3. *&* 5. & alii ab iisdem Ludov. Molina, & Barzio, Giurba, & Corduba *in d.* §. *idem judex*, *n.* 10. relati. Ratio est, quia cùm alimenta filio à patre debeantur jure naturali, & ex charitate sanguinis, & pietatis vinculo, ut suprà *n.* 7. *cum seq.* probatum est, & sæpiùs *in præcedentibus* dictum est, ex quacumque causa filius egeat, si aliunde alimenta habere non possit, pater tenetur ei saltem vitæ sustentandæ alimenta simpliciter necessaria præbere; obligatio enim illa naturalis, ut suprà *n.* 326. notatum est, & etiam Peregrin. & Ozascus cum aliis locis suprà allegatis tradunt, non potest tolli ex culpa præterita, si jam emendatus est filius dissipator portionis bonorum assignatæ, & non sit abusurus alimentis quæ pater de novo præstat. Neque huic conclusioni obstat argumentum de legitima, & dote, de quo in confirmatione *n.* 676. adducta, ut rectè notat Peregr. *d. n.* 146. Fontanella *loco cit.* & plures alii, quos Corduba *d.* §. *idem judex*, *n.* 25. *&* 26. allegat, cùm valde diversa sit ratio, & natura legitimæ, & dotis, quatenus excedunt alimenta simpliciter vitæ necessaria, à natura alimentorum, quæ ad vitæ sustentationem sunt simpliciter necessaria, ut latè explicant Peregr. Corduba, & Fontan. *locis cit.* & præsertim ea est diversitas, quod alimenta vitæ necessaria debentur filiis jure naturali, legitima autem, & dos debentur jure civili. Non obstat etiam tertia confirmatio *d. n.* 676. adducta; præfatus enim filius poterit alienare bona fideicommissi, saltem quatenus requiritur pro habendis alimentis vitæ sustentandæ simpliciter necessariis, de quo infrà.

Dicendum secundò, huic filio, qui dolosè, & sua 672
culpâ lata malè consumpserit portionem bonorum pro alimentis assignatam, non teneri patrem præbere alimenta pinguiora, scilicet dignitati congrua. Ita Jurisperiti *n.* 676. *& n. præced.* relati, præsertim Giurba *d. n.* 5. 10. *&* 11. & etiam relati *n.* 680. qui dum asserunt filio qui malè consumpsit legitimam portionẽ, seu bona pro alimentis assignata, patrem teneri iterum alimenta præbere, si ad inopiam redactus sit, & egeat, non loquuntur de his alimentis statui, ac dignitati condecentibus, sed de iis alimentis, quæ pro indigentia, & sustentatione naturæ sunt necessaria, ut notavit Corduba *in d.* §. *idem judex*, *n.* 12. & colligitur ex ratione, quam iidem communiter adducunt, nempe quod alimenta filiis debeantur jure naturæ, quod ex assignatione facta per patrem, & consumptione facta per filium tolli non potest, sicut nec tolli potest lege, aut alia humana constitutione, aut principis viventis decreto, aut pacto, vel renunciatione, cùm his omnibus prævaleat naturæ lex, ut communiter sentire Doctores, tradunt Ludov. Molina *d. lib.* 2. *c.* 1. *ferè per totum*, & Peregr. *d. n.* 145. de qua re infrà. Hanc conclusionem communem Jurisperitorum saltem probant tres rationes suprà *n.* 676. adductæ, & aliæ, quas Menochius *d. casu* 182. *à n.* 45. *ad* 54. adducit. Advertit autem Giurba *d. decis.* 6. *n.* 13. *fin.* post M. Antonium Cucchium, hujusmodi alimenta, quæ filio prodigo, vel filiæ dissipatori, seu dissipatrici legitimæ, vel dotis subministrantur, si pro tota vita unicâ præstatione fuerint data, post mortem non transmitti ad hæredes, sicut transmittitur legitima. Addit idem Giurba *n.* 8. non solùm patrem viventem, sed etiam ejus hæredem teneri filio, qui dissipavit legitimam, præfata alimenta præstare, reprobato Claudio *in tract. de legit. c.* 8. *n.* 21. affirmante solum patrem viventem, non hæredem ipsius teneri, quem dicit neque textu, neque ratione id probare.

Diffi

673 Difficultas est, an si filius bona assignata nomine alimentorum amiserit quidem sua culpâ, sed sine dolo & culpa præmeditata, & ordinata ad casum, ut si casu homicidium commisit, & ut à condemnatione, seu pœna, vel fisci vexatione se redimeret, distraxit omnino bona pro alimentis assignata, & ad inopiam, & egestatem redactus sit, neque aliunde habere possit alimenta, tunc pater tali filio teneatur alimenta dignitati condecentia præbere.

674 Et pro affirmativa stant Doctores asserentes filio gravato restituere, qui legitimam, & Trebellianicam consumpsit ex culpa ad factum non præmeditata, & in necessitate constitutus est, succurri ut possit bona fideicommisso supposita alienare, ut sese alat: hi sunt Fulgosius *in auth. res quæ, Cod. commun. de legat.* Decius *in cap. quæ in Ecclesiarum, num.*30. *in fine, de constitution.* Alexander *in leg. fidejussor, §. si necessaria, ff. qui satisd. cog.* & nonnulli alii à Menochio *d. casu* 182. *num.*85. relati, quorum præcipuum fundamentum est, quod culpa ad casum non ordinata non sit considerabilis, ut notant Glossa *in cap. quia diversitatem, verbo Suspensus, de concessione præbend.* Augustinus Barbosa *ibidem, num.*8. & alii quos *d. casu* 182. *n.*59. ubi latè explicat qua ratione culpa ad casum non ordinata non sit considerabilis, nec quoad commodum, refert Menochius. Cùm ergo in præsenti casu culpa non sit ordinata ad necessitatem, non est considerabilis, atque adeo hæc necessitas ita justa censetur, ac illa quæ ab initio, seclusâ illa culpâ, justa est.

675 At negativam partem sustinent Bartolus *in l. si post dotem, §. si post solutum, in fine, ff. soluto matrimonio,* Menochius *d. casu* 182. *d. num.* 58. *& seq.* Merlinus *d. quæst.* 30. *num.*8. & magis communiter Doctores, quos Menochius refert *eodem casu* 182. *num.*45. qui *à d. num.*45. *ad* 54. ad id probandum plures adducit rationes, inter quas illæ quæ suprà *num.* 676. sunt adductæ, & illa quod necessitas est illi imputanda qui suâ culpâ in eam incidit, *d. leg. si fidejussor, §. necessaria, ff. qui satisd. cogant.* & aliis juribus à Menochio *num.*51. relatis, & tradunt alii Doctores, quos referunt Menochius ibidem, & Merlinus *d. num.*8. ubi etiam *num.*9. *fine,* ait hanc sententiam negativam tenere plures alios, quos *d. quæst.* 30. *num.*5. allegat.

676 Utrum etiam si filius ex culpa levi tantùm bona consumpserit, pater teneatur ei præstare alimenta statui congrua? negat Corduba *in d. §. judex, num.*18. At affirmant Alexander *in l. si cùm dotem, §.*1. *num.*9. *ff. soluto matrimonio*, Baldus *in d. auth. rogatus, num.*8. Pontanus loco suprà *num.* 676. relato, Menochius *d. præsumpt.* 191. *num.*9. & alii à Corduba *d. §. idem rescripsit judex, n.*15. relati, Jacobus de Arena, & alii ex relatis *num.*680. quatenus affirmant, patrem teneri alere filium, qui sine dolo, & lata culpa bona pro alimentis sibi assignata consumpsit: & idem sentit Surd. *d. tit.*7. *quæst.*15. *num.*11. dum ait fratri, qui animi levitate, vel judicii imbecillitate ad inopiam devenit, fratrem divitem teneri præstare alimenta, ut suprà *num.*525. notatum est, & ad id facit lex 1. *ff. de minoribus*: & quia ob levem culpam non videtur filius privandus privilegio juris, quod habet consequendi alimenta à patre, si aliunde non habeat. Corduba *d. §. idem judex, num.*16. ex Alexandro probat ex eo, quod culpa levis non noceat filio, qui quodammodo vivo patre dominus erat, *l. in bas, ff. de lib. & posth.* in rebus autem propriis quis non punitur, *l. etiam, §. licet, ff. sol. matrim.*

677 Cæterùm inter omnes Doctores convenit, quod si filius citra dolum & culpam, sed casû, & fortuito, putà quia fortè casmate, vel incendio perierunt, bona pro legitima, vel alimentis assignata consumpserit, seu amiserit, patrem teneri ad præbendum ei alimenta condecentia, habita ratione bonorum ejusdem patris, & etiam quamvis filius in assignatione legitimæ, vel bonorum alimentis in posterum a patre præstandis renunciasset. Ita Corduba *in d. §. idem judex, n.*14. Peregr. *d. art.*36. *num.* 146. & alios allegantes Menochius *d. casu* 182. *num.*24. Merlinus *de legitima, lib.*2. *tit.*2. *d. quæst.* 30. *num.* 11. *&* 16. Mangilius *de imputat. quæst.* 164. *num.*4. Surdus *d. tit.* 79. *& quæst.*5. *& quæst.*15. *num.*11. Stephanus Gratianus *parte* 4. *capite* 792. *num.*110. Joannes Nicolaus Lucidorus *d. cap.*22. *num.*32. Calvinus *de æquitate, lib.* 3. *cap.* 74. & non solùm Doctores suprà *num.* 680. relati, sed etiam alii Doctores, excepto Vasquio *num.* 676. allegati, qui ibi loquuntur de filio qui dolo, & sua culpa legitimam portionem, vel alia bona sibi pro alimentis assignata consumpserit; ex quo enim hæc amissio à fortuna provenit, quæ humano consilio prævideri, & illi provideri non potest, *leg.*2. *§. si eo tempore, ff. de administratione rerum ad civit. pertin.* & *l. quæ fortuitis, Cod. de pignorib. act.* nullo modo potest imputari filio, & propterea non debet idem filius privari privilegio juris consequendi alimenta condecentia, si aliunde non habeat; atque adeo etiam hujusmodi necessitatem provenientem à fortuna, esse causam justam alienandi bona feudalia, vel fideicommisso subjecta, pro alimentis gravati, ut rem certam statuit cum aliis *loco citato* Menochius. Quæ autem dicta sunt de filio, qui consumpsit alimenta à patre sibi data, dicenda sunt etiam quoties alimenta fuerint tradita ab alio, qui debitor esset legitimæ illi qui tradidit, si consumpsisset, & ad egestatem suâ culpâ, vel fortuitò devenisset, ut etiam in specie tenent uterque Molina locis suprà *n.*681. citatis. Item ea quæ dicta sunt de alimentis à patre, & ab eo, qui legitimæ est debitor traditis, & consumptis, dicendum est de dote à patre vel ab alio legitimæ debitore tradita, quam si mulier consumpserit malè & suâ culpâ, erit danda iterum dos, sed non juxta dignitatem, sed tantùm juxta qualitatem alimentorum vitæ sustentandæ necessariorum. Utrum verò etiam si à fratre, aut ab alio legitimæ non debitore semel alimenta congrua, & competentia fuerint fratri vel sorori consignata, & tradita, qui, vel quæ posteà malè, & culpabiliter consumpserit, aut casu fortuito amiserit, frater teneatur iterum præstare alimenta? Doctores communiter, quos latè refert Ludovicus Molina *de primogen. lib.*2. *cap.* 16. *num.*26. conveniunt non teneri iterum præstare, si sua culpà frater alimenta semel recepta à fratre consumpsit, vel amisit: & idem approbant ibidem idem Molina, & alter Molina *de justitia, tom.*3. *disput.*616. *num.*14. *versic. Quando dos, vel alimenta.* Si verò fortuitò, & casu amiserit, in hoc casu non teneri amplius alia alimenta præstare, tradidere Baldus *in l. fin. num.*8. *Cod. de dotis promiss.* Ludovicus Romanus *in Authentica Quod locum, num.*10. *Cod. de collat.* & alii plures à Ludovico Molina *d. num.*26. *initio* relati, loquentes in dote semel à fratre sorori constituta, in hoc assignantes differentiam inter patrem, & fratrem: & hos Doctores sequitur Molina *de justitia loco citato*, illam afferens rationem, quod frater solùm de jure civili tenetur alimenta, & dotem dare fratri, & sorori inopi, quod jus civile non est extendendum ut voluerit fratrem sæpiùs teneri præstare dotes, & alimenta quæ non sunt necessaria ad vitæ conservationem. At plures alii Iurisperiti, quos Ludovicus Molina *d. num.*26. *versic. Sed contrarium*, refert & sequitur, tenent in hoc casu fratrem teneri iterum dotare competenter sororem, sicut & pater dotem congruam tenetur dare iterum filiæ, quæ casu fortuito priorē amisit; quia quāvis pater potiori ratione quā frater teneatur alimēta, & dotē dare fratri, & sorori

sorori inopi, uterque tamen id ex juris communis dispositione facere tenetur, ut in praecedentibus suo loco probatum est; atque adeò si soror dotem, seu alimenta absque culpa amiserit irrecuperabiliter, in fratre idem dicendum est quod in patre, nec contrarium ullo jure probatur, & ita sentiendum etiam ego puto: in casu verò quo frater, aut soror suâ culpâ gravi dotem, aut alimenta simul à fratre accepta, quae erant statui congruentia, amiserit, seu consumpserit, certum puto fratrem non teneri iterum dare alimenta, vel dotem juxta dignitatem: existimo tamen teneri in foro conscientiae dare solùm alimenta simpliciter vitae necessaria, juxta tradita suprà *n.526*.

SUMMARIUM
Capitis XI.

Pater an possit negare alimenta filio qui absque justa causa non vult cum eo habitare. Negativa, n.677. Affirmativa, & communis, n.678.

Pater cessante legitima causa, non potest cogere filium accipere alimenta extra domum paternam, ibid.

Pater ex vi patriae potestatis cogere filium legitimum, & naturalem ad habitandum secum, ibid.

Si tamen filius nolit alimenta, & velit eligere aliquod honestum vitae genus, non habet à patre impediri, nisi quatenus filii operâ indigeret, n.692.

Pater volens habere alimenta à filio cogitur habitare cum eo, n.679.

Filio recedenti à patre cum uxore sine causa, nec dos, nec alimenta extra domum sunt praestanda, n.680.

Filio qui sine causa à patre recessit, redeunti ad patris domum, pater in futurum tenetur alimenta praestare, num.681.

Ex consuetudine Neapolitana filius potest petere alimenta & pater dare filio extra domum paternam, n.683. limitatur si pater egeret auxilio filii, ibid.

Filius ex legitima causa potest morari extra domum patris, & ibi petere, & consequi alimenta n.684.

Similiter pater ex justa causa potest cogere filium accipere alimenta extra domum paternam, n.685.

Quid si pater culpâ filii illum domo ejicit, ibid.

Filio petenti alimenta extra domum patris incumbit onus probandi justam causam seorsim habitandi, n.686.

Causa seorsim habitandi an sit justa, committitur arbitrio judicis, n.687.

Causa justa censentur patris saevitia, & lis inter patrem, & filium, num.688. Odium novercae, num. 682. Ingressus filii, aut patris in monasterium, n.690. 691. Si filius cum patre absque morali periculo offendendi Deum, & impudicitiae non possit morari, num. 692. dissipatio bonorum paternorum, numero 692.

Inter novercam, & privignum lex praesumit odium, 693.

Sententia asserens alimenta debita, sive ex dispositione legis, sive ex dispositione hominis, peti, & accipi posse extra domum illa praestare debentis, numero 694.

Juxta quam vidua intra annum luctus potest petere alimenta ab heredibus mariti extra illorum domum, etiamsi si nulla subsit causa ne cum illis moretur, n.695. Item pater cogitur alere filium spurium, licet minorem triennio in domo matris, & filiam nuptam in domo generi, ibid. ibid.

Limitatur dicta sententia in uxore, quae sine causa divertens à marito non est ab eo alenda, numero 696.

Sententia affirmans alimenta semper etiam debita ex sola dispositione testatoris esse praestanda, & accipienda in domo illa praestare debentis, si alimentarius nullam habeat justam causam habitandi seorsim, num.697.

Juxta quam vidua intra annum luctus ab haeredibus alenda accipere debet alimenta in domo haeredum mariti, & similiter vidua cui maritus reliquit alimenta, quae pro tempore absentiae extra domum haeredum contra eorum voluntatem ea petere nonpotest, num.698. idem num.702. & tenetur eisdem haeredibus operari, ibid. Et si non potest commodè, vel honestè habitare cum iisdem haeredibus, tunc in alia domo moranti praestanda sunt, facta diminutione pretii operarum haeredibus debitarum, ibid.

Vidua ex statuto alenda ab haeredibus mariti, in eorum domo alimenta accipere debet, n.699.

Foemina ex statuto per masculos exclusa, à masculis donec nubat, in domo masculorum est alenda, ibid.

Alimenta ultra dotem sorori ex patris dispositione à fratre praestanda, sunt praestanda in domo fratris, ibid.

Sententia docens eum, cui alimenta debita sunt ex dispositione legis, ad illa consequenda debere habitare in domo illa praestare debentis, num.710.

Alimenta debita nepoti, fratri, & similibus personis aliunde non habitantibus, sunt praestanda in domo alere debentis, seclusa causa alibi habitandi.

Alimenta legata, seu debita ex dispositione hominis, seu testatoris, juxta magis communem Doctorum opinionem sunt praestanda legatario nolenti, etiam nulla existente causa, habitare cum haeredibus testatoris, num.704.

Iste tamen legatarius non potest petere solutionem pro habitatione, sed cogitur habitare in una ex domibus testatoris ab haeredibus sibi assignata, si commodè ibi potest habitare, n.705.

Alimentarius legatarius, qui tempore vitae testatoris solebat morari cum eo, ut ab haeredibus alatur tenetur in domo testatoris cum haeredibus habitare, si commodè potest, n.706.

Qui percipit alimenta ex dispositione testatoris, non tenetur ullas operas haeredibus praestare, si testator non jussit alimenta in eius domo praestari; si verò jussit praestari in domo sua tenetur praestare officiales, num.707.

Iudicium auctoris circa praedictas tres sententias numero 707.

Uxores, & filii naturales alimenta sibi simpliciter relicta possunt habere extra domum haeredis, ibid.

Si testator in legato alimentormm expressit esse accipienda in domo haeredis, alimentarius ea non potest petere, & consequi extra domum haeredis, secluso omni casu seorsim habitandi, n.709. imò debet simul concedere ibid.

Haeres tamen legatario etiam invito potest alimenta extra domum suam propriam dare, n.710.

Limitatur si recusatio habitandi cum haerede facta esset in fraudem legatarii, quia minor, & infirmus sit, & possit indigere auxilio haeredis, ibid.

Ex hoc casu legatarius volens posset etiam extra domum haeredis eo invito habitans, alimenta consequi ibid.

Alimentarius gravatus habitare in domo cum haeredibus, non in domo testatoris sed in domo haeredum propria, etsi diversa à domo testatoris, cogitur accipere alimenta cum ipsis morando, n.711.

Limitatur si testator expresserit, legatarium deber ali in domo quam ipse testator incolit, ibid.

Et hoc casu si haeredes bona dividant, legatarius debebit habitare cum haerede in domo testatoris, aliis cohaeredibus conferentibus partem sumptus pro alimentis legatarii, ibid.

Onus

CAPUT XI.

Utrum pater teneatur dare vel negare possit alimenta filio extra domum, seu nolenti habitare cum eodem patre, ubi quid in aliis præter patrem obligatis alicui præbere alimenta.

Poterat hæc difficultas sub præcedenti capite comprehendi, sed seorsim de ea in hoc capite agitur, quia illius occasione nonnulla alia explicanda sunt circa difficultatem illam in genere, an alimentarius debeat habitare in domo illius, qui onere alendi gravatus est, si vult.

§. I.

De Patre.

Procedit autem difficultas quando filius discedit à patre, & vult extra ejus domum habitare absque ulla legitima causa & petit alimenta: an pater filio sic extra paternam domum, nulla existente legitima causa separate habitandi, petenti alimenta cogatur illa dare, vel an ea justè denegare possit.

Scaccialupus *in l. frater à fratre, §. quæsitum, quæst.30. num.19. versic. Adde quod non est justa causa ff. de condict. indeb.* asseruit patrem teneri præstare alimenta filio seorsim, & extra domum suam habitanti, licèt nullam habeat legitimam causam seorsim à patre morandi. Fundatur *in l.4 in fine, ff. de aliment. & cibar. leg.* ubi Bartolus in fine notat, quod uxor, cui relicta sunt alimenta à viro, potest eligere habitationem quam vult, & ibi alimenta petere: ex quo infert Scaccialupus, quod si quando alimenta debentur ex dispositione hominis, sunt præstanda etiam extra domum illius qui tenetur alere multò magis hoc habebit locum quando debentur ex dispositione legis. Et pro hac sententia possunt allegari omnes Doctores sustinentes in universum, quod sive ex dispositione hominis, sive ex dispositione legis alimenta debeantur, semper peti possunt extra domum illa debentis: quos Doctores Surdus *de aliment. tit.4. quæst.14. num. 16.* refert, & *num.19.* dicit esse communem sententiam, & eam sequitur, & probabilem putat Molfes. *ad consuet. Neapol. tomo 1. parte 5. quæst.2. n.14.*

Communiter nihilominus Doctores sentiunt, attento jure communi, patrem non teneri præstare alimenta filio absque ulla legitima causa ab eodem patre divertenti, & seorsim, ac extra patris domum habitanti. Angelus *in l. quidam cùm filium, ff. de verborum obligatione, & ibid.* Jason *num.6.* Joannes Imola *col. finali*, Cumanus *num.6.* Aretinus *num.1.* Castrensis *num.6.* Angelus iterum *cons. 38. num. 9. & cons. 85. num.6.* Iason *in lege Cùm hi, §. vult. igitur, num.10. ff. de transactionibus*, Romanus & Imola *in lege. Si cùm dotem, §. transgrediamur, in fine, ff. soluto matrimonio*, Hippolitus Riminald. *cons.132 num. 24.* Palatius Rubius *in rub. tit. de donat. §. 64. num.6.*

Corduba

num.8. Corduba à Lara *in l. Si quis à liberis, in princ. num.9. ff. de liberis agnoscendis*, Ascanius Clem. *de patria potestate, effectu 17. num. 32.* Baldus Novellus *de dote, par.7. privil.34. num.5.* Pontanus, & uterque Molina *locis infrà citandis*, Pinellus *in l.1. par.1. n.54. Cod. de bonis mater.* Garzias *de expens. cap.4. num.20.* Surdus *d. quæst.14. num.25. & tit.7. quæst.7. num.2. & 3.* Petrus Barbosa *in l.2. in princ. num.27. versic. Adde & aliam differentiam, & num. 28. versic. Sed verius, ff. soluto matrimonio*, Paschalis *de patria potestate, par.2. cap.3. num.73. & seq.* Marescotus *var. resolut. lib.2. cap.83. num.61.* Stephanus Gratianus *discept. for. tom. 3. cap.552. num. 41. & 44.* Joannes Baptista de Barbobus *de filiisfamil. quæst. 30. num. 99.* Molfesius *d. quæst.2. num.11. & 21.* Boëtius *decis.195. num.5.* Rota Romana *decis.117. num. post tom.1. cons. crim. Farinacii, & decis. 1194.* apud Seraphinum *decis. 668. n.4. par.4. diversorum*, & alias sæpè, & plures alii apud præallegatos, & pro hac eadem sententia stant omnes qui generaliter asserunt, alimenta esse præstanda in domo præstare debentis, non extra illius domum, nisi habeat justam causam seorsim habitandi. Hujus communis, & receptæ sententiæ plures assignantur rationes: prima quia parentes domi educant filios, atque eos domi retinent instinctu, & charitate naturali, *l. si quis à liberis, ff. de liberis agnoscendis, & l. amicissimos, ff. de excusat. tutorum:* ita Corduba. Secunda, quia eadem ratio, & naturalis conjunctio, quæ arctat patrem ad alendum filium, cogit etiam filium ad morandum cum patre, & in ejusdem domo ad obsequia præstandum propter intimam sanguinis conjunctionem, qua invicem ligantur pater, & filius, & strictam obligationem filii obsequendi patri, à quo esse accepit, & propter vinculum patriæ potestatis. Hinc tertia additur ratio, scilicet quia pater ex vi patriæ potestatis potest filium legitimum, & naturalem (quidquid sit in spurio, quem non habet in potestate) cogere ad habitandum secum. Ita Boëtius, Baldus Novellus, Gratianus *locis citatis*, Grammaticus *cons. civili 33. num. 8.* & alii ex præallegatis. Quarta, quia etsi pater vellet filio præstare alimenta extra domum, nullam habens justam causam illum ejiciendi domo sua, filius non cogitur illa extra domum ejusdem patris accipere, nec eo invito potest pater eum domo ejicere, ut per textum ibi in principio, *Domo eum pepulerit*, tradunt Angelus, Bartolus, Paulus de Castro, Jason, Imola, & alii *in d. l. quidam cùm filium 132. ff. de verborum obligat.* Pinellus, & Paschalis *locis suprà allegatis*; idque suadet illa intima sanguinis conjunctio, & naturalis charitas, quæ inter patrem, & filium intercedit; quia sicut dum pater non præstat filio alimenta in domo, non tractat eum uti filium, ita etiam pater potest eum cogere ad secum habitandum, ut censent iidem Doctores. Stantes ergo obligatione filii non se separandi à patre, sed in ejus domo habitandi, & illi obsequia præstandi, si recusat absque legitima causa cohabitare, ob hanc culpam meritò pater potest illi denegare alimenta. Quare quanvis alioqui alimenta, sive debita ex dispositione legis, sive ex dispositione hominis, ex vi alimentorum essent præstanda alimentario non cohabitanti cum eo qui tenetur ad alendum; tamen secus dicendum in patre, avo, & alia persona simili, quæ habet filium, vel nepotem obligatum ad simul habitandum, ut probat Surdus *d. quæst. 14. num.25.* & Gratianus *d. cap.552. num. 45.* post Ruinum *cons. 45. num. 4. & 8. lib.2.* Unde prædictis non obstat dicta lex 4. *ff. de aliment. & cibar. leg.* nam loquitur de alimentis legatis, & ex dispositione hominis debitis, non debitis ex dispositione legis, præsertim à persona quæ aliundè habet alendum obligatum ad secum habitandum. Prædictis additur alia ratio, de qua Surdus *d. num. 3.* nempè quia minori impendio alimenta præstantur in domo quàm extra.

Ex dictis infertur etiam, patrem si velit habere alimenta à filio, cogi habitare cum illo, seclusa legitima causa seorsim habitandi. Ita Pinellus *d. num.54* & Surdus *d. quæst.14. num.11.* & probat tum illa sanguinis conjunctio, & charitas naturalis, qua invicem ligantur pater, & filius: tum quia quoad obligationem alimentorum pater, & filius judicantur ad paria: tum ob aliam rationem, de qua infrà, scilicet quod qui tenetur ad alendum ex dispositione legis, non cogitur alendo extra domum præstare alimenta. 679

Infertur etiam, si filius recedat à patre cum uxore sine causa, nec dotem nurui, nec alimenta ipsi extra domum esse præstanda, ut tenent Romanus, Imola, Jason *in d. l. si cùm dotem, §. transgrediamur*, Baldus Novellus *de dote, par.7. privil.34. num.5.* & Marescotus *d. cap. 83. num. 62.* Petrus Barbosa *in d. l. si cùm dotem, §. Transgrediamur, num. 27. initio*, & Stephanus Gratianus *tom.3. cap.552. num.49. versic. Quanvis contrarium.* 680

Quoties autem filius, qui sine causa recesserit à patre, ad patris domum redeat, pater in futurum præstare debebit alimenta, ex Corduba *loco citato* dicente id tradere Doctores communiter, & ratio est quia tunc cessat causa ob quam pater juste poterat denegare; non tamen tenetur dare præterita. 681

Circa illud autem quod *num. 678.* dictum est, patrem ex vi paternæ potestatis posse cogere filium ad secum habitandum, non est intelligendum quod pater præcisè, & absolutè possit cogere filium ad cohabitandum, sicut maritus potest cogere uxorem ad secum cohabitandum, prout voluisse Boerium, & Baldum Novellum locis *num. 688.* relatis, videtur sentire Pinellus ubi suprà, *num. 55.* sed solùm in casu quo vult à patre ali, ut docent Pinellus *ibidem*, & Paschalis *d. cap.3. num.81.* & Augustinus Barbosa *in Cod. lib. 5. collectaneo ad l. Si patrem, num. 10.* & Sanchez *de matrimonio, lib.6. disp.39. num. 6.* qui propterea aiunt, quod si filius nolit alimenta, sed magis eligat, seu velit quærere aliquod honestum vitæ genus, non debet à patre impediri, nisi quatenus filii operâ indigeret; nam liber homo servilis conditionis esse non debet, *l. si quis à parentibus fuer. manumiss.* quod latiùs exemplis comprobat Pinellus, addens hoc esse utile filiis qui volunt Africam, vel Indias petere, ne à patre absque causa retrahi possint. 682

Dixi verò in propositione communis sententiæ, attento jure communi; nam jure particulari alicujus Regni, provinciæ, vel civitatis, potest aliter esse dispositum. Sic Molfesius *d. quæst.2. num.12.* (quod etiam notat Paschalis *d. cap.3. num.89.*) ait juxta jus consuetudinarium Neapolis esse in electione filiorum, etiamsi nulla adsit justa causa, ut petant alimenta extra domum patris; & etiam esse in electione patris, ut præstare possit filiis alimenta extra suam domum, eo quòd utrisque consuetudines Neapolitanæ dederint electionem quoad hoc. Addit autem *num. 20.* prædictam consuetudinem non habere locum quando pater esset infirmus, vel haberet aliam urgentem necessitatem; nam tunc, inquit cum aliis, non præstantur filio alimenta extra domum patris, quia hæc esset justa causa denegandi alimenta, cùm sit deserere patrem, & nolle eum protegere in sua necessitate; & quia alioqui talis consuetudo esset plus injusta, & iniqua quàm alia lex mundi, cùm tolleret ea quæ tam firma, & pia ratione jura communia statuerunt, imò natura ipsa nos docuit, ut est reverentia erga parentes, ac eorum defensio.

Dixi etiam, *Absque ulla legitima causa*; nam si adesset justa causa, ob quam filius non posset, aut de-

beret eum fratre habitare in eadem domo, tunc posse petere alimenta extra domum patris, & etiam patrem esse obligatum illa solvere, indubitatum est, & tradunt omnes Doctores, Pontanus *de aliment. cap.5. n.5.* Lodovicus Molina *de primogen. lib.2. c.15. n.74.* Alter Molina *de justitia, & jure, tom.3. disp.6. n.10.* Rolandus *cons.22. num.11. vol.1.* & ex præallegatis *num.678.* Corduba *in d. l. Si quis à liberis in principio, num.11* Pinellus *d. num. 54. fine*, Menochius *d. casu 170. num.12. & seq. & de præsumpt. lib.4. præsumpt. 152. num.53.* Rota *d. decis. 617. post tom.1. cons. criminalium Farinac.* & alii ut ibidem *num.1.* Paschalis *dicto cap.3. num. 82. & seq.* Surdus *d. tit.4. quæst. 14. num.12. & quæst.15. num.12. & 13.* Garzias *d. cap.4. citato numero 20.* Molfesius *d. quæst. 2. num.8. 15. & sequentibus*, Stephanus Gratianus *d. cap. 532. n.46.* Marescotus *d. cap.83. num.61.* Bartolus, Castro, Imola, Alexander, Boërius, Baldus, Novellus, Iason, locis suprà allegatis, & alii apud præcitatos, juxta textum *in l. cùm sic, §. Vult igitur, ff. de transactionib.* & quia existente justa causa non habitandi simul, cessat omnis culpa filii.

685 Quare è converso, si etiam pater recuset domi alere filium, illumque propellat de domo, ad id inductus justa causa, tunc pater extra domum suam filio alimenta præbere debebit, & filius extra domum patris existens cogetur illa accipere, ut tradit Corduba *loco citato* post alios, & justa causa foret patri recusandi alere domi filium, si filius homo frugi non sit, vel sit luxuriosus, pater verò habeat uxorem juvenem, ac formosam, ut loco citato alios allegans docet Cordùba, qui addit quod si pater culpâ, ac peccato filii impellatur eum de domo expellere, nullibi ei alimenta præstare cogitur, juxta Bartolum *in l. si patrem, Cod. de alendis liber. argumento illius legis*, & juxta eundem Bartolum *in l. Divus, ff. de parricidiis*, Alexandrum *in d. l. Si cùm dotem, §. Transgrediamur, ff. soluto matrimonio*, & Marcum Mantuam *cons. 264. n.10.* Quod puto intelligendum quando culpa esset talis, ut propter eam posset pater filium exhæredare, aliàs secus.

686 Porrò filio qui peteret alimenta extra domum paternam, prætendenti se habere legitimam causam habitandi seorsim à patre, incumberet onus eam plenè probandi, cùm illa negativa, quod non possit cum patre habitare, sit causa intentionis ipsius. Ita Vincentius de Anna *allegat.102. num.1. lib.2.* & alios allegantes Rolandus *d. cons. 22. num.18.* Menochius *d. casu 170. n.13.* Surdus *tit.4. quæst.15 n.45.* Paschalis *de patria potest. d. cap.3. n.88.* & Stephan. Gratian. *d. cap.552. n.47.*

687 Etsi autem quæ sint justæ causæ, ob quas filius cum patre, & quivis alius alimentarius cum eo qui alimenta præstare debet, justè possit non cohabitare, relinquitur arbitrio, & discretioni Judicis, ut post alios docet Menochius *d. casu 170. n.15.* Surdus *d. q.2. num.15.* & Paschalis *d. cap.3. n.88.* qui judex ad justitiam causæ agnoscendam, & arbitrandam debebit considerare personarum qualitatem, an subsit verisimiliter alicujus turpitudinis futuræ suspicio, vel patris, aut alterius, putà hæredis, qui alere tenetur, nimia sævitia, vel alia ex causis infrà enumeratis, aut alia similis: nihilominus enumerantur hæ.

688 Prima, nimia sævitia, & austeritas patris, Ludovicus Molina *d. cap.15. n.74.* Rota *d. decis.117. num. 1. post tom.1. cons. Farinacii*, Molfesius *d. quæst. 2. n.18.* Menochius, Rolandus, & Surdus locis numero præcedenti relatis: quare quando inter patrem, & filium est lis, filius non tenetur recipere alimenta in domo patris, sed extra domum est à patre alendus, ut tenet Ludovicus Molina *d. n.74.* & Surdus *tit.4. q.14. n.27.* quia ex litigio, ut ibidem inquit Molina, solet oriri rancor & sævitia, præsertim inter consanguineos, propter quam rationem in universum loquendo, quando lis agitatur inter alimentarium, & illum qui alere tenetur, alimentarium ea posse consequi extra domum, tradunt communiter Jurisperiti, quos referunt, & sequuntur Molina *d. n.4.* Menoch. *à casu 170. n.16.* & Surdus *tit.4. q.15. n.28.*

Secunda, si pater filium è domo sua expulit. Ita Rota *d. decis.117. eod. n.1.*

Tertia, odium novercæ, ut quando pater contrahit secundas nuptias; præsumitur enim odium intercedere inter novercam, & privignum, ut per textum *in l.4. ff. de inoffic. testam.* Tiraquellus *de legibus connub. l.9. num.196.* Surdus *de aliment. tit.1. quæst.40. num.2. & tit.4. quæst.14. num.4. & quæst.15. num.24. & 25.* Molfesius *d. quæst.2. num.16.* Paschalis *de patria potestate, d. cap.3. num.86.* atque adeo propter tale odium præsumptum non tenetur privignus cum noverca etiam vivente patre commorari, ut Surdus probat *d. num.24.* Molfesius, & Paschalis *locis citatis* Bartolus, & Angelus *in l. si disceptetur, ff. ubi pupill. educ. deb.* & Baldus *in auth. hoc locum, num.3. Cod. si secundò nupserit mulier*, Marescotus *var. lib.1. cap. 83. num.63.* & apud Rota Romana *in Spoletana alimentorum, 19. Decembris 1597. coram Giptio.* Neque etiam noverca cogitur stare cum privigno, ut tradit Baldus *loco citato, & in l. 1. num. 9. Cod. de legibus.* Jacobus de Arena apud ipsum, & Surdus *d. num.4. & 24.* & ad probandum odium novercæ, & privigni, sufficere juris, & legis præsumptionem, de qua in textu dictæ legis 4. nullamque aliam odii probationem esse necessariam, ut alimenta peti possint à privigno extra domum patris, & à noverca vidua extra domum privigni à patre gravati illam alere, contra Ruinum *causa 34. n.1. & seq. vol.2.* tradunt prædicti Jacobus de Arena, Baldus, & Bartolus *locis allegatis*, Surdus *d. quæst.15. n.25. & 26.* & Paschalis *d. num. 86.* Ad confirmandum autem, quod hoc præsumptum odium novercæ sit legitima causa, ob quam filius ali debeat seorsim à domo patris, videndus est Molfesius qui *loco cit.* refert multos ex odio novercæ fuisse necatos, & inter cæteros S. Eduardum Britanniæ Regem, novercæ dolis ab hac vita migrasse, de quo fit mentio in Martyrologio Romano die 18. mensis Martii. 689

Quarta, si filius ingrediatur monasterium, quod non possit illum alere; tunc enim extra domum patris debet à patre ali, ut traditum est suprà *num.138.* & docent Auctores ibidem citati, & latè Molfesius *d. q.2. num.23.* cùm enim liberum sit filio, si pater non sit egenus, ingredi monasterium, & eligere vitam religiosam, quo vitæ genere electo, non possunt simul habitare pater & filius, non debet, nec potest filius monachus privari alimentis, si egeat ob monasterii inopiam. 690

Quinta, si pater ipse monasterium ingrederetur, ut aliis relatis docet Molfesius *cit. q.2. n.19.* & constat ex traditis *sup. n. 402.* an autem in hoc casu filius possit petere legitimam, suo loco cùm de obligatione patris præbendi filiis legitimam agemus. 691

Sexta quando filius habitaret cum patre contra Dei voluntatem, & legem, ut si pater esset filio causa peccandi, vel commoratio in domo paterna esset filio occasio peccandi, seu inhonestè vivendi, filiusve in ea absque periculo impudicitiæ non posset habitare. Ita in his terminis Molfesius, & in similibus cum aliis Doctoribus Menochius *d. casu 170. num.12. & 13.* & Surdus *tit.4. d. quæst.15. num.31. 32. & num.33.* Occasio autem peccati debet esse proxima. Molfesius *num. 26.* Et an sit proxima, ex circumstantiis dijudicabit peritus confessarius quoad forum interius, & quoad exterius judex, qui debebunt considerare, an illa occasio ex genere suo sit talis, quæ fre- 692

quenter

quenter,& utplutimum hunc hominem, vel homines similis conditionis ad peccatum illud inducat,& an sit voluntaria, de quibus post alios Saytus *lib.8. clauf.c.2.* & Suarex *de pœnit. disp.32. sect.2.* & alii tecentiotes agentes de Pœnitentiæ Sacramento.

693 Septimam tradit, Molfesius *d. q.2.n.10.* scilicet si pater dissiparet suum patrimonium, quo casu filios ope Iudicis posse cogere pattem,ut eorum portionem illis assignet, quæ sit illis loco legitimæ, *ibid. & p.3. q1.n.16.* asserit idem Molfesius,& docuerunt innumeri Jurisperiti ab ipso,& à Ludovico Molina *de primog. lib.1. c.16.n.9.* & Surdo *tit.8.q.36.* Sed allegari de hac re infrà *c.53.* commodiùs agemus.

Prædicta autem quoad filium,& pattem.

§. II.

In aliis præter patrem, & filium, an alimenta debita alicui, sive ex dispositione legis, sive ex dispositione hominis, scilicet, Testatoris, sint præstanda, & accipienda in domo ejus qui illa præstare tenetur.

AN verò etiam quoad alios genetales sit, ut alimenta ex vi alimentorum præstanda,& accipienda sint in domo præstare debentis, itaur alimentarius nulla existente justa causa seorsim commorandi, non possit illa petere extra domum alimenta debentis, triplex est sententia.

694 Prima sententia asserit, sive alimenta ex dispositione legis, sive ex dispositione hominis debeantur, alimentarium posse petere alimenta extra domum debitoris, nec cogi cum illo habitare,etiam cessante quacumque causa extra illius domum commorandi, nisi testator qui teliquit alimenta, expressè mandasset ea præstari in domo hæred s; tunc enim juxta omnes, ejus voluntas tanquam altera lex servanda esset, nisi adesset juxta causa non cohabitandi cum hærede, ut dicetur *infrà*. Ita Jason *in l. divortio, in princ. n.24. ff. solut. matr.* ubi dicit esse communem, Scaccialupus loco suprà,*n.687.* relato, Grammaticus *conf.33.* Capicius *decis.24. n.8.* & Surdus *de alim. tit.4. p.18. n.16.* ubi pro hac sententia refert plures alios Iurisperitos, Baldum Bartolum, & alios qui tamen non loquuntur in utroque casu,sed quando alimenta debentur ex dispositione testatoris. Probatur hæc sententia primò à Surdo per textum *in l.4.fine, ff.de alim. & cib. legatis*, ubi Bartolus in fine infert, uxorem cui vir alimenta reliquit posse habitationem eligere, ubi placet atque, ibi petere alimenta: sed prædicta lex loquitur in alimentis debitis ex dispositione testatoris,non indebitis ex dispositione legis,ut advertit Jason ubi suprà *n.25.* & notarunt P. Barbosa *ad l.2. p.1. in princ. n.28.ff.soluto,matrim.* & Paschalis *de patria potestate,p.2.c.3.n.15.* Secundò pro hac sententia adducitur textus *in l. cùm si hi. §. Vult igitur. versic. Causa.* ubi etiam Glossa *verbo alteruter, vers. vel si velit*, dicit alimenta esse præstanda ubi alimentarius habet domicilium. Vlteriùs pro has sententia confirmanda adducuntur argumenta quibus infrà probatur secunda pars tertiæ sententiæ.

695 Quare juxta hanc sententiam vidua cui ex dispositione legis intra annum luctus ab hæredibus mariti, si aliunde non habet, debentur alimenta, potest illa petere extra domum hæredum, etiamsi nulla subsit causa, ne cum illis moretur. Ita in terminis Jason, & Capicius *locis citatis*, & Surdus alios allegans *d. q.14. n.16.versic. Et prædicti omnes.* Item in illis casibus, in quibus pater tenetur alere filium spurium, licèt minorem triennio,cogi posse id facere in domo matris,tradunt Grammaticus *d. conf.33.* Similiter patrem, qui promisit alimenta filiæ nuptæ, & genero, non posse cogere eandem filiam nuptam ad babitandum in sua domo secum, sed si alibi filia domicilium habeat, debere date ubi ipsa habitat,tradunt post alios Surdus *d q 14. n.18.* & Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. non tantùm, n.68.*

Limitatur autem hæc sententia, ut non habeat locum in uxore, quæ si divertat à marito sine justa causa,non est à marito alenda,juxta omnes,ut asserit Surdus *d. q.14.n.10.* & latiùs *tit.7.q.16.* rationem adducit Surdus *d.n.16.* scilicet quia principaliter dantur uxori alimenta propter obsequia & servitia, atque adeo si non facit quod debet, non recipit alimenta quam esse rationem diversitatis inter uxorem & alias personas, dicit idem Surdus *ibid.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, si quis ex his n.201.* eam rationem affert, quod uxor est socia viri divinæ rei, & humanæ domus, & à viro ei non licet divertere, sed cum eo tenetur habitare, ut alibi latiùs probatum est. 696

Secunda sententia ex diametro præcedenti opposita affirmat alimenta sive debita ex dispositione legis, sive ex dispositione hominis,seu in testamento legata, esse à debitore præstanda in ejusdem domo itaut alimentarius non possit illa petere extra domum debentis, nisi justa subsit causa recedendi, & aliò commorandi, etiamsi testator non expressetit quod alimentarius deberet habitare cum ipso hærede. Ita Rolandus à Valle *conf.22. n.9. vol.1. versic. Sed præmissis, vol.3.* Palarius Rub. loco suprà *n 678.* citato, *c.7. n.8.* Menochius *casu 68. n.12. & d. casu170. n.9. & de præsump. lib.4. præsumpt. 157. n.52.* ubi dicit esse receptam sententiam prædictos malè assetuisse oppositam esse communem. Stephanus Gratianus *tom.3. cap.532. n.42.* Molfesius *ad consuet. Neapol. tom.1. p.5. quæst.2. n.3.4. & 22.* ejusdem sententiæ assertores esse Bartolum *in l.s.l. Caio, §. Imperator, ff. de alim.& cib. legat. in l.1. Cod. de divort.* Alexandrum *conf.110. vol.1. & conf.177. vol.6.* Speculatorem *in tit. qui filii sint legitimi, §.1. n.3.versic.Quid si viro absente*, Baldum *conf.58, n.6. vol.2. & in sua praxi, tit. de success. ab intestato. quæst.ult.* Beroum *conf.30. n.10. vol.3.* Riminaldum seniorem *conf.250. num.7. & conf.589.* Jacobum Æmilianum *conf.145. n.15.* & alios Jurisperitos antiquiores, & Josephum Ludovicum *decis.Perus.49. n.9.* referunt Rolandus, Pontanus, Menochius *locis citatis*, & Surdus *d.q.14. num.1. & pluribus sequentibus*, Eandem etiam tradit Glossa *in d. l. cùm hi, §. Vult. igitur, versic. Causa, verba Alteruter, initio*,ubi sic habet *Sic ergo videtur, quod alimenta ibi sint petenda, & præstanda,ubi hæres habet domicilium, alias frustra hæc causa allegaretur.* Hanc denique sententiam, quod alimenta debeant præstari in domicilio hæredis, consuevit amplecti, & servare Rota Romana, *in d. decis.668. n.4. part.4. diversorum*,& *in Fulginatensi primogenituræ, 18. Aprilis, coram Litta*, de qua *in d. decis.668.* Probatur hæc sententia à Glossa,& Pontano, ac nonnullis aliis per textum *in d.l. cùm hi, §. Vult igitur, versic. causa*, ibi, *Aut si destinet domicilium transferre alteruter eorum:* quæ causa ibi ponitur transigendi super alimentis, & frustrà poneretur, ut loco citato inquit Glossa si alimenta non essent petenda, & præstanda in domo hæredis. Præterea probatur ratione, quia minori cum impendio, & sumptu præstantur alimenta in domo hæredis, & debentis illa date, ut constat ex ipsa experientia, & ita id resultat ad majus commodum hæredis gravati: testator autem, ubi non constat expressè de contrario, censetur velle minus, quàm fieri potest, gravare hæredem, *l. unum ex familia, §. si rem, ff.de leg.2.* cum aliis à me allegatis *tom.3 mor.var.tit.14. n.3.* Quare Ruinus *conf.81.vol.3.* diait quod alimenta extra domum testatoris præstari petens, dicitur plus petere, cum sit gravior hæredibus: unde & pro hac sententia idem Ruinus *ibidem & conf.45. & 80.* allegatur à Menochio, & Surdo si contra hanc rationem dicatur,quod legatum alimentorum respicere videtur favorem legatarii, respondet Baldus *d.q.ult.* quod respicit mixtim, hæres autem cum minori incommodo

præstare potest in domo sua, ut dictum est. Additur quod alimentarius secundùm ejus qualitatem debet operari ad commodum alimenta præstantis. Ita Molfesius *loco citato*.

698 Ex quibus infertur primò viduam intra annum luctus habere alimenta in domo hæredum mariti, & nõ alibi petere posse id quod etiam tradunt Castrensis, P. Barb. Maresc. Paschalis locis qui infrà *n.*707. citantur. Secundo viduam, cui maritus reliquit alimenta, quæ extra domum hæredum contra eorum voluntatem morata est absque justa causa, non posse petere aliměta pro tempore absentiæ, id quod in terminis tradit Præpositus *in c. per vestras, n.6. de donat. inter vir. & uxor*

699 Ex iisdem tertio infertur, si statuto disponatur, vel viduam esse alendam ab hæredibus viri, vel fœminas per masculos exclusas esse à masculis alendas, donec matrimonio collocentur, statutum debere intelligi, ut in domo hæredum, & in domo masculorum alimenta percipiantur, si non subsit causa morandi alibi, quia statutum intelligitur secundùm jus commune. Ita Baldus *d. conf.* 58. *n* 6. & Menochius *d. casu* 170. *n.* 11. Infert denique Menochius *d. casu* 168. *n.* 12. quod quando pater filio hærede instituto, & dote filiæ relicta, reliquit ei etiam alimenta à filio præstanda, hæc alimenta præstanda sunt in domo fratris, ob generalẽ regulam, quod aliměta præstanda sunt in domo gravati.

700 Tertia sententia media duas continet partes. Prima est ubi alimenta ex dispositione legis debita sunt alimentarium ad alimenta recipienda teneri habitare in eadem domo, seclusâ justâ causâ alibi morandi in qua habitat ille qui alimenta præstare tenetur; in quo convenit cùm secunda sententia, & discrepat à prima. Secunda est ubi alimenta debentur ex dispositione hominis, & testatoris, non teneri alimentarium, seu legatariũ in eadem domo habitare cum hærede testatoris, sed alibi etiam absque ulla causa moranti alimenta esse exhibenda, nisi testator expressè mandasset dari in eadem domo moranti, in quo convenit cum prima sententia, & discrepat à secunda. Ita Paulus de Castro *in l. divortio, in princ. n.9. ff. soluto matr.* P. Barb. *ad l.2. p.1. in princ. n.27. & 28.* Marescot. *var. lib.2. c.83. n.61. & 64.* Paschalis *de patria potestate, p.2. c.3. n.76. & 78.* & Rota Romana *in spoletana alimentorum, 19. Decemb. 1597.* Coram Capsio de qua Marescotus *d. n.64.*

701 Prima pars, pro qua P. Barbosa *d. n.27.* refert etiam alios Iurisperitos, probatur juxta ipsum Barbosam, quia quando alimenta alicui debentur ex legis dispositione alimentarius debet juxta suam qualitatem laborare, & operari ad utilitatem alere debentis, cùm non debeat vivere otiosus & alimenta ex legis dispositione, ut plurimùm debeantur solùm quando quis aliunde habere nonpotest, ac proinde si potest in parte suâ industriâ sublevare eum qui alimenta præstat tenetur, & consequenter debet in ejus domo alimenta recipere. Præterea lex videtur accipienda, ut obliget ad minus, cùm restringat libertatem, minùs autem est præstare alimenta in domo propria, quàm extra.

702 Hinc infertur, mulierem viduam, cui debentur alimenta intra annum luctus ab hæredibus mariti, ex juris dispositione juxta notata *in l. un. §. cùm autem, versic. Exactio, Cod. de rei uxor. act.* teneri cum eisdem hæredibus, si non adest legitima causa recedendi, habitare, & etiam eis cooperari. Ita Paulus de Castro, P. Barbosa, Paschalis *locis superius allegatis*, & Marescotus *d. c.83. num.63.* ubi etiam dicit, ita censuisse Rotam Romanam *in Roma alimentorum, 13. Novembr. 1591.* coram Penia, *& in alia Romana alimentorum 2. Iunii 1592* coram Cardinale Arigonio, *& in d. Spoletana alimentorum.* Confirmat P. Barbosa *d. n.28.* cum Baldo *in Auth. hunc locum, n.3. Cod si secundò nupserit mulier*, quia cum hæres mariti ad hanc præstationem succedat loco ejusdem mariti, sicut maritus tantùm tenebatur alimenta præstare uxori in domo sua, ita etiam hæres ejus loco succedens illa tantùm cogetur præstare in domo sua: & sicut uxor tenetur præstare viro operas suas, & omne lucrum inde proveniens, Glossa *in l. sicut, ff. de operis libertorum*, Bartol. *in d. l. Caio, §.1. ff. de alim. legatis*, Pontanus *de alim. c.14. n.8.* P. Barb. *ubi suprà*, & Marescotus *d. c.83. n.65.* ita etiam tenetur ejus hæredibus ei alimenta præstantibus operari, ut notant Paschalis *loco citato*, & P. Barb. *ubi suprà, n. 29.* ac proindè si mulier vidua commodè, vel honestè non possit habitare cum hærede mariti, tunc in alia domo moranti præstanda esse alimenta, facta diminutione pretii operarum, quæ mulier hæredibus mariti tenebatur præstare, si in eadẽ domo habitaret tradit idem P. Barb. *d. n.24.* post Bald. *in d. l. divortio, ff. solut. matr.* & *ibid.* Paulus de Castro *n.10.* idem in specie dicentes, quod dixerunt alii à Surdo *d. tit.4 q.29. n.39. relati.* Sed an, & quas operas teneatur uxor in domo mariti facere, & an ex operibus suis lucretur marito & similiter vidua intra annum luctus teneatur operari hæredibus, si ab illis recipiat alimenta, alibi suo loco, cum de obsequiis conjugum ad invicem, videbimus.

Infertur etiam alimenta non solùm præstanda esse filio, sed etiam debita nepoti, fratri, & aliis similibus personis aliundè non habentibus cum sint præstanda ex legis dispositione, esse præstanda in domo nisi alimentarius probet justam causam non cohabitandi cum eo qui alimenta debet. Ita Marescotus *d. c.83. n.61.* qui etiam allegat Romanum, & Imolam loco suprà *n.688.* allegato, & Garzias *de expensis, c.4. n.20.* 703

Secunda pars ejusdem sententiæ, scilicet quod alimenta debita ex dispositione hominis, nempe Testatoris, qui ea alicui legavit, sint præstanda ab hærede legatario nolenti, etiam sine ulla causa, cum eo, sed alibi habitare, ubi testator non dixerit danda esse in domo hæredis asseritur à pluribus aliis Doctoribus. præter suprà *n.794. & 800.* allegatos, & sunt Bartolus *in l. divortio, n.4. ff. solut. matr.* Baldus *in l. annalibus, n.4. C. de legat.* Roland. *d. conf.21. n.11. vol.1.* ubi dicit hãc sententiam esse de jure veriorem, Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. si quis ex his, n.701.* Michaël Grassus *de success. §. legatum, q.22. n.3.* Simon de Præts *de interpret. ultim. volunt. lib.4. interpret. 1. dubitat. 11. n.99. & duobus sequentibus*, Cancer. *var. p.1. c.16. n.15.* & plures alii relati à Corduba, Grasso, & Simone de Prætis *n.101. fine*, & hanc esse communem opinionem, & etiã esse sententiam receptam. testantur *locis citatis* P. Barbosa, Paschalis, & Grassus, qui etiam allegat Cumanum *in l. cùm hi, §. fin. ff. de transactionibus*, dicentem se semper vidisse ita practari, & communiter observari. pro hac sententia quoad hanc partem allegantur Textus *in d. l. cùm hi, §. Vult igitur, versic. Causa, ff. de transactionibus, & in l.4. §. fin. ff. de alim. & cib. legat.* Probatur etiam ex eo, quod si legatarius cogeretur habitare cum hæredibus Testatoris, legatum alimentorum induceret quandam speciem servitutis, quæ nullo modo induci potest. Ita Grassus. Præterea, quia legatum respicit favorem legatarii, qui in re legata præsumitur magis dilectus quàm hæres, per ea quæ tradidi *in tertio tom. mor. var. tit.14. n.16.* & confirmatur quia cum legatum contineat liberalitatem, & beneficium testatoris ex ejus Indulgentia proveniens respectu legatarii, est favorabile, juxta à me notata *d. tom.3. mor. var. d. tit.14. n.17.* 704

Advertendum autem, retenta hac sententia, quod legatario, cui simpliciter relicta sunt alimenta, nolenti habitare cum hærede testatoris, pro habitatione, quæ comprehenditur in legato alimentorum, *per l. legatis, ff. de alimentis legatis* & tradita hoc opere, *cap.2.* hæres non cogeretur solvere pensionem, vel mercedẽ unius domus aut aliam domum cõducere, sed posset assignare legatario unam ex domibus testatoris, in qua competenter, & honestè posse morari. Ita Bartholus, & Baldus *locis n. præced. relat.* qui ponunt exemplũ in uxo- 705

re

ræ legataria viri testatoris, dicentes non cogi hæredē mariti alienam domum conducere, sed posse assignare legatariæ unam domibus suis, in qua possit decenter, & honestè vivere: Paulus de Castro *in l. si domus initio, ff. de leg.* 1, Simon de Prætis *d. dub.* 11. *num.* 102. & Surdus *tit.* 4. *q.* 14. *n.* 23. quare alimentarius, ut *n.* 103. notat idem Simon assignata sibi congrua domo pro
706 habitatione, non posset suo legato alimentorum habere pensionis solutionem pro habitatione domus, & morari ubi velit.

Advertit ubi quoque idem Simon *d. n.* 102. hujusmodi sententiam quoad hanc secundam partem limitari, si is cui legata sunt alimenta tempore vitæ testatoris solebat cum eo morari; hoc enim casu à solito testatoris interpretando ejus voluntatem circa habitationem, quæ ut dixi est alimentorum pars, per textum *in l. penultima, ff. de alim. & cib. legat.* & tradita à me *tom.* 3. *mor. var. tit.* 14. *n.* 6. & 30. si legatarius vellet habitationem cum alimentis, eum teneri in domo te-
707 statoris habitare, si commodè, & honestè possit, tradit Simon *ibid.*

Ex prædicta verò sententia, quod alimenta ex dispositione testatoris, qui non mandavit alimentarium debere in domo hæredis morari, debita præstari debeant extra domum hæredis, P. Barbosa *d. l.* 2. *initio p.* 1. *n.* 27, infert, eum qui percipit alimenta ex dispositione testatoris, non teneri ullas operas, neque officiales, neque artificiales alteri præstare quia legatum respicit favorem legatarii; secus verò, inquit, si testator jubeat legatarium alimenta percipere in domo testatoris, nam tunc, subdit, quia testator in favorem hæredum id videtur jussisse, tenebitur legatarius operas saltem officiales præstare an verò etiam artificia-
708 les, affirmant aliqui ab eodem Barbosa relati; negat verò ipse cum aliis, quos ibidem allegat, de quo infrà.

Supradictæ tres sententiæ omnes sunt probabiles, saltem propter authoritatem Doctorum, qui illas asseruut. Tertia autem mihi videtur probabilior, & nunc temporis saltem quoad secundam partem videtur magis communis, & ut post alios notat de Prætis *d. dub.* 11. *n.* 101. est utilis pro uxoribus, & filiis naturalibus, quibus consueverunt alimenta relinqui; nam juxta hanc sententiam possuor ea habere extra domum hæredis.

§. III.

Quando testator legans alicui alimenta expressit esse præstanda, & accipienda ex domo hæredis,
709 *an alimentarius volens consequi alimenta teneatur habitare cum hærede.*

SEd quid si testator in legato alimentorum expresè declaraverit, & dixerit, quod in eadem domo hæredis præstanda essent alimenta, & legatarius habitet cum hærede, conveniunt omnes, ut suprà dixi legatarium cessante justa causa habitandi seorsim ab hærede alimenta legata non posse petere sibi dari extra domum hæredis, neque hæredem invitum cogi in alio loco quàm in ejus domo illa præstare, cùm voluntas testatoris tanquam lex sit servanda: & ad id est texus *in l. quod legatur, ff. de judiciis.* Ita Simon de Prætis *d. dub.* 11. *n.* 99. Menoch. *d. præs.* 167. *n.* 52. *versic. Est hæc,* Surd. *tit.* 4. *q.* 15. *n.* 1. 2. & Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, d. §. si quis ex his, n.* 203. Cancer. *var. p.* 1. *c.* 16. P. Barbosa *d. l.* 2. *p.* 1. *initio n.* 28. *ff. solut. matr.* alii Jurisperiti antiquiores à Menochio, Surd, & Barbosa relati, & omnes Doctores *num.* 688. 694. 697. 700. & 704. allegati. Quare si legatarius per aliquod tempus moratus sit extra domum hæredis, non potest petere alimenta præteriti temporis, etsi incipiens habitare cum hærede illa recipiat, ut post Bartolum, & Boëtium notat Surdus *d. q.* 15. *n.* 4. & 71. & constat ex traditis suprà *n.* 681. imo in hoc casu legatarius non solum debet habitare in domo cum hærede, sed etiam cum eo commedere. Ita Simon de Prætis *d. dub.* 11. *n.* 10. & Surd. *d. q.* 15. *num.* 6. Post Baldum *in l.* 1. *num.* 8. *C. de legat.* ubi ait, quod nisi vidua alimentaria gravata habitare cum filiis, sit commensalis, non dicitur morari cum filiis, & post Angelum *ibid.* dicentem, tunc habitare legatarium cum hærede quando est commensalis, non si partem inhabitet domus.

Dixi, *legatarium non posse petere, nec hæredem cogi,* 710
&c. Nam hæres volens etiam invito legatario poterit extra suam domum in alio loco alimenta præstare, ut post alios probat Corduba ubi suprà *n.* 204. Surd. *d. q.* 15. *n.* 66. & P. Barbosa *d. n.* 28. Et ratio est, quia ea adjectio, quod præstentur in domo hæredis, videtur in dubio facta in favorem hæredis, juxta eosdem, & *in l. Caio, §. Imperator, de alim. & cib. legat.* hujusmodi autem favori suo potest hæres renuntiare, *l. penult. C. de pactis,* ut præter præallegatos tradit Ruinus *cons.* 45. *n.* 4. *lib.* 2. unde Corduba, Cancerius *var. p.* 1. *c.* 16. *n.* 18. & P. Barbosa aiunt, reprobandum omnino Angelum de Gambalio *in tract. de testam. gloss.* 45. *n.* 1. dicentem in proposita specie hæredem cogendum alere domui suæ legatarium. Hinc si ea adjectio facta esset in favorem ipsius legatarii, ut quod sit minor, infirmus debilis, & talis quod possit indigere in aliquibus auxilio hæredum, cum quibus habitando est prospectum sit, poterit idem legatarius extra domum hæredum petere, & consequi alimenta; quia huic favori ex tali habitatione, etiam quod proveniat ex testamento, renunciare potest, juxta regulam *d. l. penult. C. de pactis;* Ita post Abbatem Simon de Prætis *d. lib.* 4. *dub.* 11. *n.* 115. & alios allegans Cancer. *d. c.* 16. *n.* 18. & ita præter habitationem habere potest reliquum alimentorum extra domum, quod eo invito facere non possent hæredes, aut ille qui debet detinere in domo legatarium, ut idem Simon *ibid.* docet.

Non etiam legatarius alimentorum cum onere ha- 711
bitandi in domo cum hæredibus, posset petere alimenta, & obtinere in domo testatoris, sed cogitur morari in domo hæredum propria, licèt alia à domo testatoris; nam testator loquendo de domo, videtur intellexisse de ea, quam inhabitat hæres, propter eandem rationem numero præcedenti adductam, scilicet quia adjectio loci censetur facta in gratiam, & favorem hæredis, per jura & Doctores de quibus *eodem numero præcedenti.* Minùs autem hæredis incommodum est alimenta præstare in ejus domo, & ita in terminis Surdus *d. q.* 15. *n.* 7. Roland. *d. cons.* 22. *n.* 14. & Corduba *d. §. si quis ex his, n.* 205. qui *n.* 206. addit, quod si testator exprimat, ut legatarius alatur ab hæredibus in domo quam iv ¨ ipse testator, ibi est alendus, ut voluntati ipsius pareant hæredes, *l. in conditionibus, ff. de condit. & demonstr.* ac proinde si hæredes bona dividant, diversasque incolant domos, Judex uni præcipiet, ut alat, aliis sumptus partem subministrantibus *l. solent, ff. de alim. leg.* & præcipiet ali ab eo qui in testatoris domo manserit, ut ejus mens, & dispositio aliqua ex parte servetur, *l.* 3. *Cod. de liber. præter* quod idem notat Surdus *d. q.* 15. *n.* 21.

Prædictum verò onus legatarii alimentarii habitan- 712
di in domo hæredis, intelligitur tantùm de primo testatoris hærede, non de hujus primi hæredis hærede, ut cum aliis tradit Surdus *d. q.* 15. *n.* 67. nam etsi appellatione hæredis testatoris veniunt omnes in infinitum, *l. hæredis appellatione, & l. sciendum, de verb. sign.* nihilominus ubi testator meminit de suo hærede, non venit hæres hæredis, sed primus tantùm, licèt aliud sit quando loquitur de hærede tertii, ut docet Surdus *n.* 70. post Bartholum, Angelum, Castrum, Alexandrum, & Jasonem, per textum ibi *in l. qui liberis, §. hæc verba, ff. de vulg. & pupill.*

Et prædicta quando testator expresè reliquit ali- 713
menta præstanda in domo, sua, vel hæredis, vel expresè

se jussit legatarium debere habitare cum hærede: quibusnam verò aliis verbis, vel modis censendus sit testator voluisse eum, vel eam cui alimenta legavit, debere habitare cum hærede, vel cum alio latè explicant Corduba *in l. si quis à liberis*, §. *si quis ex his*, *à n.109.* Surdus *d.q.15.n.8.9.& à n.58.*& Simon de Prætis *d.dub.11.à n.109.* ad quos remitto lectorem.

§. IV.

Ex quibus causis is cui alimenta sunt debita ex dispositione legis, vel ex dispositione testatoris cum onere habitandi in domo cum hæredibus, excusetur, ut extra domum hæredis, & alimenta debentis morari possit.

714 Cæterùm quod suprà *n.684* dictum est de filio, scilicet quod debeat habere alimenta à patre extra domum paternam, quando ex justa causa non potest filius cum patre commorari, & simul cum eo in eadem domo vivere, generaliter dicendum est de quocumque alio, cui alimenta debentur, sive ex dispositione legis, sive ex dispositione hominis, seu Testatoris, etiamsi dixerit testator esse præstanda in domo hæredis, nempe si ex aliqua legitima causa impeditur habitare cum hærede testatoris, aut alio debitore alimentorum, esse alimenta præstanda alibi, & extra ejus domum. Ita Doctores *d.n.684.* allegati, & cæteri omnes in præcedentibus relati, præsertim in his terminis. Menochius *d.casu 170.n.12.* & *de præsumptionibus lib.4. præsump. 157.n.53.* Simon de Prætis *d. dub.11.n.13.* Rolandus à Valle *cons.22.n.11.vol.1* & *cons.89.n.14.* Grassus *de success.§. legatum,q.22.n.4.& q.46.n.20.* Surdus *de tit.4. citata q.15. n.12.* Paschalis *de patria potest. p.2. c.3.n.83.* Cancerius *d.c.16.*

Cujus causæ legitimæ probandæ onus incumbit ipsi
715 alimentario, ut dictum est suprà, *n.686.* & tradunt Doctores ibidem relati, & Simon de Prætis *n.13 fine*, & circa eam, an & quando sit censenda justa causa plurimùm versatur Iudicis arbitrium, ut dictum est superiùs *n.687.* & tradunt Doctores *ibid.* citati, & de Prætis *d. dub.11.n.14.* & Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *sed ex his*, *n.187. ff. de liber. agnosc.* qui alios latè refert

716 Causas verò legitimas, ob quas legatarius alimentarius potest seorsim ab hærede habitare absque præjudicio alimentorum, late enumerant Paschalis, Rolandus *d. cons.22. à n.11. & d. cons.89. n.14. & seq.* Surdus *d. q.15. à n.12.* Menoch. *d. casu 170.à n.12. & d. præsumpt. an. 53.* & Simon de Prætis *d. dub.11.*

717 Prima est quando alimentarius ob nimiam hæredis sævitiam non potest cum eo habitare. Ita ultra alios suprà *n. 688.* relatos, & alios quos ipsi allegant, Roland. *d. cons.22. n.12.* Menoch. *locis citatis*, & Surd. *d. q.15. num.29.*

718 Secunda, si hæredes sunt rixosi, vel habeant uxores rixosas, cum quibus alimentarius non posset habitare cum pace animi, Menoch. *de casu 170.n.14.* de Prætis *d. n.15.* & alios allegantes Surdus *n.30.* Corduba *in d.§. si quis ex his,n.182.& 183.*

719 Tertia, lis & inimicitia inter alimentarium, & hæredem testatoris Menoch. *de casu, n.16. & d. præsumpt. n.55.* de Prætis *d. n.113. versic. reputatur quoque*, Corduba *d.§. n.181.* Surd. *d. q.15.n.28.* alii Doctores relati suprà *n.688.* & alii apud præcitatos.

Quarta odium inter hæredem, & alimentarium,
720 unde noverca vidua, cui maritus defunctus legavit alimenta, ut illa accipiat in domo hæredis non cogitur habitare cum privigno hærede, propter odium quod lex inter eos præsumit, juxta tradita suprà *n.689.* & præter Doctores *ibidem* citatos alios allegans Corduba *d.§. si qui ex his, n.180.*

Porrò ad effectum probandi, seu demonstrandi sævitiam indignationem, odium periculum molestationis, & malæ gratiæ hæredum, & legatarii, & consequenter non securè simul habitandi, Simon de Prætis *d. dub.11. n.114.* ex Alexandro *cons.66. ad finem. lib.3.* & Corneo *cons.286. lib.4* ait sufficere famam viciniæ & etiam testes singulares: & videtur approbare Surdus *d.q.15.n.57.* etsi Alexander *cons.110.vol.1.* voluit non sufficere testes singulares ad probandum hujusmodi causas.

Quinta, quando salva honestate, & sine offensa Dei
vel morali periculo peccandi alimentarius, cui sunt 721
legata alimenta, non potest habitare cum hæredibus testatoris, ut si vidua, cui maritus reliquit alimenta, sit juvenis, & in domo hæredis sint aliqui qui verisimiliter cum ea luxuriarentur, ita quod in ea domo cum hærede non possit habitare sine periculo impudicitiæ tunc enim extra domum hæredis esset alenda. Item si legatarius alimentorum haberet uxorem juvenem, & pulchram, quæ absque simili periculo impudicitiæ non posset cum hæredibus testatoris morari, & si domus hæreditaria esset posita in Lupanari. Constat ex traditis suprà *n.692.* & in his terminis post alios tradunt Rolandus *d. cons.22. n.11. & d. cons.89. n.14.* Corduba *d. §. si quis ex his, num.179 & 189.* Surdus *d.q.15.n.31.& duob. sequentib. & q.14.n.24.* quod enim honestè, aut sine peccato fieri non potest, non dicitur possibile.

Sexta, quando legatarius habet uxorem, vel filios, 722
& vult cum uxore, & filiis habitare, cùm non debeat uxor à marito, vel pater à filio separari, *l. possessionum, Cod. communia utriusque judicii.* Et per hunc textum in his terminis post alios tradit Rolandus *d. cons.22. n.13.* de Prætis *d.n.13.* & Surdus *d. q.15.n.36.* & probant etiam tradita suprà, ubi dictum est, patrem teneri alere filiam nuptam in Domo generis, & tradita suprà *n.696.fine* Addit tamen Surdus, quod hoc casu hæredes testatoris, qui jussit dare alimenta in domo possent occurrere petiendo quod legatarius introducat in eandem domum uxores, & filios; quod vix fieri poterit absque periculo vivendi absque quiete, & pace animi.

Septima, quando hæredes gravati præstare alimenta
in domo eorum legatario, ad divisionem bonorum 723
hæreditariis devenerunt, & diversas incolunt domos, tunc enim cum legatarius non possit habitare cum omnibus hæredibus separatim habitantibus, sed cum cum uno tantùm ex eis, potest petere, & consequi alimenta extra domum. Ita Bartolus *in l. Caio, §. Imperator, ff. de alim & cib. leg.* Ruinus *cons.80.& 81. vol.2.* Rolandus *d. cons.22. n.14. & d. cons. 89.n.14.* Corduba *loco suprà n.718.* Menoch. *d. casu 170. n.16. d. præs. 167.n.56.* Simon de Prætis *d.dub. 11. citato,n.113.* & Surdus *d.q.15. n.18.* Qui omnes statuunt regulam generalem, quod quoties per hæredem, seu hæredes, seu ejus, aut eorum factum stat, quominus alimentarius cum onere habitandi in domo cum hæredibus possit cum eis habitare, possunt alimenta peti, & obtineri extra domum; in hoc autem casu per ipsos hæredes, seu eorum factum, nempe divisorium, stat quominus legatarius alimentorum non possit percipere alimenta in domo ipsorum, cùm ipsi non vivant in communione, & in eadem domo, in qua solebant morari, de qua sensit testator, non autem de habitatione cujuslibet distributivè. Hoc igitur casu habitationem, & præstationem alimentorum posse dividi per tempora scilicet quod quilibet hæredum alimenta per tempora in domo propria præstet, dixit Bartolus *in l. solent, n.12. ff. de alim. & cib. leg.* & admittit etiam Surdus *n.19.* etsi Rolandus *d.cons.89.n.16.* velit hoc procedere solùm quando alimenta fuerunt simpliciter relicta; hoc enim casu ait præstationem dividi posse per tempora, & uno tempore præstari ab uno ex hæredibus in domo propria, alio tempore ab alio ex hæredibus pariter in domo propria non verò quando testator dixit velle alimenta præstari in domo sua, quia habitatio, & domus cujuslibet ex hæredibus non potest dici habitatio defuncti,

sed

sed secundùm quid, sicut quilibet ex hæredibus non repræsentat in totum personam defuncti, sed pro parte tantùm, *l. cùm à matre, Cod. de rei vind.* Meliùs igitur in hoc casu alimentarius habitare debebit cum uno ex hæredibus, & cum illo hærede qui remansit in domo testatoris, & alii cohæredes conferre debebunt partem proportionatam sumptuum pro alimentis, ut docent Corduba loco suprà *n.*718.citato, Ruinus *d. cons.*81.*n.*4. & approbat Surdus *d. q.* 15. *n.*21.& ad id officio Judicis implorato, vel per ipsum alimentarium, vel per alterum ex hæredibus, cogi debebunt, ut tradunt iidem Doctores.

724 Octava, si hæres absque urgenti necessitate velit mutare domum, quam tempore viventis testatoris incolebat, ubi mutatio damnum, aut incommodum alimentario afferat, quia testator videtur sensisse de domo quam tunc hæres habitabat. Ita post alios Surdus *d.q.*15.*n.*38.& indicat Menochius *d.c.*170.*n.*18.quare etiam è contra si testator jussisset præstare alimenta in domo alimentarii, & is absque ulla necessitate vellet mutare habitationem, in qua hæres cum majori incommodo præstaret alimenta quam in priori, hæres non teneretur alimenta in posteriori habitatione præstare. Ita per textum *in l. cum hi, §. vult igitur, versic. causa*, ibi, *Aut si domicilium destinet transferre alter eorum*, tradunt Menoch. *d.n.*18. & Surdus *d.q.*15.*n.*42.

725 Nona si legatarius alimentarius ab initio offerat se paratum ad habitandum cum hærede, & is recuset ipsum recipere, & alere in domo; cum enim in hoc casu per ipsum hæredem stet quominus cum ipso habitet potest extra domum petere, & consequi alimenta. Ita Alexander *cons.*158. *n.*2. *vol.*7. Natta *cons.*587.*n.*4.de Pratis *d. dub.*11.*n.*113.& Surdus *d.q.*15. *&* 16. Dixi, *ab initio*; nam si ex post facto hæres à legatario fuerit interpellatus, etsi Natta velit, eundem hæredem cogi præstare alimenta etiam pro tempore præterito, quasi ex eo quod nunc recusat, præsumendum sit quod eodem modo recusasset antea, si fuisset requisitus; nihilominus verius est, legatarium posse petere solùm alimenta pro tempore futuro, non pro præterito elapso ante omnem interpellationem. Ita Surdus *d.n.*16.potest enim nunc habere justam causam recusandi, quam non habebat priùs; vel potest nunc ex aliis moveri ad recusandum, quæ tunc eum non movissent.

726 Decima, quando aliquo casu fortuito in persona hæredis, vel legatarii contingenti evenit, ut alimenta præstari, & recipi in domo hæredis nequeant. Ita per textum *in l.*1. *Cod. de legat.* alios allegantes Menoch. *d. casu* 170. *n.*17. de Pratis *d.dub.*11. *n.*113.*initio*. Surdus *d.q.*15.*n.*34.& Michaël Grassus §.*Legatum*, *q.*46.*n.*22. Quare stante legato alimentorum cum onere, ut legatarius habitet cum filiis, si filii omnes moriantur, legatarius extra domum potest consequi alimenta, quia non per eum, sed per casum fortuitum evenit, ut non stet cum filiis. Ita iidem Doctores. Et licèt Grassus *loc.cit.* distinguat dicens legatum perseverare mortuis filiis, si alimenta fuerint relicta in favorem legatarii, extingui verò si fuerint relicta in favorem filiorum, cum quibus morari fuit gravatus; nihilominus in dubio favore alimentorum tale legatum præstandi alimenta censetur perpetuum, & factum in commodum legatarii, *loc.cit.* cum aliis docent de Pratis, & Surdus.

727 Denique est justa causa non habitandi cum hæredibus, quando ex verbis, vel conjectura aliqua colligitur, testatorem voluisse alimenta præstari debere in domo alimentarii. Ita Menoch. *de præsumpt.*157. *n.*58. *& d. casu* 170. *n.*18. *&* 19. ubi post alios exemplis declarat, ut primò si testator dixit, *Relinquo uxori meæ alimenta, si Mediolani commorabitur*; tunc enim non censetur voluisse uxorem debere habitare simul cum hæredibus, sed solùm Mediolani, quia si id voluisset, facile illis fuisset addere verbum, *Etsi in domo cum hæredibus habitaverit*, juxta *l. unicam*, §. *fin autem ad deficientis, Cod. de caduc. tollend.* Secundò si alimentarius uxorem, & filios habeat, quos derelinquere verisimiliter noluit testator, ac proinde solùm in loco domicilii hæredis legat alimenta præstanda. Tertiò si tempore dispositionis habitatio hæredis, & alimentarii fuit separata, & nonnisi magno incommodo jungi cum habitatione hæredis poterat; hoc enim casu censendum est, voluisse solùm esse præstanda alimenta in loco domicilii, non in domo hæredis; ne idem testator plus incómodi quàm utilitatis alimentario afferre videatur. Et prædicta quoad controversiam, an, & quando pro alimẽtis accipiendis teneatur, vel non teneatur alimentarius habitare in domo illius qui alere debet.

§. V.

Quando pater, & filius, & debitor alimentorum, & alimentarius incolunt diversas domos, & habent diversa domicilia, an alimenta sint præstanda in domo patris & debitoris, an verò in domo filii, & alimentarii.

Occasione prædictorum explicemus aliam controversiam, scilicet quando pater, & filius, & debitor alimentorum, & alimentarius incolunt diversas domos, & habent diversa domicilia ubi sint petenda, & præstanda alimenta, an in domo, vel domicilio patris, & debitoris, sive is sit hæres, sive alius, an verò sint deferenda ad domum filii, & alimentarii? De qua controversia post alios Rolandus à Valle *cons.*87. *à n.*14. *vol.*1. Menoch. *de arbitr. casu* 170. *n.*8. Pontanus *de alim. c.*17. *n.*20. Simon de Pratis *de interpretatione ultimarum voluntatum, lib.*4. *dubit.*8. *in fin. & dubit.*11. *à n.*104. Ant. Gomez *var. lib.*1. *c.*12. *fin.* Surdus *de alim. tit.*4. *q.*16. *per totum*. Molfesius *ad consuet. Neapol. tom.*1. *p.*5. *q.*8. Steph. Gratianus *discept. for. tom.*1. *c.*94. *à n.*60. *& c.*128. *per totum*, & communiter Summistæ, & Theologi agentes de restitutione quoad circunstantiam loci ubi facienda est. 728

Quando filius, vel filia ex justa causa non potest habitare cum patre, Molfesius *d. q.*8. *n.*2. cum Neapolitano *in consuet. Neapol. Si quis habet, n.*5. dicit esse in arbitrio judicis, ut eligat illum locum pro alimentorum præstatione, quem judicaverit decentem, & congruum ad hoc ministerium, & in quo cesset omnis maligna suspicio, cum debeat prospicere ut evitentur omnes illæ personæ, quæ alendorum pudicitiæ insidiari possent, *l.*1. *& l. pen. ff. ubi pupillus educ. debeat*, & *l.*1. *&* 2. *Cod. eod. tit.* Addit idem Molfesius *n.*6. quod si pater velit assignare locum ubi præstanda erunt alimenta, hunc locum potiùs quam electum à filia, vel filio deberet Judex approbare, juxta *l.*1. §. *apud eum, ff. de ventr. inspic.* cùm nullus præsumatur capere melius consilium pro filiis quàm pater: patre autem negligente, circa electionem honesti loci juxta filiorum conditionem, ait nominationem, & electionem loci faciendam à propinquis, juxta *d. l.*1. *circa princ. ff. ubi pupillus, &c.* & his deficientibus, aut negligentibus, vel si pater designasset locum minùs decentem, in arbitrio Judicis fore locum decentem eligere pro educatione filiorum. Hæc Molfesius, quæ tamen procedunt tantùm ubi agitur de educatione puerorum extra domum patris: de præstatione autem alimentorum, quæ à patre debentur filiis, & filiabus adultæ ætatis, qui ob aliquam causam justam ex explicatis superiùs *n.* 688. *& seq.* non tenentur in domo patris, seu cum patre habitare, videtur sentiendum, quod infra statuitur de præstatione alimentorum, quæ hæres ex dispositione testatoris debet præstare legatario alimentario. 729

§. VI.

§. VI.

Quando hæres, & alimentarius sunt diversi domicilii, & fori, & alimenta simpliciter relicta sunt, regulariter sunt præstanda, & accipienda in domo hæredis.

730 IGitur quando hæres, & alimentarius habent diversa domicilia, vel diversas habitationes diversi fori, conclusio Doctorum communis est, alimenta regulariter esse præstanda ab hærede in loco domicilii, & habitationis ipsius hæredis, non verò in loco domicilii, & habitationis alimentarii. Ita quod hæres non tenetur alimenta deferre ad domum, vel domicilium ejusdem alimentarii, nisi aliud appareat de voluntate testatoris expressa, vel tacita; sed sat est, quod idem hæres se offerat paratum in domo sua, suòque domicilio eadem alimenta exhibere: ita per textum ibi Glossa, Bartolus, Fulgosius, & cæteri *in l. Cùm hi, §. Vult igitur, versic. causa*, idem Bartol. *in l. 1. n. 4. ff. de alim. leg. & in l. solem, eodem cit. in l. item illa, ff. de constituta pecunia. & in tract. de alim. n. 24.* Joseph. Lud. *decis. Perusina 46. n. 9.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. an cautùm, n. 14 ff. de liber. agnosc.* Pontanus *d. c. 17. n. 20.* Simon de Prætis *d. dub. 11. n. 105.* Menoch. *d. casu 17. n. 8. & de præs. lib. 4. præs. 167. n. 52.* Gomez *d. cap. 12. n. 88.* Surdus *d. q. 591. n. 1.* Steph. Grat. *d. c. 94. n. 62. & d. c. 128. n. 1. & 2.* & alii Jurisperiti à Surdo, & Grat. relati, & Covarr. *in reg. peccatum, p. 1. n. 7.* ex Theologis Vasquez *in opusc. de restitut. c. 10. dub. 2. n. 58.* & Lessius *de justit. lib. 2. c. 15. dub. 8. n. 59.* Probant præfati Jurisperiti per textum *in l. sed si susceperit, §. si liberis, & l. si fideicommissum, initio, ff. de judiciis, & in l. cùm res, in princ.* Secondò probatur ex Vasquez, & Lessio, quia cùm res legata proveniat ex liberalitate testatoris, non videtur testator ad amplius obligare suum hæredem, quàm ut illam hæres teneatur dare legatario: legatarius autem si velit, suo sumptu illam ab hærede acceptam deferat ad propriam domum, aut suum domicilium; & si nolit, relinquat, dummodo hæres non mutet domicilium, relinquens quod tempore testamenti habebat, ut proinde legatarius majorem impensam debeat facere ad rem deferendam ad propriam domum, suumve domicilium, in quo casu hæres teneretur ad illam majorem impensam. Confirmatur hæc ratio, quia in dubio præsumendum est testatorem voluisse minùs gravare hæredem, ut alibi in præcedentibus, *& tom. 3. mor. tit. 14.* dictum est.

731 Tertiò probatur à præfatis Jurisperitis, præsertim à Surdo, & Gratiano eadem communis conclusio, quando debitor ex contractu, & creditor sunt diversi domicilii, & fori; debitor enim non tenetur debitum, seu rem solvendam deferre ad domum creditoris, sed sat est si paratus sit solvere in suo domicilio, quando contractu, seu obligatione non est expressus, & deputatus locus solutioni, ut per textum *in l. item illa verba, in princ. ff. de constit. pec.* docent ibidem Scribentes, Glossa *verbo Non venit*, Bartol. Fulgos. & cæteri, & alii Jurisperiti communiter, quos referunt, & sequuntur Rolandus *d. cons. 87. n. 14. & seq.* Surdus *d. q. 16. n. 2.* & Steph. Gratianus *d. cap. 94. n. 60.* juxta quos omnes in contractibus semper intelligendum est, solutionem esse præstandam ubi faciliùs debitor illam præstare potest. Quod etiam in specie solutionis pensionis dixit Rota Rom. *in Aretina pensionis, 20. Febr. 1598. coram Lisa*, prout refert Gratianus *d. c. 94. n. 60.* ubi cum eadem Rota propter eandem rationem, & communem sententiam asserit, pensionem solvi debere in loco in quo fructus beneficii colliguntur, quia de illis solvi debet, si non fuit expressum ubi solutio facienda est, ut Ecclesia minùs gravetur: & item etiam qui debet solvere canonem pro re emphyteotica Domino alterius domicilii, & fori, non tenetur illum deferre ad domum Domini, sed sufficit ut sit paratus tempore præfixo in domo sua solvere, ut post Bartol. & Guliel. de Cun. *in d. l. item illa verba*, tradit Roland. *d. cons. 87. n. 15.* Igitur cùm hæres, & legatarius sunt diversi domicilii & fori, debet legatarius accipere alimenta in domicilio hæredis, nisi aliter constet de voluntate testatoris.

Limitatur hæc communis conclusio, si personæ cui alimenta præstanda sunt, vel aliquid aliud solvendum est, debeatur reverentia, & obsequium. Ita post Bald. *in l. fin. n. 8.* & Bartol. *in d. l. item illa, n. 14. versic. Quod semper intelligo*, Surdus *d. q. 16. n. 4. & duobus seq.* & Gratian. *d. c. 94. n. 63.* Quare filius non solùm patri deportato egenti in aliam provinciam tenetur mittere alimenta, *§. si verò contigerit, auth. de incertis nuptiis*; sed etiam patri non bannito extra patriam degenti teneri filium præstare alimenta ubi habitat, tradunt Bartol. *tract. de alim. n. 25.* per dictum textum *in d. §. si verò contigerit*, dicens rationem illius textus non esse patris deportationem, cùm deportatus possit mittere nuntium ad domum filii, ut ibi capiat alimenta; Surdus *d. q. 16. n. 5.* & Grat. *loco citato*, idque ratione reverentiæ à filio debitæ patri. Item vassallum volentem fidelitatem renovare, teneri Dominum adire extra provinciam, ait Baldus *loco citato*, & post eum Surd. pariter debitorem humilis conditionis, habitantem in civitate, teneri debitum deferre ad creditorem militem, vel doctorem fori agentem, tradunt Imola *in c. significante, de pignor.* & post eum Surdus *d. n. 6.* cum aliis. 732

Ex præfata ergo communi conclusione infertur, quod impensæ necessariæ ad deferenda alimenta, puta frumentum, vinum, &c. è domo, & domicilio hæredis ad domicilium alimentarii, spectant ad alimentarium ipsum, non ad hæredem; hæredi enim sat est illa dare in domo sua, alimentarius autem legatarius postea deferet ad domum suam, aut pretium vecturæ solvet, ut notant iidem Doctores. 733

Hoc tamen Simon de Prætis *d. dub. 11. n. 106.* contra Fulgosium loco suprà *n. 730.* citato, non vult procedere indistinctè in omnibus alimentis legatis, sed solùm in alimentis taxatis ab ipso testatore, qui nec expressè, nec tacitè innuerit ubi essent præstanda; in hoc enim casu testator nihil disponendo de alimentorum asportatione, & vectura, videtur in dubio voluisse ea solvi ubi solvi debent de jure communi; non verò in alimentis taxandis arbitrio Judicis, in quibus taxandis, inquit, judex debet habere rationem sumptuum necessariorum pro alimentis ad legatarium deferendis, *arg. l. Mævia, §. Uxore, in fin. ff. de annuis legatis*; alioqui legatum alimentorum non præstaretur integrum, sed diminutum, contra ea quæ *d. §. Uxore*, habentur: & hanc distinctionem videtur approbare etiam Surdus *d. q. 16. n. 9.* 734

Et certè in sequentibus casibus alimenta legata, taxata, vel non taxata, & alia res legata expensis debitoris, seu hæredis sunt deferenda.

Primò quando si res legata, aut alimenta non portarentur ad domum creditoris, seu legatarii impensis hæredis, legatū ita diminueretur, ut redderetur inutile; ob hujusmodi enim inutilitatē æquitas suadet, ut onus delationis hæredi incūbat. Ita post Imol. *in l. cùm filiusf. §. fin. ff. de verb. oblig. & in c. judicāte, n. 29. de testam.* Bartol. Bald. Alexand. Sim. de Præt. *d. n. 106.* Surd. *d. q. 16. n. 11.* & Steph. Grat. *tom. 1. d. c. 129. n. 3.* cùm multa quæ aliàs non permittuntur, concedantur, ne dispositio sit inutilis: sic usufructuarius non tenetur ad collectas, quando ususfructus esset inutilis, si illas solveret, sed spectabit ad proprietarium illas solvere, quamvis aliàs non teneretur, ut post alios tradunt communiter Surdus *d. q. 16. n. 12. & 13.* Grat. *d. c. 128. n. 4.* & Menoch. *d. casu 170. n. 19. versic. Ne igitur.* Sic etiam debitorem teneri debitum portare ad domum creditoris, quando debitum esset ita modicum, quod plus incōmodi quàm utilitatis afferret, si creditor cogeretur accipere debitum in domo debitoris, tradunt Bald. *in l. acceptum,* 735

num.

ptum, *n.*23.*Cod. de suis*, & alii Jurisperiti, quos refert & sequitur Surdus *d.q.*16. *n.*14.

736 Secundò si alimenta egeno debeantur, eadem æquitas suadet, ut debitor seu hæres vecturæ impensam solvat, non verò alimentarius; quia alioqui minueretur alimentorum præstatio, & tanto minùs caperet, & ne aliàs ob impotentiam ad faciendam expensam vecturæ fame pereat. Ita post Lancellottum Galliaulam *ad consuetudines Alexandriæ*, *in verbo Solidas*, *quæst.*6. *num.*113. Surdus *d. quæst.*16. *num.*15. & innuit Glossa *in d. l. sed & si susceperit*, §. *liberis*, *ff. de judiciis*, ubi dicit, quod alimentorum legatum præstandum est in loco ubi est legatarius, ne dum fit vectura, alimentarius pereat.

737 Cùm autem pro rebus, quæ dantur in alimenta, debitor teneatur solvere impensam gabellæ, ut tradit Bartolus *in d.l.*1.*n.*5.*ff. de alim.leg.* & post eum Pontanus *d. alim.c.*17.*n.*20. & Surdus *d. n.*15. in prædictis duobus casibus hæres ultra impensam vecturæ solvet
738 etiam impensam gabellæ, ut *ibid.* tradit Surdus.

Tertiò generaliter loquendo alimenta legata tenetur hæres suis expensis præstare in domicilio, & domo alimentarii legatarii, si constet id testatorem voluisse, & sufficit tacita voluntas, ut per textum *in l. cùm res* 49. *in princ. ff. de leg.*1. Simon de Pretis *d. dub.*11. *citato num.*6. Surdus *d. q.*16. *n.*37. & Stephanus Gratianus *d. cap.*126. *n.*2. Voluntas autem testatoris colligitur ex personarum conditione, ut docent glossa *in d. l. cùm res*, *verbo Verisimile*, de Pretis *d. num.* 106. & Surdus *d. q.*16. *num.*38. Item ex loco, & favore causæ, ut tradunt de Prætis *d. dub.*11.*n.*108. & Surdus *n.*40. & ita quod in subsidium studii alicui relinquitur, præstandum esse in loco ubi legatarius studio incumbit, tradunt iidem Simon de Pretis, & Surdus *locis citatis*, Bartolus, Baldus, Fulgosius, & cæteri *in d. l. sed etsi susceperit*, §. *libertis*, *ff. de judiciis*, & alii à Surdo relati, & Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *non tantùm*, *n.*38. *ff. de liber. agnosc.* ubi dicit quod si alimenta sint legata scholastico, hæres tenetur dare æstimationem alimentorum in loco ubi studiis vacat.

§. VII.

Si hæres vel debitor cœpit solvere alimenta, aut debitum in uno loco, an teneatur continuare solutionem in eodem loco.

UTrum verò si hæres, seu debitor, cùm aliàs ad id ex voluntate expressa, vel tacita testatoris, vel ex alia obligatione non teneretur, cœperit in uno loco, seu in domo legatarii, aut creditoris præstare alimenta, & solvere debitum, teneatur, & cogi possit perseverare ad præstandum alimenta, & solutionem in eodem loco,
740 in quo cœpit præstare, & solvere.

Affirmant per textum *in l. fideicommissum*, §. *fin. ff. de judiciis*, Glossa *ibi*, & Glossa *in l. quod legatur*, *post medium*, *ff. eodem*, Angelus *in l.*1.*n.*5. *Cod. de fideicommiss.* ubi etiam addit, quod ea præstatio operatur etiam in favorem aliorum legatorum, quæ sunt separata, ut si vinum legatum solvit hæres in uno loco, cogatur in eodem loco alia solvere Simon de Prætis *d. dub.* 11. *n.*107. Peregrinus *de fideic. art.*53.*n.*3. ubi dicit ita tenere communiter Scribentes *in d. l. fideicom.* & plures alii Iurisperiti allegati à Surdo *d.q.*16.*n.*21. & Stephanus Gratian. *d.c.*129. *n.*5. & 11. qui fundantur in eo, quod attendatur consuetudo hæredis, qui per eam videtur quasi contrahere cum legatariis, §. *hæres*, *Institut. de oblig. quæ ex quasi contractu*, & *l. qui cum alio*, *ff. de reg. jur.* & quando quæritur quo in loco debitor teneatur solvere, attenditur consuetudo Glossa *in l. item illa*, & ibidem Bartolus, *ff. de verb. obligat.* & etiam contrahentis consuetudo attenditur tanquam declaratoria contractus, *l. universorum*, *ff. de pignor. act.* cum aliis allegatis per Surdum *d.q.*16. *n.*24. qui *n.*26. addit in proposito induci solitum per unum actum, per textum *in l. Mela*, §. *quod ergo*, *ff. de alim. leg.* ubi Bart.

Contrarium tamen, & hæredem non posse cogi continuare solutionem in eodē loco, tenet, & probat Surd. *d. q.*16. *à n.*27. *ad finem.* Nam etsi hæres solvens legatum in uno loco sibi præjudicet, ut etiam cætera legata ibidem solvere teneatur, quando habet exemptionem non solvendi in certo loco ex privilegio, & jure singulari, quia tunc faciliùs tollitur illud jus speciale quàm jus commune, *l. ejus militis*, §. *militia missus*, *ff. de testam. militis*, & talem esse emptionem de qua *d. l. si fideicomissum*. §. *fin. ff. de judic.* dicit idem Surdus *d.q.*16. *n.*33. tamen quando exemptio competit de jure communi, hæresve est exemptus de jure communi, prout in proposito, tunc non præjudicat solutio facta in uno loco: ita Iason *in l.*2. *n.*95. *Cod. de fideicom.* ubi propterea concludit, eum qui solvit unum legatum inutile, non posse cogi ad solvendum alia: quod & tradit Glossa *in l. non dubium*, *verbo Agnoverit*, *in fin. Cod. de testam.* & si unum præster ante tempus, non tamen tenetur aliud ante tempus præstare. Glossa *in l. Lucius Titius*, §. *testator*, *ff. de legat.* 2. & Jason *loco citato.* Item gratuita solutio unius partis non gravat in solutione alterius, *l. fin. Cod. ne uxor pro marito*: & qui partem indebiti solvit, non cogitur aliam partem solvere. Glossa *in d. l. non dubium*, *d. verbo Agnoscit*: & ad id, quod per unum actum quis non sibi præjudicet in sequentibus, alia exempla addit Surdus *loco cit.* ubi etiam *num.* 27. adducit generalem rationem, nempe quod voluntas tacita, quæ ex actu colligitur, non debet ultrà extendi, quàm ex ipso actu de necessitate infertur, ex Bartolo *in l.*1.§. *hoc interdicto*, *ff. de itinere*, *actuque privato*, & aliis ab eodem Surdo relatis. Igitur quamvis in uno loco alimenta fuerint aliquando soluta, non ideo quis cogi potest in futurum ad perseverandum solvere idem legatum in eodem loco. Quod fortiùs procedere ait Surdus *d.q.*16. *n.*34. quando legatum alimentorum esset annuum, ut quando relinquitur donec, & quandiu vixerit; quia cùm in eo casu plura sint legata, & incipiant deberi singulo anno, solutio unius anni tanquam unius legati non præjudicabit ad sequentes annos, tanquam legata sint diversa. Quibus tamen non obstantibus addit idem Surdus *num.*35. quod in practica esset difficile obtinere contra authoritatem Glossæ *in d. l. quod legatur*, *ff. de judiciis*, & juxta eam judicasse Senatum Casalensem. Sed quidquid sit quoad forum judiciale, quoad forum conscientiæ posteriorem sententiam veram existimo. Prædicta quando hæres gravatus, & alimentarius legatarius sunt diversi domicilii, & fori.

§. VIII.

Quando hæres, & alimentarius habitantes in diversis ædibus sunt ejusdem fori, & civitatis, an hæres teneatur deferre alimenta ad domū alimētarii.

SEd quid quando hæres, & alimentarius legatarius sunt ejusdem fori, in eadem civitate, seu in eodem oppido habitantes in diversis domibus, an tunc teneatur hæres alimenta deferre ad domum alimentarii, etiamsi testatur nil dixerit de loco solutionis. 741

Respondent communiter Jurisperiti, quod si in delatione non requiritur impensa, & sine incommodo fieri possit, ut si pro alimentis deberetur pecunia, ea pecunia esset deferenda ad domum legatarii, qui esset ejusdem fori: Ita in his terminis Bart. *in l.*1.*n.*4.*ff. de alim. leg.* Simon de Pretis *lib.*4.*interp.*1.*dub.*11. *n.*105. Pontan. *de alim. tit.*17.*n.*20. Steph. Grat. *tom.*1.*d.c.*94.*n.*63. Surd. *tit.*4.*d. q.*16.*n.*7. & 8. & apud eundem Bald. Lancel. Galliaula, Practica Papiensis, Lambert. Brun. *in tract. de rebus dubiis*, & Dueñas. Et confirmatur responsio, quia quia quando debitor ex contractu, & creditor sunt ejusdem fori, & debitū absque expensis potest solvi, ut sunt redditus pecuniarii, teneri debitorem deferre ad domum creditoris, tradidere Bartolus, & cæteri *in d. l.* item

item illa, *ff. de constituta pecunia*, Petrus de Vualdis *de duob. fratr. p.6.q.14. num.15.* ubi allegat Baldum *in l. acceptum, Cod. de usuris* Rolandus à Valle *cons.87. num.15. vol.1.* Surdus plures alios allegans *d. q.16. num.7.* & idem docuit Molina Theologus *in tract. de contractibus usurariis*, *q.9 num.137.* relatus à Vasquez *in opusc. de restitutione. cap.10. dub.1. n.56.* & pro hac sententia Rolandus adducit legem *forma*, §. *is verò*, *ff. de censibus*, ubi dicitur tributum debere præstari in ea civitate in qua est ager, pro quo solvitur, *& l.2. Cod. de jure emphyt.* ibi: *Cùm neminem oporteat conventionem, vel admonitionem expectare, sed ultrò se offerre, & debitum spontanea voluntate persolvere.* Si autem impensa aliqua sit necessaria ad deferendum alimenta ad domum alimentarii, puta quia dantur in tritico, vino, &c. Surd. *d.q.16.n.8.* dicit quod si alimentarius est vilis persona, cui non sit turpe humeris propriis portare, hæres non tenetur solvere pretium vecturæ; secus si alimentarius sit persona honesta, aut nobilis; tunc enim hæres præstabit vecturam, & ait Surdus ita præter Bartolum, concludere relictos Jurisconsultos initio hujus numeri relatos, & ab ipso allegatos, præsertim Baldum *cons.124. vol.3.* & Lancellotum Gallum, *in consuet Alexandriæ verbo*, *Solitos*, *q.6. n.113.* At Bartolus, Simon de Prætis, & Pontanus asserunt hæredem teneri deferre alimenta ad domum alimentarii solum quando non exigitur in delatione aliqua impensa, ut pecunia, & alia similis res frumentum verò & vinum, ac similia teneri alimentarium accipere in domo hæredis, & postea suis expensis deferre ad propriam domum. Quin etiam Rolandus, & Petrus de Vbaldis videntur asserere absolutè, debitorem, cùm creditor est ejusdem fori, teneri debitum ad domum creditoris deferre & sic colonum, & emphyteutam teneri portare fructus, & Canonem ad domum Domini

742 Verùm Vasquez *loco suprà citato*, loquens de debitore ex contractu, qui est ejusdem fori creditoris, negat eum teneri deferre debitum ad domum creditoris etiamsi absque expensis, putà quia sint pecuniarii redditus solvi possit; quia quando in contractu est conventum solùm de solutione, puta, Canonis, census pensionis, & similium, & nil dictum de loco, in quo fieri, debeat solutio, nec quod debitor teneretur deferre ad creditorem sive creditor sit ejusdem fori, sive non, aut quod debitum sit in pecunia, vel in fructu, nil refert, ut inde debitor teneatur, vel non teneatur debitum deferre ad domum creditoris; sed semper tenetur solùm cùm dies solutionis venerit offerre creditori se paratum esse illud illi solvere, nunquam autem ad illud deferendum ad domum ejusdem creditoris, etiamsi debitum consistat in pecunia; nam alioqui ad plus obligaretur debitor quàm fuerit conventum: si quidem hoc onus deferendi pecuniam ad domum creditoris est pretio, seu pecuniâ æstimabile, & de eo possunt contrahentes pacisci. Cùm ergo de eo nihil sit in contractu expressum, debitori non debet tale onus injungi. Et hanc Vasquez sententiam existimo in rigore veram, imò etiam videmus ut plurimum in praxi servari, ut creditores ipsi ut adeant debitores, ut ab ipsis recipiant id, quod illis ex contractibus debetur. Neque his obstat dicta lex *Cod. de jure emph.* nam juxta eam sat est, quod postquam advenit dies, solutionis, Canonis, seu census emphyteutici debitor offerat sese, & dicat esse paratum solvere debitum, non expectando conventionem, & admonitionem scilicet judicialem, de qua *dicta lex 2. Cod. de usuris*: non obstat etiam *dicta lex forma*, ut per se patet.

743 Et hoc quod juxta hanc sententiam dicitur de debitore ex contractu, ob eandem rationem dicendum de hærede debitore alimentorum ex dispositione testatoris, qui illum simpliciter gravavit ad præstanda alicui alimenta, quæ sive pro ipsis solvenda sit pecunia, sive fructus, & sive creditor, & debitor sint diversi, sive ejusdem fori, non tenebitur debitor deferre ad domum alimentarii, sed sat erit si offerat, & dicat alimentario se esse paratum illa solvere in domo sua

Ex dictis resolvenda est illa quæstio, de qua Bartolus 744 *in d. l.1. num.3. ff. de alimentis legatis*, scilicet cum in legato alimentorum comprehendatur etiam aqua, vel ejus æstimatio, ubi ea est venalis, ut *suprà* 48. *&* 50. dictum est, an in eodem legato alimentorum intelligatur legatum pretium vecturæ aquæ? Ad quam quæstionem *d. n.3* respondet Bartolus, si alimenta sint legata personæ vili, & ignobili, putà famulæ, quæ ipsamet sine dedecore portare potest, non debetur pretium vecturæ; si verò sint legata honestæ, & nobili personæ, in legato veniet pretium vecturæ. At Cordùba *in l. si quis à liberis*, §. *non tantùm*, *n.14. ff. de liberis agnoscendis*, absolutè negat intelligi legatum etiam vecturæ pretium aquæ; quia cùm aqua, inquit, præstari debeat ubi alimenta præstantur, sive honesta sit legatarii persona, sive vilis, ibi aqua præstanda est, & sic in domo hæredis, ubi de jure communi præstanda sunt alimenta, si aliud non constet de mente testatoris, juxta tradita in præcedentibus.

§. IX.

Si alimenta ab hærede missa ad alimentarium in itinere casu aliquo pereant, an hæres maneat liberatus, ubi an periculum rei ante solutionem ad debitorem pertineat.

Utrum verò quando hæres, & alimentarius sunt 745 diversi domicilii, & hæres tenetur alimenta dare in domicilio alimentarii, si alimenta missa ab hærede de casu aliquo, ut per incursum latronum, vel alio casu fortuito pereant in itinere, teneatur dare alia, vel liberatus à nova præstatione remaneat.

Respondetur primò, quando alimenta ab hærede sunt præstanda in pecunia, si pecunia dum defertur ad alimentarium id itinere pereat, non remanet hæres liberatus, sed ipsi perit pecunia. Ita in his terminis Surdus *de alim. tit.4.q.16. n.16.* & Molfes. *in consuet. Neap. tom.1.p.5.q 8 n.10.* Ratio est, quia in hoc casu hæres est debitor in genere, debitor autem generis non liberatur re ante solutionem casu fortuito perempta quia genus perire non potest, *l. in ratione* 30. §. *in certa*, *ff. ad falcidiam*, *l. incendium, C. si certum petatur*, *& l. ultima, C. de condit. incertis*, Angel. *in l. cùm hi*, §. *vult. igitur*, *ff. de transact.* Scipio Rendina *in promptuario receptarum, tit. de debitoribus*, *& creditoribus*, *n.23.* Surdus & Molfes. *locis citatis*, & Steph. Gratian. *tom.1. c.94. n.30.* & alii Jurisperiti communiter, quos Aug. Barb. *collectaneo ad d. l. incendium, n.2.* & Rendina *d. n.3.* latè referunt, qui omnes ex dictis præfatis juribus allegatis inferunt, ante solutionem periculum rei solvendæ esse debitoris, & qui illam tenetur deferre ad domum creditoris suo periculo deferre: Si tamen debitor quãtitatis quantitatem obtulit creditori, quæ post oblationem casu fortuito periit, tunc debitorem non quidem ipso jure, sed exceptionis ope liberatum remanere, ex communi Doctorum, quos refert & tradit Rendina *d. n.23.* rationem utriusque reddens, scilicet quia cum sit debitor quantitatis in genere generalissimo, quantitas perire non potest, quamvis oblati nũmi pereant, & ideo ipso jure non est liberatus debitor, quia illud non periit quod debebatur; ex æquitate tamen ope exceptionis, inquit Rendina liberabitur.

Respondetur secundo idem dicendum si hæres, vel 746 debitor teneatur dare frumentum, vinum, oleum, & alia bona alterius speciei in genere, quia etiam tunc re missa perempta, non perit genus; & constat ex præfatis juribus, præsertim, *ex d. l. ult. Cod. de condit. incertis*, & tradunt iidem Iurisperiti. 477

Respondetur tertiò, si ab hærede, & debitore debeatur

beatur genus respectu certæ speciei, ita quod genus debeatur tanquam species, puta si debeatur frumentum, oleum, vinum ex certo, & particulari prædio, tunc specie illa perempta, liberatur hæres, & debitor, si absque illorum culpa res illa periit. Ita Angelus *loco cit.* Ant. Gabriel *com. lib. 3. tit. de rebus creditis, conclus.* 1. Surdus *d. q. 16. n. 19 & 20. & q. 57. n. 24. & 25.* Molfesius *d. q. 8. n. 11. & 12.* Stephan. Gratian. *d. c. 94. n. 19.* & August. Barbosa *loco suprà allegato*, & alii Jurisperiti à Surdo relati; idem enim censetur de debitore quantitatis respectu certæ speciei, quod de debitore speciei, *l. Electio. §. Si is, quem, ff. de novat.* & aliis juribus à Surdo, & Gratiano, relatis iidem Surdus, & Gratianus post alios, & Molfesius *d. n. 12.* Atque adeo si alimenta relinquantur ex fructibus certi fundi, eatenus debentur, quatenus se extendunt fructus ex eo fundo percepti, & decurtatis fructibus, debitor liberatur, ut post alios tradit Surdus *d. n. 50.*

An alimentarius teneatur operari in commodum illius, qui alimenta subministrat, sive ex dispositione legis, sive ex dispositione hominis.

748 POst hæc remanet explicandum, an filius, qui à patre alitur, ad patris utilitatem, & quilibet alimentarius in beneficium illius à quo sibi præstantur alimenta, teneatur laborare, & operas præstare; juxta autem Doctores, qui infrà allegantur, sunt duplicis generis; aliæ enim sunt officiales, (quas & obsequiales vocant, quia in obsequio consistunt, & personale commodum respiciunt,) ut lectum sternere, mensam parare, comitari, & similia facere, & etiam cantu, sono, saltatione oblectare. Aliæ sunt artificiales, quas & fabriles appellant, ut sutoriæ, pictoriæ, lanificæ, seu filum, & stamina ducere, textoriæ, seu texere, & his similes. Ita post alios Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. Si quis ex his, n. 160. 221. & 231.* Surdus *de alim. tit. 4. q. 29. n. 56. & 57.* & P. Barbosa *ad l. 2. p. 1. in princ. n. 26. & 27.* inter operas artificiales Corduba *d. §. Si quis ex his, n. 158.* enumerat coquinariam facere.

749 Conveniunt primò Doctores, filiumfamilias, qui alitur à patre in ejus domo, nec habet legitimam causam, ob quam possit petere, & habere alimenta extra patris domum, teneri patri præstare operas officiales, seu obsequiales, quas juxta statum suum, & sine dedecore, & verecundia præstare potest. Ita in his terminis post alios Surdus *d. q. 29. n. 2. 4. & 7.* Ratio est non solùm universalis, de qua infrà; sed etiam specialis, quia filius patris occupationes, & mediocritates tenetur adjuvare, ut post Rebuffum *in tr. de congrua portione, n. 99.* Surdus *d. q. 29. fine.*

750 Conveniunt secundò, quoties ex dispositione legis alimenta præstari debent ratione conjunctionis sanguinis, & in domo ea debentis recipienda sunt, alimentarium teneri in beneficium altoris ad præstandas easdem operas officiales, & obsequiales, quas sine dedecore potest præstare. Ita Bartolus *in l. Divortio, in princ. num. 3. ff. solut. matrim. & in l. Caio, §. Imperator, ff. de alim. leg.* Bald. *in l. 1. n. 7. Cod. de leg.* Capycius *decis. 24. n. 10.* Gomez *ad l. 50. Tauri, n. 48. versic. Adde,* Corduba à Lara *in d. §. Si quis ex his, n. 159. & §. Sed si filius, n. 136.* P. Barbosa *ad d. l. 2. par. 1. in princ. n. 25. & 27.* Surdus *d. q. 29. n. 41.* Molfesius *in consuet. Neapol. tom. 1. q. 2. n. 4. & 22.* & alii Jurisperiti à Surdo, P. Barbosa, & Cordoba relati. Colligit Baldus *ex l. Illis libertis,* ibi, *obsequio, &c. ff. de condit. & demonstr.* Et eam rationem, quam cæteri approbant, addunt, quod alimentarius non debet stare in domo ejus qui alere tenetur otiosus, & tanquam cadaver, ne alitori omnis onerosus sit. Dixi *ratione conjunctionis sanguinis*; nam etsi viduæ intra annum luctus ab hæredibus mariti ex legis dispositione debeantur alimenta, ut Do-

ctores communiter *in l. unica, §. exactio, Cod. de act. rei uxoriæ*, & suprà dictum est; difficultas tamen est, an ipsa, si hæredes mariti fruuntur dote, ex cujus fructibus posset se alere, teneatur ad operas, sive artificiales, sive officiales præstandas, de qua re paulo infrà.

Quare si filiusfamilias, & alimentarius recipiens à patre, aut ab alio debitore alimentorum ex lege alimenta in domo, recusaret præstare præfatas operas officiales, quas salva dignitate, & sine dedecore posset præstare, alimenta possent denegari, ut rectè post alios Surdus notat *d. q. 29. n. 3.* 751

Difficultas est, an filius, & omnis alimentarius, cui ex dispositione legis alimenta præstari debent, teneatur ad præstandas operas artificiales in beneficium patris, & ejus, qui in domo sua illi præstat alimenta. Affirmarunt Bartolus *in d. l. Caio, §. Imperator, ff. de alim. & cib. leg.* Alciatus *resp. 243. n. 6.* loquens in filio, relatus à Corduba *in d. §. Sed si filius, n. 137.* & P. Barbosa *d. p. 1. n. 26 fin.* idem Corduba *n. 136.* loquens in filio, qui alitur à patre, Gratus *consil. 87. lib. 2.* & Paulus de monte Pico *in l. Titia cùm testamento, §. fin. n. 162. ff. solut. matrim.* ab eodem P. Barbosa, & Surdo *d. q. 29. n. 45.* relati, qui P. Barbosa *d. n. 26. & n. 27. initio,* idem tenet quoad operas artificiales domesticas consuetas in domo à personis ejusdem conditionis exerceri, ut sunt nere, texere, & similes; secus verò quoad negociationes, & operas extradomesticas. 752

At negant Bæza *de decima tutoris, c. 2. n. 52.* qui loquitur in filiofamilias, Surdus *d. q. 29. n. 41.* & plures alii Jurisperiti à Corduba *in d. l. Si quis à liberis, §. si quis ex his, n. 160.* qui loquuntur in vidua intra annum luctus ex dispositione legis recipiente alimenta ab hæredibus mariti in eorum domo. Probat Surdus, quia ex legis dispositione non debentur alimenta ei, qui ex artificio suo, vel industria, absque dedecore, potest illa sibi quærere, vel aliunde habet; lex enim illi non providet, ut suprà *hoc cap. §. primò,* probatum est, & constat *ex d. l. si quis à liberis, d. §. si filius, ff. de liber. agnosc.* ergo non potest evenire, ut quis ex legis dispositione debeat habere alimenta, & debitori ea præstanti teneatur præstare operas artificiales; nam si ex industria, & artificio suo potest victum quærere sine decore, alimenta ex lege non debentur; si verò non possit præstare sine dedecore, alimenta ex dispositione legis debita sunt præstanda secluso onere talium operarum; quæ enim honestè secundùm statum fieri non possunt, censentur impossibilia, & ad ea lex non obligat, ut suprà *eodem §. primò,* dictum est. 753

In hac difficultate, si alimentarius laboribus honestis non posset integrè alimenta sibi lucrari, posset autem ex parte, & alatur in domo à patre, aut ab alio debitore alimentorum ex lege, videtur teneri etiam ad operas artificiales, domesticas præsertim, cum alimentator in hoc casu non teneatur in totum alere, sed solùm alimentorum supplementum: & ita in praxi videmus filiosfamilias, & filiasfamilias, qui in domo parentũ aluntur præstare operas artificiales, consuetas fieri in domo, quas sine dedecore possunt exercere. 754

Ex dictis colligitur, quod si filius emancipatus ob inopiam, & quia aliunde non haberet unde se aleret, reciperet alimenta in domo patris, teneretur patri præstare operas officiales, & obsequiales, ut advertit etiam Surdus *d. q. 29. n. 7.* 755

§. X.

Vidua quæ intra annum luctus ex dispositione legis percipit alimenta ab hæredibus mariti dotem illi non restituentibus, an debeat hæredibus præstare operas officiales, & artificiales, saltem domesticas.

UTrum autem vidua, cui hæredes mariti intrà annum luctus doti consistenti in pecunia, & in mo- 756

bitibus restituendæ præstitum juxta *l. uni. §. exactio, C. de rei uxor. act.* alimenta præstare debent, recipiens eo anno præfata alimenta in domo eorundem hæredũ mariti, debeat eisdem mariti hæredibus alimenta subministrantibus præstare operas; & an officiales tantum, vel etiam artificiales, saltem domesticas.

756 Communis sententia Jurisperitorum est, quod teneatur præstare saltẽ operas officiales, seu obsequiales, quas salva dignitate, & sine dedecore potest præstare. Ita Glossa finalis *in fin. in l. Sicut patronus, ff. de operis libert.* quam secuti sunt communiter alii, quos late referunt Cord. à Lara *in l. Si quis à liberis, n. 157. & quatuor seq.* & Surdus *d. q. 29. n. 25. & 38.* & ita etiam sentiunt Gomez *loco supra n. 750. cit.* Surdus *d. q. 29. n. 39.* P. Barbosa *ad d. l. 2, p. 1. in princ. n. 29.* & ex Theol. Rebell. *de oblig. justit. p. 2 lib. 6. q. 11. n. 6. fin.* & Fragos. *de Rep. Christ. p. 3. lib. 2. disp. 5. n. 91. versic. Limitatur tertiò* Probatur hæc sententia, tum ex eo quod quando ex legis dispositione alicui alimenta debentur, ille debet operari in domo ejus, qui præstare alimenta tenetur, ut statuunt communiter Jurisperiti *n. 750. & 751.* allegati, & alii à Surdo *d. q. 29. n. 45.* & P. Barbos. ubi supra, *n. 25.* relati: tum etiam quia uxor dum a marito alitur, ipsi marito præstare operas, saltem officiales, salva dignitate personæ tenetur, ut tradunt omnes præallegati, & alii, quos Surdus d. *q. 29 n. 9* & P. Barbos. ubi suprà, *n. 15. & 26.* allegant: ergo & hæredibus mariti, cùm ab ipsis alitur, easdem operas præstare debet. Valet enim argumentum à marito ad hæredes mariti, qui ejusdem mariti loco succedunt, *l. omnem, Cod. de bonis mater*, Baldus *in l. Uxorem, Cod. de condition. insert.* Alexand. *in l. Divortio, in princ. n. 30. ff solut. matrim.* Cord. à Lara *d. §. si quis ex his, n. 157. & 161.* & Surdus d. *q. 29. n. 15.*

757 Quoad operas verò artificiales est dissensio inter eosdem Jurisperitos; nam aliqui dixerunt, viduam eo anno luctus, dum ab hæredibus mariti ex legis necessitate alitur, debere eisdem mariti hæredibus præstare etiam operas artificiales, teneri nere, texere, si suat, aut aliud artificium exercere ad utilitatem hæredum, salva semper dignitate. Ita Jurisperiti relati suprà *n. 752.* Paul. de Castro *in d. l. Divortio, in princ. n. 10. ff. soluto matrim.* Angelus *in l. Assiduis, Cod. qui potior. in pign. habeant* ubi dicit, quod vidua non potest pro se facere pannos lineos, vel alia, sed operari ad commodum hæredum: & *in §. Fuerat, n. 6. Instit. de act.* ubi dicit, viduam debere hæredibus operari, sicut faciebat tempore viri: etsi non operetur, tantò minus recipiet de alimentis. Quibus verbis, licèt Surdus *d. q. 29. n. 39.* velit Angelum *ibi* loqui tantùm de operis in genere, indicat tamen se loqui de operis artificialibus, & lucrosis; & dum declarat viduam teneri hæredibus præstare operas, quas solita erat præstare viro, non autem si nec viro præstabat, clariùs ostendit loqui de operibus artificialibus, quas solita erat præstare viro; nam officiales, & obsequiales, quæ non dedecent conditionem, & statum illius, uxores semper solent viris præstare. Hanc eandem sententiam tenere videntur Glossa *in d. l. Sicut patronus*, & alii à Corduba *d. §. Si quis ex his, n. 157.* relati, qui indistinctè, & absolute asserunt, viduam eo anno luctus, in quo ex legis dispositione alitur, debere operari ad commodum hæredum. Probatur hæc sententia, quia uxor marito tenetur præstare etiam operas artificiales, saltem domesticas, ut suere, nere, texere, &c. si sit talis conditionis, ut eas operas absque dedecore præstare possit, ut docent glossa finalis *in d. l. Sicut, ff. de operis libertorum*, & Glossa 2. *in l. Si uxorem, Cod. de condit. insert.* & plures alii Jurisperiti, quos late referunt Corduba *in § si quis ex his, n. 221.* & P. Barbosa *ubi suprà n. 25. fine, & n. 26. initio.* Valet verò argumentum à marito ad hæredes, ut *num. praeced.* dictum est.

At alii affirmant, viduam eo anno dum alitur ab hæredibus mariti, non debere illis præstare operas artificiales, sed tantùm officiales. Ita Jason *in d. l. Divortio, in princ. n. 25. ff. solut. matrim.* plures ex antiquioribus Jurisperitis à Corduba *d. §. Si quis ex his, num. 160.* relati, Quesada *in tract. diversor. quæst. juris, cap. 25. n. 5.* à P. Barbosa *d. n. 25.* relatus, & Surdus *d. q. 29. n. 39.* Probatur contraria ratione, scilicet quod uxor vivente marito non tenetur ad ejus utilitatem exercere artificium, seu operas artificiales, ita Baldus *in d. l. si uxorem, n. 6. Cod. de condit. insert.* Antonius de Prato *inter consilia Alexandri cons. 133. n. 2. vol. 4.* & Corduba d. *§. si quis ex his, n. 227.* Surdus *d. q. 29. n. 22.* & innumeri alii Jurisperiti relati à Corduba *d. §. si quis ex his, n. 160. & d. n. 127.* & à P. Barbosa *ad d. l. 2. p. 1. in princ. n. 26.* Quare argumento à marito ad hæredes non tenetur vidua operas artificiales hæredibus præstare, & ex persona hæredis non debet variari obligatio, *l. 2. §. Ex his, ff. de verb. obligat.* Imò cùm major potestas viro in uxorem sit concessa, quam viri hæredibus, esto uxor marito operas artificiales præstare teneretur, non valeret tamen argumentum de marito ad hæredes, ut dixit Jason *loco citato*, & notat Corduba d. *§. si quis ex his, n. 161. fin.* Quare etsi juxta Baldum *loc. cit.* uxor, si ejus conditio ferat, teneatur fœnum secare, triturare messem, & alia hujusmodi domestica facere; non ideo tamen ad hæc opera obligaretur vidua intra dictum luctus annum erga hæredes. Sed an uxor teneatur præstare marito operas artificiales, & ex suo artificio lucretur marito, videbimus infrà quarta parte hujus tractatus de effectibus contractus matrimonii, ubi de obsequiis ab uxore debitis marito, & de communicatione bonorum inter conjuges. 758

Contra præfatam communem, & cæteros Doctores tenentes viduam ex anno luctus, dum alitur ab hæredibus mariti dotem ipsius retinentibus, debere operari ad commodum hæredum, sentit Corduba *d. §. Si quis ex his, n. 162.* asserens eam nec artificiales, nec officiales operas debere præstare eisdem hæredibus mariti alimenta sibi subministrantibus. Fundamentum ejus est, quia in hoc casu vidua ex dispositione legis non alitur jure sanguinis, sed ratione dotis retentæ, ad quam restituendam *d. l. unica, §. exactio, Cod. de rei uxor. act.* permittitur annus. Cùm enim dotis emolumentum, & fructus intra annum luctus hæredes mariti percipiant, lex voluit eos cogi viduam alere, ita Baldus *in d. l. Divortio, & ibid.* Alex. *num. 16. ff. solut. matrim.* Montalvus *tit. 8. lib. 3. fori*, & alii Jurisperiti à Campegio idem sentiente *de dote par. 2. q. 16.* relati, quæ dispositio legalis fuit secundùm naturam, quia si fructum dotis percipiunt hæredes, debet vidua ab illis ali, *l. Secundùm naturam, ff. de reg. jur.* Quare cùm hæredes nihil viduæ dent de suo, neque illis vidua tenetur operas illas præstare, *l. Ab eo, Cod. de fideicom.* Nam cùm ex simili causa lex alicui emolumentum defert, ut in præsenti defert alimenta viduæ causa dotis retentæ ab hæredibus, ille qui alit, nihil dat, quia non suo, sed legis judicio dat, atque adeo onus viduæ imponere non potest, *l. Si arrogator, ff. de adoptionib.* Vidua ergo neque artificiales, neque officiales operas hæredibus mariti præstare debet, & hæc sententia mihi videtur rationabilis, quando fructus dotis sufficerent ad integra viduæ alimenta, & id præcipuè juxta sententiam, quod viduæ intra annum luctus, donec hæredes retinent dotem ab illis, debeantur alimenta, etiamsi illa aliunde haberet unde se alere posset: quam sententiam sustinent Pont. *de alim. c. 15. n. 6.* Corduba *d. §. Si quis ex his, n. 121.* Surdus *tit. 6. q. 10. n. 1. fin.* Leotard. *de Usuris, q. 30. n. 33.* & plures alii relati à Pontano, Cord. Surdo *d. n. 1. initio*, & à P. Barbosa *d. par. 1. n. 12.* licèt contrarium teneant Gom. *ad l. Tauri 50. n. 48. versic. Sed his non obstantibus*, Moli. *de just. tom. 2. disp. 322. n. 4.* Fragos. *d. n. 91. versic. Limitatur* 759

tur primò, Antonius Faber *in suo Cod. lib. 5, tit. de rei uxor. act. definit. 6. num. 5.* & plures alii, quos referunt & sequuntur P. Barbosa *d. num. 17. initio*, Thesaurus *decis. 44. num. 1 versic Pro negativa*, & Surdus *de alimentis, tit. 1. quæst. 44. num. 48.* sed de hac re infrà, ubi de restitutione dotis mortuo marito. Et prædicta quando alimenta debentur, & præstantur alicui ex dispositione legis.

§. IX.

Percipiens alimenta ex dispositione testatoris, an teneatur operari in commodum hæredis qui dat alimenta.

QUid igitur quando alimenta debentur ex dispositione hominis, si testator simpliciter alicui alimenta reliquit, nec constet de voluntate expressa, vel tacita ejusdem testatoris, deberè legatarium morari, & illa recipere in domo hæredis? Concludunt communiter Iurisperiti, alimentarium legatarium nullas operas, nec officiales, nec obsequiales teneri præstare hæredi, qui alimenta subministrat. Ita argumento *legis libertis, quos, §. 1. ff. de alimentis, & cib. leg.* Bartolus, Baldus, Capycius, Gomez, P. Barbosa locis suprà *num. 750.* relatis, Hieronymus Gratus *de cons. 87. num. 23. lib. 2.* Corduba à Lara *d. §. si quis ex his n. 59.* Simon de Prætis *de interpr. ult. volunt. lib. 4. interpret. 1. dub. 11. num. 112.* Surdus *d. tit. 4. citata quæst. 29. n. 45. initio, & num. 53.* In hoc enim casu testator videtur pexisse tantùm favorem legatarii, ut suprà *num. 714.* notatum est, unde nec legatarius cogitur habitare cum hærede, ut ibidem dictum; & præterea hæres nihil de suo, sed de rebus defuncti dat alimentario, quare non est cur legatarius debeat obligari præstare ullas operas.

Si verò testator relinquens alicui alimenta jubeat eundem legatarium alimenta percipere in domo hæredis, tunc tenebitur idem legatarius alimentarius præstare pro conditione suæ personæ operas obsequiales, non verò artificiales. Ita pariter Doctores communiter quidquid secus Andreas Siculus *cons. 63. num. 14. lib. 2.* senserit volens teneri etiam ad operas artificiales Bartolus *in d. l. Caio, Imperator, ad finem, ff. de alim. & cib. leg.* Baldus *in l. 1, num. 6. Cod. de legatis, ibid.* Salicetus & Jason de Prætis *d. num. 112.* P. Barbosa *ad l. 2. p. 1. in principio, n. 27 ff. solut. matr.* Surdus *d. q. 29. n. 54.* plures alii Jurisperiti à P. Barbosa relati: & ratio est quia testator in favorem hæredum videtur jussisse alimenta recipi debere in domo, & consequenter voluit alimẽtarium debere aliquas operas in commodum hæredum præstare. Nec etiam convenit alimentarium stare in domo hæredum, tanquam corpus mortuum: debet ergo præstare operas obsequiales.

SVMMARIVM Capitis XII.

Qui Doctores agant de tempore præstationis alimentorum, num. 762.

Alimenta præstanda in domo alere debentis respectu cibariorum præstantur dietim, n. 763.

Item militibus dietim, vel alternis diebus debent præstari, ibid.

Alimenta quoad cibaria cùm debent præstari extra domum, de jure communi præstari debent in singulo mense, n. 764.

Alimenta quæ longo tempore conservantur incorrupta, præstantur in sua specie singulis mensibus: quæ facilè corrumpuntur, non præstantur in dies, sed singulo mense dari debet eorum æstimatio, n. 765.

Arbitrio Iudicis relinquitur quo tempore, prò quanto tempore alimenta sint præstanda, n. 766.

Ex recepta praxi solent cibaria præstari in singulo trimestri, vel quadrimestri, vel etiam in singulo anno, num. 767.

Solvenda sunt in initio mensis, vel trimestris, vel quadrimestris, vel anni pro solo mense, &c. n. 768.

Pecunia pro alimentis relicta in singulos annos, initio cujuslibet anni pro toto anno debet solvi, n. 769.

Similiter alimenta relicta personis non morituris, putà hospitali, collegio, &c. debent solvi annuatim in principio anni, n. 770.

Vrgente necessitate, alimentario eis indigenti alimenta solvuntur ante præfata tempora, n. 771.

Tempus præstandis alimentis attenditur, quod à testatore expressè, vel tacitè præfinitum est, n. 772. & 773.

Attendenda etiam testatoris consuetudo, n. 774.

Alimenta relicta ex fructibus certi fundi præstantur tempore recollectionis eorum, non verò initio anni, num. 775.

Assignatur ratio differentiæ cur alimenta relicta ex fructibus certi fundi, putà frumentum, vinum, oleum, & similia ex certis prædiis relicta, solvantur tempore recollectionis; alimenta verò simpliciter relicta solvantur initio anni, 776.

Legatum alimentorum ex fructibus certi fundi est conditionale, si fructus nascantur, ibid.

Si testator leget frumentum ex tali fundo, & certas pecunias, v. g. decem aureos utrumque debetur tempore collectionis frumenti, n. 777.

Legatum alimentorum semel præstandum, non adjecta certa die, non debetur nisi post interpellationem, aliquâ morâ interjecta factam, n. 778.

Mora non committitur absque interpellatione, ubi dies non est apposita, ibid.

Promittens aliquid dare, vel facere, intelligitur non statim, sed concesso aliquo convenienti intervallo, ibid.

Vestimenta, & calceamenta debità occasione legati alimentorũ præstari debent quandocũque subest necessitas n. 77.

Et seclusa necessitate debentur in singulo anno in anni principio, n. 780. & à trita debent restitui, ibid.

Vestimenta pro hyeme fiunt in Kalendis Septembris, pro æstate in Kalendis Aprilis, ibid.

Sed circa hanc temporis taxationem plurimùm versatur Iudicis arbitrium, ibid.

Legatum annuum momentaneum est, & statim anno inchoato totum, & integrum debetur legatario, & transit ad hæredes, quando idem legatarius inchoato anno moritur, n. 781.

Etiam legatum annuum alimentorum transmittitur integrum, & pro toto anno ad hæredes legatarii, si ipso anno inchoato moritur juxta communem sententiam, ibid.

Oppositum, & quod trasmittatur solùm pro rata temporis, in quo vivit alimentarius, probabile putant aliqui, num. 802.

Prior sententia communis approbatur, n. 782.

Limitata causa limitatum producit effectum, n. 783.

Dispositio qualibet per suam restringitur ad terminos rationis, ibid.

Legatum annuum alimentorum, non purè, sed respectu alicujus rei per legatarium implenda factum, non debetur totum initio anni, sed quatenus implementum sequutum est, n. 784.

Item non debetur initio anni, si id appareat ex voluntate testatoris expressa, vel tacita voluntas colligitur ex re legata, vel ex causa adjecta, n. 785.

CAPUT XII.

Quo anni tempore præstanda sint alimenta ab ea, alicui præbere obligatur.

VIsa quo in loco debeant alimenta præstari, rectè inquiritur statim, quo tempore sint præstanda alimenta

tario. De qua re post alios Simon de Pratis *de interp. ultim. volunt. lib.4. interp.1. dubitat. 11. n.91. & seq.* Rolandus à Valle *consf.22. n 22. & seqq.* Ludovicus Molina *de primogeniis, lib.2.cap.15.n.57.* Pontanus *de alim. cap.17.n.24.* Corduba à Lara *in l.si quis à liberis, §. non tantùm, n.7.19. 20. 21.ff. de liber. agnosc.* Menochius *de præsumpt. lib.4. præs.199. n.21. & sequentibus*, Garzias *de expensis, cap.4. n.20.* Surdus *de alimentis, tit.4. quæst.12. per totam*, Molfesius *in consue:. Neap. tom 1.p.1. q.9.* & Molina Theologus *de justitia, tom.3. disp.616.n.10.* Cùm autem sub alimentis comprehendantur non solùm victus, seu cibaria,& potus, sed etiam vestitus, seu vestimenta, & luctus, ut suprà *c.2.* explicatum est, ubi de tempore, quo victus & vestitus exhiberi debet actum est: cùm etiam aliquando alimenta præstanda, & accipienda sint in domo alere debentis aliquando præstanda sint extra domum, juxta late tradita *præcedenti capite*, uterque casus seorsim explicandus: item quando sunt præstanda extra domum illius, qui præstare debet sive ex dispositione legis, sive ex voluntate testatoris, potest esse tempus præstationis expresè, vel tacitè, vel neque expresè,neque tacitè determinatum.

§. Primus.

Quid quando alimenta in domo, vel extra domum illius, qui alere debet; sunt præstanda, an dietim, vel singulis mensibus præstanda sint, vel vel in anno.

793 IGitur si alimenta sint præstanda in domo illius, qui alere debet, utque ex dispositione legis præstari debent filiis,& parentibus aliunde non habentibus, viduæ intra annum luctus ab hæredibus mariti, & ex dispositione testatoris volentis legatarium debere morari in domo hæredum,quoad cibaria,& spectantia ad victum, sunt præstanda dietim,seu singulis diebus. Ita post Baldum *in l.1. n.3. Cod.de fideicommis.* & nonnullos alios Simon de Pratis *d. dub.11. n.96.* Surdus *d. q.17. n.15.* & Molfesius *d. q.9. n.10.* Alimenta enim in hoc casu correspondent oneri habitationis, & sic eatenus sunt præstanda quatenus sustinetur onus. Vestimenta autem in hoc casu debebunt præstari eo tempore,quo infra dicitur esse præstanda alimentario, qui nô tenetur habitare in domo. Hic autem liber advertere, quod etiam militibus alimenta quoad cibaria sunt ministranda singulis, vel alternis diebus, idque favore Reipublicæ, quia si menstruum stipendium solveretur,citiùs consumerent, nec postea haberent unde viverent, vel militiam desererent *l.1. & l. nulli, Cod. de erogatione militar. lib.12.* Bartolus *in l. pecunia, n.5. ff. de alim. leg.* & Surdus *d. q.17. n.17.*

794 Si verò alimenta præstari debent extra domum illius qui alere tenetur, sive ex legis, sive ex hominis dispositione, nullumque appareat tempus determinanatum præstationi respectu cibariorum, & eorum quæ recipiunt divisionem per menses, ut sunt frumentum, vinum,oleum, ligna & alia iis similia jure communi inspecto regulariter sunt præstanda menstruatim, seu singulo mense, *l. ult.* ibi: *meritò menstruis alimentis, ff. de liber. agnosc.& l. pecunia, fin. ff. de alim. & cib. leg.* ibi: *Alimentorum verò præbendorum necessitas oneribus menstruis atque annuis, verecundiam quoque pulsantibus astringitur.* Ex quibus textibus id Doctores communiter concludunt, Glossa, Bartolus, & alii Scribentes *in d. l. pecuniæ*, Aretinus *in d. l. fin.* Practica Papiens. Ferrarii *in forma libelli quo agit, pro leg. rei sing. in princip.96.* ubi addit quod si plures sint obligati ad ita præstanda alimenta, fiat inter eos divisio, ut unus præstet uno mense, alius verò alio mense, ne præstatio confundatur. Corduba à Lara *d. §. non tantùm, num.7. initio, & num.20* Pontanus *d. cap.17. num.24.* Rolandus *d. cap. 22. num. 21.* de Pratis *d. dub.11, num.94.* Menochius *d. præsumpt.199. num.22.* Surdus *d. quæst.17. num.1. & 2.* de Franchis *d. decis.155.* Molfesius *d. quæst.9. num.6.* & alii Iurisperiti communiter, quos refert Surdus, qui propterea reprobat Baldum (quem sequitur Menochius *num.23. in l.1. 3. Cod. de fideicom.* distinguentem inter alimenta debita ex dispositione legis, & ea quæ relinquuntur à testatore, volentemque quod debita à lege præstentur in singulos menses, debita verò ex dispositione testatoris,debeant solvi in annos,eo quod legatum alimentorum sit annuum, & in annuis legatis fiat solutio singulo anno in anni initio,*l.1. Cod.quando dies legati, vel fideicommissi cedit.* Reprobat inquam, hanc Baldi differentiam, tum quia non sit indubitatum, legatum alimentorum esse annuum, de quo idem Surdus *tit.9. quæst.6.* tum quia dato quod sit annuum non apparet quare eodem modo dici non possit debitum annuum, quando debetur à lege, & valeat argumentum à lege ad testatorem, & idem quod Surdus tradit Eranchus. *d. decis.155.*

Cùm autem ex his, quæ ad victum spectant aliqua sint quæ non facilè corrumpuntur,sed incorrupta longo tempore conservantur, ut sunt frumentum oleum vinum, & similia; aliqua quæ facilè corrumpuntur, ut carnes pisces, & aquæ; prioris tantùm generis alimenta singulis mensibus juxta dictam dispositionem juris communis præstari possunt in sua specie. Posterioris verò generis forent præstanda in dies. Verùm ne debitor alimentorum nimis gravetur hujusmodi quotidiana præstatione, eorum æstimatio, seu pretium singulis etiam mensibus præstari solet, & debet. Ita per textum *in l. Mela, §. quidem, ff. de alimentis, & cib. legatis*, ubi relictâ aquâ cum alimentis, non aqua, quæ facilè corrumpitur, sed ejus æstimatio præstatur: Bartolus, Practica Papiensis Pontanus *locis supra allegatis*, Rolandus *dict. consf.22. num. 24.* Corduba *d. §. non tantùm, num.7.* de Pratis *d. dubitat. 11. num.91.* Menochius *d. præsump.199. num.22.* & alii apud eosdem. 795

Licèt autem jure communi in textibus *num.764.* adductis præscripta sit menstrua, seu in singulo anno præstare: nihilominus per talem præscriptionem non est sublata facultas Judicis arbitrandi, & definiendi quo tempore, & pro quanto tempore hujusmodi præstatio fieri debeat, maximè ad evitandum incommodum tam alimentarii, quàm hæredis, seu illius qui alimenta debet præstare. Ita Corduba *d. §. non tantùm, num.22.* Surdus *d. quæst. 17. num.30.* Garzias *de expensis, cap.4. num.20.* & qui mox citantur. 796

Quare praxis Ita Judicibus communiter decernentibus est, ut in singulo trimestri, vel quadrimestri vel etiam in singulo anno præstari debeant. Ita Ludovicus Molina *d. cap.15. num.73.* Garzias *d. num.20.* de Franchis *d. decis.155. initio*, ubi dicit in causa alimentorum Marchionissæ Vasti taxatorum in annuis ducatis tribus mille decretum, ac conventum fuisse, ut solutio ad ratam fieret singulis quatuor mensibus: Surdus *d.q.17. num.2.* ubi dicit suum Senatum semper consuevisse decernere alimenta respectu frumenti, vini olei,lignorum, & similium tradi singulo trimestri: & Molfesius *d. quæst. 9. num.6.* ubi advertit, quod etsi Doctores allegati ponant exempla taxativa, in oleo, vino, frumento, lignis, aliis similibus; nihilominus idem dicendum quando præstatio alimentorum fieret in pecunia, cùm hoc commodum solventis respiciat ne simul totam summam solvere cogatur; & etiam commodum alimentarii, quia singulo trimestri, vel quadrimestri potest sibi providere de omnibus necessariis 797

sariis pro ejus sustentatione, atque adeo judex quoad utrumque servaret æquitatem.

768 Porrò sive de mense in mensem, sive in singulo trimestri, vel quadrimestri, vel in singulo anno sint ex assignatione facta solvenda, in principio cujuslibet mensis, trimestris, aut quadrimestris, vel singuli anni pro toto mense, aut trimestri, vel quadrimestri, vel anno solui debere, ita ut solutio sit anticipata, eo quòd alimẽta morã non patiantur *l. 1. Cod. quando dies legat. ced. l. non semel, §. 1. ff. eod.* post alios cõmuniter tradunt ex Jurisperitis suprà *num. 762.* relatis, Ludovicus Molina *d. cap. 15. num. 73.* Corduba *d. §. non tantùm, n. 7.* de Prætis *d. dub. 11. num. 97. fine*, de Franchis *d. decis. 155.* Cancerius *d. p. 1. cap. 16. num. 32.* Surdus *d. q. 17. n. 6. & 19. & tit. 9. quæst. 6. n. 8.* Molfesius *d. q. 9. n. 7.* & Molina Theologus *d. disp. 616. n. 10.*

769 Advertendum autem, quod si pro alimentis à testatore relicta sit pecunia in singulos annos, putà decem singulis annis, tunc solutio non fieret per divisionem in menses, sed initio cujuslibet anni pecunia pro toto anno solvi debet, ut pariter post alios tenet Simon de Prætis *d. dub. 11. num. 95.* Surdus *d. quæst. 17. num. 6. & duobus seqq. d. quæst. 6.* de Franchis *d. decis. 155.* Cancerius *d. num. 32.* Molfesius *d. q. 9. num. 7.* & uterque Molina *locis citatis.* Hæc enim est natura annui debiti, ut solvatur in principio anni, juxta legem *in singulos, ff. de annuis legatis*, & alia jura per Surdum, & Molfesium allegata.

770 Item si alimenta sint relicta personis in universali non morituris, putà pauperibus in communi, Hospitali, Collegio, Universitati, & similibus, tunc etiam alimenta debent annuatim in principio anni præstari, per legem *si quis ad declarandam, Cod. de Episc. & Cler.* post alios tradunt Simon de Prætis *d. dub. 11. n. 97.* Surdus *d. quæst. 17. num. 16.* & Molfesius *d. quæst. 9. n. 4.* Rationem assignat de Prætis, scilicet quia pro his communiter sunt constituti administratores, qui per totum annum benè conservare, & subministrare pauperibus, & personis de universitate necessaria possunt. Addit tamen Molfesius, quod in prædictis casibus posset judex, si id expedire judicaverit, dividere talem præstationem in duobus, vel tribus tertiis, provt judicaverit esse magis commodum, & expediens in beneficium utriusque.

771 Cæterùm tradita de alimentis certis, & determinatis temporibus præstandis, non sunt ita rigorosè servanda, ut semper sint dictis temporibus solvenda, & antea debitor non teneatur, neque cogi possit illa præstare: si enim alimentarius urgenti necessitate oppressus illis citius indigeret, ante illud tempus præfinitum ei præstanda forent, ne quando tempus solutioni præfixum adveniret, fame peremptus esset, & alimenta aliis deservirent: ita post Franciscum Marcum, Cavalcanum, & Lancellotum, Surdus *d. q. 17. n. 18.* & Molfesius *d. q. 9. n. 12.*

§. II.

Vbi apparet ex voluntate testatoris expressa, vel tacita, quo tempore alimenta sint præstanda alimentario, designato tempore præstantur.

772 PRædicta de temporibus præstationis alimentorum, quando aliud non est expressum, seu constat ex legis dispositione, vel testatoris voluntate: secus autem si in lege determinatum esset tempus præstationis, vel constaret de voluntate testatoris expressa, vel tacita, quod tali tempore, & modo essent solvenda; illud enim tempus foret servandum, in eoque præstanda alimenta. Ita post alios practica Papiensis loco suprà *num. 764. cit.* Simon de Prætis *d. dub. 11. num. 92. & duob. seqq.* Surdus *d. q. 17. n. 20. & tit. 9. quæst. 9. num. 11. & 12.* & Molfesius *d. quæst. 9. num. 1. & tribus seq.*

Constabit autem de voluntate expressa testatoris, si dixerit testator alimentis annuis relictis, qua die, quo mense, quo anno, & qua parte anni, vel mensis præstari debeant alimenta, & in eo mense, & anno alimenta erunt solvenda, ut iidem Doctores, & cæteri docent. 773

De voluntate tacita testatoris constabit primò ex consuetudine patris, seu ipsius testatoris, qui vivus consueverat alimenta præstare, & ita erunt præstanda eo tempore, quo ipse testatori solebat illa præstare. Ita post Napodanum *in consuet. Neap.* Molfesius *d. q. 9. num. 4.* 774

Secundò constabit de tacita voluntate testatoris ex re legata, ut si mandet præstari alimenta ex fructibus talis prædii, vel suorum bonorum. Ita aliis relatis Simon de Prætis *d. dub. 11. n. 93.* Surdus *d. q. 17. n. 21. & 22. & tit. 9. q. 6. n. 12.* & Molfes. *d. q. 9. n. 2.* vel ex causa adjecta, ut si in casu disciplinæ, & studii testator reliquerit, *l. nec semel, §. si in habitatione, ff. de annuis legat.* Baldus *in l. 1. n. 3. Cod. de fideicomm.* & Surdus *loc. citatis.* 775

Quare si testator pro alimentis reliquit frumentum, oleum, vinum, ligna, & alios fructus ex certis prædiis, vel certi fundi, frumentum, & cætera non debebuntur nisi ex fructibus collectis, & tempore recollectionis ipsorum fructuum, scilicet frumentum Julio mense, vinum Septembre, oleum Octobri. Constat ex *l. Firmio, §. pater annua, ff. quando dies legatorum cedit*, ubi Glossa, & Bartol. Simon de Prætis, Surdus, & Molfes. *locis proximè cit.* Secus si testator frumentum, vinum, oleum, & alia similia reliquisset simpliciter, & absolutè, non addens ex suis prædiis, seu ex tali fundo suo; tunc enim non esset expectanda collectio fructuum, sed in principio essent præstanda, ut notat Simon de Prætis *d. n. 33. fine*, & Surdus *d. q. 17. num. 23. & 24.* Ratio differentiæ est, tum quia ubi de certo fundo legantur, legatum est conditionale, si fructus nascantur, *l. interdum 73. ff. de verb. oblig.* Simon de Prætis *d. dub. 11. n. 77. circa medium*, & cum aliis Surdus *d. q. 17. n. 24.* atque adeo expectari debet recollectio fructuum: tum quia ubi genus debetur habito respectu ad certam speciem, genus habetur pro specie, ut suprà *num. 747.* docui, & tradunt Doctores ibidem relati, & alii communiter; & ita non potest, nec debet solvi de oleo frumento, vino, vel oleo, ac si illud ipsum fuisset præcisè relictum. Quando verò alimenta sunt simpliciter relicta, vel frumentum, vinum, aut oleum, non adjecta designatione fundi, sed tantùm in genere; tunc hæres dicitur debitor generis, quod non perit, sed semper consistit, ut suprà *num. 746.* dictum est; ac proinde pro solutione non est expectanda recollectio fructuum, & ita etiam quando testator reliquit victum, & vestitum, nullâ factâ mentione fructuum ex suis bonis colligendorum, cùm sit legatum generis, solutio non est differenda usque ad fructuum collectiones, licèt contrarium haud rectè senserit Glossa *in d. l. Firmio, in verbo Initio.*

Si etiam cum frumento, vino, oleo, & similibus ex tali fundo testator reliquerit certam pecuniæ quantitatem solvendam, eandem pecuniam, sicut & ipsos fructus, solvi debere tantùm tempore recollectionis ipsorum fructuum, tradunt Simon de Prætis *d. dub. 11. citato num. 93.* & Surdus *d. q. 17. num. 26.* post Bartolum *in l. si legatarius. §. 1. ff. de legat. 3.* ubi dicit, quod si testator relinquat omni anno ex tali fundo decem salmas frumenti, & decem aureos, hæres non tenetur præstare decem aureos, nisi tempore collectionis fructuum: & ratio est, quia cùm frumentum, & decem aurei in eodem legato sint connexa, ob eandem con- 776

junctionem, quam habent, debent, æqualiter determinati, *l. jam hoc jure, ff. de vulg. & pup.* & sic eodem tempore solvi: id quod etiam propter eandem rationem tradidere alii quos latè refert Surdus *d.n.26.*

778 Tertiò si testator reliquerit alicui alimenta semel præstanda, tali legato alimentorum semel præstando non debebunt præstari nisi post interpellationem factam modico spatio temporis concesso, ut post Aretinum *in leg. ita stipulatus, col. 13. versic. in alimentis autem, ff. de verb. oblig.* Simon de Prætis *d.dub.11.n.95. initio*, & Surd. *d. q.17.n.27.* qui *n.28.* addit rationem, scilicet quia ubi non est apposita dies, non incurritur mora sine interpellatione, nec videtur stare per debitorem, nisi interpelletur. Dicunt præfati Doctores, modico spatio interjecto qui promittens aliquid dare, vel facere, intelligitur non statim, sed concesso debito intervallo.

§. III.

Quo tempore vestimenta, & similia sub alimentorum legato comprehensa sint alimentario præstanda.

779 VIdeamus modò quo tempore vestimenta, & calceamenta, lectus, & cætera, quæ sub alimentis ex dispositione legis debitis, vel à testatore relictis continentur, & non recipiunt divisionem per mensem sint præstanda. Respondetur in primis, esse semper præstanda quandocumque egebit alimentarius, illisque necessariis urgebit. Ita ex Doctoribus *n.768.* relatis, post Glossam *in d.l. firmio, § fin. ff. quando dies legatorum cedit*, & alios Jurisperitos Roland. *d. cons.22.n.23. vol.1.* Simon de Prætis *d. dub.11. num.95.* Corduba à Lara *d. §. non tantùm, num.11.* & Surd. *tit.4.q.17.n.3. & 4.* qui ait ad id facere legem *nec semel in habitatione, ff. quando dies legatorum cedit.* Ratio est, quia legatum relinquitur ad hunc effectum subveniendi necessitati alimentarii.

701. Secundò, nulla alia necessitate spectata, regulariter vestimenta, & similia esse præstanda in singulo anno initio, tradidere Glossa *in d. l. firmio, §. pater ibid.* Bartol. *in l. pecunia sortem, n.2. ff. de alim. leg.* Bald. *in l.1. n.3. Cod. de fideicomm.* & postplures alios Corduba *d. §. non tantum, n.19.* Surd. *d q.17.n.4. & 5.* & Molfes. *ad consuet. Neap. tom.1. p.5. d. q.9. n.9.* Dicit autem Bald. & post eum Corduba, quod alimentarius accepta veste nova, antiquam & attritam vestem reddere debet. Item hoc quod dicitur, vestimenta deberi unoquoque anno debere intelligi suis temporibus, scilicet quod pro hyeme fiant, & dentur in Kalendis Septembris, duraturæ usque ad Kalendas. Aprilis, æstivæ verò è contra fiant in Kalendis Aprilis usque ad Kalendas Septembris, per textum Clarum *in l. 1. Cod. de militari veste, lib.12.* dixerunt *ibid.* Bartolus ubi ait id esse notandum pro familiaribus, quibus permittuntur vestes hiemales, & æstivæ: Surdus *d. q.17. num. 5.* Molfesius *d.num.9.* & plures alii Jurisperiti ab iisdem relati. Quibus tamen non obstantibus hæc res videtur definienda judicio boni viri, seu arbitrio judicis, cum omnibus circumstantiis legatarii, seu alimentarii, & debitoris alimentorum, quo tempore vestimenta sint necessaria, & præstanda; ut rectè notat Corduba *d. §. non tantùm, n.22.*

§. IV.

Legatum alimentorum annuum, si post inchoatum annum alimentarius moriatur, an transmittatur ad hæredes integrum, & pro toto anno.

SI quis quærat, quando legatum alimentorum annuum est purè, & simpliciter factum, si post inchoatum annum moriatur alimentarius, an transmittat integra alimenta totius anni ad suos hæredes, ita ut non exacto iidem hæredes debeant consequi an verò solùm alimenta correspondentia temporis quo vixit. 781

Communis Iurisperitorum sententia est, quod transmittantur integra pro toto anno. Ita præter Doctores à me *in priori tractatu de contractatu matr. c.11.n.64.* relati, Rubeus Alexand. *cons.23. in fin.* à Francho *decis.135.* Relatus, Roman. *singular 71.* Hondedeus *cons.77.n.10.q.10.* Franch. *d. decis. 155. à num.1. ad 6.* Surd. *de alim. tit.9. q 6 n.6. 7. & 8.* Cancerius *var. p.1. c.16.n.32.* & Alii Iurisperiti a Francho *n.3.4.* & Surdo *loc. citat. & tit.4. q.17. n.10. relati.* Legatum enim annuum est momentaneum, ipsiusque jus momento percipitur, sufficitque annum esse incboatum, ut integrum, & pro toto anno inchoato legatario debeatur, ut constat *ex l. filiæ, & l. singulos, ff. de annuis legatis, l. nec semel initio, ff. quando dies legatorum cedit, & l.1. Cod. eod.* Bald. *ibid.* Mantica *de conjecturis, lib.10. tit.10. n.14.* Simon de Prætis *d. dubio 11. n.95.* ubi loquitur in specie de alimentis, Surd. *d. tit. 9. q.6. n.5.* pariter loquens in legato alimentorum Franch *d. decis. 133.* alii Iurisperiti à Surdo *d. num.5. & tit.4.q.17. num.10.* & à me *in d. tract. de contract. matr. c.11. d. n.614.* allegati, & consequenter alimentarius legatarius post inchoatum annum moriens, integrum totius anni legatum ad suos hæredes transmittit, ut expressè constat *ex l. à vobis, & ex d. l. in singulos, ff. de annuis legatis*, & docent communiter Iurisperiti, quos referunt, & sequuntur Franchus *d. decis.155.* Surdus *d. tit.9. q.6.n.7. num.9. & tit.4. q.17. num.9.* & Mantica ubi suprà. 782

Verùm etsi in aliis annuis legatis simpliciter, & purè relictis Surd. *d q.17. n.1.* & Molfesius *ad. consuet. Neap. tom.1. p.3. q.9. n.52.* admittant ut indubitatam præcedentem doctrinam, quod in ingressu anni debeantur integra pro toto anno legatario, & si legatarius anno inchoato moriatur, ad ejus hæredes transmittantur, in legato tamen annuo ex causa alimentorum dubitant, & contradicunt, & probabile existimant illud extingui per mortem legatarii, ita quod alimenta correspondentia reliquæ parti anni quæ post mortem illius remanet decurrenda, non fuerint ab initio anni legatario acquisita, nec transmittantur ad ejus hæredes probat Surdus *d.n.11. 12. & 13.* quia legatum annuum ex causa alimentorum est per causam limitatum; & causa cessante solutum repetitur, tanquam datum ex causa, quæ non est sequuta, & limitata causa limitatum producit effectum, *l. in agris, ff. de acquir rer. dominio*: & quælibet dispositionem restringitur ad terminos rationis per suam causam. Et licèt præstatio fiat à principio anni, tamen ubi non evenit necessitas, non est locus legato; cùm legatum prædictum præstetur quandocumque subest necessitas, ut suprà *n.779.* dictum est. Confirmat ex Baldo *in d. l.1. num.3. Cod. de fideicom.* loquente in legato alimentorum annuo relicto uxori in principio anni præstita fidejussione, seu cautione de illis restituendis, si ante finem anni transiverit ad secunda vota, quem in hoc sequuti sunt nonnulli alii ab eodem Surd. *d.q.17. n.4.* relati. Non enim foret necessaria talis fidejussio, inquit Surd. si inchoato anno transmittentur totius anni alimenta ad hæredes.

At propter] hæc non est ullo modo recedendum à communi sententia, nam licet legatum alimentorum annuum fiat ob causam vitæ alimentarii sustentandam, nihilominus cùm purè, & simpliciter fit, regulandum est juxta alia legata annua, dum contrarium in jure non invenitur dispositum.

778 Illud verum est, quod si legatum alimentorum non sit purè, & simpliciter factum, sed sit factum respectu alicujus rei implendæ per legatarium, tunc non debetur initio anni, sed eatenus debetur, quatenus implementum est sequutum, & non ultra ita Bartol. *in d. l. à vobis* Bald. *in d. l. 1. num. 3. Cod. de fideicomm.* & Surd. *d. tit. 9. q. 6. n. 11.* Atque adeo si alicui alimenta sint relicta, donec habitaverit cum filiis, eatenus debentur quatenus durat habitatio, & non ultrà.

779 Item non debebitur legatum alimentorum annuum pro toto anno, anno inchoato, nec transmittetur, ubi appareat talem esse testatoris voluntatem, non solùm expressam, sed etiam tacitam, sive ex re legata, putà si testator reliquit alimenta ex fructibus certi fundi; nam tunc non debentur, nisi ex collectis fructibus, & tempore collectuis, ut suprà *num. 765. & 766.* probatum est; sive ex causa adjecta, putà si reliquerit alimenta in causam disciplinarum, & studii, quia tunc non debentur nisi pro tempore, in quo alimentarius disciplinis addiscendis, & studio vacat, ut suprà *d. num. 765* notatum est, & constat ex *d. l. nec semel*, §. *si si in habitatione, ibid. adducta,* ut tradunt Bald. & Surdus *locis ibid. legati.*

SVMMARIVM Capitis XIII.

Alimenta debita sive jure sanguinis, & ex legis necessitate, sive ex voluntate testatoris qui illa simpliciter alicui legaverit, de fructibus, & redditibus sunt præstanda, & si fructus non sufficiunt, non debet vendi proprietas pro illorum præstatione, si agatur de alimentis juxta dignitatem, & qualitatem personæ, n. 787.

Alimenta ita ex redditibus præstanda sunt, ut non omnes consumantur, sed aliquid ex eis supersit pro cautione anni sequentis, n. 788.

Fructus in proposito intelliguntur, qui deductis impensis pro collectione, & conservatione, & pro tributis, seu collectis facti supersunt, n. 789.

Si ex prædio aliquo dimidia pars fructuum legatur illa pars dimidia censebitur legata, quæ deductis expensis supervenit, ibid.

Diminuunt fructus non solùm expensæ, quæ fiunt gratiâ fructuum, sed etiam quæ fiunt ratione subjectionis, & obedientiæ solvendo tributa, ibid.

Decima prædialis Ecclesiæ, vel parocho debita ex speciali ratione, solvi debet de omnibus fructibus, non deductis impensis. ibid.

Pater ut alat filium, non tenetur vendere proprietatem, sed de fructibus providet, n. 790.

Etiam filius, ut alat patrem, non tenetur vendere proprietatem, ex qua ipse est alendus, sed tenetur solùm ex fructibus, 791.

Limitatur si fructus non sufficiunt ad præstanda patri alimenta simpliciter vitæ necessaria; nam pro his præstandis tenetur tunc vendere prædia, ibid.

Si pater in testamento alimenta filio constituat ultra redditus patrimonii, tutor non debet sequi voluntatem patris, idemque erit, si medica nimis alimenta constituat, n. 792.

Alendus jure sanguinis ab alio qui ex redditibus non potest se alere, an teneatur vendere proprietatem, ut ex pecunia retracta se alat, n. 793.

Si habeat prædium magni valoris, & modici fructus, an teneatur prædium vendere, & annuos redditus emere pro suis alimentis sufficientes, ne alimenta ille cogatur præstare, qui jure sanguinis præbere tenetur.

Negativa, num. 194. Affirmativa, n. 795.

Proprietatem amplissimi fundi non tenetur vendere, si modica pecunia inveniretur; qua consumpta, deberet mendicare, n. 795.

Qui cessit bonis, & post cessionem acquisivit bona, tenetur satisfacere creditoribus solùm quatenus potest, semperque deducit ne egeat; & an teneatur satisfacere creditoribus solùm ex redditibus bonorum acquisitorum salvis, semper suis alimentis; an verò teneatur vendere proprietatem magni valoris, & modici fructus, ut deductis suis alimentis, ex reliquo satisfiat creditoribus, n. 794. & 796.

Varii intellectus ad legem qui bonis, *ff. de cessione bonorum, num. 769.*

Et qui bonis cessit, & post cessionem bona acquisivit, non possunt omnia acquisita à creditoribus auferri, sed semper deducenda sunt alimenta congrua judicis, seu prudentis viri arbitrio, etiam in foro conscientiæ, n. 799 versus finem.

Maritus ut uxori dotata præstat alimenta, vel restituat dotem, an teneatur vendere proprietatem, ubi ejus redditus non sufficiunt, n. 797.

Non est eadem ratio lucri, & damni, num. 797. & 798.

Qui jure sanguinis tenetur alteri præstare alimenta, an fructibus sufficientibus deficientibus pro præstantibus alimentario alimentis juxta gradum suum teneatur vendere proprietatem magni valoris, & modici fructus, cùm ex pecunia potest comparare annuos redditus sufficientes ad subministrandum sibi, & alimentario alimenta congrua, num. 798. & 799.

Pater filium, & filius patrem judicis officio alere cogendus est, etiam pignoribus capitis, & distractis num. 799.

Alendus jure sanguinis est creditor alimentorum sibi debitorum, ibid. post medium.

Vbi tractatus de pascendis servis hæreditariis, deficientibus fructibus possunt vendi bona immobilia hæreditatis ad eos alendos, ne fame pereant, num. 799. versus finem.

Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur, ibid. fine.

Is qui obligatur jure sanguinis præstari alteri alimenta habens totum patrimonium consistens in pecunia, & mercibus, non tenetur diminuere capitale, ut præstet alimenta juxta gradum personæ. n. 800.

Debet tamen capitale exercere in negotiationibus, vel illo emere redditus annuos, ut ex accessionibus alimenta præstet, ibid.

Lucrum mercaturæ considerandum est in taxandis alimentis juxta qualitatem alimentarii, ibid.

Obligatus jure sanguinis alium alere, si ejus redditus non sufficiunt, debet proprietatem vendere pro præstandis alimentis simpliciter necessariis ad vitam conservandam n. 801.

Limitatur ubi ipse eodem modo indigeret, & vendita, ac consumpta proprietate redigeretur in extremam necessitatem, aut cogeretur mendicare, n. 802.

Vt alimenta præstentur ei qui est dominus vel futurus dominus bonorum vendi potest proprietas, deficientibus redditibus, n. 803.

Gravatus restituere quidquid, ex hæreditate superefit, quartam fideicommissario restituendam potest vendere, ut se alat, si aliunde non habeat, num 804.

Primogenitus secundogenitis non potest assignare pro alimentis solùm usumfructum, sed tenetur assignare proprietatem aliquam, quæ ab hæredes traism : tur, n. 850.

Pro

Pro alimentis assignanda est certa portio bonorum, ubi ita statuto cavetur, n.806.

Vbi alimenta relicta sunt præstanda ex certa pecuniarum quantitate, pecunia non debet consumi, sed collocari ad lucrum, ut ex ejus accessionibus alimenta præstentur, n.807.

Pecunia ad hunc effectum alimentorum relicta, an penes hæredem, an verò penes legatarium debeat manere, & à quo administranda, & an post illius mortem transmittatur ad hæredes legatarii, vel hæredi sit restituenda, n.808.

Legatum alimentorum simplex, & indeterminatum, solui debet solùm ex redditibus proprietatis hæreditariæ, & si hi non sufficerint, non debet vendi res hæreditaria pro illo solvendo, n.810.

Opposita sententia, num.811. quæ reprobatur, ibid. fine.

Legata annua usufructuarius tam ex dispositione legis quàm ex dispositione testatoris debet solvere ex redditibus; & si redditus non sufficiant, res alienari debent, ut legata solvi possint num. 811. & 813. fine.

Vbi legatis alicui alimentis testator hæredi proprietatem, aleri usumfructum reliquit, usufructuarius tenetur alimenta, præstare, 812.

Alimenta à testatore taxata in tanta quantitate tritici, vini, olei, & similium, an sint solvenda etiam ex venditione proprietatis si redditus non sufficiunt, Affirmativa, n.813. Negativa, ibid.

Alimenta à testatore relicta, si deficiunt uno anno fructus, an sint præstanda ex fructibus uberioribus sequentis anni, num. 811. circa fin. & num.813. circa finem.

Legatum annuum ex fructibus certi fundi solvendum si ob sterilitatem uno anno fructus deficiunt, ex redditibus sequentis anni præstandum, est ibid.

Legatum alimentorum an sit ab hærede præstandum ultra vires hæreditatis, præsertim si non fecerit inventarium, num.814.

Pro constitutione dotis filiarum institutoris fideicommissi, alienari possunt fideicommissi bona, numero 815.

Pro alimentis filiorum, & filiarum, & descendentium ipsius institutoris gravatorum restituere, an possint alienari bona fideicommissi, si legitima, & trebellianica, & fructus bonorum non sufficiunt ad alimenta secundùm eorum statum. Negativa, n.815.

Affirmativa, n.813.

Extenditur ut possint alienari non solùm pro alimentis filii gravati, sed etiam pro alimentis filiorum uxoris, & familiæ necessariæ, n.817.

Bona fideicommissi alienari possunt pro alendis omnibus personis, quas institutor jure sanguinis tempore mortis alere tenebatur, & sic pro alendis etiam neptibus & pro nepotibus, saltem tempore mortis institutoris conceptis ibid.

Bona etiam majoratus, & primogenii alienari possunt pro alendis possessore, & ejus filiis, & aliis descendentibus, quos institutor tempore mortis alere tenebatur, num. 818. & an pro alendo quocumque possessore, & ejus filiis, & descendentibus ab institutore, fideicommissi natis, & conceptis post ejus obitum, ibid.

Etiam pro alendis filiis spuriis alienari possunt bona fideicommissi, n.819.

Quid si testator fideicommissi, aut majoratus institutor expressè prohibuisset bona alienari. etiam ex causa dotis famis, & alimentorum, an adhuc possent alienari pro alimentis gravati, & filiorum, ac neptum institutoris prohibentis, n 820.

Quod si causa pia sit substituta, n.821.

Si gravatus filius male utendo dissipavit legitimam, quæ sufficiebat pro alimentis, an bona fideicommissi possint alienari pro alimentis illis necessariis. Negativa, n.822. Affirmativa, n.823.

An possint alienari pro expensis. causa studii, & artium liberalium capessendarum num. 825. & num.826.

An ob causam militiæ, seu ut filio gravato ematur dignitas. n.828.

Creditores fideicommissi possunt capere omnes fructus fideicommissi, nulla eorum parte reservata pro alimentis necessariis, n. 824.

Eo casu alienantur bona fideicommissi pro alimentis, ibidem.

Si liberi instituteris fideicommissi sint idonei inservire principi vel magnis viris, pro eorum alimentis non sunt diminuenda bona fideicommissi, n.817.

Legitima vivente patre regulariter non debetur, nec ad eam assignandam per filium cogi potest, n.829.

Legitimatam pater vivens an possit assignare filio, non solùm eo consentiente, sed etiam eo invito. Negativa, n.819. Affirmativa, n.830.

Pater probatus dilapidator bonorum an possit cogi ad assignandam filio certam portionem bonorum, pro alimentis, vel pro legitima Negativa, num.831. Affirmativa, & servanda, n.832. & 833.

Fideicommisso gravatus malè utens bonis, ad instantiam substituti cogitur restituere ante diem.

Vxor constante matrimonio potest repetere dotem à marito ad inopiam vergente, n.832.

Nec maritus potest cogere eam contentam esse cautione fidejussoria ab eodem marito ei oblata, n.835.

Libertas administrationis rectè tollitur, dum malè disponitur de rebus, & alteri imminet damnum, num. 834.

Pater bona dilapidante, an sufficiat interdicto administrationis bonorum, vel cautio, aut fidejussio ad assecurandum filium pro alimentis, & legitima, num.835.

Vivente patre regulariter non debetur filio legitima, sed eo mortuo, n.831. & 836.

Legitima est triens, vel semis hæreditatis, n.836.

Patre bona dilapidante, an ad instantiam filii judex cogere possit patrem excorporare legitimam ex propriis bonis, & illam dare filio. Negativa, num. 836. Affirmativa, num. 833. & 837. & an pater rediens ad sanos mores possit eandem legitimam recuperare, ibid.

Assignatio fundi per judicem facta creditori alimentorum ob vergentiam debitoris ad inopiam, an revocari possit si debitor posteà efficiatur dives, & industriosus. Affirmativa, num.838. Negativa, num.844, & 849.

Dos constante matrimonio ob inopiam viri restituta uxori, an si vir postea efficitur dives, & industriosus reverti debeat ad maritum. Affirmativa, num.839. Negativa, n.845. & 849.

Vxor an semper etiam constante matrimonio retineat dominium naturale dotis, seu bonorum dotalium, ita ut hoc dominium non transeat in maritum, sed solùm jus administrationis. Affirmativa, num. 840. Negativa, 841.

Dos seu bona pro dote uxori ab vergentiam viri ad inopiam consignata, an anquirantur uxori, non solùm quoad custodiam, & administrationem, sed etiam quoad dominium. Negativa, n.842. Affirmativa, n.843. & 845.

Consignatio bonorum dotalium, vel pro dote hypothecatorum uxori facta constante matrimonio, marito vergente ad inopiam, non est solùm assecuratio, sed est vera, & propria restitutio, sicut illa quæ fieret soluto matrimonio, n.843.

Actus consummatus non vitiatur superveniente casu, qui ab initio illum impendiret, n. 844.

Quando casu superveniens, qui ab initio impediret actum fieri, tendit ad eundem effectum cum actu geste, non tollitur quod gestum est, superveniente illo casu, n. 844. *& n.* 848.

Quid si interfit debitoris effectum tolli, n. 848.

Si debitor creditori id quod illi purè debet, leget in diem, vel sub conditione, valet legatum, ibid.

*Cautio ob paupertatem præstita, non tollitur quamvis cavens efficiatur dives, n.*844. *&* 848.

*Cessante causa ob quam ab initio existentem actus factus est, non semper cessat actus, n.*850.

Intellectus ad legem Cuta, §. deficientium, ff. de munecibus, *ibid.*

Dos constante matrimonio, si maritus efficiatur dives, lite pendente ante sententiam, vel etiam post sententiam Iudicis, tamen ante illius executionem, non restituitur, num, 851.

CAPUT XIII.

Ex quibus rebus, seu bonis filiis, fratribus, pupillo, iisque quibus testator reliquit simpliciter alimenta, præstari debeant alimenta; an solùm ex redditibus bonorum immobilium, an verò etiam ex venditione proprietatis, & ipsorum bonorum immobilium.

SUprà *cap.* 3. *& cap* 6. resolutum est, alimenta secundùm dignitatem, & qualitatem personæ, cui debentur, & secundùm dignitatem, & facultates, seu patrimonium illius, à quo præstanda sunt, solvi debere arbitrio Judicis: hoc capite explicandum est, an hujusmodi alimenta præstanda sint solùm ex fructibus, seu redditibus annuis patrimonii, an verò si hujusmodi redditus non sufficiant ad alimenta juxta decorem, & dignitatem decentia, patrimonium, seu proprietas vendi debeat, & ex pretio venditionis alimenta condecentia statui persolvantur; & sic an Judex in arbitrandis, & taxandis alimentis hujusmodi debeat habere rationem tantùm fructuum, qui ex bonis immobilibus quotannis percipiuntur, non valoris patrimonii; an verò etiam valoris patrimonii, seu proprietatis, & bonorum stabilium.

§. I.

Alimenta an sint præstanda tantùm ex redditibus.

177 IGitur conclusio communis Doctorum est, quod alimenta hujusmodi, sive jure sanguinis, & ex legis dispositione, sive ex testatoris legato, qui illa simpliciter relinquat, præstanda ab hærede, sive ex alia causa debita, solùm ex annuis redditibus, & accessionibus, ac fructibus patrimonii, non verò ex alienatione, seu venditione patrimonii, aut proprietatum præstanda sunt; & ita etiam Judex illa taxare debet juxta vires fructuum qui ex proprietatibus recipiuntur, non secundùm valorem proprietatum. Ita per totum *in l. jus alimentorum*, §. 1. *ff. ubi pupillus educari debeat, & in l. Imperator, fine, ff. ad Trebellianum, & in l. qui bonis, ff. de cessione bonorum*, Bartolus, Baldus, & cæteri Scribentes *in d. l. ius alimentorum, & in d. l.* 1. idem Bartolus *in d. l. qui bonis*, idem Baldus *cons.* 30. *lib.* 2. Cravetta *consil.* 199. *num.* 11. Roland. *consil.* 22. *num.* 21. *vol.* 1. Natta *consil.* 287. *num.* 18. *lib.* 2. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *Sed si filius, num.* 6. *&* 14. & etiam numeris antecedentibus, & subsequentibus, Simon de Prætis *de interpret. ultimar. voluntat. lib.* 4. *interpret. num.* 70. Benintend. *decis.* 89. *num.* 3. *& seq.* Pontan. *de aliment. cap.* 17. *num.* 25. Menochius *de arbitrariis, casu* 169. *num.* 3. Surdus *de alimentis, tit.* 4. *quæst.* 9. *num.* 1. *& seq.* Giurba *decis.* 6. *num.* 2. Mart. *de successionibus, part.* 4. *quæst.* 18. *art.* 7. *num.* 14. & alii Jurisperiti citati ab iisdem, præsertim à Corduba, & Surdo, & etiam à P. Barbosa *ad l. maritum, num.* 13. *ff. solut. matrim.* Salgado *in labyrintho credit.* Covarr. *cap.* 24. *num.* 16. & ex Theologis Megala 2. *part. instit. confess. lib.* 2. *cap.* 23. *quæst.* 2. *n.* 76. *versic. Quibus hinc, fine*, & Vasquez *Opuscul de testam. cap.* 5. §. 7. *dub.* 12. *num.* 144.

Imò alimenta ex iisdem redditibus patrimonii ita sunt solvenda, ut non omnes redditus pro alimentis erogandi, seu à Judice decernendi sint, sed semper ita erogandi, & decernendi sint ut aliquid ex iisdem redditibus supersit pro cautione sequentis anni, ut constat ex *d. l. jus alimentorum*, & tradunt ibidem Angel. & Cordub. *d.* §. *Sed si filius, num.* 7. Surdus *d. q.* 9. *n.* 14. & alii ab iisdem relati.

Advertendum autem, in proposito fructus eos intelligi, qui omnibus impensis factis pro collectione, & conservatione deductis supersint, cùm impensa diminuat fructus, ut expressè habetur *in l. fructus, ff. solut. matrim.* ubi ita inquit Ulpianus: *Fructus eos esse, qui deducta impensa supererunt.* Et tradunt communiter Doctores *ibidem*, & *in cap. Gravis, de restitut. spoliat.* & post plures alios Covarruvias *var. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 3. Menochius *de recuper. possess. rem.* 15. *num.* 574. Garz. *de expensis, cap.* 1. *num.* 11. & *cap.* 11. *num.* 60. Surdus *de aliment. tit.* 9. *quæst.* 12. *num.* 15. *& quæst.* 41. *num.* 28. & August. Barbosa *de appell. verb. appell.* 103. *num.* 22. & in his terminis Corduba à Lara *d.* §. *Sed si filius, num.* 36. ubi propterea addit, quod si ex prædio aliquo dimidia pars fructuum legatur, illa pars dimidia censebitur legata quæ deductis impensis superfuerit: quod etiam cum aliis tradidit Joannes Nevizan. *consil.* 90. *num.* 10. Et licèt Afflictus *ex decis. consilii Neap. decis.* 252. *num.* 7. *&* 8. dixerit solùm eas expensas, quæ fiunt gratiâ fructuum colligendorum, diminuere fructus, non autem quæ fiunt ratione subjectionis, & obedientiæ, solvendo tributa regalia, ut proinde si amplissima prædia ignobili relinquantur, ut tertiam partem fructuum præstet fratribus in alimenta, ignobilis impensam, quam ut proprietarius facit in solvendis tributis, non deducat ex fructibus: licèt etiam idem Afflictus *ibidem*, Avendaños *lib.* 1. *de exeq. mand. Reg. Hisp. cap.* 14. *n.* 5. & Alvarus Velasq. *quæstione juris emphyteutici* 17. *num.* 2. dixerint tributa, & collectas ratione fructuum Principi solvi debere de omnibus fructibus integrè, & non deductis expensis in colligendis, & conservandis fructibus; eam utriusque dicti rationem afferentes, quod impensæ quæ fiunt ratione publicæ utilitatis, non minuant fructus; id etiam confirmantes *ex cap. Tua nos, de decimis*, ubi Sum. Pontifex decrevit decimam prædialem debitam Ecclesiæ, & Parocho solvendam ex omnibus fructibus, non deductis expensis quæ gratia fructuum fiunt. Nihilominus utrumque dictum improbant Corduba *d.* §. *Sed si filius, num.* 37. & latiùs Garzias *de expensis, cap.* 1. *num.* 20. *& cap.* 11. *d. num.* 60. quia regula illa *legis fructus*, quod impensa diminuit fructus, est generalis, & sic nec dicti duo casus, nec ullus alius ab ea excluditur, aut impedit deductionem expensarum ex fructibus. Neque permittitur extensio ex specie dicti capitis *tua nos*; nam solùm in decimis est speciale ut solvantur ex fructibus, non deducta impensa, de qua speciali decisioni Summi Pontificis *in d. cap. Tua nos,* Rationem afferunt Sotus *de justitia, lib.* 9. *quæst.* 4. *art.* 2. *ante responsa ad argum. ad finem*, & Garxias *d. cap.* 1. *num.* 17. *&* 20. apud eosdem, præsertim Garziam latè illam explicatam videndam.

Corollaria

Corollaria ex dictis.

790 EX dictis infertur, patrem, ut alat filium, non teneri vendere patrimonium, sive proprietatem, sed solùm teneri secundùm vires fructuum, si ex ipsis sibi, & filio possit subministrare alimenta, ut supra *n.* 644. dixi, & in terminis Craveta *d. consf.* 199. *n.* 1. Bolognin. ad consilia Joannis de Anania *in consf.* 12. ubi dicit patrem non teneri filio in solidum præstare alimenta, sed secundùm vires fructuum, non autem patrimonii: Benintendus *d. decis.* 22. *n.* 5. Surdus *d. tit.* 4. *q.* 9. Salg. *d. c.* 24. *n.* 18. & plures alii ex allegatis *n.* 787. & alii à Benintendo, & Surdo relati.

791 Viceversa etiam filius ut alat patrem, non tenetur vendere proprietatem, ex qua ipse alendus est, sed solùm alere debet ex fructibus, & accessionibus proprietatis, & patromonii, ut expressè habetur *d. l. Imperator, fin. ff. ad Trebell.* ibi: *Sed paternæ reverentiæ congruum est, egenti fortè patri officio judicis ex accessionibus hæreditariis emolumenoum præstari.* Id quod etiam notavit Surd. *n.* 8. & latiùs Cordub. *in d. l. si quis à liberis, in princ. n.* 40. id tamen limitans quando fructus non sufficerent ad suppeditanda alimenta patri inopi simpliciter vitæ sustentandæ necessaria. Hoc enim casu idem Corduba ibidem post Greg. *schol. fin. in l.* 2. *tit.* 19. *p.* 4. ait quod distrahenda essent prædia, ut ex pecunia pater alatur, cum Gregorio ex eo colligens, quod patri ob similem indigentiam filium vendere permissum est, *l.* 2. *Cod. de patribus qui filios distrax.* Quare à majoritate rationis poterit pater bona filii vendere, cùm gravior sit alienatio personæ quàm bonorum, *c. Præcipimus,* 12. *q.* 1. de quo tamen infrà *suo loco.*

792 Ex eisdem infert Cordub. *d.* §. *Sed si filius, n.* 8. quod si pater filio in testamento assignet alimenta in ea quantitate, quæ excedat redditum patrimonii, tutor non tenetur sequi voluntatem patris: quod tradiderunt etiam Baëza *de decima tutoris, c.* 2. *n.* 85. & Joan. Baptista Asinius *in l. si quis,* §. *hæc actio, n.* 4. *ff. de religios. & sumpt. fun.* id colligens ex eodem §. *Illis verbis, Sciendum est, neque voluntatem testatoris sequendam, si res egrediatur justam sumptus rationem; pro modo enim facultatum debet sumptus fieri:* & eodem modo si pater tam modica alimenta filiis præstari jusserit, ut non decreverit respectu facultatum, sed modica nimis alimenta definierit, ultra quantitatem præfinitam alimenta tutor præstare debebit, *d. l. Ius alimentorum, fin. ff. ubi pupill. educ.* & Corduba d. §. *Sed si filius, num.* 9. post Albertum Brunum *tr. de augmento, & diminutione, concl.* 10. *principali, n.* 11.

§. II.

Alendus jure sanguinis ab alio, utrum si ex redditibus suorum bonorum stabilium non possit se sufficienter alere, teneatur proprietates vendere, ut ex pecunia se alat.

793 RUrsus ex prædictis infertur, eum qui ab alio est alendus jure sanguinis, licèt alendus non sit, si aliunde habeat unde victum, & vestitum habere possit, si habeat bona quorum redditus non sufficiunt ad alimenta, non teneri vendere proprietatem, ut ex pretio se alat, sed debitorem alimentorum jure sanguinis teneri illum alere, vel supplere id quod redditibus deest pro sufficientibus alimentis, ut suprà *n.* 29. dictum est, & ita etiam Baldus *in l. fin. d.* §. *filiis autem, Cod. de bonis maternis,* per textum *ibi,* Corduba à Lara *in d. l. si quis à liberis, in princ. n.* 40. & §. *Sed si filius, n.* 23. & 25. Surdus *d. q.* 9. *n.* 10. & alii ab eodem Surdo, & latiùs à Corduba *d. n.* 3. relati. Contrarium tenuit Tellius *ad l.* 10. *Tauri, n.* 14. quem sequitur P. Barbosa *ad l. Maritum* 13. *n.* 18. *ff. soluto matrim.* & Vasquez *opusc. de testam. c.* 5. *n.* 145. mordicus defendens alimentarium habentem proprietatem, cujus fructus, seu redditus non sufficiunt ad sua alimenta, teneri vendere proprietatem, ut ex pecunia alatur, & postquam pecuniam consumpserit, asserens esse alendum ab eo qui illum jure sanguinis alere debet, quod probat argumento §. *Sed si filius, in l. si quis à liberis, ff. de liberis agnoscend.* ubi filius artifex non alitur à patre, ut cùm lex proprii filii labori non parcat, neque etiam proprietati bonorum: textum verò *in d. l. fin.* §. *filius autem,* ait Tellius non obstare, eo quia, inquit, loquitur in filio legitimo, & naturali, cui quasi debita provenire debet patris hæreditas; secus si esset, subdit, filius illegitimus, cui pater debet solùm alimenta; quia si haberet, vendere deberet proprietatem, ut aleretur: & proprietate consumpta, deberet pater alere, quia tunc aliter non posset se alere. Quam tamen Tellii sententiam, ut pote contra communem, meritò reprobat Corduba *d. n.* 35. cui etiam non favet dictus textus *in d. l. Sed si filius;* quia ibi pater non tenetur alere filium artificem, qui absque dedecore, conditione ejus spectata, poterat artificio victum sibi quærere; secus si absque dedecore juxta suum statum ex artificio non potuisset vivere: nam tunc non teneretur rerum proprietatem vendere, ut se aleret, sed ei alimenta præstare teneretur is qui obligatur alere jure sanguinis. Neque etiam subsistit Tellii responsio *ad d.* §. *filiis autem,* quia lex ibi rationem addit, quare filius proprietatem vendere non debet cogi, scilicet ne post consumptum patrimonium tristem exitum habeat: quæ ratio habet locum etiam in filio spurio, & fratre, qui ex charitate sanguinis alendi sunt, & ideo etiam legis decisio, argumento legis *Illud, ff. ad l. Aquil.*

Utrum alendus jure sanguinis habens prædium magni valoris, & modici redditus, non sufficientis ad alimenta, teneatur fundum vendere, & annuos redditus emere, ut alatur, ne alimenta ille cogatur præstare, qui jure sanguinis præbere tenetur.

SEd quid si alimentarius alioqui jure sanguinis ab alio alendus, haberet proprietatem magni valoris, & modici fructus, seu redditus insufficientis ad alimenta, v. g. palatium, ex quo modicus perciperetur redditus; si tamen palatium venderetur, ex ea pecunia emi possent prædia, ex quorum fructibus posset alimentarius alimenta insufficientia, & congrua habere, vel ex pecuniæ apud honestos homines collocatæ accessionibus posset sibi sufficienter providere? An tunc idem alimentarius teneretur, & cogeretur vendere proprietatem illam, & pecuniam collocare in emptionem prædiorum, vel collocare apud mercatores, vel alia ratione ad lucrum annuum, ut ex fructibus prædiorum, vel accessionibus ex pecunia implicata ad lucrum haberet sufficientia alimenta absque gravamine illius qui alioqui jure sanguinis teneretur alimenta præstare.

Non posse cogi in hoc casu alimentarium vendere proprietatem, ac pecuniam implicare, ut ex fructibus, seu accessionibus alatur, tenuisse plures Jurisperitos testantur Corduba *d.* §. *Sed si filius, num.* 23. & P. Barbosa *ad l. Maritum, ff. soluto matrimonio,* & referunt ita asseruisse præsertim Baldum *in l. si maritus, in fin. ff. soluto matrim.* & ibidem Zasium *num.* 18. argumento legis *Qui bonis, ff. de cessione bonorum,* ubi si is qui cessit bonis, veniat ad pinguiorem fortunam, non potest à creditoribus exigi ultra quàm facere possit, deducto ne egeat, & tali casu ad cognoscendum quid facere possit, & an possit egere, vel non, lex ait non attendi proprietates rerum post cessionem 794

nem acquisitarum, sed fructus, & redditus; ex cujus legis decisione Bartolus, & Angelus *ibidem*, collegerunt quod ubi quis ratione privilegii nō tenetur ultrà quàm facere possit,& ob id prætendit non debere fieri exequutionem in ejus bonis in solidum, in primis est considerandum quantum ex reddítu suorum bonorum percipiat,& si id sufficiat ad se alendum, nihil diminuetur ex debito,si verò non sufficiat, tunc nihil solvat, verba enim illa illius legis, *qui bonis* sunt ex quātitate adquisiti non est qualitate æstimandum, scilicet quantum facere possit debitor. Bartolus, & alii ejus sequaces ita exponenda esse censer, ut non attendatur qualitas, id est quantum ex pretio rei venditæ haberi potest sed quantitas,scilicet fructuum quæ ex re percipi potest, ita ut eo casu fructus tantùm veniant in æstimatione. Et ita etiam quia maritus erga uxorem causâ dotis restituendæ, vel eam alendi tenetur solùm in quantum facere potest, *l. maritum, ff. soluto matrimnio*, Secundùm eundem Bartolum, Angelum,& Baldum, & Zasium *locis citatis*,imolam *in d. l. si maritus*,& alios à Corduba *d.n.*23. P. Barbosa *d. num.* 13. & Surdo *tit.*4. *d. q.*9.*num.*15. & 16. relatos,non debet considerari quo si maritus propria bona vendat poterit ex illorum pretio se alere, nec est cogendus maritus propria bona stabilia etiam magni valoris vendere ad illum effectum restituendi dotem vel dandi alimenta uxori,sed solùm si redditus bonorum non sufficiant ad se alendum; tunc enim erit locus privilegio, ut non teneatur facere nisi quantum potest facere.

795 Contrariam tamen sententiam, & quod præfatus alimentarius alioqui jure sanguinis alendus teneatur proprietatem magni valoris, & modici fructus vendere, ut ex redditibus prædiorum pretio proprietatis emptorum, vel ex accessionibus, seu lucris pecuniæ apud mercatores, vel in locis montium collocatæ, ad suam honestam sustentationem sufficientibus se alat, tenent Corduba *§.sed si filius, num.*24. *ad num.*34.Petrus Barbosa *ad d. l. maritum num.decimo quarto, & pluribus sequentibus*.Tellius *loco suprà citato*, & ita etiam sentire Baldum *in leg. quod nomine, in fine, ff. de condiction. indeb. in leg.fin. Cod. qui bonis cedere, in leg.*2. *Cod.quod cum eo*, Angelum, Imolam & Alexandrum *in d. leg. si marisus, ff. soluto matrimonio*, & Campegium *de dotis restitut.*3.*part. quæst.*139.& alios Jurisperitos, referunt iidem Corduba, & Petrus Barbosa, & idem tradit ex Theologis Megala loco suprà *cap.*1. *num.* 29. *fine citato*, ubi etiam ego id notavi pluribus argumentis sumptis tum ex civili,tum ex naturali ratione.Probat Corduba variis argumentis, quæ tamen omnia ad hanc rationem restringuntur, scilicet quod jure sanguinis ab alio non est alendus qui non est egenus,quique potest aliunde habere unde se honestè,& decenter alat, *leg, si quis à liberis §. sed si filius, ff. de liberis agnoscendis*,& latè probatum est suprà *cap.*1.Sed qui habet proprietatem magni valoris, & modici fructus quam potest vendere, & pecuniam insumere in emptionem prædiorum magis frugiferorum, vel, vel collocare mercatoribus, ex quorum prædiorum redditibus, vel pecuniæ collocatæ accessionibus, & lucris alimenta congrua potest sibi providere, non potest dici egenus, & quod non possit habere unde se alere possit, cùm vendita proprietate, & implicita pecunia in prædiis frugiferis, vel apud Mercatores, possit ex fructibus prædiorum, vel accessionibus pecuniæ alimenta sibi suppeditare, & non sit periculum, ut propter venditionem proprietatis consumptâ pecuniâ reducatur ad mēdicitatem:ergo non est ab alio jure sanguinis alendus,sed cogitur proprietatem illam magni valoris, & modici fructus distrahere, & pecuniam convertere in emptionem prædiorum magis frugiferorum, vel collocare mercatoribus ad honestum lucrumi ut sibi ex fructibus, vel accessionibus pecuniæ valeat alimenta subministrare alioqui alius absque necessitate,& contra rationem, & juris dispositionem gravaretur alimenta illi præstare. Quare tunc solùm alendus ab alio jure sanguinis habens proprietatem amplissimi fundi non cogitur illum vendere, ut alatur ex ipsa pecunia quâ consumptâ deberet mendicare quo casu vera est prior sententia, & juxta eam judicasse Senatum Granatensem referunt Tellius *loco suprà citato*, & Corduba *d.§. sed si filius, num.*31. & procedunt lex *Imperator, ff.ad Trebell. & lex finalis,§.filiis autem, Cod. de bonis,quæ liberis*.Secus verò quando pecunia,quæ ex venditione perciperetur, seu percipi posset, esset multa, quæ collocata ad justam lucrum,vel emptis prædiis frugiferis, ex interusurio,seu accessionibus pecuniæ, vel ex redditu prædiorum sibi alimenta suppeditare posset, ut probatum est. Quo etiam in casu dicendum haberi respectum ad redditus, quibus quis ali potest, juxta dictam legem *Imperator, ff. ad Trebell.* & *ad l. fin.§. filiis autem, Cod. de bonis quæ liberis*, ut notavit Corduba *d. §. sed si filius, num.*31. & etiam proprietatis distractio est bonus usus rei, ad quem propterea cogetur, cùm Reipublicæ intersit quod quis re sua bene utatur *§.sed & major, in fine, Instit. de his qui sui, vel alieni juris sunt*. Certè enim quis re sua bene utitur, dum ita eam collocat,ut ex redditibus se possit alere: quod fit quando res modici proventus, quæ magis impendio gravet patrimonium quàm fructibus augeat, alienat. & pecunia ex venditione redacta emit bona magis frugifera,majores fructus, & redditus annuos præstantia, ut expressè constat *ex d. l. fin.§. ipsum autem.versic. Exceptis autem, Cod. de bonis quæ liberis.* Neque in hoc casu consumitur patrimonium, tristemve exitum habebit venditor: quod si redditus empti non fuerint omninò sufficientes pro alimentis, tunc pater, aut filius,aut frater, qui jure sanguinis alere tenetur,cogitur supelere, Cordub. *d. §. sed. si alius, n.*35. *fine*.

Huic autem sententiæ non obstare *dictam leg.quibus bonis,ff. de cessione bonorum*,aiunt Doctores *num.præced. initio* relati. Respondent enim Imola, & Alexand. *in d. l. si maritus* quibus subscribunt Corduba *d. §. sed si filius n.*32. Tellius *ad d.* 10. *Tauri, n.*14. & alii à P. Barb.*ad d.l. maritum,n.*14.relati ibi contineri casū specialem, scilicet agi de bonis à debitore, qui cessit bonis acquisitis post cessionē, in quibus lex magis favet debitori quàm creditori. Rationem igitur hujus specialitatis aiunt esse,quia cùm simul facta fuerit executio in solidum in bonis debitoris,in bonis posteà quæsitis multùm ei jus favere solet, cujus favoris rationem Corduba ait deduci ex *§.fin. Instit. de action.* illis verbis. *Inhumanum enim erat spoliatum fortunis suis in solidum damnari.* Secus verò est quando in bonis privilegiati ut teneatur facere solùm quatenus potest,quando nunquam facta fuit executio in solidum. At P.Barbosa *num.*15. aliter interpretatur dictam legem *qui bonis*, dicit enim, quod lex illa disponit tantùm ut debitor, qui post cessionem bona aliqua acquisivit legato, vel alia ratione, ex illis non teneatur satisfacere creditoribus, si sint modica, ita ut in modico excedant alimenta (nimis enim dilicatus creditor non est audiendus.*l.si bonis ff.de usuris*,) & quod lex illa vult, quod licèt attenta rei quantitate ea videatur pretiosa, & plurimi habenda,tamen ob id non magna acquisitio debeat judicari,si qualitas quæ pro ea vendita inveniretur,esset modica,nam tunc modica acquisitio censenda est. Cujus triplex ponit exemplum. Primum si post cessionem acquisivit turrim magnificam nullos afferentem redditus,& ratione loci non inveniretur emptor qui magnam quantitatem pro ea vellet dare.Secundum si post cessionem acquisivit ædes suorum majorum quæ proinde ab eo plurimi haberentur,sed tamen modica quantitas reperiretur. Tertiū exemplum quando res post cessionem acquisita,ratione honoris magna est, 796

sed pro ea quantitas modica inveniretur. In his tribus casibus, inquit, juxta dictam legem *Qui bonis*, res acquisita censeretur modica, nec esset auferenda à debitore ad satisfaciendum creditoribus. Secus, inquit, si post cessionem acquisierit magnas ædes, & magnificas, ex quarum pretio ipse se posset alere, & præterea aliquid superesse non modicum, quo possit satisfacere creditoribus; tunc enim cogendus esset illos vendere, & in aliis mediocribus habitare, inquit idem Barbosa cum Baldo *in d. l. 2. n. 2. Cod. quod cum eo*, Zasio *in l. si is qui bonis, in fin. ff. de cess. bonorum*, & cum aliis relatis à Bruno *tr. de cession. bonorum, q. 26. principali*, & Bæza *de debitore inope, c. 17. n. 75.* Idem quod P. Barb. saltem ex parte, senserunt Menoch. *de arbit. casu 183. n. 28.* & Surdus *d. q. 9. n. 20.* quatenus asserunt judicis arbitrium in proposito plurimùm versari, scilicet an debitor, qui post cessionem bonorum proprietatem magni valoris, & parvi redditus, putà turrim, vel domum nobilem, & magnificam, cujus sunt redditus tenues, debeat, & cogendus sit vendere, ut creditoribus satisfaciat: quod dixere Baldus *in l. fin. n. 6. Cod. qui bonis cedere poss.* & Bellus *de salviscondultibus, n. 46.* & dixit idem Menoch. quod judex conditione personæ, & relictæ domus, ac similium proprietatum qualitate consideratis, pro utriusque modo statuet; si enim nobilis sit is debitor, vel talis, cui minimè conveniat tam nobilis habitatio, vendenda erit, & tantùm poterit retinere quantum sufficere potest ad novam, & sibi congruam habitationem comparandam; residuum verò creditori distribuendum erit. Similiter si debitor sit nobilis, & aliqua ei essent relicta, quæ plus affectionis, & mollitiei, quam necessariæ utilitatis haberent, ut si domus ampla nimis, & plus quàm par est, sibi relicta esset; vel si gemmæ, & his similia illi legarentur, forent alienanda ad satisfaciendum creditoribus, quia quæ sine necessaria ejus utilitate abundant, alienari, & creditori solvere convenit. Sicut enim nimium onerosus creditor non est audiendus, *d. l. Si benè, ff. de usuris*, & *l. Sciendum, eod. tit.* ita nec nimia delicatus debitor, inquiunt post Bald. Menoch. & Surdus *loc. cit.* Et ita etiam ego existimarem utroque foro, scilicet externo, & conscientiæ inspecto, judicis, vel prudentis viri, seu confessarii arbitrio definiendum: & ita etiam Molina *de justitia, tom. 2. disp. 572. n. 9.* ubi dicit ei qui cessit bonis, & post cessionem bona aliqua acquirit, non posse omnia acquisita auferri à creditoribus, sed semper relinquendum illi esse quod judicis prudentis arbitrio satis ei sit ad congruam, seu parcam sustentationem, & solùm reliquũ debere ab eo tradi in solutionem debitorum, cùm juxta dictam legem *Is qui bonis, ff. de cess. bonorum*, & *d. l. Qui bonis, eod. tit.* non teneatur nisi in quantum facere possit: & acquisita post cessionem sibi necessaria, ne egeat, retinere possit, ut præallegati Jurisperiti omnes, & præsertim Menoch. *d. casu 185. n. 21.* docent: quod habere locum etiam in foro conscientiæ contra Joan. Medin. *Cod. de restit. q. 5.* asserunt Molina *d. n. 9.* Covar. *lib. 1. var. n. 6.* Adrian. *de restit. q. aggred. versic. 6. dubit.* Rebell. *de oblig. just. p. 1. lib. 2. q. 17. n. 3.* Diana *p. 7. tract. 8. resolut. 8.* Joan. Lugo *de just. tom. 1. disp. 21. sect. 3.* Cast. Palaus *de just. & jure, tr. 32. disp.... punct. 17. §. 7. n. 2.* & alii à Covar. relati.

§. III.

Utrum maritus ut uxori dotatæ præstet alimenta, vel restituat dotem, teneatur vendere proprietatem, ubi redditus ejus non sufficiunt.

797 Eidem sententiæ non obstare illud, quod suprà *n. 791.* dicebatur de marito, aiunt plures ex Doctoribus *n. 815.* relatis. Respondit enim Alexander *in l. maritum, fin. & in l. si maritus, ff. solut. matrim.* quem in hoc sequuntur Natta *cons. 48. n. 5. vol. 1.* Surdus *de alim. tit. 4. d. q. 9. n. 17. & 18.* & alii ab eodem Surdo & P. Barbosa *ad l. maritum, n. 18.* relati, aliud esse de alimentis debitis titulo lucrativo, de quibus *in d. l. Imperator, ad Trebell.* qualia sunt ea quæ debentur jure sanguinis; aliud de alimentis debitis titulo oneroso, ut sunt ea, quæ maritus debet uxori ratione dotis, quæ est proprium uxoris patrimonium; hæc enim solvenda sunt etiamsi oporteat vendi proprietatem, fructibus non sufficientibus: in priori enim casu agit de lucro, in posteriori de damno vitando; non est autem eadem ratio lucri, & damni, *l. fin. Cod. de Codicill.* P. verò Barbosa *d. n. 8. & seq.* respondet, licèt maritus non teneatur erga uxorem, nisi quatenus potest facere, tamen pro restitutione dotis, vel alimentis uxori præstandis tenetur vendere proprietatem, quando redditus non sufficiunt pro dotis restitutione, aut pro alimentis, dummodo ex venditionis pretio possit sibi alimenta providere, & etiam uxorem alere, vel dotem ei restituere. Et ego etiam juxta tradita in præcedentibus sentio, si maritus possideat proprietatem magni valoris, & modici redditus, ex cujus venditione possit multam pecuniam extrahere, qua possit satisfacere restitutioni dotis, & etiam comparare redditus ad sui sustentationem congruentem sufficientes, teneri, & cogi posse vendere illam proprietatem; quia tunc dicitur posse dotem restituere, vel alere uxorem: quod etiam tenet in terminis Surdus *d. q. 9. n. 19.* & ex sequentibus magis confirmabitur.

§. IV.

Is qui jure sanguinis tenetur præstare alimenta, an fructibus deficientibus pro præstandis alimentario alimentis juxta ejus gradum, seu ordinem, teneatur vendere proprietatem magni valoris, & modici redditus, cùm ex pecunia potest comparare annuos redditus sufficientes ad alimenta congrua pro se, & pro alimentario.

Sed numquid sicut ille, cui alimenta jure sanguinis 798
debentur, deficientibus fructibus pro se alendo necessariis, tenetur vendere proprietatem magni valoris, & modici fructus, seu redditus, & insufficientis ad sua alimenta, si pecuniâ ex venditione redacta potest sibi comparare redditus ad sui sustentationem sufficientes, ut suprà probatum est: ita etiam ille, qui jure sanguinis præstare debet alimenta alteri, putà filio, vel patri, vel fratri inopi aliunde non habenti unde juxta suum gradum, & statum vivere possit, si fructus, seu redditus qui ex suis bonis mobilibus percipiuntur, non sufficiant ad alimenta præstanda, haberet tamen immobilia magni valoris, licèt modici fructus, quibus venditis, pecuniâ inde extractâ, posset emere prædia reddentia fructus sufficientes ad se, & patrem, aut filium, vel fratrem inopem alendum juxta utriusque conditionem, teneatur, & cogi debeat præfata immobilia vendere, ut ex redditibus postea ex pretio venditionis comparatis sibi, & alteri egenti, cui jure sanguinis illa debentur, alimenta congrua subministrare queat. Negat Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, d. §. Sed si filius, n. 34.* dicens jura magis favere ei qui alimenta præstare debet, quàm ei qui jure sanguinis petere debet; cujus rationem esse ait, quia quoad petentem, seu eum cui alimenta præstanda sunt, agitur de lucro captando; quoad eum verò qui præstare debet, agitur de vitando damno, quod vendendo bona propria incurreret: & alia est ratio lucri, alia damni, ut *d. l. fin. §. si quis verò, fin. Cod. de codicillis.*

Oppositam tamen sententiam affirmativam tenuit 799
idem Corduba *in d. l. Si quis à liberis, in princ. n. 42. post medium*, ubi asserit filii bona non solùm esse distrahenda, ut alatur pater inops, qui in extrema necessitate constitutus est, quod tradiderat etiam Gregorius *in scholio fin. in l. 2. tit. 19. part. 4.* ab eodem Corduba ibidem relatus; sed etiam si necessitas non sit extrema, pater tamen non possit sibi subministrare alimenta secundùm gradum suum, & illa petat à filio, cujus

cujus redditus ad id non sufficerent, esse distrahendam proprietatem, ut ea pecunia pater juxta gradum suum alatur; nisi filius, inquit, distractis suis rebus cogeretur mendicare, quo casu juxta omnes non forent distrahendæ proprietates, sed ex fructibus filius est alendus. Rationem esse ait, quia cùm filius judicis officio cogatur patrem alere, *d. l. Si quis à liberis*, *ff. de liberis agnosc.* debitum exsolvet distractis pignoribus, ut probatur *d. l. si quis à liberis*, §. *si quis ex his*, ibi: *Pignoribus captis, & distractis, &c.* ubi idem Corduba *n.* 1. & idem Corduba *d. n.* 42. *fin.* refert ita sentire Nattam *d. conf.* 48. *n.* 6. *lib.* 1. ubi dicit patrem teneri alienare bona immobilia, deficientibus fructibus ad victum necessariis pro alendis liberis: assignat differentiam inter hæredem debitorem alimentorum ex legato, & patrem debitorem alimentorum jure sanguinis; dicitque hæredem non teneri vendere rem magni valoris, & modici fructus, ut legatario uberiora præstentur alimenta, quia legatarius tractat de lucro; secus verò ubi alimenta debentur filiis, quia filii, inquit, sunt creditores alimentorum sibi debitorum per patrem ex judicis officio, & ideo debet pater alienare immobilia parvi redditus, ut alat filios satisfaciendo ejus debito, ad quod tenetur etiam naturali, & humano jure. Quam rationem approbat etiam P. Barbosa *in d. l. Maritum, num.* 19. *fin.* ubi ait quod cùm pater ex necessitate legis teneatur filios alere, si bona habeat, utique tenetur ea bona vendere, ut debito satisfaciat, ubi ex venditione posse habere alimenta pro se, & filiis; secus si tantùm pro se. Ex qua etiam ratione reprobat P. Barb. *ibid.* rationem illam differentiæ à Corduba *d.* §. *Sed si filius, n.* 34. adductam, quod alendus jure sanguinis ab alio tenetur proprietatem magni valoris, & modici fructus vendere, ut ea pecunia alatur, quia agit de lucro captando; qui verò tenetur jure sanguinis alere alium, non teneatur, ut eum alat, vendere rem magni valoris, & modici fructus, quia agit de damno captando: reprobat, inquam, quia alendus jure sanguinis, ut filius, est creditor alimentorum sibi debitorum, ex necessitate legis & judicis officio præstandorum. Hanc posteriorem sententiam probabiliorem, & in praxi servandam judicis arbitrio existimo, & puto eam absolutè asseri à P. Barbosa *d. n.* 19. *junctis antecedentibus, & subsequentibus.* Natta verò *d. conf.* 48. videtur loqui de alimentis filiis simpliciter ad vitæ sustentationem necessariis, seu quando est filiorum extrema necessitas, & ne fame pereant; non verò si filii non egeant alimentis simpliciter vitæ sustentationi necessariis, sed petant alimenta secundùm ordinem, & gradum suum, quæ ob inopiam non possint sibi subministrari: de quibus alimentis juxta dignitatem procedit præsens difficultas, scilicet an ut ea præstet is, qui jure sanguinis alere tenetur, habens proprietatem magni valoris, & modici fructus, cogatur illam vendere, cùm ex venditione potest retrahere multam pecuniam, quâ comparatis redditibus sibi, & alimentario possit congrua alimenta subministrare. Confirmat enim Natta, patrem teneri vendere proprietatem magni valoris, & modici fructus pro alendis filiis, ex doctrina quam tradit Angelus *in l. Divus, ff. de petit. hær.* per textum *ibi*, quam amplexi sunt Alex. *in l. Imperator*, 4. *notab. ff. ad Trebell.* Simon de Pretis *de interp. ult. volunt. lib.* 4. *interp.* 1. *d. dub.* 11. *n.* 73. & Surdus *tit.* 4. *d. q.* 9. *n.* 40. scilicet quod ubi tractatur de alendis servis hæreditariis, non sufficientibus fructibus possint vendi bona immobilia hæreditatis, & hoc ideo ne servi fame pereant. Ergo, subdit Natta, dicendum idem multò magis in filiis, qui sunt pars corporis nostri, ut debeat alienari proprietas pro eis alendis: quod subdit esse etiam de mente Glossæ *in d. l. Divus, verb. Familiæ*, ubi quod ibi dicitur de servis, extendit ad filios, per jura ibi adducta. Sed quidquid sit de mente Nattæ, hanc

sententiam probo eadem ratione, qua idem Corduba *d.* §. *Sed si filius, n.* 25. probat eum qui alendus est ab alio jure sanguinis, teneri vendere proprietatem magni valoris, & parvi redditus, ut ex pecuniæ ex venditione retractæ mercatoribus collocatæ accessionibus possit sibi congrua alimenta subministrare, scilicet quia pater (& idem de quocumque alio, qui jure sanguinis alium tenetur alere) filiis illa aliunde non habentibus tenetur, si potest, præstare alimenta juxta gradum, & dignitatem, ut dictum est suprà *c.* 1. *n.* 70. *& seq.* sed pater habens proprietatem magni valoris, & modici fructus, & non sufficientis ad præstanda sibi, & filiis alimenta congrua, qui si vendat, potest retrahere multam pecuniam, & eadem pecunia emere prædia frugifera reddentia fructus sufficientes ad se, & filios decenter alendum, potest filios alere, *arg. l. Qui potest, ff. de reg. jur.* ubi ait Ulpianus, *Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur.* Ergo tenetur proprietatem illam vendere, & pecunia retracta emere prædia magis frugifera, quorum fructibus se, & filios alat; ad idque cogendus erit judicis officio, juxta *d. l. Si quis à liberis, d.* §. *Sed si filius, ff. de liber. agnoscendis.*

Qui obligatur alere alium jure sanguinis, non tenetur ob alimenta juxta statum præstanda minuere patrimonium consistens in pecuniis, & mercibus; tenetur tamen exercere capitale in negociationibus, vel illo emere redditus annuos.

Quid etiam si totum patrimonium illius, qui jure sanguinis alere debet, consisteret solùm in mercibus, vel pecunia, seu capitali, an illud esset minuendum ut præstarentur alimenta secundùm gradum alendi. Respondetur ex suprà dictis, non debere minui, cùm sit loco proprietatis: & ita in terminis post Alciatum *conf.* 243. *n.* 4. Surdus *d. q.* 9. *n.* 12. Si tamen exercendo illud capitale in negotiationibus, vel cum illo emendo prædia frugifera, posset ex redditibus, & accessionibus sibi, & alimentario congrua alimenta præstare, juxta in præcedenti numero tradita, licèt secus sentiat Alciat. *loco cit.* teneretur, & cogi posset illud capitale collocare mercatoribus, vel in emptionem prædiorum convertere, ut ex accessionibus alimenta præstet, ut latè tradit Corduba *d.* §. *Sed si filius, num.* 41. & 42. & etiam Surdus *d. n.* 12. & notat Corduba *d. n.* 41. quod appellatione facultatum veniant omnia bona, & sic etiam capitale expositum, vel quod exponi potest mercaturæ, *l. Cogi, in princ. ff. ad Trebell.* & consequenter *eod. n.* 41. & 42. ait, quod lucrum mercaturæ considerari debet in taxandis alimentis juxta qualitatem alimentarii, ex facultatibus illius qui alere debet præstandis, & id priùs latiùs docuit Natta *d. conf.* 48. *n.* 1. *lib.* 1. 800

§. V.

Qui jure sanguinis alere tenetur, debet vendere proprietates pro præstandis alimentis vitæ sustentandæ simpliciter necessariis, ubi redditus non sufficiunt.

Et prædicta ubi agitur de præstandis alimentis juxta decorem, & gradum illius qui jure sanguinis, & ex necessitate legis alendus est. Quod si agatur de alimentis simpliciter vitæ sustentandæ necessariis, qui jure sanguinis alere teneretur, ut pater filium, filius parentes, frater fratrem, aut sororem inopem, si non posset ex redditibus suis egenti, & in extrema necessitate constituto præstare hujusmodi alimenta simpliciter necessaria, tunc absque dubio vendi debent bona, ut ex eorum pretio hæc alimenta simpliciter necessaria præstentur patri, vel filio, aut fratri egeno, & extremè indigenti. Ita Gregor. Lopez, & Cord. à Lara 801

Q 2 locis

locis suprà *n.*811. relatis, Natta *d. cons.*48. *n.*6. Surdus *tit.*4. *d. q.*9. *n.*22. & P. Barb. alios allegans *ad d. l. maritum*, *n.*18. *&* 19. & ex Theologis Megala *p.*2. *Instit. lib.*2. *cap.*23. *q.*2. *n.*77. *versic. Quibus hinc inde.* Probatur ratione naturali, & civili; naturali, quia pater habens filium, & filius patrem, & frater fratrem egenum, & extremè indigentem, jure naturali, quatenus potest, tenetur illi in extrema, aut etiam gravi necessitate succurrere, ut *suprà cap.*1. & etiam in sequentibus probatum est: ergo deficientibus redditibus, tenetur vendere proprietatem, ut ex pecunia alimenta simpliciter necessaria præstet, cùm hac ratione possit necessitati illi extremæ succurrere. Civili verò, tum ex præallegata *l. Divus. ff. de petit. hered.* ubi dicitur, quod propter familiæ cibaria, quæ aliàs fame periret, proprietas hæreditatis distrahi debet quando aliàs cibaria haberi non possunt: ex qua lege Natta, Simon de Prætis locis suprà *n.*819. relatis, concludunt pro alendis servis hæreditariis in defectum fructuum vendenda esse bona hæreditatis immobilia, ne servi fame pereant: ergo multò magis, id dicendum erit in filiis, & aliis sanguine conjunctis extremè egentibus, ut infert Natta *d. n.*6. tum *ex l.* 2. *Cod. de patribus qui filios distraxerunt*, ubi causâ famis pater filium vendere potest: ergo multò magis eodem jure civili attento vendenda erunt bona filii, ut pater extremè egens alatur, ut inferunt Gregorius, Corduba, Natta, & P. Barbosa *locis allegat.* Ad id Megala adducit textum *in l.* 1. §. *Mater autem, ff. de ventre in possessionē mittendo*, ubi uxor prægnanti post mortem viri usque ad partum præstanda sunt alimenta, &c. ex venditione proprietatis, cùm fructus desunt: ex qua lege Doctores inferunt doctrinam, de qua post *n. seq.* Verùm *in d.* §. *Mulier autem*, decernuntur etiam alimenta secundùm dignitatem prægnanti usque ad partum præstanda ex fructibus, vel ex proprietate. Prædictis non obstant lex *Imperator*, & alia jura *n.* 787. relata, quia intelliguntur, ut alimenta juxta gradum, & dignitatem personæ alendæ solùm ex redditibus, non ex proprietatis venditione sunt præstanda: Etsi P. Barb. *d. n.*19. *initio*, dicat dictam legem *Imperator*, dum dicit ex redditibus hæreditariis esse præstanda patri alimenta, intelligi quando illi redditur sufficerent ad alimenta, si verò non sufficiant, ex aliis bonis suppleri debere dicta alimenta.

802 Limitatur præcedens doctrina ubi is, qui alere jure sanginis tenetur, solùm alimenta sibi necessaria posset ex bonis habere, & illis venditis, & consumptis ipse redigeretur in extremam necessitatem, & cogeretur mendicare; tunc enim non cogeretur vendere, ut alium sanguine conjunctum, & aliàs alendum sustentet; cùm in primis sibi providere debeat de alimentis, juxta tradita suprà *n.* 643. & in terminis tradunt Natta *cons.*387. *n.*5, *lib.* 2. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, princ. n.* 41. & P. Barbosa *ad d. l. Maritum, n.*20. *initio, solut. matrim.*

§. VI.

Ut alimenta præstentur ei qui est dominus, vel est futurus dominus bonorum, vendi potest proprietas, non sufficientibus redditibus.

803 CÆterùm prosequendo materiam, ex quibus rebus alimenta sint solvenda, communis conclusio suprà *n.* 787. posita quod ex redditibus sint præstanda, & non debeat vendi proprietas, ubi fructus pro alimentis non sufficiunt, limitatur ut non procedat, si ille qui alendus est, sit dominus rei; si enim fructus non sufficiunt ad alimenta congrua, rem ipsam in hoc casu fore distrahendam, ut ex pretio dominus alatur, tradit Corduba à Lara *in d. l. si quis à liberis, cit.* §. *sed si filius, n.*18. post Glossam *in l. Ob æs alienum, Cod. de prædiis minor.* Albericum *ibid.* & Francisc. Marc. *decis.* 323. *n.*1. Præterea limitatur non procedere, si alendus est futurus dominus bonorum, tunc enim etiam si fructus non sufficiunt, bona ipsa possunt vendi, ut præstentur alimenta. Ita per textum *in l.* 1. §. *Mulier autem, ff. de ventre in possess. mittenda.* Ita Angelus *in l. Imperator, ff. ad Trebell. ibid.* Alex. *n.*5. Sim. de Pretis *lib.*4. *interp.*1. *dub.*11. *n.*73. Corduba *d.* §. *Sed si filius, num.*19. Surdus *de alim. tit.*4. *d. q.*9. *n.*24. Natta *loco sup. d. n.*787. *cit.* & alii relati à Surdo & Corduba qui *n.*20. addit hanc doctrinam locum habere, quanvis, proprietas quæ vendi deberet, oneri fideicommissi esset subjecta, ut sunt ea bona, quæ primogenii, vel majoratus jure possidentur: ad idque allegat authenticam *contra cùm rogatus*, *Cod. ad Trebell.* & alios Jurisperitos. Sed de hac re, an bona fideicommissi, & prohibita alienari pro alimentis gravati, & filiorum ejus habendis, possint alienari, videbimus infrà.

§. VII.

Gravatus à testatore, si sine filiis decesserit, restituere quidquid ex hæreditate superevit, potest quartam fideicommissario substituto relinquendam vendere, ut se alat, si aliunde non habet.

ID quod in hac materia per textum *in d. auth. contrà cùm rogatus, Cod. ad Trebell.* Jurisperiti communiter concludunt, est quod à testatore gravatus, si sine liberis decesserit, restituere quidquid superfuerit ex hæreditate, quo casu tenetur, ut *ibid.* dicitur reservare quartam hæreditatis fideicommissario, potest alienare, & diminuere prædictam quartam, ut provideat sibi alimenta, si aliunde non habeat. Ita ob illa verba finalia dictæ authenticæ, *Vel si non habeat unde faciat expensas. hujus quarta permittitur diminutio.* Angel. *ibid.* Alex. *in d. l. Imperator*, *n.*5. *ff. ad Trebell.* Padilla *in auth. Res quæ, n.*78. *Cod. comm. de legat.* Sim. de Pretis *d. n.*75. Cord. *d. n.*20, & alii relati à Surdo *d. q. n.*25. qui dicit esse verissimam conclusionem. 804

§. VIII.

Primogenitus debet solvere secundogenito alimenta ex proprietate illi assignata.

LImitatur eadem communis conclusio in primogenito succedente in majoratu ex rescripto Principis constituto sub conditione, quando secundogenitis præstantur alimenta congrua. Non enim primogenitus poterit cogere secundogenitos accipere alimenta ex solis fructibus singulo anno solvenda, vel assignare solùm usumfructum alicujus proprietatis, sed tenetur illis constituere proprietatem, quæ ad ipsos pertineat, & ad eorum hæredes transmittatur. Ita quidquid secus sentiat Vasquez *de succ. creat. lib.*1. §.10. *n.*396. tradere post plures alios Lud. Molin. *de primog. lib.*2. *cap.*15. *n.*10. Covar. *de spons. p.*2. *c.*8. §.6. *n.*15. Cord. à Lara *in l. Si quis à liberis*, §. *Idem rescripsit*, *n.*144. *&* *duob. sequent.* Surdus *tit.*4. *q.*9. *n.*22. *&* 23. & ratio est, quia præfata alimenta dantur, & succedunt loco legitimæ, ut tenent iidem Doctores, & sæpiùs suprà, scilicet *n.*45. 380. 381. 532. *&* 533. dictum est: legitima autem non potest assignari in solo usufructu, sed debet ex ipsius hæreditatis substantia solvi, *l. Scimus*, §. *Repletionem*, Menoch. *de arbit. casu* 163. *n.*8. & Doctores communiter, & ad hæredes transmittitur. 805

Rursus limitatur eadem communis conclusio *n.*787. posita ut non procedat ubi ex lege particulari alicujus loci esset dispositum, ut alimentario assignetur certa portio, v. g. quinta, vel sexta pars. Ita Lupus *in cap. Per vestras*, §.24. *n.*8. *versic. Imò plus attentari posse*, *de donat. inter vir. & uxor.* & Natta *de success. p.*4. *q.*1 S. *art.*8. *n.*14. *fine.* 806

§. IX.

§. IX.

Pecunia à teſtatore relicta, ut ex ea quis alatur, non debet conſumi, ſed collocari ad lucrum, & penes hæredem, vel legatarium debet manere, & adminiſtrari.

807 PRædictis notatis reſtat, ut nonnulla notemus peculiariter quoad alimenta legata extraneo, qui non eſt futurus bonorum teſtatoris dominus.

In primis igitur ſi alimenta ſint relicta, & præſtanda ex certa pecuniarum quantitate, ipſam pecuniam non debere expendi in alimentis, ſed collocari ad licitum, & honeſtum lucrum, ut ex eo lucro percipiantur, & præſtentur alimenta, ex præfata concluſione communi *n.* 787. poſita inferunt Sim. de Pretis *lib.* 4. *interp.* 1. *dicta dub.* 21. *n.* 72. Corduba *in d. §. Sed ſi filius, num.* 11. & Surdus *tit.* 4. *d. q.* 9. *n.* 13. *& tit.* 49. *q.* 40. *n.* 1. & per textum *in l. Divi,* ibi, *Ut idoneis hominibus collocetur pecunia, ff. ad l. Falc.* tradidere ibidem Doctores Scribentes, Alex. Bartol. Imola, Caſtrenſis, item alios allegans Lupus *in cap. Per veſtras, in tertio notabili, verſic. Septimò infertur, n.* 1. ubi addit, quod poteſt etiam converti illa pecunia in emptionem prædiorum, ut ex eorum redditibus alimenta præſtentur: quod & approbat Surdus.

808 Penes quem autem, an hæredem, vel legatarium, vel tertium pecunia legata, ut ex ejus interuſurii alimenta percipiantur, manere, & adminiſtrari debeat, latè tractat Corduba *d. §. Sed ſi filius, n.* 12. *&* 13. duas referens ſententias, primam Angeli, & Jaſonis *in l. Cùm hi, §. Integra, ff. de tranſact.* per textum *in l. Fundi Sebuſiani, ff. de uſu, & uſufr. legatis,* aſſerentium debere manere apud hæredem, ab eoque adminiſtrari, ut legatario præſtet redditum pecuniæ, argumento dictæ legis *Fundi:* quam ſententiam ſequitur Surdus *d. tit.* 9. *citata q.* 40. *n.* 11. non ob textum *in d. l. Fundi,* ſed ob alias rationes, quas ipſe *n.* 8. *& ſeq.* adducit. Alteram Fulgoſii *in d. l. Cùm hi, §. Si integer,* & Hyppoliti *ſing.* 414. affirmantium pecuniam legatam, ut ex ejus uſuris alatur legatarius, ſi non fuerit adjectum, ut mortis tempore legatarius eam reſtituat, cenſeri relictam, ut legatarius eam habeat pleno jure, & ad ſuos hæredes tranſmittat, *arg. l. Libertis, libertabuſque meis* 4. *ff. de alim. & cib. leg.* Ipſe controverſiam dirimit dicens primò, quod ſi res hæredi relinquatur, & ipſius fructus legantur pro alimentis alicujus, res manebit apud hæredem, qui dabit legatario fructus ad alimenta, ut *in d. l. Fundi,* Secundò, quod ſi pecunia legetur ut ex uſuris legatarius alatur, adjecto ut mortis tempore eam reſtituat, debet manere apud legatarium uſque ad mortem, juxta *d. l. Cùm hi, d. §. Si integer:* quod etiam tradunt Surdus *d. q.* 40. *n.* 13. & Steph. Gratianus *tom.* 1. *c.* 130. *n.* 23. Tertiò, ſi pecuniam ſimpliciter alicui relinquat teſtator, ut ex uſuris ſe paſcat ad legatarium ſpectat pleno jure, juxta dictam legem *Libertis libertabuſque meis,* eo quòd in propoſito (inquit) res ipſi legatario eſt relicta, & illa adjectio, ut ex uſuris ejus alatur, ad cauſam prælegandi, non ad uſumfructum conſtituendum pertineat, ut expreſsè dicitur *l. pen. & fin. ff. de alim. & cib. leg.* Quartò, & ultimò dicit Corduba quod ſi pecunia ſit relicta ad alimenta alicujus, neque ipſi ſit legata, neque hæredi data, ſed iis verbis relinquatur, *ex uſuris mille aureorum volo ut alatur Antonius,* quod hujuſmodi pecunia neque apud hæredem, neque apud legatarium manebit, ſed idoneis hominibus collocabitur judicis præcepto, ut ex uſuris Anton. alatur, juxta dictam legem *Divi, ff. ad Falc.*

§. X.

Alimenta alicui extraneo ſimpliciter, & indeterminatè relicta arbitrio prudentis taxanda, an debeantur ſolùm ex redditibus.

PRæterea advertendum, legatum alimentorum extraneo factum poſſe eſſe vel ſimplex, & indeterminatum egens liquidatione, ut ſi teſtator alicui leget alimenta in genere, & in univerſum, nil aliud ſignificando; vel taxatum, putà ſi teſtator pro alimentis relinquat taxativè tantam, & certam quantitatem frumenti, vini, & olei, lignorum, & aliorum, quæ ad alimenta ſunt neceſſaria; diverſimodè enim de his legatis alimentorum ſentiunt Juriſperiti. 809

Igitur quoties alimenta ſunt alicui ſimpliciter legata, & ea eſſe præſtanda ab hærede ſolùm ex redditibus, & non teneri, nec cogi poſſe hæredem deficientibus fructibus vendere proprietates, ut alimenta legata præſtet, & ita in dubio cenſendum voluiſſe, & intellexiſſe teſtatorem, per textos ſuprà *n.* 787 adductos, aſſerunt communiter Doctores, Baldus *in l. Voluntatis, ff. de fideicom.* Barbatius *conſ.* 63. *vol.* 2. Curuba à Lara *in l. Si quis à liberis, §. Sed ſi filius n.* 15. *&* 21. Simon de Pretis *lib.* 4. *interp.* 1. *dubit.* 21. *n.* 70. *&* 71. Surdus *de alim. tit.* 4. *quaſt.* 9. *n.* 1. 3. 7. *&* 8. Bartolus, Natta, Craveta, Rolandus, Menochius, Benintendus, Marta locis *d. n.* 787. relatis, & innumeri alii à Corduba *d. num.* 15. *&* 21. & Surdo *d. n.* 7. & P. Barboſa *ad l. Maritum, num.* 20. *circa fin.* allegati. Rationem etiam affert Surdus *d. n.* 28. poſt Bertrandum *conſ.* 168. *vol.* 2. quia quando legatum alimentorum eſt ſimplex, & indeterminatum, egens liquidatione, ex conjecturata teſtatoris voluntate declaratur; teſtator autem non præſumitur voluiſſe hæreditatis ſubſtantiam minuere, ideoque ex quantitate redituum reſtringitur. Quare juxta hanc ſententiam ſi patrimonium aliquo anno fructus non redderet, hujuſmodi alimenta alicui extraneo ſimpliciter relicta non præſtarentur, ut etiam in terminis tradit Corduba *d. §. Sed ſi filius, n.* 15. poſt Paul. Caſtrenſ. *in l. Imperator, num.* 8. *ff. ad Trebell.* & Æmilianum *conſ.* 116. *n.* 14.

Contra hanc communem tamen P. Barboſa *ad d. l. Maritum, d. n.* 20. *fin. & ſeq.* ſentit ſi hujuſmod alimenta ſimpliciter legata non poſſint ex redditibus præſtari legatario, hæredem debere, & cogendum vendere rem hæreditariam, ut illa exſolvat. Movetur præſertim per textum *in l. fin. §. ſin autem as, verſic. ſin autem legata, Cod. de bonis quæ liber.* ubi ſi legata annua ſint relicta, pater habens uſumfructum bonorum filio ex teſtamento alterius relictorum, ex redditibus ille debet ſolvere, & ſi redditus non ſufficiant, res alienari debent, ut annua legata exſolvi poſſint. Ita expreſsè *ibi* decernitur: ergo à fortiori, inquit Barboſa idem recipiendum eſt in alimentis relictis, quæ favorabiliora cenſentur quàm annua legata, *l. Cùm is, ff. de tranſ.* id quod propter eundem textum tenuit etiam Picus in repetitione *l. Titia, cùm teſtamento, §. Titia, ff. de legatis* 2. *q.* 61. *n.* 257. & probabilè putat Natta *conſ.* 48. *n.* 7. *lib.* 1. quamvis *conſ.* 387. *vol.* 2. ſententiam communem ſequutus abſolutè dicat, quando alimenta extraneo legantur, debere hæredem priùs ſua alimenta detrahere; & ſi ad hoc non ſufficiunt reddítus teſtatoris, nihil extraneo alimentorum nomine deberi. Quanvis autem textus *in d. §. Sin autem as,* loquatur in patre qui habet uſumfructum ex diſpoſitione legis, vult tamen Barboſ. & ſentiunt Juriſp. num. ſeq. citati, quoad legata ſolvenda habere locū etiam in uſufructuario, ex diſpoſitione hominis quo-

ad obligationem exsolvendi æs alienum defuncti testatoris, & annua legata ab eodem testatore relicta; ac proinde usufructuarium ex dispositione testatoris juxta dictum §. *sin autem as*, *versic. Sin autem non habeat*, non sufficientibus redditibus rerum hæreditariarum ad solvenda annua legata à testatore relicta, debere vendere res hæreditarias, ut solvat. Quare idem Barbosa *n.* 23. *ante medium*, sententiam quod usufructuarius ex dispositione testatoris non teneatur solvere legata ex venditione rei hæreditariæ, quando fructus non sufficiunt, aut tantùm salvare posse in eo sensu, quod si redditus non sufficiunt ad præstationem legatorum, & quia uno anno supervenit sterilitas ex redditibus, solvi non possunt, non ob id recurrendum est ad alienationem rerum hæreditariarum, sed potiùs ex fructibus sequentium annorum ille defectus supplendus est, juxta legem *Legatum*, §. *Vini ff. de annuis legatis*, & *l. Ex eo*, *ff. de tritico*, *vino*, & *oleo*. Ad illud autem, quod de præsumpta voluntate testatoris dictum est numero præcedenti, idem P. Barbosa *n.* 20. *circa medium*, dicit salvari in eo sensu, quod testator præsumitur velle, ut alimenta magna, vel modica constituantur secundùm quantitatem redditum, juxta tradita suprà *hoc cap.* §. 1. Verùm quidquid sit in aliis annuis legatis, quoad legatum alimentorum simpliciter extraneo factum non est recedendum à priori sententia, tum quia communiter approbata, & recepta est, tum ob illam rationem præsumptæ voluntatis testatoris, quod substantia hæreditatis non minuatur, & quia testator in dubio censetur se conformare dispositioni legali: juxta leges autem suprà *n.* 787. adductas, & similes, alimenta ex redditibus præstanda sont, non ex alienatione proprietatum.

812 Ex præfata sententia, quod alimenta legata præstanda sint ex redditibus, & pro quantitate redditũ, Corduba *d.* §. *Sed si filius*, *n.* 38. infert, quod ubi legatis alicui alimentis testator hæredi proprietatem, alteri usumfructum relinquit, usufructuarius tenetur alimenta præstare, non rei dominus: quod argumento à conjugatis, *l. Imperator*, *ff. ad Trebell.* & per textum *d. l. fin.* §. *sin autem as*, *C. de bonis quæ liberis*, tradidere Salicetus *in d. l.* §. *sin autem as*, *n.* 10. Barbatius *d. consf.* 63. *lib.* 2. Peregrina *in d. l. Titia cùm testamento*, §. *Titia cùm nuberet*, *n.* 158. Covar. *var. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 7. *versic. Tertiò*, P. Barbosa *ad l. maritum*, *n.* 12. & 13. & alii à Covar. relati, qui omnes volunt, constitutionem dicti §. *sin autem*, loquentem in usufructuario ex dispositione legis, habere ob eandem rationem locum in usufructuario ex dispositione testatoris.

§. XI.

Legatum alimentorum taxatum à testatore, qui mandaverit pro alimentis tantam pecuniam, tantum frumenti, vini, olei, & similium, an sit præstandum ex venditione rerum, si redditus non sufficiunt.

813 SI verò alimenta non sint simpliciter relicta, sed taxata, & determinata, nempe pro alimentis sit relicta tanta quantitas pecuniæ, vel frumenti, vini, & olei, & aliorum, quæ ad alimenta sont necessaria, hoc in casu si redditus rerum hæreditariarum non sufficiant ad annuam prædictorum alimentorum præstationem, distrahendas esse hæreditaris proprietates, tradidere Bertrand. *consf.* 168. *num.* 2. & *seq. vol.* 2. Tellius *ad l.* 10. *Tauri*, *n.* 14. Baëza *tr. de decima testatoris*, *cap.* 2. *n.* 83. Corduba *d.* §. *Sed si filius*, *n.* 17. & Surdus alios allegans *tit.* 4. *d. q.* 9. *n.* 28. ubi addit rationem, scilicet quia ubi testator taxavit alimenta, non est locus præfatæ præsumptioni, quod noluerit proprietatem minui; sed res stat clara, & expressa voluntas testatoris, quid & quantum præstari voluerit: & quando sumus in claris non est opus conjecturis, *l. Continuus*, *ff. de verb. oblig.* & præsumptio veritati cedit, *l. Cùm de indebito*, *ff. de probat*. Subdit idem Surdus *n.* 31. legatum alimentorum videri etiam taxatum, ita ut non egeat liquidatione, nec sit locus judicis arbitrio testator reliquit alimenta qualia, seu quæ ipse vivens præstare consueverat (quod etiam Natta *d. consf.* 387. *n.* 10. tradiderat,) quia dicitur certum, quod ex ea relatione certificatur, *l. certum*, *ff. si certum petatur.* At hanc sententiam, quod in hoc casu prædia debeant alienari, ut præfata alimenta licèt à testatore taxata, deficientibus fructibus præstentur ubi alimenta sint extraneo relicta (sicut in præsenti est sermo) Corduba *d. n.* 17. dicit nulla certa lege probari, ut verè nulla lex à præfatis Doctoribus affertur; & quod testator taxaverit, non inducit certitudinem, quod voluerit obligare hæredem illa præstare ex distractione proprietatum hæreditatis, quando fructus non sufficerent: censeri rectè potest solùm voluisse excludere liquidationem, & transactionem aliàs faciendam arbitrio judicis, vel prudentis viri. Quare etiam hæc alimenta annua legata taxativè, relicta à testatore, videntur comprehensa sub conclusione communi suprà *n.* 787. posita. Addit tamen Corduba in hujusmodi alimentis annuis cum taxatione relictis servari quod *l. Legatum*, & *l. Ex eo*, suprà *n.* 811. *versic. Quare idem Barbosa adductis*, constitutum est in præstatione annuorum legatorum ex fructibus certi fundi solvendorum, scilicet quod si redditus fundi uno anno non sufficiunt ad præstationem legati, ex redditibus ubertioribus sequentis anni præstentur, ut tradidere etiam Bartolus *l. Inter stipulantem*, §. *Sacram*, *n.* 6. *ff. de verbor. oblig.* & *in l. Lucius*, *n.* 3. *ff. de alim. & cib. leg.* Gigas *de pensionibus*, *quæst.* 62. *n.* 11. & P. Barbosa loco suprà *dicto num.* 811. citato, & hoc maximè verum esset, si testator dixisset expressè ut prædicta alimenta taxata, frumentum, vinum, oleum, & cætera legasset ex fructibus hæreditatis, in quo casu expressè loquuntur dicta *l. ex legatum*, & dicta lex *Ex eo*.

§. II.

Legatum alimentorum an sit præstandum ab hærede ultra vires patrimonii hæreditarii, præsertim non confecto ab hærede inventario.

UTrum verò legatum alimentorum annuum, sive simplex, sive taxatum à testatore, hæres teneatur solvere ultra vires patrimonii hæreditarii si non fecerit inventarium, de quo Surdus *d. quæst.* 9. *n.* 33. & *seq.* & *tit.* 8. *privil.* 13 *per totum*, & Natta *prædllegato consil.* 387. *num.* 9. Certum est, confecto inventario in utroque foro, scilicet externo, & conscientiæ, non teneri hæredem ultra vires hæreditatis, *l. Et si ultimo*, §. *Et si præfatum*, *Cod. de jure de lib.* & latè Surdus *d. privil.* 13. *num.* 1. & 2. Certum etiam est, in foro conscientiæ hæredem nunquam teneri ultra vires hæreditatis. In foro verò externo, si non fecerit hæres inventarium, & legatum alimentorum sit simplex, & indeterminatum, Doctores magis communiter cum Baldo *in l. Voluntatis*, *n.* 4. & 5. *Cod. de fideicommissis*, tenent hæredem non cogi illud solvere ultra vires hæreditatis, eo quòd alimenta intelligantur relicta taxanda arbitrio judicis secundùm facultates; & non debet plus, vel minus æstimari legatum. Hoc idem sentit Surdus utrobique alios Jurisperitos allegans, præsertim *d. privil.* 13. *n.* 3. & 4. *d.* §. idem tenentes, & Jasonem *in dicto* §. *Et si præfatam*, sentientem oppositum: quam etiam sequi videtur Natta *loco citato*. Si verò alimenta relicta sint taxata à testatore, cùm tunc cesset ratio alia Baldi, hæredem 814

dem, qui non fecit inventarium, cogi illa solvere ultra vires hæreditatis, tenent absque dubio Natta *loco citato*, Bertrandus *conf.* 268. *volum.* 2. & asserit etiam Surdus alios allegans *de privil.* 3. *n.* 6. apud quem plura de hac re videri poterunt. Ergo prosequendo hanc materiam, ex quibus rebus præstari possint, & debeant alimenta, enodabo tres sequentes difficultates.

§. XIII.

Bona fideicommissi an possint alienari pro alimentis filiorum, & descendentium ipsius testatoris, fideicommissi institutoris.

815 Prima est, an bona fideicommisso subjecta alienari possint, & debeant pro alimentis liberorum, & descendentium testatoris, qui fideicommissum constituit sicut alienari possint pro constitutione dotis filiorum ejusdem institutoris, & etiam restitutione dotis, ut *Auth. res quæ C. communia de legatis, & l. mulier, §. cùm proponeretur, ff. ad Trebell. & Auth. de restitut. & ea quæ parit, §. quamobrem*, latè Padilla *in d. Auth. res quæ*, & cæteri Scribentes *ibid.* Peregrinus *de fideicomm. art.* 42. *per totum*, Menochius *de præsumptionibus*, *lib.* 4. *præs.* 189. Ludovicus Molina *de primog. lib.* 4. *c.* 6. *ibidem* Additionator, Fachineus *controv. lib.* 4. *c.* 47. & 48. Fusarius *de substitut. q.* 531. *cum plurib. sequentib.* Fontanella *de pactis nuptialibus*, *clausula* 5. *glossa* 1. *p.* 2. Ant. Thesaurus *decis.* 192. Stephan. Gratian. *tom.* 5. *c.* 832. *n.* 32. & Ferentillus *ad decisionem* 641. *Buratti, à n.* 20. *ad* 27. & alii ab iisdem relati: de qua re agemus cùm de dote danda filiabus. Nunc solùm dubitatur, an ex causa alimentorum pro filiis, & descendentibus ex ipso institutore, & gravatis restituere, alienari possint bona fideicommissi; & quidem Glossa *in d. Auth. res quæ, verb. obligationum, fine, ibid.* Baldus, & alii à Peregrino *d. d. art.* 4. *n.* 82. & Surdo *de alim. tit.* 8. *privil.* 19. *initio*, negarunt ex hac causa posse alienari: tum quia præallegati textus loquuntur tantùm *de constitutione*, & consequenter non sunt extendendi ad alios casus, *l. cum prætor, ff. de judic.* præsertim ubi agitur de præjudicio tertii in jure sibi quæsito, *l. ob æs, Cod. de prædiis minor.* Nec juxta multos valet argumentum de dote ad alimenta cùm in dote major versetur ratio scilicet alimentorum, & favor liberorum procreandorum; tum quia jura servant filiis legitimam, quam censuerunt justam mensuram alimentorum filiis debitorum, *Auth. de triente, & semiss. in princ.* ultra quam etiam filii gravati fideicommissis conditionalibus universalibus detrahunt Trebellianicam. Pro solutione, præmisso quod hic agimus tantùm de præstandis alimentis iis, qui per lineam rectam ab ipso qui fideicommissum instituit, descendunt, & sic in fideicommisso ab ascendente constituto, non verò in fideicommisso constituto à transversali, & in extraneis, seu transversalibus ab institutore non descendentibus per lineam rectam, cùm dictam legem authenticam *res quæ & legem mulier*, intelligendam de fideicommisso ab ascendente constituto, & in descendentibus per lineam rectam ab institutore, juxta communem Doctorum quos allegant, tradant Ludovicus Molina *d. c.* 6. *n.* 3. & Fusarius *d. q.* 531. de quo pariter cùm de dote filiabus præstanda agemus dicemus.

816 Si legitima unà cùm Trebellianica non sufficit ad præstanda alimenta filiis nepotibus gravatis bona restituere, juxta dignitatem, neque ex fructibus bonorum fideicommissi possint suppleri, licitum est hujusmod filiis, & nepotibus gravatis distrahere bona fideicommissi, ut sibi provideant de alimentis congruis juxta qualitatem personarum, & morem regionis. Est communis conclusio, Ita Bartolus, Jacobus de Aretio, Cynus, Jason, Fulgosius, Paulus de Castro, Cornetus, *in d. Auth. res quæ ibid.* Padilla *n.* 78. Petra *de fideicom. q.* 8. *n.* 480. Peregrinus *d. art.* 42. *n.* 6. *versic. Contrarium*; & *n.* 87. Menochius, *de præsump. lib.* 4. *præs.* 181. Simon de Prætis *de interp. ultim. vol. lib.* 4. *interp.* 1. *dub.* 11. *num.* 73. *versic. quartus casus*, Gomez Pont. *de alim. c.* 17. *n.* 35. Paschalis Saulius *tract. de alim. reb. fideicom subjectis, p.* 1. *q.* 56. Ludovic. Molina *d. c.* 6. *n.* 8. *ibid.* Additionator, Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 27. *n.* 4. *tit.* 4. *q.* 9. *n.* 39. & *d. tit.* 8. *citato privileg.* 19. *n.* 1. & *seq.* Rota apud Seraphinum *decis.* 925. *n.* 2. Vincent. Fusar. *de substitutionibus*, *q.* 536. Ant. Merenda *controv. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 34. Steph. Gratian. *tom.* 5. *d. c.* 832. *n.* 31. & *seq.* Calvin. *de æquitate, lib.* 1. *c.* 90. *n.* 4. & *seq.* & alii Jurisperiti, quos cumulant Padilla, Peregrinus, Paschalis, Menochius, Surdus, & Fusarius. Probatur hæc sententia per textum *in d. Auth. res quæ*, concedentis alienationem fideicommissi paterni causâ dotis & donationis propter nuptias filiabus testatoris, & fideicommissi institutoris, idque ob illam rationem, quod pater tenetur constituere dotem congruam filiæ *l. qui liberos. ff. d. ritu nupt.* At eadem ratio militat in alimentis quæ pater, & avus non minùs quam dotem filiis, & nepotibus juxta eorum dignitatem exhibere tenentur, ut constat *ex l. si quis à liberis*, §. 1. & latiùs in præcedentibus ostensum est. Unde etiam in hoc casu alimentorum militat ratio *mulier* §. *cùm proponeretur*, nempe convenire voto patris, qui alioqui compelli poterat præstare alimenta. Confirmatur præterea, quia causa alimentorum est magis privilegiata & necessaria, quàm dotis causa, ut constat *ex l. necare, ff. de liber. agnosc.* & aliis juribus à Peregrino allegatis: ergo à majoritate rationis dispositio *d. Auth. res quæ*, extensionem ad alimenta admittit. Confirmatur secundò, quia hæres patris tenetur præstare alimenta filio, ut tenebatur pater, ut etiam superiùs pluribus probatum est: hic ergo hæres, & fideicommissarius successor patris, ob hanc causam alimentorum filii debet pati alienari bona fideicommissi.

Extenditur hæc conclusio, ut à patre, vel avo gravatus restituere, possit alienare bona fideicommissi, 817
non solùm pro alimentis suis, sed etiam pro alimentis filiorum suorum, & uxoris, & familiæ necessariis. Nam omnes has personas pater seu avus tenetur alere, & si viveret cogeretur illis præstare alimenta, ut in præcedentibus latè probatum est, & constat *ex d. l. si quis à liberis* §. 1. & *seq.* ita in his terminis Padilla *in d. Auth. res quæ*, *n.* 86. Peregrinus *d. n.* 86. Gomez *d. n.* 87. *versic. Octavò intellige* Menoch. *d. præs.* 191. *n.* 7. Surdus *d. privil.* 19. *n.* 5. Fusarius *d. q.* 536. *n.* 3. Gratianus, *d. c.* 831. *n.* 35. & alii à Surdo, & Fusario relati Bona igitur fideicommissi ad favorem descendentium instituti juxta eosdem Doctores, & etiam attenta dicta authentica *res quæ*, alienari possint pro alendis omnibus personis, quas institutor jure sanguinis alere tenebatur, & sic pro alendis ejusdem institutoris filiis nepotibus, & pronepotibus, & aliis descendentibus, saltem natis, aut conceptis, eodem institutore vivente. Sicut etiam quia non solùm tenetur præstare dotem filiæ sed etiam nepoti, & pronepoti, ita etiam pro dotanda nepte, & pronepte licitum est alienare bona fideicommissi ab avo institutore constituti, ut communiter Jurisperiti Scribentes *in d. Auth. res quæ*, & alii præallegati docent de qua re *parte seq.* An verò etiam pro alendis cæteris omnibus descendentibus à primo institutore fideicommisso conceptas, & natis post ejus mortem, & in infinitum alienari possint bona fideicommissi, vel primogenii, latè explicatum est suprà *n.* 389. ad 400.

Extenditur quoque eadem conclusio, ut etiam bona 818
majoratus, & primogenii alienari possint pro alimentis, possessoris majoratus, & filiis suis, & aliis suis descendentibus, quibus institutor vivens astrictus erat jure sanguinis illa præstare, fructibus bonorum majoratus ad id non efficientibus. Ita Padilla *in d.*

 Auth.

Auth. res quæ, n. 79. Gregorius Lopez *in l.* 24. *tit.* 9. *q.* 6. *in gloss. fin.* Gomez loco, *n. præced.* citato, Surdus *de privil.* 10. *n.* 3. Fusarius *d. q.* 36. *num.* 5. Covar. *var. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 10. §. *illud autem*, & Ludovicus Molina *de primog. lib.* 4. *c.* 9. *n.* 19. cum in hoc casu etiam in majoratu miluent eædem rationes. Quare dum Corduba *in l. si quis à liberis*, §. *utrum. num.* 22. ait Ludovicum Molinam *d. c.* 6. *n.* 22. reprobare, sicut & ipse reprobat eos qui sentiunt majoratus possessorem posse alienare bona majoratus ut se alat, deficientibus fructibus ad id sufficientibus, non est intelligendus in his terminis, sed intelligendus de possessore majoratus, quem institutoe majoratus tempore mortis alere non tenebatur, etiamsi verisimile esset, quod si viveret, ea alimenta solvisset; vel etiam certum sit, quod si viveret, id facere teneretur: in his enim terminis loquitur Ludou. Molina *d. n.* 22. dum negat possessorem majoeatus pro suis alimentis posse alienare bona majoratus non sufficientibus redditibus. Etsi Padilla. Gregorius, Gomez, & Surdus videantur loqui etiam de possessore majoratus, & de illius, filiis & descendentibus, quos institutor si viveret teneretur alere, licèt tempore mortis non esset astrictus alere, quia non erant nati, neque concepti; vel verisimile esset, quod si viveret, alimenta hujusmodi solvisset. Loquuntur enim prædicti Jurisperiti absolutè de possessore majoratus, & dicunt pro se alendo posse majoratus bona alienare, si fructus ad id non sufficiant: & quod dictæ *Anthenticæ res quæ*, dispositio: quod pro filiis, & descendentibus fideicommittentis possint alienari bona fideicommisso subjecta, si desint bona libera, & fructus bonorum fideicommissi non sufficiant, habeat locum etiam in filiis descendentibus post obitum fideicommittentis conceptis contra Alciatum *consil.* 640. Covarruviam *lib.* 3. *var. c.* 6. *n.* 10. *versic. Illud tamen*, & nonnullos alios à Thesauro *d. decis.* 192. *n.* 11, *n.* 18. celatos tradunt etiam Petra *de fideicom. q.* 8. *n.* 394. & 405. Simon de Pretis loco suprà, *n.* 398. citato Thesaurus *d. n.* 11. Rota decisionibus *allegato n.* 398 allegatis, Fontanella *d. p.* 2. *num.* 77. Ferentillus *ad dictam decis.* 641. *Buratti, n.* 27. & plures alii Iurisperiti relati à Covarruvia ubi suprà, Ferentillo, Funtanella, & Thesauro, qui tradit ita fuisse decisum in Senatu Pedemontano, & sæpè in practica in foro servatum se vidisse testatur Peregrinus *de fideicom. art.* 42. *n.* 37. *fine*, licèt ipse de jure veriorem censeat opinionem Alciati. Hinc sententiam quoque amplexus est Mrnochius *de de præs. lib.* 4. *præsumpt.* 189. *à n.* 18. etsi *consil.* 132. fuerit sequutus sententiam Alciati: & fundamentum est, quod si avus institutor viveret, teneretur eosdem descendentes, alere, & dotare verùm de hac difficultate latiùs sequenti parte cum agemus de obligatione dotandi filias.

Extenditur item, ut eadem bona fideicommissi pos-
819 sint alienari pro alendis filiis spuriis, & institutoris, & ipsius filii gravati. Ita Jason *in d. Auth. res quæ, n.* 32. Ludovic. Molina *d. c.* 5. *n.* 19. Surdus *de privil.* 19. *num* 9. & alios allegantes Fusarius *q.* 536. *n.* 4. & Ferentillus ubi suprà, *n* 28. nam & filiis, ac nepotibus spuriis tenetur saltem jure Canonico in utroque foro providere de alimentis, ubi aliunde haberi non possunt, vel nonnisi cum dedecore, ut superiùs probatum est.

Extenditur insuper etiamsi testator institutor fidei-
820 commissi, sive majoratus, expressè prohibuisset bona alienari ex causa dotis, vel necessitatis, aut faotis, vel alimentorum; nam adhuc pro alimentis suis filius gravatus bona, & filiorum posset fideicommissi alienare. Ita molina *d. cap.* 6. *num.* 19. Gratian. *d. c.* 831. *num.* 39. etsi contrarium sentiaut Costa *in memorab. verb. Dos habet, versic. Secundò nota*, Surdus *de privil.* 19. *num.* 8. & alios allegans Additionator ad Molina *d. c.* 19. *n.* 8. Fusarius *d. q.* 536. *n.* 6. & Calvin. *citato c.* 90 *n.* 44. ob eam rationem, quod tunc oec causa dotis filiabus, & descendentibus ex testatore possent bona in præjudicium fideicommissarii alienare juxta plures Doctores, quos referunt Menoch. *d. lib.* 4. *præs.* 189. *n.* 116. *initio*, & Fusarius *q.* 535. *n.* 17. Sed etiam stante expressa prohibitione testatoris, ut bona nec ex causa dotis possint alienari liciram esse alienationem tradidere magis communiter Doctores quos referunt & sequuntur Menoch. *d. n.* 156. *versic. Contrarium*, & Gratian. *d. c.* 831. *n.* 38. ubi etiam refert hanc sententiam latissime defendi & probari à Rota Roman. *in Romana dotis*, 36. *Martii* 1618. *coram Verospio*, de qua re sequenti parte.

Extenditur demùm eadem communis conclusio, ut 821
procedat etiamsi esset substituta causa pia; nam illius favor non provideret alimentis, & pro alendis gravato & ejus liberis, & aliis, de quibus supra, deficientibus fructibus erit permissa alienatio. Ita Romanus *consil.* 267 *n.* 1. Peregrin. *d. art.* 48. *cit. n.* 86. *versic. Contrarium circa medium*, & alios allegans Steph. Gratian. *d. c.* 831. *n.* 37. & sic etiam ex causa dotis posse bona fideicommissi alienari in præjudicium causæ piæ substitoræ, tenent magis communiter Doctores, & latissimè defendit Menochius *d. præs.* 181. *à n.* 120. *ad* 139. de qua re *parte sequenti*.

Quid verò quando filius gravatus fideicommisso 822
etiam habuit legitimam, & etiam Trebellianicam, & utramque profligavit, & malè utendo consumpsit, an tunc etiamsi fructus non sufficiant, possit bona fideicommissi alienare, ut se alat.

Negant absolutè etiam pro alimentis simplicitec 823
necessariis, Peregrin. *d. art.* 42. *n.* 87. *fine*, Mrnoch. *d. præs.* 191. *n.* 8. Padilla *in d. Auth. res quæ, n.* 80. Surd. *de privil.* 19. *num.* 7. Fusarius *d. q.* 536. *n.* 7. Additionator ad Molinam *de primog. lib.* 4. *c.* 6. *n.* 8. & plures alii à Surdo, & Fusario relati, quorum fundamentum est, quod pater jam ampliùs non tenetur alere filium, quando suâ latâ culpâ assignatam sibi pro alimentis legitimam portionem malè consumpsit, & dilapidavit, juxta tradita suprà *n.* 676. & Doctores *ibid.* allegatos

At dicendum est, etiam pro alendis filiis Testatoris 824
qui malè consumpserunt legitimam sibi assignatam, & etiam Trebellianicam, posse alienari bona fideicommissi, quatenus opus est, ut illis præstentur alimenta simplicitec vitæ sustentandæ necessaria, si fructus bonorum ad id non sufficiant. Et ita in terminis tenet Merenda *d. c.* 34. *n.* 4. *& seq.* Probatur à fundamento opposito prioris sententiæ fundamento, scilicet quia etiam filio, qui dolosè, & latâ culpâ malè utendo consumpsit legitimam, seu bona nomine alimentorum sibi à patre assignata, pater tenetur præbere alimenta simpliciter vitæ sustentandæ necessaria, si aliunde filius habere non possit, ut suprà *n.* 681. probatum est, & tradunt Iurisperiti, & Theologi *d. n.* 675. *& n.* 670. relati, qui propterea etiam pro huiusmodi sententia affirmativa stare videotur. Ad quam etiam confirmandam rectè addit Merenda *n.* 7. quod quatenus dispositio *dicta authentica res quæ*, *Cod. communia de legatis*, ad hunc usum trahi non posset, alia tamen ratione debet sustineri eadem sententiâ, scilicet quia non est verisimile testatorem voluisse in hoc casu bona fideicommissi valere, & non posse alienari pro alendis suis filiis ad summam egestatem redactis, licèt illorum culpa iuxta legem *cùm avus, ff. de condit. & demonstrat. & l. cùm acutissimi, Cod. de fideicommiss.* quæ duæ leges certæ ostendunt, etiam in hoc casu præsumptam voluntatem patris, ut fideicommissum non valeat excludendo filios omninò ab alimentis, non sustineri.

Sed si quid possessor fideicommissi, seu fideicommis- 825
sarius contraxerit æs alienum, & fructus bonorum fideicommissi non sufficiant ad solvendum æs alienum contractum, & præstanda alimenta sibi filiis, & familiæ, an creditores Iudice authore possint capere omnes fructus fideicommissi, nulla fructuum parte reservata pro alimentis necessariis. Merenda *d. c.* 34. *num.* 10. *&* 11. respondet affirmativè, eo quod fructus pleno

jnre

jure, & liberè spectent ad fideicommissarium & absque ullo onere absolutè sint illi relicta à testatore, nisi fortè ex ejusdem testatoris verbis colligeretur voluisse, ut fructus etiam reserventur pro alimentis, ne fideicommissum alienaretur. Quare ubi id non apparet, captis per creditores fructibus, alimenta fideicommissario, & ejus filiis ex bonorum fideicommissi alienatione constituenda erunt, juxta eundem Merendam *num.* 12. & Calvinum *allegato c.* 90. *n.* 56. Quod si fructus non sufficerent ad satisfaciendum creditoribus filii gravari, certum est quod illis exclusis bona fideicommissi alienanda essent pro alimentis filiorum, & neputum fideicommittentis, ut etiam in terminis notavit Gratianus *d. c.* 832. *n.* 31. Recolenda hîc nihilominus est Doctrina suprà *c.* 6. *n.* 487. *versic. sed* tradita ex Boëtio *decis.* 7. *n.* 7. & Joanne Baptista Costa, asserentibus quod quando creditoribus patris adjudicantur omnes fructus bonorum fideicommissariorum, vel usufructuariorum, nec pater habet alia bona, creditores debent in subsidium ex eisdem fructibus dare alimenta filiis, ad quos post mortem patris devenire debet proprietas, ne eadem proprietas dissipetur; & quia creditores in tali usu succedunt in locum patris, qui ex prædictis fructibus tenetur alere filios, & sic ususfructus ad creditores transit cum tali onere. Videantur reliqua *ibi* tradita, ubi etiam notatum est, ex eodem Costa, creditores debere pati deductionem alimentorum ejusdem patris.

§. XIV.

Ex causa studii, & artium capessendarum, an possint alienari bona fideicommissi.

825 Utrum autem non solùm pro victu, & vestitu, sed etiam pro expensis necessariis ad capessendas artes, & disciplinas, seu scientias, juxta statum, & capacitatem gravati, vel filiorum, ac eorum qui sunt alendi ex bonis fideicommissi, & morem regionis, eadem bona fideicommissi possint alienari? Negarunt posse ex hac causa studii everti fideicommissum, post Iasonem, & Angelum *in d. Auth. res quæ* & nonnullos alios, Petra *de fideicom. d. q.* 8. *n.* 488. Padilla *in d. Auth. res quæ*, *n.* 91. & Peregrinus *d. art.* 42. *n.* 95. probat Padilla ex eo, quod nec pater teneatur filium in scholas mittere, neque impensas studii illi ministrare: ergo nec pro impensa studii fideicommissum potest diminui. Et hanc sententiam tenet etiam Paschalis Saulius *tract. de alim. rebus fideicom. subjectis q.* 57. *n.* 2. quando non constaret, neque, expressè ex testamento, neque tacitè per conjecturas testatorem fideicommissi institutorem ejus fuisse intentionis, ut studiis litterarum vacaret legatarius.

816 Oppositum, & posse alienari bona fideicommissi ex prædicta causa præfatarum artium, & disciplinarum, seu scientiarum addiscendarum, affirmant, in terminis Menochius *lib.* 4. *d. præsumpt.* 191. *n.* 12. *versic. Secundus casus, & numeris, seq.* & Mereoda *d. c.* 34. *num.* 13. ac etiam Calvinus *de æquitate, lib.* 1. *allegato cap.* 90. & prius tradidit Franciscus Curtius *in d. Auth. res quæ*, *n.* 43. à Padilla *n.* 89. relatus. Ratio est, quia etiam pater ad hujusmodi expensas faciendas, sicut & ad expensas victus, & vestitus obligatur, ut latè suprà *n.* 62. aliis relatis ostensum est: & hæc sententia si pater vivens institutor fideicommissi jam filium studiis destinasset, quibus jam vacare cepisset, videtur omninò admittenda, ut in terminis tenet Paschalis *loco citato*, & Menochius *d. num.* 12. *versic. primus casus*, cùm præsumendum sit, quod si pater viveret, bona alienaret, & filio succurreret, ut rectè Menochius dicto *versic. primus casus notat.* Sed etiam jam destinasset, verisimilis præsumptio est, quod si idem pater vixisset, & filium ipsum capacem, & alicui arti liberali, vel studiis addictum agnovisset, expensis non pepercisset, ut filiis studiis vacaret, & in eis proficeret, idem Menochius. Addendum cum Mereoda, id juvare ad minorem diminutionem fideicommissi, nam filiis bonis artibus, & disciplinis instructi poterunt alimenta sibi honestè quærere. Vbi enim filii honesta arte secundùm mores regionis possent sibi alimenta quærere, pro eis alendis non posset fideicommissum diminui, nam eo casu etiam pater vivens non teneretur eos alere, juxta tradita suprà *n.* 27. *& seq.* & similiter nec pater cogitur alere filium, qui ex Doctoratu, vel causidicum agens potest sibi alimenta providere, juxta tradita suprà *n.* 37. etsi contrarium etiam sit probabile, juxta tradita suprà *n.* 36. & 38.

Advertit etiam Merenda *d. cap.* 34. *n.* 12. si libri sint idonei inservire magnis, & illustribus viris, non non esse pro alimentis fideicommissum alienandum Sed satis esse, si vestibus instruantur, & alia suppellectili necessaria ex bonis restitutioni obnoxiis. Quod potest confirmari quod in hoc casu nec pater teneretur alimenta præstare, juxta tradita suprà *d. n.* 37. 827

§. XV.

Ob causam militiæ an bona fideicommissi possint alienari.

An verò possint alienari bona fideicommissi ob causam militiæ, seu ut filio gravato ematur dignitas? Negativè respondent Angelus Paulus de Castro Jason *in d. Auth. res quæ, ibid.* Padilla *n.* 88. Petra *d. q.* 8. *n.* 486. Peregrinus *d. art.* 42. *n.* 93. & Menochius *dicta quæst.* 191. *n.* 22. eo quòd pater non teneatur impendere, ut dignitatem filio emat. Diceretur quòd si emptio dignitatis juvaret, quia gravatus, ea obtenta posset sibi providere de alimentis juxta statum suum necessariis, & congruis, ad minorem diminutionem fideicommissi ex causa alimentorum, quæ alioqui eodem gravato, & ejus filiis essent præstanda, judex posset pro tali emptione jubere alienationem bonorum fideicommissi, quia talis præsumenda est voluntas testatoris, scilicet ut fideicommissum quantum fieri potest, salvetur. 828

§. XVI.

Filio petenti alimenta an pater possit assignare legitimam, ut ex ejus fructibus se alat.

Difficultas secunda est, an filio petenti alimenta pater possit assignare legitimam, ex cujus fructibus se possit sufficienter juxta statum suum alere. 829

Ratio dubitandi est, quia legitima vivente patre non debetur, nec peti potest à filio, ut per textum *in l. cùm quæritur, ff. de inofficioso testamento, in l.* 8. §. *si Impuberi, ff. de collat. bono in l.* 1. §. *interdum, ff. de vulg. & in l. ult ff. de liber. agnosc.* tradunt communiter Jurisperiti, quos latè referunt Vincent. de Franch. *decis.* 133. *n.* 1. Dueñas *reg.* 556. *n.* 1. M. Aur. Cucchus *de legitima, in q. an legitima augeatur*, *n.* 6. Claud. de Battendier *de legit. tit.* 8. *n.* 11. Merlinus *tract. de legitima, lib.* 5 *tit.* 3. *q.* 1. *n.* 1. & Surd. *de alim. tit.* 8. *privil.* 26. *n.* 1. Quemadmodum igitur pater non potest cogi ad dandam legitimam filio invitus, ita cum pater & filius non debeant ad imperia judicari, nec filius debet cogi ad illam recipiendam, maximè quia si in hoc versatur favor patris versatur etiam favor filii, qui alioqui læderetur in duobus: primò quia si fructus legitimæ consignatæ non ascenderent ad summam cum qua posset vivere, cogeretur vendere proprietatem, quod jura adhorrent *l. qui bonis, ff. de cess. bon.* Secundò quia quamvis legitima debeatur quoad quantitatem, inspecto tempore mortis; si tamen fuerit consignata in vita etiam auctis facultatibus non augetur, & propter hæc aliqui Jurisperiti à Vincentio à de Franchis *d. decis.* 133. *n.* 8. relati negativam partem sustinent.

Nihilomi

Nihilominus Doctores asserunt communiter, patrem posse in vita assignare legitimam filio etiam invito. Ita Baldus *in l. 2. Cod. de revocand. iis quæ in fraud. creditorum*, Dueñas *d. reg. 356. n. 2. limitatione 2.* Peregrin. *de fideicomm. tit. 36. n. 16. fine*, M. Ant. Cucchus *d. verbo Ex substantia deficientis, n. 7.* Merlinus *d. q. 1. n. 12.* Jason, Bartolus, Paulus de Castro relati à Dueñas, & à Vincentio de Franchis *d. decis. 133. n. 2. 12. & 13.* ubi in facti contingentia ait hanc sententiam sequutum fuisse Senatum Neapolitanum, uno tantum excepto. Probant hanc sententiam Baldus, & alii ex textu *in l. illud, Cod. de sacros. Eccl.* ex textu *in l. quoniam nonnulla, Cod. de inoffic. testam.* ex textu *in l. si quando, §. 1. C. eod.* & ex textu *in l. cum quo periculo, § fin. ff. ad l. falcidiam*, quibus tamen textibus respondet Vincentius de Franchis *d. decis. 133. à n. 10. & duobus seq.* Ratio concludens videtur ea, scilicet quod in favorem patris sit jure introductum, ut illo vivente, legitima filiis non debeatur, cui favori non propterea pater potest renunciare, *l. penult. Cod de pactis, & l. si Iudex, ff. de minor.* quod si legitima assignata non reddat fructus non sufficientes ad congrua alimenta, pater tenetur supplere, *ut in præcedentibus* notatum est. An verò ante mortem patris auctis, vel diminutis ejus facultatibus, diminuenda, vel augenda foret legitima, explicabitur parte sequenti, ubi de legitima filiis debita. Diminuendam, vel augendam esse post alios tradunt Peregrin. *d. art. 36. num. 18.* & Merlinus *d. tit. 3. q. 1. n. 9. & q. 7. num. 14.* posse etiam patrem legitimam simul in ejus vita datam revocare, tradunt Doctores communiter, quos referunt & sequuntur Pereg. *d. art. 36. n. 15.* Surd. *d. privil. 26. n. 2.* & Merlinus *d. q. 1. n. 8.* qui tamen *n. 10. & d. q. 7. n. 15.* cum aliis declarat, id non procedere in casu quo validè pater assignavit per contractum ipsam legitimam filio; nam data (inquit) validitate actus, aut quia emancipatio intervenerit, aut juramentum fuerit adhibitum, assignatio efficitur irrevocabilis, illamque pater non potest retractare: & in hoc casu ait idem Merlinus *d. n. 15.* quod sive minuantur, sive augeantur bona paterna, non diminui, neque augeri ipsam legitimam. Sed de hac re infrà parte sequenti.

§. XVII.

Pater deprehensus dissipator bonorum, an possit cogi ad assignandum filio certam portionem bonorum pro alimentis, vel pro legitima.

Difficultas tertia est, an ubi pater est dissipator bonorum illis abutendo, filii petere possint, & pater cogi ad id possit, ut sibi pro alimentis assignetur certa portio bonorum paternorum, vel etiam legitima portio.

831 Multorum sententia fuit, patrem non posse cogi neque ad assignandam legitimam, neque certam portionem bonorum. Ita Baldus *in l. non potest, ff. de adopt.* Bartol. *in l. si quis pro eo, §. 1. ff. de fidejuss.* Jason. *in l. si constante, n. 197. ff solut. matr. & in §. si quis in fraudem, n. 3. Instit. de action. & in l. nam & postea, §. sed & si quis, n. 4. ff. de jurejurando*, Arias Pinellus *in l. 1. p. 3. n. 75. Cod. de bonis maternis*, Scaccialupus *in l. frater à fratre, n. 122. ff. de condictione indebiti*, Chassaneus *in consuet. Burg. rub. 7. §. 2. n. 4.* Vasquius *quæstionum illustrium cap. 37.* & plures alii Iurisperiti, quos latè referunt Dueñas *reg. 356. ampliat. 1.* Cevallos *com. contra com. q. 506. initio*, Vasquius *d. c. 37. n. 1.* & Surd. *de alim. tit. 8. privil. 26. n. 6. versic. contrariam* moventur primò, quia si sermo sit de legitima, non debetur nisi patre mortuo, ut per jura suprà *n. 829.* adducta & Doctores communiter, neque ulla lege cavetur illam deberi antea ob inopiam patris. Secundò, quia iniquum est ab hominibus ingenuis auferre liberam rerum suarum administrationem, & alienationem, seu liberam potestatem de rebus suis disponendi, *l. altius, ff. de servitut. & l. non usque adeo, ff. si à patre fuerit manumissus.* Et si parentibus nefas esse videtur liberis impedire rerum suarum administrationem, ac alienationem, ut *in d. l. usque adeò*, quanto magis, inquit Vasquius, nefandum esset, ut liberi parentibus talem alienationem impedire vellent, contra pietatem ac reverentiam parentibus debitam, argumento per totum *ff. & Cod. de obsequiis.* Tertiò, quia adest aliud remedium ordinarium pro alimentis filiorum, scilicet ut patri bona dissipanti interdicatur administratio, & detur Curatoribus, *l. 1. in fin ff. de curat. furios.* vel ut detur cautio, aut fidejussio de non dissipanda hæreditate, atque filiorum legitima; vel fiat sequestratio vel pater ad alimenta præstanda cogatur per fidejussores singulis mensibus.

Quibus tamen non obstantibus Doctores magis 832 communiter conveniunt, patre sive culpa, sive in fraudem dissipante bona, per judicem ad petitionem eorundem esse assignandam filiis portionem bonorum ipsius patris pro alimentis, vel pro legitima; quæ postea pater non poterit obligare, nec alienare, & ab eis excludentur omnes patris creditores posteriores. Ita Baldus *in l. 2. C. si in fraud. patron.* Castrensis *in l. Imperator, n. 6. ff. ad Trebellianum, ibid.* Alex. *n. 13.* Roman. *in l. 1. §. si in patris, ff. solut. matr.* Cagnolus *in l. fin. n. 290 C. de pactis*, Decius *in l. his nulla, in fine ff. de judiciis*, Palacius *in c. per vestras, §. 17. n. 14.* Eman. Suar. *in thesauro recept. verb. filius n. 103.* Boër. *decis. 61. n. 17. & 18.* Cevall. *d. q. 506. in princ. & fine*, Dueñas *d. reg. 356. dicta ampliat. 1. versic. contrarium*, Peregr. *de fideicom. tit. 36. n. 16.* Surd. *d. privil. 26. n. 5. 6. & seq. privil. 77. n. 7. & privil. 88. num. 3.* Fachineus *controv. jur. lib. 12. c. 59.* M. Ant. Cucchus *de legitima, in quæstione legitima an augeatur, &c. n. 8. circa finem*, Corduba *in l. si quis à liberis, §. item rescriptum, n. 15. ff. de liber. agnos.* Mangilius *de imputat q. 44. n. 7.* Carpan. *ad statut. Med. tom 2. c. 485. n. 85. & 86.* Merlinus *de legitima, lib. 5. tit. 3. q. 6. n. 16.* Steph. Gratian. *discept. for. tom. 1. c. 44. n. 18. & seq.* Ludovic. Molina *de primog. lib. 2. c. 16. n. 9.* Pont. *de alim. c. 17. num. 36.* Molfes. *ad consuet. Neap. p. 3. q. 1. n. 16. fine*, Merenda *controv. jur. tom. 4. lib. 24. c. 48. n. 224.* & innumeri alii Jurisperiti à Dueñas, Surdo, Corduba, Peregrino, Carpano. Ludovico Molina, & Mangilio relati, & æquiorem sententiam appellant Dueñas, & Ludovicus Molina; atque juxta eam fuisse judicatum testantur Boërius, & Cevallos. Ratio est, quia alimenta à patre debentur filio quorum filii sunt creditores, ut suprà hac parte sæpiùs probatum est. Ergo patre bona dissipante, poterunt filii agere ut sibi assignentur bona pro alimentis, & Iudex præcipere debet portionem bonorum quorum redditus sufficere possint pro iisdem alimentis filiorum, ne alioqui omnibus bonis à patre dilapidante dissipatis, ipsi postea nihil habere possint unde se alant: & ad confirmandum confert primò, quod pater gravatus restitutione, vel dissipans bona filii adventitia, quorum usumfructum apud ipsum ejus vita durante poterat habere, cogitur restituere bona non expectata morte, *d. l. Imperator, Cod. ad Trebell.* Secundò quia patre dissipante dotes maternas, filii illum Judicis officio cogere possunt, ut sint sibi salvæ: ita Bartolus *in l. si constante, n. 63. ff. solut. matr.* & alii à Fachineo *d. c. 59. versic. Prioris sententiæ*, relati. Tertiò, quia marito malè administrante bona uxoris dotalia, & ad inopiam vergente, ea bona sunt in tuto collocanda, & ante solutum matrimonium ab uxore repeti possunt, *l. ubi adhuc, C. de jure dotium*, Glossa *ibid. verbo Ad inopiam, fin.* Rota Romana apud Puteum *lib. 3. decis. 359. initio*, & alii à Merlino *d. q. 6.* relati, & est communis Doctorum, ut restatur Scipio Rendina *in promptuario receptarum, tit. de viro & uxore*, qui est 123. *n. 6.* ubi tamen ex Doctoribus communiter ita asserentibus

bus statuit uxorem non posse conseqoi omnia bona mariti ad inopiam vergentis, sed solùm bona dotàlia, vel quantitatem bonorum mariti adæquantem quantitatem suæ dotis. Quattò debitor in diem, si ex nova causa efficitur suspectus, cogi potest ut præster fidejussorem de solvendo die adveniente, *l. quesitum, ff. de pignoribus*, Glossa *ibidem*, *verbo Inter eos*, Alexander, Baldus, Iason à Surdo *d. privil. 26. n. 9. fine*, & Fachineo *dicto versic. prioris sententia*, relati. Cùm ergo cæteris creditoribus pro eorum securitate concedantur supradicta remedia, licèt eorum causa nõ sit ita favorabilis, sicut causa aliměntorum, asserendum est, etiam filios posse sibi prospicere ob evidens periculum, petendo bonorum assignationem pro securitate suorum ali-
833 mentorum sibi à patre debitorum.

Non obstat primum argumentum prioris sententiæ, scilicet legitimam regulariter non deberi vivente patre. Nam respondetur primò, id verum esse non mutato rerum statu; secus mutato statu rerum, ut hic dum pater bona dilapidat, & est evidens periculum, ut nihil sit remansurum pro solvendo filiis debito alimentorum; hoc enim casu potest peti ante mortem patris, sicut peti potest ante tempus quod debetur à debitore suspecto. Ita Fachineus. Secundò respondetur, in hoc casu dilapidationis bonorum paternorum à patre, legitimam non exigi ante diem, & obitum illius, quia per illam separationem portionis bonorum, ut filii habeant unde se sustentent, eisdem filiis assignatæ per Iudicem, non potest dici facta solutio, sed quædam asservatio, unde alimenta filii percipiunt; nam debitum pro alimentis, ad quæ pater etiam vivens tenetur, & sub conditione, vel in diem, qua pendente cavendum est, ut pater non sit solvendo quando dies, vel conditio advenerit, ut fit quando debitor est suspectus, & in aliis casibus *numero præcedenti, versic. & ad id confert*, enumeratis, conservatur. Ita Surdus, Gratianus, & Mangilius. Tertiò respondetur, quod licèt filius non habeat jus vivente patre in legitima, tamen Iudex omni æquitate suadente, ejusdem filii indemnitati consulere debet, sicut probatur *in d. l. Imperator*, & paternam prodigalitatem, ac fraudulětam alienationem frenare; cùm Reipublicæ intersit, ne quis substantia sua malè utatur, *d. l. ubi adhuc, & cap. per vestras, de dot. post divert. restit.* Ita Merlinus *q. 6. num. 6.*

834 Non obstat secundum de salvanda patri libertate administrationis; respondetur enim libertatem administrationis competere dum benè disponitur de rebus, secus ubi per libertatem alteri imminet fraus, vel damnum; ac proinde in hoc casu, sicut & in aliis *n. 833.* enumeratis, melius est in tempore occurrere, quàm post illatum vulnus remedium quærere. Quin imò neque in hoc casu auferrur libertas administrationis; nam cùm pater teneatur filio de alimentis necessariis providere, non impeditur in administratione rerum suarum, licèt cogatur assignare tot bona, quæ sufficiant ad legitimam, ex quibus filius alatur; hoc enim modo dicitur solvere debitum, & non magis impeditur quàm si pro alio quovis debito exigeretur. Neque id est contra reverentiam patri debitam, nam potiùs esset contra reverentiam, si filius singulis mensibus cogeretur cum patre litem habere.

835 Non etiam obstat tertium, nam ad illud de interdictione administrationis, verum est in casu dissipationis posse patri dilapidatori interdici administrationem bonorum, & curatorem dari; sed id fieret cum injuria patris, nec cogendus est filius uti tali remedio, cùm alia ei suppetant minùs odiosa, prout est petere sibi assignari bona necessaria pro alimentis. Ad illud de fidejussione respondetur, quidquid sit in aliis casibus, inter patrem, & filium non est locus fidejussioni quando agitur pro legitima, & alimentis ob dilapidationem; cùm sit utilius & tutius assignari aliquid, ex quo illa percipienda sunt, quàm se committere fragilitati cautionis, cui propterea non tenetur se filius submittere, ne singulis mensibus, seu sæpiùs cogatur litem habere contra fidejussores, & interim fortè non habeat unde se alat. Ita post alios Merlinus *d. q. 6. n. 8.* Gratianus *d. c. 24. n. 22. & 23.* Mangilius *d. q. 44. n. 10.* & Surdus *d. tit. 8. privil. 88. n. 2. & 3.* & ita etiam si maritus, vel socer ad inopiam vergens uxori dotem constante matrimonio repetenti offerat fidejussores de dote conservanda, vel restituenda, non est audiendus, nec dotis exactionem ob talem oblationem evitat, ex communi Doctorum, quos refert, & sequitur Scipio Rendina *in allegato promptuario receptarum, tit. de fidejussoribus*, qui est 47. *n. 2.* quia non debet mulier se committere cautionis fragilitati, & quia per remedium legis *si constante, ff. soluto matrimonio*, & legis *ubi adhuc*, *Cod. de jure dotium*, concedentium uxori dotis repetitionem, viro ad inopiam vergente, non fuit provisum ut mulier reddatur tantùm de dote tuta, sed etiam ut ex fructibus tam ipsa, quàm filii alimenta percipiant, ut in dictis legibus patet, si autem mulier cautionem accipere cogeretur, non esset suis necessitatibus consultum.

§. XVIII.

Patre dilapidante bona, an filius agere possit, ut legitima ex bonis paternis separetur, & sibi assignetur. 836

POrrò in propositione præfatæ sententiæ magis communia dixi, *pro alimentis, vel pro legitimis*; quia inter nonnullos ex Iurisperitis, pro eadem magis communi sententia relatis est dissensio, scilicet an patre bona dilapidante, per judicem portio bonorum paternorum sit filiis petentibus assignanda tantùm pro alimentis necessariis assecurandis ex redditibus eorundem bonorum assignatorum percipiendis, non verò debeat assignari absolutè, & ut legitima filiis debita; an verò assignanda sit legitima ipsa excorporanda de bonis ipsius patris dilapidatoris. Aliqui igitur sentiunt esse quidem assignanda ex bonis paternis aliqua, quorum redditus sufficiant ad alimenta filiorum, solùm pro cautione, & assecuratione alimentorum, ut probant tradita *à n. 832.* non verò assignandam esse absolutè legitimam, quæ deberetur mortuo patre. Ita expressè Corduba *in d. §. item rescriptum, n. 16.* Merenda *d. c. 48. n. 225. & 226.* & idem sentire videntur Surdus *d. privil. 26. n. 10.* & alii locis suprà *n. 832.* citatis, Stephanus Gratianus, & Mangilius locis *eodem n. 832.* relatis; quatenus dicunt in hoc casu patris dilapidantis bona, legitimam à patre non exigi ante diem, vel mortem illius; quia assignatio illa bonorum pro alimentis, & pro legitima non fit absolutè, itaut bona per Iudicem assignata patri totaliter adimantur, & filio absolutè assignentur, sed sit ea assignatio potiùs assecuratio quædam, eo quod bona assignentur solùm pro filiorum cautione, ut habeant unde alimenta percipiant. Probant hanc sententiam Corduba, & Merenda argumento suprà *n. 831.* adducto, quod legitima propriè non debetur, nec exigi potest patre vivente, sed solùm tempore mortis compellitur pater eam filiis relinquere. Confirmat Merenda, quia legitima propriè est triens, vel semis hæreditatis parentibus, ut *in auth. de triente, & semisse*; & hæreditas non datur ejus qui vivit. Neque valet (inquit Merenda) argumentum de alimentis ad legitimam: tum quia alimenta necessaria debentur semper, etiam vivente patre, legitima tantùm tempore mortis relinquenda: tum quia legitima indistinctè debetur filiis, alimenta autem debentur tantùm si aliunde filii non habeant unde vivant, *l. si quis à liberis, §. sed si filius, ff. de liber. agnosc.* & latè suprà *cap. 1.* probatum est. Nec alimentorum præstatio (ait idem Merenda) æquè gravat patrem ac facit legitimæ assignatio. Quare idem Merenda *n. 226.* subdit, quod Iudex in hoc casu patris dilapidatoris debet filiis assignare bona paterna in ea solùm

quanti

quantitate, ut ex eorum fructibus, seu redditibus filii possint percipere sufficientia, & congrua alimenta & non plus, nec minùs; quia cùm assignatio sit permissa solùm ex causa alimentorum, quæ pater obligatur præstare filiis, non debet excedere limites præfatæ obligationis paternæ, quia causa limitata parit limitatum effectum, *l. in agris, ff. de acquiren. dom.* Denique *eodem num. 126. fin,* dicit quod poterit etiam pater, si ad bonam frugem redierit, aut alia ratione idonea filiis satisfecerit, recuperare hujusmodi bona, quod etiam probat idem Merenda *tom. 3. lib. 16. cap. 37. num. 4. & sequentibus.*

837 At alii Iurisperiti in hoc casu dilapidationis bonorum paternorum asserunt absolutè, etiam in vita patris esse assignandam filio, seu filiis legitimam excorporandam de bonis ipsius patris: ita ex præallegatis suprà *n.* 831. Alexander, Cagnolus, Decius, M. Antonius Cucchus, Ludovicus Molina, Dueñas, Cevallos, Carpanus, Peregrinus, Molfesius, Merlinus *locis d. n. 832. citatis,* & plures alii à Dueña, Molina, Peregrino *locis eodem num. 832. allegatis,* & pinello *in d. l. 1. p. 3. num. 75. initio, Cod. de bonis maternis,* relati: & idem puto sentire Gratianum, & Mangilium *locis eodem num. 832. allegatis,* quia regulam generalem, quod pater vivens nu cogatur legitimam dare filiis, limitant in hoc casu dilapidationis bonorum, sive culpâ, sive in fraudem à patre fiat, in quo asserunt legitimam in vita patris per Iudicem debere assignari; & allegant plures ex prædictis Iurisconsultis, nempe Cevallum, Peregrinum, Ludovicum Molinam, Alexandrum; & hanc sententiã Merlinus *d. q. 6 n. 16.* ait probari per tradita suprà *d. n. 832.* ad confirmandam sententiam communem ibi propositam: quod enim *in d. l. Imperator,* de patre gravato restituere dilapidatore, & *in l. ubi adhuc,* marito vergente ad inopiam, *& l. si quæsitum,* de bitore effecto suspecto fugæ dicitur, & disponitur, idem patre dilapidante bona videtur dicendum in legitima liberorum, cùm & legitima in vita patris sit quasi debita filiis, *l. & quia, ff. pro socio, l. cùm furiosus, fin. §. fin. verò perpetuò, Cod. de Curatore furiosi, & l. unica, Cod. de his qui ante apertas tabulas,* Corduba in *d. §. item quæsitum, n. 17.* Tiraquellus *in l. si unquam, verb. susceperit liberos, n. 313 Cod. de revoc. donat.* Padilla *in l. 3. n. 32. Cod. de juris, & facti ignorantia,* & alii Iurisconsulti, quos allegat Augustin. Barbosa *collectaneo ad d. l. cùm furiosus, n. 15.* Confirmat idem Merlinus *n. 15.* quia si bona paterna in hoc casu essent assignanda tantùm pro alimentis, & non totaliter excorporanda de patris bonis, si filius sit in statu, quo alimentis non egeat, potà quia habeat dotes uxoris, aut quasi castrense peculium, cessaret hæc provisio, cùm non debeantur alimenta ei qui non indiget; & sic filius posset omninò defraudari sua legitimæ ob culpam, & fraudem patris bona sua dissipantis, quod non videtur ullo modo admittendum; quare idem Merlinus *n. 16. fine,* ad majorem confirmationem subdit, quod in hoc casu dissipationis bonorum paternorum hæc provisio assignationis portionis eorundem paternorum non fit à lege solùm, ut filius alatur, ut Doctores *numero præcedenti* putant, sed etiam ut tutos reddatur à dilapidatione patris, ac fraudulentis, & captiosis alienationibus, quæ legitimæ non præjudicent. Ad fundamentum illud, quod legitima filiis non debetur vivente patre, idem Merlinus respondet prout in responsione tertia suprà *n. 833.* adducta, & huic opinioni ut æquiori, & etiam magis communi, & juxta quam fuisse judicatum testantur Boërius, & Ceval. *locis suprà n. 832. cit.* subscribo, & juxta hanc sententiam etiamsi pater rediret ad bonam frugem, non posset revocare hujusmodi assignationem, & recuperare bona pro legitima à Iudice filio assignata, ut tenet Merlinus *loco citato,* junctis iis quæ tradit *eodem tit. 3. quæst. 7. n. 15.* ubi ait quod quando pater solemniter, & validè in vita filio assignat, & constituit legitimam tradendo tot bona, assignatio est irrevocabilis: assignatio autem quæ per judicem fit est assignatio solemnis, seu solemniter facta, & consequenter debet efficere assignationem legitimæ irrevocabilem.

§. XIX.

Vbi debitore alimentorum dilapidante bona, & vergente ad inopiam per Iudicis decretum fundus pro alimentis creditori alimentorum assignatus est, an si debitor postea efficiatur dives, & industriosus, ab eo revocari possit. Vbi an dos ob inopiam mariti restituta per supervenientes divitias debeat reverti ad maritum.

SEd hujus rei occasione breviter explicandum est, 838 an fundus pro alimentis filio, vel alteri, cui debeantur alimenta jure sanguinis, ob dilapidationem bonorum, vel vergentiam patris, vel debitoris ad inopiam per Iudicem assignatos, si pater, seu debitor alimentorum ad meliorem frugem, aut fortunam pervenerit, revocari possit. Ad hanc dubitationem affirmativè respondet Merenda *controv. juris tom. 3. lib. 18. n. 4. & seq. & tom. 4. lib. 14. cap. 48. num. 26.* probat, quia hujusmodi assignatio per Iudicem fit tantùm causa inopiæ pro securitate alimentorum, ita ut fundamentum, quo nititur decretum; seu assignatio Iudicis, sit cautio, & assecuratio, ne alimenta differantur, vel omninò deficiant alimentario propter egestatem, quæ debitori malè utenti rebus suis prævidetur, seu præsumitur probabiliter superventura: cùm ergo supervenientibus divitiis & diligentia, & industria debitoris, qui in posterum nõ sit malè rebus suis usurus, cessat prædicta causa, & fundamentum decreti Iudicis, quo bona creditori alimentorum assignavit; cessabit etiam dicta Iudicis provisio, & assignatio, quæ præsumi debet ab eo facta solùm pro tempore durantis inopiæ, & necessitatis, ac periculi, ne creditor defraudaretur alimentis, & consequenter assignatio poterit revocari, & per debitorem alimentorum recuperari bona assignata, cùm id sibi multùm conferre possit, & esse minùs onerosum, & dispendiosum, quàm alimenta ipsa præstare: & ad id faciunt textus *in l. cura, §. deficientium, ff. de muneribus, & honoribus, in l. ab his oneribus, §. 3. & 4. ff. de vacatione, & excusatione munerum, & in l. semper, §. negotiatores, ff. de jure immunitatis.* Ex quibus textibus colligitur, quod excusatio, vel dispositio quæ fit, & inducitur propter divitias, vel paupertatem, aut aliam causam, de natura sua non est perpetua, sed temporalis, & cessat superveniente aliquo per quod cessat causa dispositionis.

Confirmari à fortiori potest hæc sententia, quia dos 839 restituta, seu bona dotalia, aut pro dote recepta hypothecata, uxori per judicem restituta, & assignata, eidem uxori ob vergentiam mariti malè bona administrantis ad inopiam, cum periculo ne dos uxoris periret, si vir postea efficiatur dives, & solvendo, ac diligens, atque industrius, debent eidem marito reddi, & ad ejus administrationem reverti. Vt tradidere Dynus, Baldus, Angelus *in l. si constante, in principio, ff. soluto matrimon. ibidem* Romanus *num. 46.* Iason *num. 219.* Crotus *in 1. lect. num. 219.* idem Baldus *in l. ubi adhuc, Cod. de jure dotium, ibidem* Albericus, Henricus *in cap. per vestras, in fine, de donat. inter vir. & uxor. ibidem* Ioannes Lupus *§. 25. ad finem,* & alii a Tiraquello *in tract. cessante causa, limit. 14. num. 4.* relati, quorum etiam sententiam amplexus est Merenda *d. lib. 16. cap. 36.*

Et nihilominus uxor semper retinet naturale domi- 840 nium rei dotalis, cùm non transeat in maritum quoad omnes effectus, sed solùm quoad jus administrationis, & recipiendi fructus pro oneribus matrimonii, ut per textum *in l. in rebus,* ibi, *Cum equidem res, scilicet dotales, & ab initio uxoris fuerint, & naturaliter in ejus permanserint dominio, Cod. de jure dot.* docuerunt magis,

communiter

communiter Iurisperiti à P. Barbosa *in l. dotalem* 62. *n.*2. relati, & alii, quos referunt, & sequuntur Garzias *de expensis*, *cap.*13. *n.*7. Spino *in speculo testam. glossa* 11 *num.*74. & 76. Castillus latissimè *de usufruct. cap.*4. *n.*35. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *si quis ex his*, *n.*250. & Augustin. Barbosa *collect. in lib.*5. *Cod. collectaneo ad d. l. in pluribus*, *n.*22.

841 Quanvis contrarium, & dominium naturale, ac civile rerum dotalium esse penes maritum dum durat matrimonium, sustineant Glossa *in d. l. in rebus*, *verbo Naturali jure*, & plures alii quos referunt Augustinus Barbosa *ubi suprà*, *num* 21. Castillo *d. cap.*4. *n.*29. & Barbosa *ad d. l. dotalem*, *d. num.*2. *initio*, qui & illos sequitur cum declaratione quam tradit *n.*7. & 8.

842 Et quanvis etiam multorum sententia sit, quod Bona viri vergentis ad inopiam, licèt jam hypothecata pro dote, vel dotalia ipsa, per judicem assignata, & consignata uxori, per dictam consignationem non transeant in dominium uxoris, eo quòd ista assignatio non sit vera dotis restitutio, sed quædam assecuratio, ita ut bona non quasi jure dominii, sed jure pignoris uxori sint adjudicata, per quam absque translatione dominii rei assecuratæ, seu jure tantùm pignoris retinendæ acquiritur custodia, & administratio quoad illorum fructus, qua vir privatur, & uxori datur, non ut de illis fructibus liberè disponere possit, sed ut dispenset in communes usus alimentorum, scilicet viri, uxoris, & filiorum, quibus dicti fructus remanent semper obnoxii, ita quod si aliqui fructus deductis præfatis alimentis superessent, forent pleno jure restituendi marito, juxta tradita *suprà n.*589. *fine*: ita Afflictus *decis.*9. ubi Ursillus, & *decis.*199. quibus in locis dicit bis fuisse ita judicatum in regio Senatu, Magonius *decis. Florent.*125. *num.*3. & *decis. Lucensi* 55. *n.*3. Aloysius Riccius *in collect. decis. part.*1. *collect.*142. *p.*4. *collect.* 1310. & *part.*6. *collect.* 2124. *versic. Attamen*, Merenda *d. lib.*18. *cap.*36. & plures alii à Magonio *d. num.*3. & Riccio *d. versic. Attamen*, ac à Giurba *decis.*16. *n.*2. & *duob. seqq.* relati.

843 Attamen non defuerunt alii, & multi, qui asseruerunt dictam consignationem bonorum dotalium, vel pro dote hypothecatorum, quæ marito ad inopiam vergente fit uxori, esse veram, & propriam restitutionem, sicut illa quæ soluto matrimonio fit, seu fieret, licèt præfatis matrimonii oneribus, nempe viri, uxoris, & filiorum alimoniæ servire debeat, nec constante matrimonio alienari possit; & consequenter uxorem dominium, & possessionem rerum dotalium, vel quæ pro dote ob eandem viri vergentiam ad inopiam constante matrimonio restituuntur, seu consignantur, habere pro ea quantitate bonorum, quæ sunt æstimationis cujus est dos. Ita Romanus *cons.*392. Gaspar Antonius Thesaurus *quæst. for. lib.*5. *q* 65. *n.*9. P. Barbosa *ad l. si constante*, *num.*34. *initio*, *ff. solut. matr.* Mantica *de tacitis & ambiguis*, *lib.*11. *tit.*30. *num.*23. & 24. Giurba *dicta decis.*16. *n.*11. Merenda *d. cap.*36. *n.*2. & *c.*37. *n.*5. & plures alii à Giurba *n.*6. 7. & 11. relati. Cùm igitur bona viri vergentis ad inopiam uxori pro sua dote consignata, viro effecto divite, & industrioso debeant eidem viro reddi, & ad ejus administrationẽ reverti, juxta Doctores suprà, *n.*839. relatos quorum dominium per consignationem uxor acquisivit, ut tradunt Doctores *hoc numero*, & *num.*840. relati, moltò magis bona debitoris alimentorum vergentis ad inopiam, & dilapidatoris bonorum, consignata per judicẽ creditori alimentorum poterunt ab eodem debitore jam effecto divite, & industrioso revocari, cùm sint assignata per judicem solùm pro assecuratione, & jure pignoris tantùm, & absque ulla translatione dominii: nam sic cum translatione dominii posset alimentarius filius spurius, naturalis, vel ex legato, seu testatoris dispositione bona sibi per judicem assignata transmittere post mortem ad suos hæredes; cùm tamen alimenta morte alimentarii finiantur, ut infrà suo loco. Ex quo igitur alimentarius, de quo agimus, Judicis authoritate habuit fundum, solum veluti fundus, eo ipso quod debitor vult satisfacere aliunde, non potest deinde fructus fundi retinere, quo remoto, nulla causa est cur velit fundum habere. Prædicta in favorem sententiæ Merendæ.

844 At verò sententiam oppositam, & quod fundus debitore ad inopiam vergente, ob bonorum malum usum semel per Iudicis decretum consignatus alimentorum creditori pro alimentis ex fundi fructibus percipiendis, non possit ampliùs revocari à debitore, esto efficiatur dives, & idoneus solvendo, atque industriosus, suadent plura argumenta, quæ adducunt Tiraq. *d. tract. causa cessante*, *n.*1. & 3. Gomez *ad l* 50. *Tauri*, *n.*35. P. Barbosa *ad d. l. si constante*, *n.*32. *ff. solut. matr.* & Cyriac. *controv. jur. controversia* 227. Quorum primum est, quia licèt actus vitietur quando pervenit ad casum, in quo incipere non possit, *l. pluribus* 140. §. & *si placet*, *ff. de verbor. obligat.* tamen debet intelligi ante actum consummatum, secus verò si postea; factum enim legitimè retractari non debet, *reg.*73. *de reg. jur. in* 6. ubi factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari: quod tradunt communiter Doctores Iurisperiti, quos ad id refert, & sequitur Salgado *in labyrintho creditorum concur. p.*3. *c.*4. *n.*38. & 39. Secundum, quia ubi casus superveniens, qui ab initio impediret actum fieri, tendit ad eundem effectum cùm actu gesto, non tollitur quod gestum est ex superveniente illo casu, *l. verbis legatis* 5. *ff. ad falcidium*, §. *ex contrario*, *Institutu de legatis*; ubi si debitor creditori legat id quod debet, legatum non valet, quia inutile: si tamen erat debitor in diem, seu post certum tempus, vel sub conditione, & creditori purè legaverit, valet legatum, quia tempore quo fit, est utile, nec vitiatur si vivo testatore dies venerit, vel conditio evenerit, quo casu legatum non continet plus quam debitum, quia semel fuit validum, cùm potuerit testator mori ante diem, vel ante conditionis eventum: & *l. sciendum*, §. *finali*, *ff. qui satisdare cogantur*, ubi cautio interposita pro securitate à paupere, vel ab illo qui non possidet immobilia, non tollitur, vel annullatur, quamvis cavens postea efficiatur dives, & inceperit possidere immobilia, quia supervenientia divitiarum, & possessionis immobilium tendit ad eundem effectum securitatis.

845 Ob quæ argumenta quoque etiam dotem uxori ob vergentiam viri ad inopiam Judicis decreto restitutam si maritus postea efficiatur dives, ac diligens, & industriosus, non debere ad eundem maritum, seu ejus administrationem reverti, nec ab eodem marito posse recuperari, docuerunt Glossa *in d. l. ubi adhuc*, *verbo Ademptur*, *C. de jure dotium*; Bart. *in d. l. si constante*, *à n.*107. *ff. solut. matr. ibid.* Alex. *n.*39. Capyc. *decis.*46. *paulò post initium*, Ludov. Molin. *lib.*4 *c.*7. *n.*14. Gom. *ad d. l.* 50. *Tauri*, *citato n.*35. Campeg. *de dote*, *p.*3. *q.*47. Salg. *alleg.*4. *n.*29. Aug. Barb. *collect. ad lib.*5. *Codic. collectaneo ad d. l. si constante*, *num.*32. & *tribus seq.* qui *n.*33. reprobant distinctionem Henrici, & Joan. Lupi *locis n.*839. *citatis*, quod dos restituta non debeat reverti ad maritum, si sit effectus tantum dives, possit verò ab eodem marito recuperari, si sit effectus dives, & industriosus. Confirmat, quia cùm actus restitutionis sit jam consummatus in persona uxoris, etiamsi cesset omninò causa, non ob id cessare debet effectus jam cõsummatus, per jura *num. praced.* in primo argumento adducta, & per textum *in l. fin. ff. unde liberi*, *in l.* 2. *ff. de itin. actuque privato*, & *in l. sancimus*, *C. de administ. tutor.* & aliis allegatis tradidere Tiraq. *d. tr. cessante causa*, *limit.*12. *n.*2. Ludov. Molin. *d. lib.*4. *c.*7. *num.*13. idem P. Barbosa *n.*34. rejiciens aliam distinctionem, & videtur approbare Tiraq. *d. limit.*14. *n.*7. quod dos restituta uxori, sequuta traditione non debeat amplius

reverti ad maritum, si dominium ad eam translatum sit, ut evenit quando uxor constante matrimonio petit rem, & agit ad restitutionem dotis per actionem personalem, vel rei vindicationem, eo quòd tunc perfecta est exequurio: debeat verò reverti si egit per hypothecam, juxta terminos dictæ legis *ubi adhuc, Cod. de jure dotium*, & res illi adjudicata est jure pignoris, quia tunc sola avocatur à viro possessio, *l. si cum venditor* 66 *ff. de evict.* & sic non est perfecta exequutio, & cessante causa ob quam datum est pignus, ipso jure pignus resolvitur, per legem *si pecunia*, §. 1. *ff. ut in possess. legatorum*, & per alia a Tiraquello *d. n.* 7. notata: quam distinctionem refellendo P. Barbosa *d. n.* 34. secundò confirmat, quia quamvis per hypothecariam sola avocetur possessio, tamen ex dispositione præallegatæ legis *in rebus* 30. *Cod. de jure dotium*, etiam dominium censetur translatum in ipsam mulierem, ut tradunt Doctores suprà *num* 843. relati, quia prædicta lex locum habet etiam in hac restitutione, quæ fit constante matrimonio propter inopiam, ut præter Doctores *d. n.* 843. tradit etiam Bartolus *in d. l. constante*, *num.* 70. *&* 92. ibidem Crotus *l.* 2. *num.* 89. Campegius *ubi suprà*, *quæst.* 45. & alii à P. Barbosa *d. n.* 34. & alii à P. Barbosa *d. num.* 34. relati, contra Baldum Novellum, & Gozadinum ab eodem Croto reprobatos. Quare cùm ultra possessionem dominium etiam censeatur uxori acquisitum ex dispositione juris jam est perfecta exequutio, & sic cessante causa restitutionis non debet ad majoratum reverti. Idque confirmat idem P. Barbosa exponendo dictam legem *ubi adhuc. versic. creditoribus*, cùm ibi textus probet, quod si propter inopiam mariti sit restituta dos uxori, etiam per hypothecariam non revocatur illa restitutio, etiamsi maritus posteà acquirat.

846 Ad primum nihilominus ex argumentis *n.* 834. adductis Merenda *d. c.* 37. *n.* 4. respondet in utroque casu, scilicet assignationis fundi pro alimentis, vel dotis ob vergentiam debitoris alimentorum, vel mariti ad inopiam, non esse actum perfectum, & consummatum, ac absolutum, sed ad tempus, durante causa ob quam iudex decrevit assignationem, scilicet durante timore ne conditor alimentorum illis remaneat privatus. Sed hæc responsio videtur continere petitionem principii & supponere quod est in quæstione.

847 Ad secundum argumentum ex adductis *d. n.* 834. deductum ex dicta lege *verbis legati*, & ex dicto §. *ex contrario*, & ex lege *sciendum*, §. *finali*, quod casus superveniens, qui aliàs impedivisset actum geri, non inducat eius revocationem quando tendit ad eundem effectum, idem Merenda *d. cap.* 36. *n.* 3. respondet, non rectè applicari casui dotis restitutæ uxori ob inopiam viri, supervenientibus postea divitiis; neque etiam casui assignationis fundi factæ creditori alimentorũ ex causa, vergẽtiæ debitoris ad inopiam; quia divitiæ (inquit, ad reddendum cautos mulierem vel alimentariũ, quod per restitutionem dotis, & fundi assignationẽ iura curarunt) removent impedimentum quod non sinebat dotem, & fundum remanere penes maritum, vel debitorem alimentorum, ut posset de eis disponere prout illi aliàs competebat, ac proinde maritus, aut debitor alimentorum non dicet, Redde dotem, aut fundum, quia divitiæ, quas habeo modò te reddunt cautam, vel cautum; sed quia restitutio dotis, aut assignatio fundi, non simpliciter, sed ex causa limitata facta est, quæ causa iam cessavit. Sed etiam hæc responsio laborare videtur eodem vitio, præterquam quod non evacuat vim argumenti.

848 Præterea idem Merenda *d. cap.* 36. *n.* 4. *&* 5. *& c.* 37. *n.* 6. ad dictos textus *in l. verbis legati*, §. *ex contrario*, *& l. sciendum*, § *fin.* respondet quod in hoc casu dictæ legis *verbis legati*, *&* §. *ex contrario*, nullum damnum, nec ullam utilitatem patiebatur hæres ex valore, vel ex nullitate illius legati, & ita etiam in casu dictæ legis *sciendum*, §. *fin.* cavens nullum patitur damnum ex eo, quod cautio præstita duret: at maritus, vel debitor alimentorum jam effectus dives, non mediocre patitur damnum non recuperando dotem restitutam, vel fundum assignatum, cùm multùm referre possit, quod recuperet. Illud enim, quod casus superveniens tendens ad eundem effectum cum actu gesto, non tollit quod gestum est, non habere locum interest debitoris, ut per secundam causam mutetur prima, ut tradit Tiraquellus juribus, & Doctoribus allegatis *tract. causa cessante*, *citata limit.* 14. *n.* 9. At contra hanc responsionem est, quia quod propter supervenientes divitias maritus non recuperet dotem, sed ejus administrationem, parvum est præjudicium, ut inquit P. Barbosa *ad d. l. si constante*, *n.* 34 *fine*, *ff. soluto matrimonio*, cùm dos restituta debeat deservire oneribus matrimonii, ut suprà *n.* 843. dictum est, & constat ex dicta lege *ubi adhuc, Cod. de jure dotium*: & similiter quod debitor alimentorum supervenientibus divitiis non recuperet administrationem fundi per judicem assignati creditori alimentorum, non patitur damnum, posito quod fructus fundi non excedant alimenta debita, cùm ita eximatur ab onere præstandi eadem alimenta.

849 Vtraque sententia tam quoad fundum pro alimentis per decretum judicis assignatum, quàm quoad dotem uxori restitutam ex causa vergentiæ debitoris alimentorum, vel mariti ad inopiam, probabilis est: posteriori tamen libentiùs adhæreo, tum ob argumenta superiùs adducta, tum quia postquam semel debitor alimentorum, & maritus deprehensi sunt malè bona sua administrare, & illis malè uti, licèt illis superveniant divitiæ, facilè semper potest timeri de mala eorum administratione, & sic subesse semper periculum non habendi alimenta, vel perdendi dotem. An verò, & quando fundus assignatus spurio pro alimentis post illius mortem sit restituendus, vel transmittatur ad hæredes spurii, latè explicatum est suprà *n.* 225. *& seqq.*

850 Ad rationem pro priori sententia *num.* 838. adductam, respondetur non semper cessante causa, ob quam ab initio existentem aliquid concessum est, cessare, seu irritari, & annullari concessionem, aut privilegium, ut constat ex juribus suprà *n.* 844. adductis. & ex iis quæ latè tradidi *in tom.* 3. *mor. c.* 9. *n.* 125. ubi probavi dispensationem ex justa causa ab initio existente absolutè concessam non cessare, etiamsi omninò cesset causa finalis ob quam fuit concessa ipsa dispensatio, Ad legem *cura*, §. *deficientiam*, *ff. de muneribus*, *eodem n.* 838. unà cum aliis textibus ibidem allegatis, P. Barbosa *ad d. l. si constante*, *n.* 35. *initio*, *ff. solut. matr.* respondet eam non obstare secundæ sententiæ, quia procedit quando quis ob paupertatem fuit excusatus ab aliquo munere publico, & declarat, Vlpianus quod si postea dives effectus est, & illud idem munus de novo ei injungatur, non poterit ab eo excusari eo prætextu quod jam ab alio excusatus fuit: propter divitias verò postea supervenientes excusatio prior concessa non revocabitur, ut clarè probat *lex* a. §. *remittit*, *versic. Neque rursus*, *ff. de excusationib. tutor.* ad quem etiam modum sunt explicandi alii textus *d. n.* 838. adducti. Ergo etiam nec fundus pro alimentis assignatus, & per Judicis decretum constitutus, nec restitutio dotis jam facta propter supervenientes divitias, & industriam debitoris alimentorum, vel mariti revocabuntur.

851 Et prædicta quando sequutum est decretum judicis de assignatione fundi, vel dotis restitutione, & executioni mandatum est; nam si pendente lite super restitutione dotis ex causa inopiæ mariti supervenerunt divitiæ eidem marito, tunc cùm adhuc perfectè non sit jus quæsitum uxori propter divitias supervenientes impediri restitutionem dotis per textum *in l. si mulier*, *ff. solut. matr.* post Cepoll. *in l. actioni*, *n* 9. *ff. de Ædilitio edicto*, tradunt Tiraq. *d. tract. cessante causa*, *citata limit.*

mit. 14, *n.* 8. & P. Barbosa *ad d. l. constante*, *n.* 35. *ff. solut. matr.* qui addit idem dicendum, si latâ sententiâ, seu emanato decreto Iudicis, tamen ante factam exequutionem divitiæ supervenerunt, *arg. l. si marito* 31. §. *si voluntate*, *ff. soluto matrimonio.*

SVMMARIVM
Capitis XIV.

Alimenta alteri debita in judicio aliquando petuntur officio Iudicis, aliquando jure actionis; & quæ differentia inter utrumque modum, n 852.

Filius à patre, & pater à filio alimenta petit officio judicis, n. 853.

Variæ rationes adducuntur, cur filius à patre, & è contra alimenta petat tantùm officio judicis, & non jure actionis, n. 854.

Lis inter patrem, & filium esse potest pro alimentis, & filius etiam sub potestate patris existens, rectè in jus vocat patrem alimentorum causam prosequens, ibid.

Pater, & filius quando censeantur una persona juris fictione. Filio emancipato adversus patrem datur actio ibid.

Ex sola naturali obligatione, si ex æquo procedatur, nascitur actio, ibid.

Charitas sanguinis inter personas non impedit oriri actionem, ibid.

Pro alimentis à lege ob sanguinis conjunctionem debitis an detur naturalis obligatio vera stricta, n. 854. *Versic, Itaque Surdus.*

Verior ratio, cur pro alimentis jure sanguinis ab ascendentibus erga descendentes, & è contra, & etiam à collateralibus consanguineis debentur, detur tantùm officium Iudicis, n. 854. *versic. Quapropter.*

Nepos ab avo, & avus à nepote alimenta jure sanguinis debita petit officio Iudicis, n. 855.

Idem in filio, vel nepote adversum matrem & aviam, & è contra, n. 856.

Filio spurio à parte alimenta esse debita jure actionis nonnullas est opinatus, n. 857.

Contrariũ, & deberi solũ officio judicis, asserendũ est, n. 885.

Frater à fratre alimenta sibi jure sanguinis debita petit solùm officio Iudicis, n. 859.

Alimenta ex consuetudine, vel statuto totam hæreditatem, vel feuda illi deferente à primogenito secundogenitis debita peti possunt jure actionis, n 860.

Actio etiam competit aliis filiis pro obtinendis alimentis ab institutore majoratus, & à primogenito in majoratu succedente, n. 861.

Actio competit pro alimentis in locum legitimæ substitutis, seu loco legitimæ debitis filio, aut patri, n. 862.

Alimenta in locum legitimæ substituta, seu debita, sortiuntur legitimæ naturam, habentque qualitates quæ legitimæ competunt, n. 861. & 862.

Subrogatum sapit naturam ejus in cujus locum subrogatur, n. 862.

Pro legitima & ejus supplemento datur conditio ex lege, & si sit relicta, datur actio ex testamento, & etiam petitio hæreditatis, ibid.

Alimenta loco legitimæ debita seu substituta debentur etiam aliunde habenti unde se alat, & pro tempore præterito non soluta, peti possunt, & ad hæredes alimentarii transmittuntur, n. 863.

Quibus in casibus alimenta censeantur debita loco legitimæ remissivè, n. 864.

Omnia alimenta debita ex dispositione statuti peti possunt jure actionis, scilicet conditione ex statuto, n. 865.

Alimenta debita ex contractu petũtur jure actionis, n. 866.

Alimenta relicta in testamento peti possunt jure actionis ex testamento, & pro eisdem datur etiam officium Iudicis n 867.

Iudex potest ex officio compellere exequutores ad solvendum legata pia, ibid.

Alimenta relicta incapaci, puta servo, & Religiosis Minoribus, peti possunt officio Iudicis implorato, ibid.

Pupillus à tutore alimenta petit officio Iudicis, n. 867.

alimenta patrono, & patroni filiis debita à liberto petuntur officio Iudicis.

Vidua intra annum luctus alimenta sibi debita ab hæredibus mariti, ejus dotem in mobilibus consistentem retinentibus, an possit petere tantùm officio Iudicis. Affirmativa, n. 869. *Cõtraria, & quod possit jure actionis,* n. 870.

Vidua quæ intra annum luctus non interpellavit hæredes mariti pro alimentis, potest illa repetere jure actionis, & transmittit ad hæredes suos. & dicta alimenta intra annum luctus debentur etiamsi aliunde possit illa habere, divesque sit, n. 870.

Hæredes mariti viduæ intra annum luctus, si velint, possunt restituere dotem, etsi in mobilibus consistentem: quo casu liberarentur ab onere illi dandi alimenta, n. 871.

Pro alimentis sufficit si ei partem dotis restituant, quæ ei alendæ satis sit, ubi dos consistit in mobilibus, ibid.

Si dos consistat in immobilibus, debet dos statim à morte mariti reddi, si sint in mora restituendi, fructus percepti ex bonis dotalibus viduæ restitui debent, deductis sumptibus alimentorum, quæ eidem viduæ fuerint præstita post mariti mortem, ibid. & n. 877.

Id tamen intelligendum, ut fructus ultimi anni, in quo matrimonium solutum est, pro rata temporis, quo illo anno duraverit matrimonium, dividi debeant, n. 877.

Vidua an etiam post annum luctus ob moram hæredum mariti in restituenda dote possit jure actionis petere alimenta. Negativa n. 872. *Affirmativa,* ibid.

Vxor vidua dum ei ab heredibus mariti post annum luctus dos in pecunia, vel mobilibus consistens non restituitur, an possit petere dotis interusurium, seu interesse, ibid.

Mariti bona remanent uxori obligata, & hypothecata non solùm pro ipsa dote, sed etiam tacitè pro alimentis doti correspondentibus, ibid. *& sicut etiam bona uxoris, vel alterius qui dotem promisit sunt obligata, & hypothecata viro non solùm pro dote, sed & pro alimentis viro debitis,* ibid.

Vxor constante matrimonio etiamsi aliunde possit vivere, potest à marito retinente dotem alimenta petere, ibid. *fin.*

Vxor constante matrimonio alimenta petit officio Iudicis secundùm unam sententiam, n. 873. *at juxta aliam probabiliorem petit jure actionis,* n. 874.

Maritus ob moram in solvenda sibi dote promissa ab eo, qui uxorem alere tenebatur, officio Iudicis tantum potest petere alimenta, secundùm aliquos; at jure actionis secundùm, alios n. 875.

Si dos fuit promissa ab eo qui uxorem alere tenebatur jure sanguinis, ob moram in solutione dotis, marito datur actio negotiorum gestorum pro alimentis consequendis, ibid.

De pluribus casibus, in quibus alimenta sunt petenda officio judicis, vel peti possũt jure actionis, remissivè. n. 876.

Vxori pragnanti post mortem mariti alimenta debentur ex bonis mariti, etiamsi aliunde habeat unde se possit alere, quæ potest petere jure actionis, n. 877.

Sumptus alimentorum ex bonis mariti præstitorum eidem uxori viduæ pragnanti, non deducantur in restitutione fructuum ex dote perceptorum, ibid.

Si maritus defunctus uxori reliquit alimenta omnes fructus dotis ab hæredibus post mortem mariti percepti restitui debent, non deductis sumptibus alimentorum, ibid.

CAPVT XIV.

Quomodo, seu quo jure, quave actione debeantur & in foro judiciali petantur alimenta, quæ filiis à parentibus, & parentibus à filiis præstanda sunt, & universum quæ jure sanguinis, & charitatis, ac conjunctionis naturalis præstari debent, juxta tradita in præcedentibus. Vbi quando alimenta debeantur jure actionis.

§. *Primus.*

Alimenta à patre filio, & à filio patri debentur judicis officio.

852 NOtandum alimenta aliquando deberi,& peti posse tantùm judicis officio, seu per imploratum judicis officium, quo alimentorum debitor compellitur illa præstare; aliquando jure actionis deberi, & peti posse,& ad illa præstanda debitorem compelli, ut tradunt Doctores qui infrà citantur, & alii apud eosdem: & quamvis quoad exactionem alimentorum, & ita quoad effectum nil minus operetur officium Iudicis quàm actio; siquidem alimentorum debitor judicis officio cogitur, sicut cùm actione convenitur, ut notat Surdus *tit.3.q.1.num.7.* nihilominus valdè refert cognoscere utro horum modorum debeantur, & præstentur, si enim solùm judicis officio debeantur, & exigi possint, solùm debentur in subsidium, quando quis aliunde non potest sibi providere, & sic regulariter non debentur pro tempore præterito, sed à die motæ litis, nec præterita transmittuntur ad hæredes. Dixi *regulariter*, quia aliquando præterita debentur,ut explicatur infrà. Si verò jure actionis debeantur, & petantur,seu peti possint,præstanda sunt etiam habenti aliundè unde possit sibi alimenta providere, & quamvis in præteritum non essent soluta, de præsenti possunt peti; & actio illa exigendi transmittitur ad hæredes. Ita Scribentes *in l. de alimentis, Cod. de transact.* Vincentius de Franchis *decis.605.* Pontanus *de alim. c.12. 16. & 17.* Surdus *de alim. tit.1. q.32. n.40. tit.5.q.1.n.40. cum pluribus sequentibus, & tit.7. q.15.n.27.* & alibi sæpè, Marescotus *var. lib.2. c.83. n.1. ad 7.* Molfesius *ad consuet. Neap. tom.1. p.5. q.4. n.12. & seq.* Stephanus Gratianus *tom.1. c.60.n.20.* & August. Barbosa *in Cod. collectaneo ad d.l. de alimentis, C. de transactionibus.* Aliæ etiam differentiæ intercedunt inter alimenta quæ jure actionis, & ea quæ officio Iudicis debentur, de quibus *in l. divertio, ff. solut. matr. & in d. l. de alimentis, Cod. de transact.* & Molfesius *d. q.4.* & infrà explicabuntur.

853 Conveniunt Doctores, filiis à patre, & patri à filiis alimenta Iudicis officio deberi, & petenda esse. Ita Glossa,Bartolus,Albericus, & communiter Scribentes *in l. si quis à liberis, in principio, ff. de liberis agnosc.* Corduba *ibid. in principio, n.38.* Ant. Padilla *in auth. res quæ, n.74. & 77. Cod. comm. de legatis*, Ludovic. Molina *de primog. lib.2.c.15. n.70.* Pontanus *d. c. 12.* Vincentius de Franchis *d. decis. 605.* Marescotus *d. c.83. n.1.* Surdus *de alim. tit.3. q.1. n.1.* Molfesius *d.q.4. n.4. & seq.* & cæteri Jurisperiti communiter,quos Corduba, Ludovicus Molina, & Surdus latè referunt, & ex Theologis Molina *de justitia, tom.3. disp.616. n.9.* & constat *ex d. l. si quis à liberis, §. utrum*, ibi: *Vt utrobique se Iudex interponat, &c.* Et *ex l.2. & 3. Cod. de alend. liberis*, idem colligunt communiter Doctores *ex cap. Cùm haberet, fin. de eo qui duxit in matrim. quam polluit.*

854 Discrepant autem in assignanda ratione, quare hujusmodi alimenta à patre debita, & è contrà, judicis officio petantur,& non jure actionis: de qua re latissimè Surdus *d.q.1. à n. 2. ad 23.* & Corduba *in d.l. si quis à liberis, in principio, ad num.61.* & primò Alciatus *cons. seu resp.338.* & alii à Cord. *n.44.* relati dixerunt rationem esse, quia nulla lis esse potest inter patrem & filium, *l. lis nulla, ff. de judiciis.* Secundò alii ab eodem Corduba *n.45.* relati, rationem assignant, quod inter patrem,& filium non datur actio civilis,licèt inter eos detur obligatio naturalis. Et harum duarum rationum ratio est, quia lis,& actio civilis non datur nisi inter personas distinctas, cùm sibimet non possit quispiam obligari, *l. Vranius, in princ. ff. de fidejussor.* pater autem, & filius censentur una persona, *l. fin. Cod. de impuber.* Corrasius *loco mox citando*, Menochius *de arbitr. casu 132. n.2. & de præsumpt. lib.3. q.29. n.3. & lib.4. præs.18. n.36.* ubi alios allegans dicit id procedere etiam in filio emancipato. Vtramque rationem reprobant Surdus *d. q.1. n.2.3.4.* & Corduba ubi suprà, *n.45. & 51.* & quidem rejicit Cordubam, quia prædictæ rationes convincerent solùm ubi filius est in potestate patris, quo casu filius ex eo quod acquirit patri, censetur fictione juris una persona cum patre, non verò ubi filius est emancipatus, qui fictione juris non reputatur una persona cum patre: ita Glossa *in l.2. Cod. qui ætate se excusant, lib.10.* & allegati à Menochio *d. præs.18. n.37.* Mascardo *concl.1151. n.23.* & à Corduba *d. n.45.* qui *n.46.* latè ponderat *d. l. fin. C. de impuber.* & confutat Corrasium *in d. l. fin. Cod. de impuber.* contrarium sentientem: dicta autem lex *Si quis à liberis, d. §. utrum, & d. l.2. & 3. Cod. de alend. liber.* loquuntur tam in filio adhuc sub patris potestate existente, quàm in emancipato, qui tamen potest agere adversus patrem,dum tamen ob reverentiam per Iudicem copia agendi tribuitur, *l. fin. C. de in jus voc. & l. litis, §. fin. ff. de negot. gest.* Surdus verò reprobat, quia etsi juris fictione pater,& filius una persona censentur, inspecta tamen veritate sunt duæ personæ distinctæ,& ubi agitur de alimentis, non juris fictio, sed facti veritas attendi debet,secundùm quam duplex separata persona est, & utraque comedit, utraque bibit, utraque alimentorum sustentatione eget. Tertiò Bartolus *in l. frater à fratre, n.12. ff. d. cond. indeb.* & nonnulli alii à Corduba ubi suprà *n. 53.* relati, dixerunt officio Judicis deberi nunc quod antiquitus juxta legē *servi, & filii nuntio, ff. de furtis*, manu regia, seu authoritate propria pater consequi poterat à filio, quasi officium Judicis successerit loco manus regiæ. Quod latè post Bartolum explicat Corduba ubi suprà *n.55. & 56.* ubi dicit filio, qui est in potestate patris,non dari quidem actionem adversus patrem,quia quidquid acquirit filius, acquirit patri, *l. placet, ff. de acq. hæred.* nec pater etiam dari actionem adversus filium, cùm adhuc in eo duret manus regia; tamen ubi agitur de alimentis, cùm filius non agat de obligando patre in his rebus quas patri acquirit, sed potiùs patrem ipsum habeat astrictum naturali jure alimentorum oneri,consequens est ut possit hac de causa adversus patrem agere, quod filio emancipato est jure permissum, ut suprà notatum est: nihilominus exorta lite inter patrem, & filium, non actione,si fieri possit,agendum est ob naturale fœdus, & sanguinis conjunctionem, sed æquiori remedio, *l. congruentia, ff. Cod. & de patria potest.* & sic officio judicis, quod loco manus regiæ successit: & hanc rationem Corduba *d. num.56. fine*, dicit esse receptam, & à jure inductam; non tamen eam respexisse Vlpianum *in d. l. si quis à liberis, §. utrum*; eam tamen reprobare conatur Surdus *d. quæst.1. num.7.* præsertim quia ex ea non apparet ratio diversitatis inter patrem & filium, & quia quoad alimentorum consequendorum effectum nihilo minus operatur officium Iudicis quàm actio. Quartò Baldus *in l. Dominos, n.6. Cod. quod cum eo*, & alii ab eodem Corduba *num.57.* relati, aiunt patri, & filio non dari actionem quoad alimenta ab invicem consequenda, quia inter patrem, & filium nascitur solùm naturalis obligatio, cujus finis est satisfactio; non autem civilis, cujus finis est judicium: quod ius civile prohibuit inter patrem, & filium, *d. l. lis nulla, ff. de judiciis*: quod si inter eos contra sanguinis charitatem contentio de alimentis nascatur, iudiciaque instituantur, cùm id rarò contingat, ius non est constitutum, nec fuit conveniens actionem dare, *arg. l. in his, ff. de legibus*; sed quia etiam in tali contentione debet pro-

vide i

videri aliquod remedium, præscriptum est Judicis officium, quo alter agat adversus alterum, quodque proinde in locum deficientis actionis conceditur, *cap. fin. de officio Iudicis*, & hanc rationem videtur judicasse Vlpianus *d. §. utrùm, Versic. cùm ex æquitate.* Dicit enim quod alimentorum præstatio, cùm ex æquitate descendat, charitateque sanguinis, judicis officio expediri debet. Hanc tamen rationem etiam reprobant Corduba *num.* 58. & Surdus *d. quæst.* 1. *num.* 7. *& seqq.* tum quia hujusmodi ratio non est generalis, sed respicit solùm patrem, & filium; cùm tamen in multis aliis casibus, & quandocumque alimenta ex sanguinis conjunctione, & charitate debentur, solùm competat Iudicis officium: tum quia non valet, *Lis debet dirimi ex æquo, ergo non jure actionis*; cùm ex sola naturali obligatione, ex qua jure civili non oritur actio *l. juris gentium, §. igitur nuda, ff. de pactis*, si ex æquo proceditur, nascitur actio *l. si fidejussor, §. quædam ff. mandatis*, ubi Bartolus: tùm demùm, quia charitas sanguinis nõ impedit oriri actionem, quia inter patrem, & filium emancipatum, & etiam inter fratres, & alios propinquos reperitur charitas, & conjunctio sanguinis, & tamen inter patrem & filium emancipatum datur actio, ut suprà dictum est, & etiam inter fratres, *d. l. frater à fratre, ff. de condict. indeb. & l. verùm*, ubi Glossa, & Bartolus. *ff. pro socio*: Non ergo, inquit Corduba *num.* 59. *&* 60. *initio* æquitas, nec charitas sanguinis sunt in causa, ut Judicis officio alimenta præstari, & decerni non debeant, nec Vlpianus præallegatis verbis sentit in hac specie Judicis officium oriri, sed id potiùs, quod cùm hæc res ex æquitate descendat, charitateque sanguinis, ideo convenit quod Iudex inquirat utrum justum sit desiderium alimenta petentis, quia quando æquitas aliquid suadet, debet rem diligenter examinare, ut docet idem Vlpianus *l. ubicumque, ff. de interrogatoriis act.* hocque tantùm voluisse Vlpianum *d. §. utrum*, asserit idem Corduba.

Itaque Surdus *d. quæst.* 1. *num.* 11. *& seq.* dicit veram rationem, cur pro alimentis patri adversus filium, & filio adversus fratrem detur tantùm officium Iudicis, eam esse, quia pro alimentis à lege ob sanguinis conjunctionem, vel affinitatem debitis nulla datur obligatio; quia nullus contractus, vel quasi, nullum maleficium, vel quasi intercedit, sine quibus non oritur obligatio, *§. namque agit, Instit. de actionibus*: & deficiente obligatione deficit actio cujus ipsa est mater *l. licèt, §.* 2. *ff. de procurator.* & alimenta, inquit, filio à patre, & patri à filio non sunt debita de obligatione naturali stricta, & in foro conscientiæ adstringenti, sed tantùm de obligatione largo modo sumpta scilicet ex quadam æquitate à natura insita, naturalique quadam ratione et am Brutis communi. Quia ergo deest obligatio propria, & stricta, non datur actio; quia verò non deest æquitas, quæ fundata in conjunctione, & naturali charitate suggerit alimenta esse conjunctis præstanda, & inducit quasi obligationem, seu quasi debitum, ideò datur officium Iudicis, quod licèt nullam præsupponat obligationem propriam, supponit tamen quasi obligationem ex æquitate descendentem, ut suprà *num.* 363. *initio* notatum est. Verùm hæc ratio nullo modo est admittenda, cùm innitatur falso fundamento, scilicet quod alimenta filiis à patre, & è contra non sint debita ex obligatione naturali propria stricta, cujus contrarium suprà *cap.* 1. *& sequentibus* latè probatum est.

Quapropter veriorem, & ab Vlpiano *d. §. utrùm*, consideratam puto rationem quam adducit Corduba *d. l. si quis à liberis, in principio, citato, n.* 60. scilicet in hujusmodi causa, & contentione alimentorum inter patrem, & filium, & alios sanguinis vinculo strictè conjunctos ascendentes, & descendentes, & etiam transversales promissum fuisse, ut competeret tantùm judicis officium; quia etsi hujusmodi alimenta debentur obligatione naturali stricta & propria, quia tamen tam jure naturali, quàm ex legis communis dispositione non debentur absolutè, sed talibus conditionibus seu circonstantiis, & modis concurrentibus considerandis à Judice antequam præstanda esse alimenta ex charitate sanguinis debita decernat, scilicet an ille petens sit verè filius, aut pater, frater, soror, an alius; an sint alii magis conjuncti petenti quàm is à quo petuntur; an parens sit dives, aut pauper; opifex, vel aliunde possit habere alimenta, ideò cùm judex hæc omnia cognoscere oporteat ad rectè decernendum hujusmodi alimenta, meritò Vlpianus sensit, & statutum fuit, quod hæc alimenta jure, & charitate sanguinis præstanda, solo judicis officio debita, & præstanda essent: quod Corduba confirmat per textum *in l. quod si minor, §. ex hoc dicto, ff. de minoribus*, ut minori detur restitutio, multa à jure considerantur, ideò res Iudicis officio expeditur. Contra hanc rationem opponit Surdus *d. quæst.* 1. *num.* 10. quod in multis casibus causæ cognitio requiritur, in quibus tamen datur actio, ut quando minor revocat bona sine decreto alienata, & in multis aliis. Verùm in aliis casibus non concurrunt tot consideranda, sicut in hac materia alimentorum jure sanguinis, & conjunctionis præstandorum; præsertim illa conditio, quod tantùm in subsidium, & ubi quis aliunde ex propriis bonis, vel artificio, aut industria sua non potest se alere; & dato quod etiam hæc ratio patiatur aliquam exceptionem, nulla tamen alia convenientior videtur posse assignari, & revera eam videtur inspexisse Vlpianus *d. §. utrum.*

§. II.

Quibusnam aliis alimenta debeantur Iudicis officio.

QUod autem dictum est de patre, & filio, procedit etiam in aliis ascendentibus; & descendenti- 855
bus, tam in linea marium, quàm fœminarum, scilicet in avo, & nepte in omnibus casibus, in quibus juxta tradita suprà *cap.* 7. avus paternus, vel maternus in subsidium jure sanguinis tenetur alere neptem, & è contra; hujusmodi enim alimenta à nepote contra avum, & avo contra nepotem peti possunt solùm Iudicis officio, ut uterque Molina, Molfesius, Marescotus locis suprà *n.* 853. citatis tradunt Bartolus *in tractatu de alimentis*, Surdus *d. tit.* 3. *d. q.* 1. *n.* 24. *ad* 28. & Doctores communiter, & constat *ex d. l. si quis à liberis, §. utrum*, Vbi Vlpianus loquitur in patre, & avo tam paterno, quàm materno, & in eisdem militat eadem ratio quod alimenta ab avo, & proavo nepti, vel pronepoti, & è contra jure sanguinis solùm in subsidium debentur, scilicet quando aliunde ex propriis bonis, aut industria non potest se alere, & deficiunt, vel inhabiles sunt alii proximiores, ad quos onus alimentorum spectaret, & iniquum foret, quod patri, cui alimenta sunt magis debita, solùm daretur Iudicis officium, avo verò remotiori, qui nepoti conjungitur per patrem daretur actio contra regulam. *Propter quod unum quodque tale, & illud magis*, approbatam *in Auth. multò magis, Cod. de sacros. Eccles.*

Similiter filio, & nepoti adversus matrem, vel aviá 856
maternam, & matri, & aviæ maternæ pro alimentis consequendis competit tantùm Judicis officium, ob easdem rationes, & in terminis tradit Surd. *d. q.* 1. *n.* 28.

Item etsi quod dictum est, filio scilicet adversus patrem pro alimentis dari tantùm officium iudicis, non autem competere actionem quidam ex sacro consilio Neapolitano, ut refert Vincentius de Franchis *d. decis.* 603. *n.* 7. voluit procedere tantùm in filio legitimo, & etiam in naturali, non verò in filio spurio

cui dixit posse dici alimenta deberi jure actionis, ex eo quod debetur ex dispositione dicti capitis *cum haberet, de eo qui polluit, &c.* nec esse inconveniens, quod filio naturali tantùm debeantur officio Iudicis, spurio verò jure actionis, quia naturalis honoratur, ut in certis casibus habeat duas uncias, ut *in Auth. licèt, Cod. de natur. lib.* & superiùs ostensum est.

858 Nihilominus dicendum est, procedere etiam in filio spurio, ut & ipse solùm Iudicis officio, non jure actionis possit petere alimenta in casu, quo à patre illi debentur, ut docet expressè Vincentius de Franchis *d. decis.605. num.8.* Rofredus Beneventanus *tit. de officio judic. quo petuntur alimenta.num.9. versic. Item quaritur,* & Napodanus *in consuet. Neapol. vers. Quod autem, in verbo pro alimentis, n.34.* ab eodem de Franchis relati, & proculdubio sentiunt ita etiam alii Jurisperiti suprà *num.853.* allegati, & in filio spurio militant eædem rationes: & Rofredus Beneventanus, Napodanus, Vincentius de Franchis *locis citatis*, Molfesius *quæstione suprà num.853. citata, num.4.* & alii statuunt regulam, quod omnia alimenta, quæ solùm ex dispositione juris communis debentur, petuntur solùm officio Iudicis: quæ verò ex statuto, aut contractu, aut ex legato debentur, debentur, & petuntur jure actionis. Quare cùm filio spurio à patre debentur alimenta ex dispositione dicti capitis *cum haberet.* & sic ex juris communis dispositione, solo Judicis officio debentur, & peti possunt. Quemadmodum etiam alimenta debita filio naturali debentur ex dispositione dictæ authenticæ *licèt,* & ex necessitate, ut dicit ibi textus; tamen certum est, filio naturali ex officio Iudicis alimenta deberi: & non obstat, quod plus habeat filius naturalis quàm spurius, *d. Auth. licèt*; quia illud operatur conditio filiorum naturalium non improbata per leges civiles, quæ improbaverunt filios spurios.

859 Item alimenta, quæ à fratre fratri, & aliis consanguineis egenis, & è contra, juxta tradita suprà *à n.489. ad 588.* debentur jure sanguinis ex dispositione legis, seu juris communis, peti debent officio Iudicis, cùm debeantur solùm in subsidium, & minor sit obligatio quoad alimenta inter fratres, & cæteros consanguineos, quàm inter patrem, & filium: & ita in terminis tradunt uterque Molina locis suprà *num.853.* citatis, Surdus *de alim. d.tit.3. q.2. num.1.* & Molfesius *allegata quæst.4. n.5.*

§. III.

Casus aliqui, in quibus alimenta debentur jure actionis.

860 Dixi, *Iure sanguinis, ex dispositione legis, seu juris communis*; nam si ex consuetudine, vel statuto deferente feuda, & totam hæreditatem primogenito alimenta debeantur secundogenitis, peti poterunt jure actionis. Ita Tiraquellus *de primog. q.75. n.4. & 8.* Ludovicus Molina, & Surdus *locis qui infrà citantur,* Molfesius *ad consuet. Neapol. p.5. dicta quæst.4. n.23. & consf.9. n.12. & 30.* Vincentius de Franchis *decis.714.* & alii suprà *num.45. & 532. ac 533.* relati, Stephanus Gratianus *tom.1. cap.44. n.7.* Ratio est, quia hujusmodi alimenta dantur, & succedunt loco legitimæ, ut latè docet Tiraquellus *d. quæst.75. num.5. & 8.* & propterea ejusdem rationis, & naturæ, eodémque jure censentur: idem Tiraquellus *d.n.8.* & Surdus *de aliment. tit.7. q.15. n.26. & 27.*

861 Et ideò similiter alimenta, quæ ab institutore majoratus, & primogenito successore debentur filiis secundogenitis, quia institutor non reliquit illis legitimam, petuntur jure actionis, ut tradit Ludovicus Molina *de primog. lib.2. cap.15. n.6.* ibidem Additionator Molina Theologus *tom.3. de justitia, disp.616. num.3.4. & 9.* Surdus *de alim. tit.3. d. quæst.1. n.76. & quæst.3. n.1.* & alii suprà *num.45. & 532.* allegati. Quia etiam hujusmodi alimenta in locum legitimæ subrogantur, & succedunt, atque adeo legitimæ naturam sequuntur, ita Ludovic. Molina *d.c.5. n.2.* alter Molina *d. disp.616. n.3. & seq.* Doctores suprà *n.45.* relati, & alii communiter, quos latè refert Ludovicus Molina *d. n.2.* & etiam Surdus *d.n.76.* alios etiam allegans. Et confirmatur, quod hæc alimenta sortiantur naturam legitimæ, quia si loco legitimæ sunt, ut præfati Doctores sentiunt, habere debent qualitates quæ legitimæ competunt.

Cùm verò alimenta ratione, & respectu legitimæ debeantur, & in legitimæ locum succedant, non judicis officio, sed jure actionis, sicut & ipsa legitima, petuntur, ut tradunt Ludovicus Molina *d. c.15. n.6. & 70.* Alter Molina *d. disp.616. n.9.* additionator ad Molinam *d.cap.15. dictis numeris 6. & 70.* Surdus *tit.3. citato q.1. n.29. ad 37.* Mangilius *de imputat. q.108. n.22. & 23.* Molfesius *d. q.4. n.23.* Doctores à Ludovico Molina *d.c.15. n.2.* & Mangilio allegati, & alii suprà *num.45.* relati & communiter Scribentes, *in l. de alimentis, C. de transactionibus*; idque latè probat numeris allegatis Surdus, sed præsertim ea ratione, quod subrogatum sapit naturam eius, in cujus locum subrogatur, *l. si eum, §. qui in variarum, ff. si quis caut.* & Doctores, quos latè refert Simon Vaz Barbosa *in locis commun. loc.5. n.16.* & pro legitima datur condictio ex lege, si non sit relicta, *l. scimus, & l. omni modo, Cod. de inoffic. testamento,* Surdus *d. q.1. n.31.* alios allegans, & Merlin. *de legitima, lib.5. tit.4. q.5. n.1.* quæ actio ex lege datur etiam pro supplemento legitimæ, ut post alios tradit Merlin. *d. quæst. 5. num.2.* & Surdus *d. quæst.1. num.32.* si verò legitima sit relicta, datur actio ex testamento, ita post alios iidem Merlin. *d. q.5. n.3.* & Surdus *d. q.1. num.31.* Item datur petitio hæreditatis, juxta Doctores communiter, quos refert, & sequitur Merlinus *de legitima, d. lib.5. tit.4. q.4. num.2.* & alii, quos refert Surdus *d.q.1. n.33.* licèt contrarium tenuerint nonnulli allegati à Merlino *d.q.4. n.1.* 862

Ad hujus rei etiam confirmationem Surdus *d. q.1. n.38.* addit quod alimenta loco legitimæ debita, seu in locum legitimæ succedentia transmittuntur ad hæredes, ut tradunt Ludovicus Molina *d. cap.15. num.10.* Stephanus Gratianus *d. cap.44. num.7.* & Jurisperiti magis communiter, quos referunt Ludovicus Molina *d. n.10.* Giurba illos sequens *decis.6. num.12.* Gratianus *d.n.7.* & Surdus *d. tit.3. citata q.1. num.3. & tit.5. q.1. num.31. & 32.* Quamvis ipse *numeris sequentibus, ad 38.* multa adducat ad probandum contrarium, & quod non transmittantur, sed morte alimentarii finiantur; quod etiam senserunt plures, quos Tiraquellus *de primog. d quæst.75. num.2.* refert, qui dixerunt alimenta debita secundogenito ex statuto deferente primogenito totam hæreditatem, non deberi à primogenito quando secundus genitus est dives, & aliunde habet unde se alat. Cujus tamen contrarium, & deberi etiamsi alimentarius habeat aliunde unde se alat, tenent Tiraq. *d. q.75. num.4.* & alii suprà *cap.1. num.45.* relati: quod & probat Tiraquellus, quia is, inquit, cui alimenta loco legitimæ debentur, potest alimenta prætererita sibi non soluta petere, quibus tamen non eget, *l. libertis quos, §.1.* ibi: *Tam præteriti temporis quam futuri, ff. de alim. & cibar. legatis,* & ibidem Bartolus, & alia jura, & Doctores ad id allegat Tiraquellus *d. num.4.* ex quo etiam confirmatur, eadem alimenta in locum legitimæ subrogata peti jure actionis; quia alimenta præterita repeti possunt tunc solùm quando pro eis consequendis competit jus actionis; vel pro eis æs alienum contractum est, ut innuunt Scribentes *in d. l. de alimentis, Cod. de transact.* 863

Quan

864 Quandonam autem in aliis casibus præter suprà dictos alimenta debita censenda sint subrogata loco legitimæ, latè tradit Surdus *d.tit.3. citata q.1.à n.39. ad finem.*

865 Prædictis addendum in universum, quod ubi alimenta debentur ex statuto disponente alicui esse præstanda, ut quando disponit quod filia exclusa debeat dotari, & ali, alimenta peti possunt jure actionis, scilicet condictione ex statuto; quæ condictio ex statuto est fortior, & efficacior officio judicis. Ita Alex. *cons.7. n.27. vol.2.* Alc. *cons.338. n.1.* Menoch. *cons.8. num.20.* Moiscs. *ad consuet. Neap. p.5. q.4. n.3.* & Surd. latè id declarans, & probans *d.tit.3. q.6. per totam.*

§. IV.

Nonnulli alii casus, in quibus alimenta debentur, & petuntur jure actionis.

866 IN nonnullis etiam aliis casibus juxta omnes alimenta debita petuntur jure actionis, ut si sint debita ex contractu. Ita Pontan. *de alim. cap.16. num.1. & 8.* Vincentius de Franch. *dec.605. num.8.* Molfesius *d. q.4.* Surdus *d. tit.3. q.2.* nonnulli alii à Vincent. de Franch. *d. num.8.* allegati, & alii communiter; cùm ex contractu oriatur obligatio, & actio civilis.

867 Pariter si alimenta sint debita ex legato, legatarius illa petere potest jure actionis ex testamento, Pontanus *de alim. cap.17. num.1.* & post alios Surdus *d. tit.3. q.4. num.1.* qui *num.2.* præter hanc actionem personalem, contra nonnullos tradit legatario dari etiam actionem hypothecariam, quæ datur pro omnibus legatis consequendis: & refert Doctores id tenentes. Addit idem Surdus *num.11.* post alios, dari etiam officium judicis, & *num.14. fine*, cum aliis addit pro legatis piis præsertim judicem posse compellere ex officio exequutores testamentarios ad solvendum, licèt non pro aliis legatis. Idem Surdus *num.13. & 14.* ex communi aliorum, quos allegat, dicit pro legato alimentorum consequendo dari solùm judicis officium quando relictum est incapaci, putà servo, eo quòd in hoc casu alimenta non debeantur legatario de rigore juris, cùm servus sit actionis incapax, *l. servus, ff. de alim. & cib. leg.* ex misericordia tamen, & æquitate videntur deberi, & sic implorato judicis officio potest servus illa petere: quod præter plures alios ab eodem Surdo allegatos notavit etiam Corduba *in d. l. si quis à liberis, §. utrum, num.12. & 13.* addens *num.14.* etiam Fratres minores S. Francisci, etsi bonorum incapaces, posse alimenta sibi relicta in judicio petere judicis officio, juxta Bartol. *in l. servo alieno, ff. de leg.1.* Socinum *in l.1. ff. eod. num.310.* & Hondedeum *cons.40.* quod tamen Surdus *d. q.4. n.13. fine*, ait hodie ordinationibus eorundem fratrum Minorum esse eis omninò prohibitum, ita quod solùm recipere possunt à sponte dantibus.

§. V.

Nonnulli alii casus, in quibus pro alimentis competit officium judicis, vel dubitatur an detur actio.

868 SUbdit Corduba *d. §. utrum, n.16.* pupillum officio Judicis petere alimenta à tutore: & idem tradit Surdus *d. tit.3. q.3. n.28.* & alios allegant iidem Corduba, & Surdus.

869 Idem Corduba *in d. l. si quis à liberis, §. solent, n.6.* Vincentius de Franchis *d. decis.603. num.8.* Surdus *d. q.3. num.2.* & alii apud eosdem Cordubam, & Surdum tradunt, alimenta patrono, & patroni filiis debita à liberto, peti ab eodem liberto officio judicis.

Plures etiam Doctores voluerunt, viduam intra annum luctus alimenta petere solùm officio judicis, non verò jure actionis, cùm debeantur ex dispositione legis, & ex causa necessitatis interim dum dos restituitur, *leg. unica, §. exactio, Cod. de rei uxor. act.* & dictum est *suprà, num.702.* ita Paulus de Castro *in l. divortio, n.6. ff. soluto matrimon.* Alexander, Curtius, Padilla *in l. de alimentis, Cod. de transaction.* Thesaurus *decis.44. num.1. versic. pro negativa*, Surd. *de alim. tit.1. q.44. num.48. & tit.3. q.2. num.16.* & plures alii Iurisperiti ab iisdem Thesauro, & Surdo *locis citatis*, & à Corduba *in l. si quis à liberis, §. si quis ex his num.136. ff. de agnosc. liberis*, & Pontano *de aliment. cap.15. n.6. initio*, relati. Qui propterea aiunt viduam quæ intra annum luctus non interpellavit hæredes pro alimentis, sed aliunde se aluit, non posse repetere alimenta præterita, nisi in defectum talium alimentorum præteritorum æs alienum contraxisset: quod postremum sequutus Thesaurum *d. decis.44.* asserit etiam Ant. Faber *in suo Cod. lib.5. tit. de rei uxor. act. definit.6. n.5.* 870

Contrarium tamen, & prædictæ viduæ competere jus actionis pro consequendis alimentis eo anno ab hæredibus mariti ejus dotem retinentibus, tenent Baldus, & Decius *in d. l. alimenta, Cod. de transact.* idem Decius *in l. si cùm dotem, §. sin autem, ff. soluto matrimonio*, Corduba *d. §. si quis ex his, num.34. & num.40.* Mantica *de tacitis, & ambig. lib.12. tit.31. num.3.* Pontanus *loco citat.* Vincentius de Franchis *d. decis.605. num.5.* & plures alii à Corduba *d. num.40.* & Pontano *d. n.6.* relati, & etiam Surd. *tit.6. q.10. num.1.* qui propterea in hac controversia fuit varius, & Honoratus Leotardus *de usuris, q.30. num.19.* ubi ait idem dicere Antonium Fabrum *definit.6. num.6.* quem tamen non reperio id dicere, sed potiùs videtur asserendum esse, adhærere ejusdem Thesauri sententiæ, cùm dicat, alimenta à vidua intra annum luctus non petita, non posse ab ea anno elapso peti nisi pro se alenda æs alienum contraxisset. Ratio hujus sententiæ desumitur ex traditis suprà *n.759.* scilicet quod viduæ intra annum luctus, nondum ei restituta dote, alimenta ex legis dispositione ab hæredibus mariti debentur, non ex sola charitate, & miseratione, sed propter dotem retentam, seu propter moram retardatæ dotis, ita quod dos ipsa retenta est causa finalis, ob quam lex voluit ab hæredibus mariti præstanda esse alimenta, quæ substituuntur in locum interusurii, seu interesse, argumento dicti *§. exactio*, & legis *cùm unus, §. fin. de alim. & cib. leg.* & consequenter vidua potest illa alimenta petere jure actionis ex causa dotis non restitutæ, seu moræ retardatæ dotis, seu interesse dotis non restitutæ, seu quia bona mariti sunt obligata & pro dote, & pro alimentis, ut latiùs infrà *num.872.* Quare hæredes mariti teneri alimenta præbere eidem viduæ intra annum luctus, etiamsi non sit inops, sed aliunde habeat unde possit sibi providere de alimentis, dictum est suprà *d. num.759.* & tradunt Corduba cum aliis *d. §. si quis ex his, num.121.* Pontanus ubi suprà, & Petr. Barbosa *loco d. num.759. allegato.* Item viduam, etsi pro alimentis eo anno luctus consequendis non interpellasset hæredes dotem ejus retinentes, nihilominus posse alimenta sibi pro tempore præterito debita, seu illorum æstimationem repetere, tanquam sibi jure actionis debitam ratione interusurii, seu interesse ob moram in restitutione dotis, tradunt iidem Baldus, Decius, Pontanus, Vincentius de Franchis *locis allegat.* Cancerius *var. tom.1. cap.16. num.36. & 37.* Corduba *d. num.134. & num.138.* ubi alios allegat, Surd. *d. q.10. num.1. & tit.7. q.15. num.69.* & Campegius cum aliis *de dote, p.2. q.16.* Item præfata alimenta, quæ vidua, cui dos non fuit restituta, intra annum luctus non petit, quia de suo se 871

 aluit,

aluit, transmitti ad ejusdem viduæ hæredes, tradidere in terminis Gigas *de pens. q.52. n.3.* & Corduba *d. §. si quis ex his*, id confirmat ex dictis, scilicet quod alimenta, quæ petuntur jure actionis, transmittuntur ad hæredes, ut notatum est suprà *n.* 852. & est communis doctrina. Cùm ergo alimenta præterita viduæ intra annum luctu non præstita ab hæredibus dotem retinentibus, petantur jure actionis ut Doctores suprà allegati tradunt Bartolus, Jason, Socin. & Purpurat. à Corduba *d. n.*40. allegati, quos tamen Surd. *d. q.*2. *n.*16. *fine*, ait se non invenisse id dicere, ad hæredes viduæ transmittetur jus petendi non præstita. Ex quibus colligitur, intra eum annum luctus hæredes mariti non restituentes dotem, teneri alere uxorem viduam, etiamsi esset dives, & aliundè posset habere alimenta, ut notatum est suprà *n.*759. *citato*, & tradunt expressè Doctores *eodem n.*759. allegati, & alii, inter quos Leotardus *de usuris d. q.*30. *n.*34. probans prætereà quia maritus recepta dote tenetur alere uxorem etiam divitem, *l.*7. *in princ. de jure dot. l. ult. ff. de dol. mal. except.* Ergo & hæredes qui dotem habent. Tum quia hoc proprium est dotis, ut qui eam habet, exhibere teneatur, *l.*20. *§. Hoc amplius, ff. famil. ercisc. l.*60. *§. si inter, ff. mandati, l. Actione*, *§. ult. ff. pro socio*, & Surdus *de alim. tit.*1. *q.*45. *n.*16. *in fin.* ubi ait, dotibus onus alendi viduam annexum esse, ac proinde æquissimum esse, hæredes mariti dotem habentes, illud onus mulieris sustinere. Ita Leotardus.

871 Advertendum autem circa prædicta, cùm hæredes mariti intra annum luctus non teneantur restituere dotem viduæ, licèt si vellent, possent, ut latè docet Campeg. *de dote, p.*2. *q.*17. post Bartolum, & Angel. *in l. Divortio, ff. solut. matrim.* & tunc non tenerentur ad alimenta illi præstanda, ut cum aliis Corduba *d. §. Si quis ex his, n.*123. contra Capicium *decis.*24. *n.*6. sed solùm alimenta illi exhibere sufficeret, si illi restituerent partem dotis, quæ eidem alendæ satis esset; & alterius partis dotis fructus pro illo anno luctus ad ipsos hæredes spectarent, nec vidua illos petere posset, ut post alios tradit idem Corduba *d. num.*123. & post alios Campegius *de dote, p.*2. *q.*6. contra Paulum de Castro *in l. Divortio, ff. solut. matrim.* tenentem, quod si uxor vidua intra annum ab hæredibus mariti habuit alimenta, eosdem hæredes lucrari fructus dotis solùm pro rata alimentorum. Cujus contrarium, scilicet hæredes lucrari quosvis fructus excedentes alimenta, docuerunt Bartolus, Angel. & alii *in d. l. Divortio*, sicut lucratur maritus vivens, quia eo anno uxor censetur in eodem matrimonio, & hoc idem sentit Honoratus Leotardus *d. q.*30. *n.*33. *initio*, cùm dicit hæredes mariti non teneri ad interusurium dotis non restitutæ intra annum luctus, sed solùm ad præstanda alimenta uxori viduæ toto illo anno. Quod intelligitur quando dos consistit in rebus mobilibus, quo casu hæredes mariti intra annum luctus non coguntur illam restituere uxori viduæ *d. §. Exactio*; nam si dos consisteret in rebus immobilibus, cùm tunc dos, seu res dotales immobiles debeant restitui statim post mortem, mariti, juxta *d. l. unicam, d. §. Exactio, Cod. de rei uxor. act.* fructus omnes à die mortis mariti ex dictis rebus immobilibus dotalibus ab hæredibus mariti percepti uxori debentur, & restituendi sunt, deductis sumptibus alimentorum ab eisdem hæredibus uxori post mortem mariti præstitorum; & deducta parte fructuũ novissimi anni, in quo matrimonium solutum est, qui pro rata temporis, quo illo anno ultimo duravit matrimoniũ, inter hæredes mariti defuncti, & ipsã uxorẽ viduã debent dividi, de quibus latè Mant. *de tac. & amb. lib.*12. *tit.*51. & Grat. *to.*4. *c.*610. apud quos alia de hac re pro nunc videantur; nam de his latiùs *in parte ultima.*

872 Ex quibus etsi Surdus *d. quæst.*2. *cit. n.*16. allegans Alexandrum *cons.*109. *vol.*5. asserit viduam etiam post annum ob dotem ab hæredibus mariti adhuc retentã, & non solutam, non posse jure actionis, sed tantum judicis officio alimenta petere, eo quod non debeantur jure contractus, sed ex accidenti propter moram; contrarium tamen ex jure actionis posse peti dicendũ est: Ita absque dubio sentiunt Jurisperiti suprà *n.*870. relati, cùm ratio qua moventur ibi, fortiùs militare videatur in vidua post annum luctus, cui omninò ab hæredibus debet restitui dos, & dum non restituitur cùm anno luctus elapso statim sint in mora, debetur ei interusurium, seu interesse, quod verisimiliter patitur, ut latè rejecta contraria opinione communi, quam tuetur acriter Steph. Gratian. *tom.*1. *c.*234. *à n.*1. *ad* 9. & Surdus *tit.*1. *de alim. q.*45. *n.*1. *ad* 7. de qua tamen infrà cùm de dote, *part. ult.* probat Thesaurus *dec.*43. *n.*4. post Grammaticum *dec.*103. *n.*92. Ant. Fab. *alleg. tit. de rei uxor. act. defin.*5. *n.*7. Leotardus *d. quæst.*30. *num.*57. hancque ob causam viduam posse petere alimenta, etiamsi aliunde haberet unde se aleret, tradit Thesaurus *loco citato*, & decisum fuisse à Camera Imperiali testatur Mynsing. *observ.*64. *n.*2. *centur.*1. Igitur cùm hæredes mariti dum retinent dotem, & sunt mora in illam restituendi, teneantur alere viduam, ut tenent Mynsinger. *loc. cit.* Thesaur. *d. n.*4. *& decis.*44. *n.*2. Corduba alios allegans *d. §. Si quis ex his, n.*566. Leotardus *d. q.*30. *n.*41. & plures alii Jurisperiti, & Theologi ab eodem Leotardo allegati; idque non ex sola charitate, & ex miseratione, sed ob dotem retentam, seu ob interusurium dotis retentæ, in cujus locum alimenta ipsa succedunt, ut iisdem locis ostendant Thesaurus, Corduba, & alii Doctores *n.*870. citati poterunt peti jure actionis originem trahentis ex ipsa dote tradita, ratione cujus bona mariti remanere uxori obligata, & hipothecata, non solùm pro ipsa dote, sed & tacitè pro alimentis doti correspondentibus, uti doti accessionibus, & interesse, seu dotis fructibus, tenent Bartol. *in l.*1. *ff. de alim. & cib. leg. & in tr. de alimentis*, Imola *in l. Si cùm dotem*, *§. Item pater, ff. soluto matrim.* & ibidem, *§. Sin autem, l. In sævissimo*, Jacobus de Aret. Afflictus *decis.*10. Mynsingerius *cit. observ.*54. *n.*1. *&* 1. Corduba à Lara *d. §. Si quis ex his, n.*40. Cancerius *var. resol. tom.*1. *cap.*16. *n.*5. Negusantius *de pignoribus, in* 4. *memb.* 2. *part. princ. n.*55. Stephan. Gratianus *discept. form. tom.*4. *cap.*634. *per totum, & cap.*850. *num.* 9. Franciscus Salgado *in Labyrintho credit. concur. p.*1. *cap.*24. *n.*9. & plures alii à Mynsingero, Gratiano, Corduba, & Salgado relati; & esse communem testantur Negusantius, Mynsinger. *locis citatis*, & Surdus *d. tit.*3. *citata quæst.*2. *num.*4. *& tit.*8. *privil.*49. *num.*1. ubi *num.*2. refert alios contrarium tenentes, quorum sententiam *num.*8. *fine*, rationibus inspectis veriorem putet, addens tamen, quod in judicio non prodesset, cùm altera opinio sit communis: & *privilegio* 50. cum Negusantio loco citato, *num.* 54. ex eadem ratione tenet, bona uxoris, vel alterius, qui dotem promisit, esse obligata viro pro alimentis sibi debitis, tanquã inter usuriis, & fructibus dotis retardatæ, & nõ soluto pro quibus sibi non cõpetit hypotheca, sicuti pro dote, & fortè principali, tanquam accessoriis ipsi doti, *ex l. unica*, *§. Sed & plenius*, *Cod. de rei uxoria act.* & idem asserit Salgado *d. cap.*24. *num.*95. Afflictus *d. decis.*10. ac Mynsingerus ex sententia Cameræ Imperialis, addunt ita esse verum, ut bona mariti ob dotem receptam ita maneant uxori obligata tacitè pro alimentis, quod etiamsi uxor constante matrimonio aliunde possit vivere, possit tamen à marito alimenta petere: allegantes etiam Baldum *in d. l. De alimentis, Cod. de transact.* quod tenet etiam Leotardus *d. quæst.*30. *allegato num.* 34. quanvis contrarium, uxorique ex causa dotis soluto matrimonio non debere præstari alimenta, si aliunde possit sustentari, licèt hæres

ptimoram fecerit, senserit Rota Romana apud Manticam *decis.* 53. *n.* 1. plures alios allegans, præsertim Covarr. *var. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 3. *versic. Sextò*; & dicens ita communiter tradere Doctores *in cap. Salubriter, de usur., & in l. Divortio, ff. sol. matrim.* cujus tamen sententiam ob tradita suprà, & alia à Thesauro *loc. cit.* adducta, non approbo. Nec obstant Doctores suprà *cap.* 11. *n.* 759. relati, asserentes viduæ intra annum luctus ab hæredibus viri retinentibus dotem deberi alimenta, etiamsi aliunde habeat unde possit vivere, etsi ex Theologis eum approbet Fragosus *de Republica Christiana, par.* 3. *lib.* 2. *disp.* 5. *n.* 91. & Molina *de justitia, tom.* 2. *disp.* 322. *n.* 4. ubi tenet etiam intra annum luctus ab hæredibus viri retinentibus dotem non deberi uxori viduæ alimenta, nisi ipsa illa petat, neque aliunde habeat unde sustentetur; & ex Jurisperitis post Innocentium, & Joan. And. *in d. cap. salubriter*, Campeg. *de dote, p.* 2. *quæst.* 18. ubi latè de hac quæstione, utrum hæredes mariti, si sint in mora restituendi uxori dotem consistentem in pecunia, teneantur illi solvere interusurium, seu solvere alimenta, etsi aliunde post annum luctus sustentari possit: & dicit præstanda esse illi alimenta, si aliunde non potest habere; secus quando aliunde habet, in hocque casu intelligendos Innocentium & Joan. Andr. addit Campeg. quod si mulier vidua esset consueta dare pecunias mercatoribus ad honestum lucrum, ratione moræ hæredum in restituenda illi dote petita, possit petere interusurium lucri cessantis, quod verisimiliter fecisset.

Hinc quamvis uxori constante matrimonio pro alimentis à marito, qui dotem recepit, consequendis solum officium judicis nobile, seu mercenarium competere voluerint Bartolus *in l. Si marito, §. fin. ff. solut. matrim.* & alii à Surdo *d. tit.* 3. *q.* 2. *n.* 7. *&* 9. relati, quorum sententiam sequitur tum ibi, tum *d. tit.* 8. *privil.* 49. *n.* 2. *per totum*, sed præsertim *vers. Castrensis tamen*, quia constante matrimonio, inquit Surdus *d. q.* 2. *n.* 10. actio de dote non est nata; & sic licèt alimenta dicantur accessiones dotis, non tamen peti possunt ut accessiones, nisi quando dos ipsa petitur, si agendum sit actione de dote: cùm ergo actio de dote non detur constante matrimonio, uxor non potest durante matrimonio petere alimenta jure actionis dotalis.

873 Nihilominus Negusantius loco suprà allegato, *n.* 49. *&* 52. Corduba *d. n.* 40. Mynsingerus *d. observat.* 64. *n.* 1. & alii, quos refert, & sequitur Stephan. Gratian. *d. cap.* 634. *num.* 7. tanquam verius censent, uxorem etiam constante matrimonio posse petere alimenta jure actionis, cùm judicium de dote sit ex parte uxoris universale, in quo judicio universali veniunt, seu includuntur accessiones tanquam pars rei jure actionis, per jura à Surdo *d. q.* 2. *n.* 2. *&* 3. allegata, & tradit Mantica *de tacit. & ambiguis, lib.* 12. *tit.* 31. & per consequens etiam datur tacita hypotheca pro eisdem alimentis, sicut pro dote.

E contra verò marito, cui dos promissa ab eo qui jure sanguinis non tenebatur alere uxorem, pro consequendis alimentis, seu interusuriis ob morosè retardatam dotis solutionem, Negusantius ubi suprà *n.* 54. Cynus, Baldus, & alii, quos refert, & sequitur Surdus *d. tit.* 5. *q.* 5. *n.* 4. *&* 6. tenent competere solùm officium judicis mercenarium, quod deservit actioni; non autem actionem, eo quòd judicium dotis, licèt ex parte uxoris sit universale, & includat accessiones, & consequenter interusuria, & alimenta, quæ in locum interusuriorum substituuntur; ex parte tamen mariti est particulare, non includens accessoria; etsi Baldus Novellus *in l.* 1. *n.* 17. *ff. solut. matrim.* à Surdo *d. q.* 5. *n.* 6. *fin.* relatus sustinuerit contrarium, quod meritò detur actio de dote, vel ex stipulatu pro iisdem interusuriis, vel alimentis debitis ob moram commissam; quem tamen reprobat idem Surdus ex eo, quod se funder in eo, quod etiam ex parte mariti judicium de dote sit universale. Dixi *ab eo, qui jure sanguinis non tenebatur alere uxorem.* Nam ubi dos fuit promissa ab eo, qui uxorem alere tenebatur, tum ob moram in solutione dotis marito contra soecerum, vel alium dari actionem negotiorum gestorum pro alimentis consequendis, tradunt Imola *in l. Insulam, §. usuras, ff. soluto matrim.* Roland. *cons.* 65. *n.* 9. & alios allegans Surd. *d. q.* 5. *n.* 1. 3. *&* 6. sed de prædictis fortè latiùs *in sequenti, vel ultima parte hujus tractatus de effectibus contractus matrimonii*: nunc sufficiat retulisse Doctorum sententias, leviter tactis eorum fundamentis.

874 In quibusnam etiam aliis casibus alimenta ab eo cui debentur, petenda sint officio judicis implorato, vel jure actionis, videatur apud Surdum, qui latissimè de hac materia per totum illum titulum tertium novem quæstionibus comprehensum, ubi *quæst.* 8. agit quibusnam aliis ab alimentario detur alimentorum petitio, & *quæst.* 9. de libelli forma, quando alimenta petuntur.

875 Solùm noto alimenta post mortem mariti debita uxori prægnanti ex bonis ejusdem mariti, juxta legem 1. §. *Sed etsi incertum sit, & §. Melior,* & *l. Curator, ff. de ventre in possess. mittendo*, peti posse jure actionis ex lege, cùm in præfatis juribus specialiter decernantur prægnanti uxori intuitu prolis in ventre existentis, unde prægnanti debentur, etiamsi habeat aliunde unde se alere possit, ut notatum est suprà *n.* 140. & tradunt Mantica *de tacitis, & ambig. lib.* 12. *d. tit.* 31. *n.* 11. & Stephanus Gratianus *d. c.* 610. *n.* 21. *& tom.* 2. *cap.* 234. *n.* 32. Quare fructus bonorum dotalium ipsius uxoris viduæ prægnantis debent illi restitui non deductis sumptibus alimentorum eidem prægnanti præstitorum, cùm juxta dicta jura ex bonis mariti debeant præstari, etiamsi dote careat, id quod etiam in terminis Mantica, & Gratianus *locis citatis* notarunt; & hanc limitationem addunt doctrinæ suprà *n.* 871. *post medium*, traditæ, quod fructus dotis ab hæredibus mariti soluto matrimonio percepti uxori viduæ sunt restituendi, deductis tamen sumptibus alimentorum ab iisdem hæredibus perceptorum. Quam etiam Doctrinam iidem Mantica *d. tit.* 31. *n.* 16. *fine*, & Gratianus *d. cap.* 234. *n.* 32. *& d. cap.* 610. *num.* 20. dicunt (quæ est alia limitatio) intelligendam, nisi alimenta essent à marito eidem uxori viduæ legata.

SUMMARIUM CAPITIS XV.

Alimenta præteriti temporis, quando solo judicis officio debentur, peti non possunt ubi alimentarius pro se alendo non contraxit æs alienum, sed vixit aliunde ex suis industriis, vel alimenta ab aliis ex pietate, vel liberali erogatione fuerunt subministrata, num. 878.

Pater qui ob inopiam non tribuit pro aliquo tempore alimenta filio, si postea deveniat ad pinguiorem fortunam, non tenetur, nec cogi potest alimenta præteriti temporis solvere filio, n. 879.

Monachus non potest agere adversus Abbatem pro præteritis alimentis sibi non præstitis, si vixit non contracto ære alieno, n. 880.

Dolo facit qui petit quod statim restituturus est, ibid.

Ordinatus sine titulo alimenta præteriti temporis non potest petere ab Episcopo ordinatore, n. 881.

Alimenta officio judicis tantùm debita, præterita petuntur, & præstanda sunt alimentario, si is ut se aleret, coactus fuerit accipere mutuam pecuniam, numera 882.

In hoc casu pro alimentorum præteritorum æstimatione, sep

Additionator ad Molinam, & Gratianus referunt, licèt inter eos sit dissensio, an in hoc casu pro alimentis prædictis, seu eorum æstimatione, aut pecuniæ mutuò acceptæ restitutione detur actio ipsi alimentario, an verò illi qui pecuniam dedit, Bartolus enim, & Corduba locis suprà *n.* 878. citatis, & alii à Surdo *d. q.* 1. *n.* 52. & Gratiano *d. cap.* 60. *n.* 22. *& trib. seq.* allegati voluerant hujusmodi actionem dari ei qui mutuo dedit pecuniam, ita ut is solus possit agere ad pecuniæ restitutionem, idque per textum *in l. fin. ff. de in rem verso.* At Surdus *d. q.* 1. *num.* 53. *ad* 59. & Gratian. *d. c.* 60. *n.* 26. *ad* 29. & Fontanella *d. p.* 3. *n.* 40. asserunt utrique hoc jus, seu hujusmodi actionem pro alimentis præteritis adversus debitorem competere; & mutuanti quidem, quia in ejusdem debitoris utilitatem mutuum fuit versum, *in d. l. fin. ff. de in rem verso*: sicut cuilibet negotiorum gestori datur actio contra eum, in cujus commodum negotium cessit, juxta illam regulam, quod ex quo res mea tibi proficit, possum à te condicere, quamvis nullus contractus inter me, & te intervenerit, *l. Si me & Titium, ff. si certum petatur*, Gloss. *in l. His solus, ff. de condict. indebiti*, & Cevallus latè *quæst.* 727. *num.* 43. Alimentario verò hæc actio pro præteritis alimentis competit, quia debitor fuit in mora stante interpellatione, unde æquum est ut implorato judicis officio, quod datur quandocumque suggerit æquitas, ut latè probat Surdus *n.* 53. *&* 54. præservetur indemnis, & relevetur pro eo debito, quod ob culpam debitoris contraxit, & sic sibi solvatur quod alteri promisit, & relevetur ab ea obligatione, quam contraxit ob illam moram, ob quam etiam datur regulari et actio pro suo interesse, *l. unica, Cod de sent. quæ pro eo quod interest, l. Quod te, ff. si certum pet.* & post alios Surdus, & Gratian. *loc. cit.* Bartol. ergo, & alii possunt rectè intelligi de actione danda mutuanti, non tamen privativè ad eum, qui mutuato pecuniam accepit, cùm utrique diversis respectibus hoc sit concedendum; ex quo enim mutuans sequutus est mutuatarii fidem, si noluerit agere contra eum, in cujus utilitatem mutuum versum est, sed contra illum, cui mutuavit, poterit hoc facere: Surdus, & Gratianus post Glossam *in l. Sed Iulianus, §. Perinde, vers. Solebat, ff. ad Macedonian.* & etiam is cui mutuum factum est, debet posse agere contra debitorem alimentorum, quia sua interest habere pretium, quod possit adveniente die solvere, *arg. l. Si debitor, in fin. ff. de furt.* & ita latè Surdus. Dixi, *usque ad æstimationem sufficientem ad solvendum æs alienum pro alimentis contractum*; quia in hac specie alimentarius non potest petere æstimationem omnium alimentorum quæ illi fuissent præstanda secundùm dignitatem, sed solùm æstimationem alimentorum quibus pro eo tempore præterito vixit, scilicet solùm petere potest, sibi solvi æs alienum pro illis alimentis habendis contractum, ut in specie docet Fontanella *d. n.* 37. ubi testatur ita sententiasse suum Senatum. Ita etiam Thesaurus *d. decis.* 211. *cit. n.* 16.

883 Ex quibus dicendum est, quod si Monachus denegatis sibi ab Abbate alimentis, acceperit mutuò pecuniam ut se aleret, vel monachum, vel illum qui mutuam pecuniam dedit, posse adversus Abbatem agere pro solutione pecuniæ mutuò acceptæ. Corduba *loc. suprà allegat.* & similiter Clericum ab Episcopo scienter hoc titulo ordinatum, posse consequi alimenta præteriti temporis, si idem Episcopus fuit in mora solvendi, & idem Clericus, ut se aleret, alii se obligavit. Decius loco suprà *n.* 881. citato, & Surdus *d. q.* 1. *num.* 49.

884 Etsi autem prædictam doctrinam quoad alimenta præteriti temporis ab alimentario, qui æs alienum contraxit ut se aleret, Ascanius Clem. *in tr. de patria potest. eff.* 17. *tit. n* 24. velit habere locum etiam quando pater egenus erat, & filius pariter tunc indigens pro se alendo mutuam pecuniam accepit, si pater devenerit ad pinguiorem fortunam, effectusque sit dives, ut tunc filius possit adversus patrem divitem agere pro præteriti temporis alimentis, ut creditori solvat pecuniam mutuò acceptam: nihilominus asserendum est, patrem qui tempore mutui accepti non tenebatur filium, licèt inopem alere, quia ipse pater etiam erat inops, & non habebat unde se aleret, non teneri ad restitutionem alimentorum præteritorum, seu pecuniæ à filio mutuò acceptæ; nam in patre ob inopiam inhabili ad solvenda alimenta filio, cessat obligatio præstandi alimenta, ut superiùs probatum est, quæ non potest oriri postquam factus est dives; nam quando est dives, jam filius habuerat alimenta aliunde: & quod initio non valet, tractu temporis non convalescit, *l. Quod initio, ff. de reg. juris*: considerandum est tempus in quo filius indiget alimentis, ut cognoscatur si pater tenetur: quando autem filius indigebat, pater egenus non tenebatur alere, & consequenter supervenientes divitiæ non inducunt obligationem respectu illius præteriti temporis: tum ex eo, quod jus superveniens lite pendente non prodest actori, *l. Non potest videri*, ubi Scribentes, *ff. de judiciis*; nec tempus est modus inducendæ obligationis, *l.* 2. *§. Ex his, ff. de verborum obligat.* tum quia filius non potest dicere, quod accipiendo mutuum gesserit utile negotium pro patre, qui ob inopiam non tenebatur alere: tum etiam, quia sicut obligatio semel extincta non resurgit, nec reviviscit, *l. Ejus qui, §. fin. ff. de jure fisci*; ita ea quæ non est nata non debet exsurgere ex postfacto, re non integra. Quare tunc solùm supervenientibus divitiis resurgit debitoris obligatio, quando debitum erat jam formatum in persona debitoris, sed suspensa fuit exactio ob paupertatem, ut in his qui tenentur solùm in quantum facere possunt, & in debitore, qui cessit bonis: at in præsenti casu debitum nunquam fuit formatum, nec formatur de novo ex eo, quod pater factus fuerit dives; quia quando supervenere divitiæ, jam non extabat in filio indigentia, sed cessaverat, & ita Surdus *tit.* 5. *citata q.* 1. *n* 60. *ad* 66. latiùs idem probans. Utrum verò si pater inops pro alendo filio contraxerit æs alienum, quod non est solvendo, neque in vita, neque post mortem, filius teneatur ex propriis bonis illud æs alienum solvere, seu satisfacere creditoribus patris? De hac difficultate agitur *cap.* 24. & ultimo hujus partis.

§. III.

Alimenta præteriti temporis solo officio Iudicis debita contemplatione alicujus servitii, an ab alimentario peti possint.

PRæterea doctrinam communem, quod alimenta ex solo judicis officio debita, si pro aliquo tempore 885
alimentario non fuerint præstita, alimentatus postea non possit illa petere, limitatur quando alimenta debentur non solùm jure sanguinis, sed ratione operarũ servitii, vel contemplatione alterius rei, v.g. dotis, vel aliter; tunc enim alimenta pro tempore præterito non præstita peti posse, tradunt Bartol. *in d. l. Libertis, §. Manumissis, n.* 3. *ff. de alim. & cib. leg.* ad id allegans Dyn. *in l. Si cùm dotem, §. Sin autem in sævissimo, ff. sol. matrim.* & Cynum *l. Quod in uxorem, ff. de negot. gest.* & Beroum *cons.* 52. *n.* 18. *vol.* 2. Gama *dec.* 62. *n.* 4. loquitur autem Bartol. & cum eo Gama in uxore cui vir alimenta præstare tenetur propter servitia; & dicit quod si stetit in servitio viri, consequitur præteriti temporis alimenta, & idem ait esse quando culpâ viri non fuit in servitiis, quia per eam non stetit: & Bartolum sequitur Gamma *d. n.* 4. in quo tamen Bartolo contradicit Surdus *d. q.* 1. *n.* 69. *versic. Circa tamen*, dicens ea uxoris servitia non esse tantæ virtutis & efficaciæ, ut

inducant

inducant jus præterita alimenta petendi. Additque, Cynum, & alios *in d. l. quod in uxorem*, non dicere quod uxor possit alimenta petere pro tempore præterito, neque etiam id dici *in d. §. sint autem in sævissimo* sed Doctores præfatos voluisse, quod uxor sit alenda à viro, cui fuit in obsequiis; de præterito verò non loqui. Verùm quidquid sit de hoc, propter dotem traditam marito uxorem jure actionis, & non solùm Iudicis officio pro alimentis posse à marito petere alimenta, notatum est suprà *num.* 874.

§. IV.

Quænam alimenta in hac specie dicantur præterita, & quæ futura; ubi an præterita iudicentur solùm usque ad diem motæ litis, futura à die motæ litis.

886 Diximus in præcedentibus juxta Doctores omnes, quando alimenta debentur, & peti possunt solum Judicis officio implorato, alimenta præterita, seu præteriti temporis, in quo alimentarius aliunde se aluit, non contracto ære alieno, ut se pro eo tempore aleret, ampliùs tam in foro conscientiæ, quàm in foro externo non posse peti, nec debere eorum æstimationem alimentario restitui; & consequenter alimentarium egentem, & aliunde non habentem, posse alimenta futura tantùm petere. Restat modò videre in hac specie, quæ dicantur, & sint alimenta præterita, quæ futura, ut hæc tantùm ab alimentario indigente peti possint, non illa, cùm sint solo officio Iudicis debita; de qua re latissimè Fontanella *d. clausula 6. glossa 2. part. 3. à num. 41. ad 55.* & difficultas est, an præterita alimenta dicantur decursa usque ad diem motæ litis, seu petitionis; futura verò, quæ decurrunt à die motæ litis, seu petitionis factæ, ita quod futura alimenta dicantur etiam, quæ sunt decursa ante sententiam, seu provisionem, ac taxationem, post tamen litem motam, seu petitionem eorum, ac proinde alimentario pesenti debeantur, & sint decernenda, licèt intra illud tempus à die motæ litis usque ad sententiam aliunde vixerit, non contracto ære alieno, quia v.g. alimenta ei ex pietate; & ex liberalitate ab alio, quàm à debitore fuerint erogata; an verò futura dicantur solùm à die sententiæ, seu provisionis, & taxationis; & præterita sint, & dicantur decursa usque ad diem sententiæ, etiam post litem motam, & sic non deberi alimenta, quæ à die motæ litis usque ad sententiam decurrunt, nisi alimentarius interim pro alimentis sibi necessariis contraxerit æs alienum alterive se obligaverit, idque probet.

887 Et prima sententia est, dici, & esse futura solùm quæ decurrunt à die sententiæ, & provisionis, non verò etiam quæ decurrunt à die petitionis & interpellationis; hæcque non deberi, neque ad ea alimentario solvenda debere, seu posse condemnari eum qui ex solo judicis officio præstare tenetur alimenta, nisi alimentarius interim vixerit ex ære alieno contracto, idque docuerit. Ita Paulus de Castro *in l. divortio, n. 6. ff. soluto matrimonio*, à P. Barbosa loco infrà citato relatus, Fabius de Anna *cons. 71. part. 1.* ubi testatur Senatum Neapolitanum idem sensisse. Padilla *in l. de alimentis, Cod. de transact.* Ferrer. *cap. 15. in 3. p. suarum observationum*, ubi testatur in facti contigenti ita judicasse Senatum Cataloniæ, & sæpius juxta hanc sententiam judicasse eundem Senatum, refert Fontanella *d. l. clausula 6. glossa 2. p. 3. num. 42. & 53.* Hanc eandem sententiam tenuisse alios scribit P. Barbosa *ad l. 2. p. 1. in principio, n. 33. ff. solut. matr.* & eam amplexus est Merenda *controv. juris tom. 4. lib. 22. d. c. 29. n. 4.* Fundamentum sumitur ex traditis suprà *n.* 878. ad probandum alimenta præterita, quando solo Iudicis officio peti possunt, non deberi, quia hujusmodi alimenta Iudicis officio tantùm debita præstantur in subsidium, & ex causa necessitatis urgentis, quæ necessitas pertinet tantùm ad tempus præsens, & futurum, non autem ad præteritum: respectu enim temporis præteriti, jam necessitas præteriit, nisi alimentarius, ut se tunc aleret æs, alienum contraxisset. Si ergo alimentarius à die motæ litis usque ad latam sententiam super alimentis vixit aliunde non contracto ære alieno, non debentur ei pro præfato tempore præterito alimenta, seu eorum æstimatio, cùm respectu dicti temporis præteriti præterierit necessitas, cui consulendi gratiâ solum officium Iudicis datur. Quare Merenda *d. cap. 29. n. 5.* dicit in conclusione communi tradita suprà *d. n.* 878. ita intelligendos esse Bartolum, Alexandrum, Surdum, & alios dictam conclusionem tenentes, & absolutè asserentes alimenta, quæ solo Iudicis officio petuntur, pro præterito tempore non præstita, non deberi alimentario qui ut viveret, non contraxit æs alienum, quia debent præstari solùm in subsidium, & ex causa necessitatis, & necessitas cessat respectu temporis præteriti, respicitque solùm tempus præsens: quod confirmat, quia cùm rarò accidat, non intercedere tempus notabile inter principium litis, & latam sententiam super alimentis, idque non possit dici non venisse illis Doctoribus in mentem, eo ipso, quod dixerunt absolutè non deberi alimenta respectu temporis præteriti, comprehenderunt etiam tempus intermedium inter principium, & finem litis. Idem Merenda *num. 6.* confirmat hanc sententiam, quia cùm ea sit natura horum alimentorum ex solo Iudicis officio debitorum, ut in subsidium debeantur, ut *n.* 878. & alibi dictum est, litis contestatio non potest inducere obligationem absolutam præstandi alimenta, sed eam inducit juxta naturam alimentorum, idest si aliunde ali non potuerit. Idem Merenda *n. 4. fine*, occurrens contrariæ sententiæ fundamento, addit hinc, seu hac sententia non dari occasionem trahendi in longum litem ei, qui alimenta præstiturus est, eo quia adeò facilè Iudices soleant decernere alimenta lite pendente, ut non rarò res ad magnam deducatur iniquitatem, de quo idem Merenda *tom. 1. lib. 5. c. 28. 29. & 30.*

Altera sententia communis, vel saltem magis communis, est in hac specie alimenta futura dici, & esse non solùm ea quæ decurrunt à die latæ sententiæ super alimentis, sed etiam ea, quæ ante sententiam decursa sunt, vel decurrunt à die petitionis, & motæ litis, ut proinde alimentario debeantur etiamsi tempore illo intermedio inter principium, & finem litis, aliunde vixerit non contracto ære alieno, eo quòd ex pietate, vel liberali erogatione ab amico el alimenta fuerint præstita. Ita P. Barbosa *ad d. l. 2. p. 1. in principio, n. 32. & 33.* referens esse ejusdem sententiæ Baldum *cons. 58. num. 7. vol. 2* & Decium *in d. l. de alimentis, n. 6. Cod. de transact.* Lancellottus *de attentatis, 2. p. c. 11. limit. 24.* Vincentius de Franchis *decis. 605. n. 6. & 9. fine*, Pontanus *de alim. cap. 12.* Surdus *de alim. tit. 8. privil. 60. n. 16.* Marescotus *var. lib. 2. cap. 83. num. 3. fine*, Giurba *decis. 4. num. 47.* Fontanella *d. clausula 6. glossa 2. p. 3. n. 43. ad 51.* Stephanus Gratianus *decis. 53. num. 11.* Cavalcanus *decis. 10. n. 43. p. 1.* Vivius *decis. 523. n. 42.* Thesaurus *decis. 44. n. 1.* Capycius *decis. 24. num. 9.* Polydorus Ripa *observatione 305. n. 2.* quatenus hi tres aiunt alimenta præterita officio Judicis debita solvenda esse ubi acta est interpellatio, & debitor constitutus est in mora, petitio enim alimentorum in futurum judicialiter facta est interpellatio, & efficacior quacumque alia. Sigismundus Scaccia *de appellatione, quæst. 17. limit. 7. num. 15.* Aloysius Riccius *in collect.* Decius *p. 3. collect. 548.* Cancerius *res. var. part. 1. c. 16. n. 2.* Augustinus Barb. *ad librum 2. Cod. collectaneo ad d. l. de alimentis, n. 5.* 889

§. *Primus.*

Alimenta à patre filio, & à filio patri debentur judicis officio.

852 NOtandum alimenta aliquando deberi, & peti posse tantùm judicis officio, seu per imploratum judicis officium, quo alimentorum debitor compellitur illa præstare; aliquando jure actionis deberi, & peti posse, & ad illa præstanda debitorem compelli, ut tradunt Doctores qui infrà citantur, & alii apud eosdem: & quamvis quoad exactionem alimentorum, & ita quoad effectum nil minus operetur officium Iudicis quàm actio; siquidem alimentorum debitor judicis officio cogitur, sicut cùm actione convenitur, ut notat Surdus *tit.3.q.1.num.7.* nihilominus valdè refert cognoscere utro horum modorum debeantur, & præstentur, si enim solùm judicis officio debeantur, & exigi possint, solùm debentur in subsidium, quando quis aliunde non potest sibi providere, & sic regulariter non debentur pro tempore præterito, sed à die motæ litis, nec præterita transmittuntur ad hæredes. Dixi *regulariter*, quia aliquando præterita debentur, ut explicatur infrà. Si verò jure actionis debeantur, & petantur, seu peti possint, præstanda sunt etiam habenti aliundè unde possit sibi alimenta providere, & quamvis in præteritum non essent soluta, de præsenti possunt peti; & actio illa exigendi transmittitur ad hæredes. Ita Scribentes *in l. de alimentis, Cod. de transact.* Vincentius de Franchis *decis.605.* Pontanus *de alim. c.12. 16. & 17.* Surdus *de alim. tit.1. q.32. n.40. tit.5.q.1.n.40. cum pluribus sequentibus, & tit.7. q.15.n.27.* & alibi sæpè, Marescotus *var. lib.2. c.83. n.1. ad 7.* Molfesius *ad consuet. Neap. tom.1. p.5. q.4. n.12. & seq.* Stephanus Gratianus *tom.1. c.60.n.20.* & August. Barbosa *in Cod. collectaneo ad d.l. de alimentis, C. de transactionibus.* Aliæ etiam differentiæ intercedunt inter alimenta quæ jure actionis, & ea quæ officio Iudicis debentur, de quibus *in l. divortio, ff. solut. matr. & in d. l. de alimentis, Cod. de transact.* & Molfesius *d. q.4.* & infrà explicabuntur.

853 Conveniunt Doctores, filiis à patre, & patri à filiis alimenta Iudicis officio deberi, & petenda esse. Ita Glossa, Bartolus, Albericus, & communiter Scribentes *in l. si quis à liberis, in principio, ff. de liberis agnosc.* Corduba *ibid. in principio, n.38.* Ant. Padilla *in auth. res quæ, n.74. & 77. Cod. comm. de legatis*, Ludovic. Molina *de primog. lib.2.c.15.n.70.* Pontanus *d. c. 12.* Vincentius de Franchis *d. decis. 605.* Marescotus *d. c.83.n.1.* Surdus *de alim. tit.3.q.1.n.1.* Molfesius *d.q.4. n.4. & seq.* & cæteri Jurisperiti communiter, quos Corduba, Ludovicus Molina, & Surdus latè referunt, & ex Theologis Molina *de justitia, tom.3. disp.616. n.9.* & constat *ex d. l. si quis à liberis, §. utrum*, ibi: *Vt utrobique se Iudex interponat, &c.* Et *ex l.2. & 3. Cod. de alend. liberis*, idem colligunt communiter Doctores *ex cap. Cùm haberet, fin. de eo qui duxit in matrim. quam polluit.*

854 Discrepant autem in assignanda ratione, quare hujusmodi alimenta à patre debita, & è contrà, judicis officio petantur, & non jure actionis: de qua re latissimè Surdus *d.q.1. à n.2. ad 23.* & Corduba *in d.l. si quis à liberis, in principio, ad num.61.* & primò Alciatus *cons. seu resp.338.* & alii à Cord. *n.44.* relati dixerunt rationem esse, quia nulla lis esse potest inter patrem & filium, *l. lis nulla, ff. de judiciis.* Secundò alii ab eodem Corduba *n.45.* relati, rationem assignant, quod inter patrem, & filium non datur actio civilis, licèt inter eos detur obligatio naturalis. Et harum duarum rationum ratio est, quia lis, & actio civilis non datur nisi inter personas distinctas, cùm sibimet non possit quispiam obligari, *l. Vranius, in princ. ff. de fidejussor.* pater autem, & filius censentur una persona, *l. fin. Cod. de impuber.* Corrasius *loco mox citando*, Menochius *de arbitr. casu 132. n.2. & de præsumpt. lib.3. q.29. n.3. & lib.4. præs.18. n.36.* ubi alios allegans dicit id procedere etiam in filio emancipato. Vtramque rationem reprobant Surdus *d. q.1. n.2.3.4.* & Corduba ubi suprà, *n.45. & 51.* & quidem rejicit Cordubam, quia prædictæ rationes convincerent solùm ubi filius est in potestate patris, quo casu filius ex eo quod acquirit patri, censetur fictione juris una persona cum patre, non verò ubi filius est emancipatus, qui fictione juris non reputatur una persona cum patre: ita Glossa *in l.2. Cod. qui ætate se excusant, lib.10.* & allegati à Menochio *d.præs.18.n.37.* Mascardo *concl.1151.n.23.* & à Corduba *d.n.45.* qui *n.46.* latè ponderat *d. l. fin. C. de impuber.* & confutat Corrasium *in d. l. fin. Cod. de impuber.* contrarium sentientem: dicta autem lex *Si quis à liberis, d. §. utrum, & d. l.2. & 3. Cod. de alend. liber.* loquuntur tam in filio adhuc sub patris potestate existente, quàm in emancipato, qui tamen potest agere adversus patrem, dum tamen ob reverentiam per Iudicem copia agendi tribuitur, *l. fin. C. de in jus voc. & l. litis, §. fin. ff. de negot. gest.* Surdus verò reprobat, quia etsi juris fictione pater, & filius una persona censentur, inspecta tamen veritate sunt duæ personæ distinctæ, & ubi agitur de alimentis, non juris fictio, sed facti veritas attendi debet, secundùm quam duplex separata persona est, & utraque comedit, utraque bibit, utraque alimentorum sustentatione eget. Tertiò Bartolus *in l. frater à fratre, n.12. ff. d. cond. indeb.* & nonnulli alii à Corduba ubi suprà *n.53.* relati, dixerunt officio Judicis deberi nunc quod antiquitus juxta legẽ *servi, & filii nuntio, ff. de furtis*, manu regia, seu authoritate propria pater consequi poterat à filio, quasi officium Judicis successerit loco manus regiæ. Quod latè post Bartolum explicat Corduba ubi suprà *n.55. & 56.* ubi dicit filio, qui est in potestate patris, non dari quidem actionem adversus patrem, quia quidquid acquirit filius, acquirit patri, *l. placet, ff. de acq. hæred.* nec patet etiam dari actionem adversus filium, cùm adhuc in eo duret manus regia; tamen ubi agitur de alimentis, cùm filius non agat de obligando patre in his rebus quas patri acquirit, sed potiùs patrem ipsum habeat astrictum naturali jure alimentorum oneri, consequens est ut possit hac de causa adversus patrem agere, quod filio emancipato est jure permissum, ut suprà notatum est: nihilominus exorta lite inter patrem, & filium, non actione, si fieri possit, agendum est ob naturale fœdus, & sanguinis conjunctionem, sed æquiori remedio, *l. congruentia, ff. Cod. & de patria potest.* & sic officio judicis, quod loco manus regiæ successit: & hanc rationem Corduba *d. num.56. fine*, dicit esse receptam, & à jure inductam; non tamen eam respexisse Vlpianum *in d. l. si quis à liberis, §. utrum*; eam tamen reprobare conatur Surdus *d. quæst.1. num.7.* præsertim quia ex ea non apparet ratio diversitatis inter patrem & filium, & quia quoad alimentorum consequendorum effectum nihilo minus operatur officium Iudicis quàm actio. Quartò Baldus *in l. Dominus, n.6. Cod. quod cum eo*, & alii ab eodem Corduba *num.57.* relati, aiunt patri, & filio non dari actionem quoad alimenta ab invicem consequenda, quia inter patrem, & filium nascitur solùm naturalis obligatio, cujus finis est satisfactio; non autem civilis, cujus finis est judicium: quod ius civile prohibuit inter patrem, & filium, *d. l. lis nulla, ff. de judiciis*: quod si inter eos contra sanguinis charitatem contentio de alimentis nascatur, iudiciaque instituantur, cùm id raro contingat, ius non est constitutum, nec fuit conveniens actionem dare, *arg. l. in his, ff. de legibus*; sed quia etiam in tali contentione debet provide i

videri aliquod remedium, præscriptum est Judicis officium, quo alter agat adversus alterum, quodque proinde in locum deficientis actionis conceditur, *cap. fin. de officio Iudicis*, & hanc rationem videtur indicasse Vlpianus *d. §. utrum*, *Versic. cùm ex æquitate.* Dicit enim quod alimentorum præstatio, cùm ex æquitate descendat, charitateque sanguinis, judicis officio expediri debet. Hanc tamen rationem etiam reprobant Corduba *num.58.* & Surdus *d.quæst.1. num.7. & seqq.* tum quia hujusmodi ratio non est generalis, sed respicit solùm patrem, & filium; cùm tamen in multis aliis casibus, & quandocumque alimenta ex sanguinis conjunctione, & charitate debentur, solùm competat Iudicis officium: tum quia non valet, *Lis debet dirimi ex æquo, ergo non jure actionis*; cùm ex sola naturali obligatione, ex qua jure civili non oritur actio *l. juris gentium, §. igitur nuda, ff. de pactis*, si ex æquo proceditur, nascitur actio *l. si fidejussor, § quædam ff. mandatis*, ubi Bartolus: tùm demùm, quia charitas sanguinis nō impedit oriri actionem, quia inter patrem, & filium emancipatum, & etiam inter fratres, & alios propinquos reperitur charitas, & conjunctio sanguinis, & tamen inter patrem & filium emancipatum datur actio, ut suprà dictum est, & etiam inter fratres, *d. l. frater à fratre, ff. de condict. indeb. & l. verùm*, ubi Glossa, & Bartolus, *ff. pro socio*: Non ergo, inquit Corduba *num.59. & 60. initio* æquitas, nec charitas sanguinis sunt in causa, ut Judicis officio alimenta præstari, & decerni non debeant, nec Vlpianus præallegatis verbis sentit in hac specie Judicis officium oriri, sed id potiùs, quod cùm hæc res ex æquitate descendat, charitateque sanguinis, ideo convenit quod Iudex inquirat utrum justum sit desiderium alimenta petentis, quia quando æquitas aliquid suadet, debet rem diligenter examinare, ut docet idem Vlpianus *l. ubicumque, ff. de interrogatoriis act.* hocque tantùm voluisse Vlpianum *d. §. utrum*, asserit idem Corduba.

Itaque Surdus *d. quæst.1. num.11. & seq.* dicit veram rationem, cur pro alimentis patri adversus filium, & filio aversus fratrem detur tantùm officium Iudicis, eam esse, quia pro alimentis à lege ob sanguinis conjunctionem, vel affinitatem debitis nulla datur obligatio; quia nullus contractus, vel quasi, nullum maleficium, vel quasi intercedit, sine quibus non oritur obligatio, *§. namque agit, Instit. de actionibus*: & deficiente obligatione deficit actio cujus ipsa est mater *l. licèt, §. 2. ff. de procurator.* & alimenta, inquit, filio à patre, & patri à filio non sunt debita de obligatione naturali stricta, & in foro conscientiæ adstringenti, sed tantùm de obligatione largo modo sumpta scilicet ex quadam æquitate à natura insita, naturalique quadam ratione et am Brutis communi. Quia ergo deest obligatio propria, & stricta, non datur actio; quia verò non deest æquitas, quæ fundata in conjunctione, & naturali charitate suggerit alimenta esse conjunctis præstanda, & inducit quasi obligationem, seu quasi debitum, ideò datur officium Iudicis, quod licèt nullam præsupponat obligationem propriam, supponit tamen quasi obligationem ex æquitate descendentem, ut suprà *num.363. initio* notatum est. Verùm hæc ratio nullo modo est admittenda, cùm innitatur falso fundamento, scilicet quod alimenta filiis à patre, & è contra non sint debita ex obligatione naturali propria stricta, cujus contrarium suprà *cap.1. & sequentibus* latè probatum est.

Quapropter veriorem, & ab Vlpiano *d. §. utrùm*, consideratam puto rationem quam adducit Corduba *d. l. si quis à liberis, in principio, citato, n.60.* scilicet in hujusmodi causa, & contentione alimentorum inter patrem, & filium, & alios sanguinis vinculo strictè conjunctos ascendentes, & descendentes, & etiam transversales promissum fuisse, ut competeret tantùm judicis officium; quia etsi hujusmodi alimenta debentur obligatione naturali stricta & propria, quia tamen tam jure naturali, quàm ex legis communis dispositione non debentur absolutè, sed talibus conditionibus seu circonstantiis, & modis concurrentibus considerandis à Judice antequam præstanda esse alimenta ex charitate sanguinis debita decernat, scilicet an ille petens sit verè filius, aut pater, frater, soror, an alius; an sint alii magis conjuncti petenti quàm is à quo petuntur; an parens sit dives, aut pauper; opifex, vel aliunde possit habere alimenta, ideò cùm judex hæc omnia cognoscere oporteat ad rectè decernendum hujusmodi alimenta, meritò Vlpianus sensit, & statutum fuit, quod hæc alimenta jure, & charitate sanguinis præstanda, solo judicis officio debita, & præstanda essent: quod Corduba confirmat per textum *in l. quod si minor, §. ex hoc dicto, ff. de minoribus*, ut minori detur restitutio, multa à jure considerantur, ideò res Iudicis officio expeditur. Contra hanc rationem opponit Surdus *d. quæst.1. num.10.* quod in multis casibus causæ cognitio requiritur, in quibus tamen datur actio, ut quando minor revocat bona sine decreto alienata, & in multis aliis. Verùm in aliis casibus non concurrunt tot consideranda, sicut in hac materia alimentorum iure sanguinis, & conjunctionis præstandorum; præsertim illa conditio, quod tantùm in subsidium, & ubi quis aliunde ex propriis bonis, vel artificio, aut industria sua non potest se alere; & dato quod etiam hæc ratio patiatur aliquam exceptionem, nulla tamen alia convenientior videtur posse assignari, & revera eam videtur inspexisse Vlpianus *d. §. utrum.*

§. II.

Quibusnam aliis alimenta debeantur Iudicis officio.

QUod autem dictum est de patre, & filio, procedit etiam in aliis ascendentibus; & descendentibus, tam in linea marium, quàm fœminarum, scilicet in avo, & nepte in omnibus casibus, in quibus iuxta tradita suprà *cap.7.* avus paternus, vel maternus in subsidium iure sanguinis tenetur alere neptem, & è contra; hujusmodi enim alimenta à nepote contra avum, & avo contra nepotem peti possunt solùm Iudicis officio, ut uterque Molina, Molfesius, Marescotus locis suprà *n.853.* citatis tradunt Bartolus *in tractatu de alimentis*, Surdus *d. tit.3. d.q.1. n.24. ad 28.* & Doctores communiter, & constat *ex d. l. si quis à liberis, §. utrum*, Vbi Vlpianus loquitur in patre, & avo tam paterno, quàm materno, & in eisdem militat eadem ratio quod alimenta ab avo, & proavo nepti, vel pronepoti, & è contra iure sanguinis solum in subsidium debentur, scilicet quando aliunde ex propriis bonis, aut industria non potest se alere, & deficiunt, vel inhabiles sunt alii proximiores, ad quos onus alimentorum spectaret, & iniquum foret, quod patri, cui alimenta sunt magis debita, solùm daretur Iudicis officium, avo verò remotiori, qui nepoti coniungitur per patrem daretur actio contra regulam. *Propter quod unum quodque tale, & illud magis*, approbatam *in Auth. multò magis, Cod. de sacrosf. Eccles.* 855

Similiter filio, & nepoti adversus matrem, vel aviā maternam, & matri, & aviæ maternæ pro alimentis consequendis competit tantùm Judicis officium, ob easdem rationes, & in terminis tradit Surd. *d.q.1. n.28.* 856

Item etsi quod dictum est, filio scilicet adversus patrem pro alimentis dari tantùm officium iudicis, non autem competere actionem quidam ex sacro consilio Neapolitano, ut refert Vincentius de Franchis *d. decis.605. n.7.* voluit procedere tantùm in filio legitimo, & etiam in naturali, non verò in filio spurio

cui dixit posse dici alimenta deberi jure actionis, ex eo quod debetur ex dispositione dicti capitis *cùm haberet, de eo qui polluit, &c.* nec esse inconveniens, quod filio naturali tantùm debeantur officio Iudicis, spurio verò jure actionis, quia naturalis honoratur, ut in certis casibus habeat duas uncias, ut *in Auth. licèt, Cod. de natur. lib.* & superiùs ostensum est.

858 Nihilominus dicendum est, procedere etiam in filio spurio, ut & ipse solùm Iudicis officio, non jure actionis possit petere alimenta in casu, quo à parre illi debentur, ut docet expressè Vincentius de Franchis *d. decis.*605. *num.*8. Rofredus Beneventanus *tit. de officio judic. quo petuntur alimenta num.*9. *versic. Item quæritur*, & Napodanus *in consuet. Neapol. vers. Quod autem, in verbo pro alimentis, n.*34. ab eodem de Franchis relati, & proculdubio sentiunt ita etiam alii Jurisperiti suprà *num.*853. allegati, & in filio spurio militant eædem rationes: & Rofredus Beneventanus, Napodanus, Vincentius de Franchis *locis citatis*, Molfesius *quæstione suprà num.*853. *citata, num.*4. & alii statuunt regulam, quod omnia alimenta, quæ solùm ex dispositione juris communis debentur, petuntur solùm officio Iudicis: quæ verò ex statuto, aut contractu, aut ex legato debentur, debentur, & petuntur jure actionis. Quare cùm filio spurio à patre debentur alimenta ex dispositione dicti capitis *cùm haberet*, & sic ex juris communis dispositione, solo Judicis officio debentur, & peti possunt. Quemadmodum etiam alimenta debita filio naturali debentur ex dispositione dictæ authenticæ *licèt*, & ex necessitate, ut dicit ibi textus; tamen certum est, filio naturali ex officio Iudicis alimenta deberi: & non obstat, quod plus habeat filius naturalis quàm spurius, *d. Auth. licèt*; quia illud operatur conditio filiorum naturalium non improbata per leges civiles, quæ improbaverunt filios spurios.

859 Item alimenta, quæ à fratre fratri, & aliis consanguineis egenis, & è contra, juxta tradita suprà *à n.*489. *ad* 588. debentur jure sanguinis ex dispositione legis, seu juris communis, peti debent officio Iudicis, cùm debeantur solùm in subsidium, & minor sit obligatio quoad alimenta inter fratres, & cæteros consanguineos, quàm inter patrem, & filium: & ita in terminis tradunt uterque Molina locis suprà *num.*853. citatis, Surdus *de alim. d. tit.*3. *q.*2. *num.*1. & Molfesius *allegata quæst.*4. *n.*5.

§. III.

Casus aliqui, in quibus alimenta debentur jure actionis.

860 DIxi, *Iure sanguinis, ex dispositione legis, seu juris communis*; nam si ex consuetudine, vel statuto deferente feuda, & totam hæreditatem primogenito alimenta debeantur secundogenitis, peti poterunt jure actionis. Ita Tiraquellus *de primog. q.*75. *n.*4. *&* 8. Ludovicus Molina, & Surdus *locis qui infrà citantur*, Molfesius *ad consuet. Neapol. p.*5. *dicta quæst.*4. *n.*23. *& cons.*9. *n.*12. *&* 30. Vincentius de Franchis *decis.*714. & alii suprà *num.*45. *&* 532. *ac* 533. relati, Stephanus Gratianus *tom.*1. *cap.*44. *n.*7. Ratio est, quia hujusmodi alimenta dantur, & succedunt loco legitimæ, ut latè docet Tiraquellus *d. quæst.*75. *num.*5. *&* 8. & propterea ejusdem rationis, & naturæ, eodémque jure censentur: idem Tiraquellus *d. n.*8. & Surdus *de aliment. tit.*7. *q.*15. *n.*26. *&* 27.

861 Et ideò similiter alimenta, quæ ab institutore majoratus, & primogenito successore debentur filiis secundogenitis, quia institutor non reliquit illis legitimam, petuntur jure actionis, ut tradit Ludovicus Molina *de primog. lib.*2. *cap.*15. *n.*6. ibidem Additionator Molina Theologus *tom.*3. *de justitia, disp.*616. *num.*3. 4. *&* 9. Surdus *de alim. tit.*3. *d. quæst.*1. *n.*76. *& quæst.*3. *n.*1. & alii suprà *num.*45. *&* 532. allegati. Quia etiam hujusmodi alimenta in locum legitimæ subrogantur, & succedunt, atque adeo legitimæ naturam sequuntur, ita Ludovic. Molina *d. c.*5. *n.*2. alter Molina *d. disp.*616. *n.*3. *& seq.* Doctores suprà *n.*45. relati, & alii communiter, quos latè refert Ludovicus Molina *d. n.*2. & etiam Surdus *d. n.*76. alios etiam allegans. Et confirmatur, quod hæc alimenta sortiantur naturam legitimæ, quia si loco legitimæ sunt, ut præfati Doctores sentiunt, habere debent qualitates quæ legitimæ competunt.

Cùm verò alimenta ratione, & respectu legitimæ debeantur, & in legitimæ locum succedunt, non judicis officio, sed jure actionis, sicut & ipsa legitima, petuntur, ut tradunt Ludovicus Molina *d. c.*15. *n.*6. *&* 70. Alter Molina *d. disp.*616. *n.*9. additionator ad Molinam *d. cap.*15. *dictis numeris* 6. *&* 70. Surdus *tit.*3. *citato q.*1. *n.*29. *ad* 37. Mangilius *de imputat. q.*108. *n.*22. *&* 23. Molfesius *d. q.*4. *n.*23. Doctores à Ludovico Molina *d. c.*15. *n.*2. & Mangilio allegati, & alii suprà *num.*45. relati & communiter Scribentes, *in l. de alimentis, C. de transactionibus*; idque latè probat numeris allegatis Surdus, sed præsertim ea ratione, quod subrogatum sapit naturam eius, in cujus locum subrogatur, *l. si eum, §. qui in variarum, ff. si quis caut.* & Doctores, quos latè refert Simon Vaz Barbosa *in locis commun. loc.*5. *n.*16. & pro legitima datur condictio ex lege, si non sit relicta, *l. scimus, & l. omni modo, Cod. de inoffic. testamento*, Surdus *d. q.*1. *n.*31. alios allegans, & Merlin. *de legitima, lib.*5. *tit.*4. *q.*5. *n.*1. quæ actio ex lege datur etiam pro supplemento legitimæ, ut post alios tradit Merlin. *d. quæst.* 5. *num.*2. & Surdus *d. quæst.*1. *num.*32. si verò legitima sit relicta, datur actio ex testamento, ita post alios iidem Merlin. *d. q.*5. *n.*3. & Surdus *d. q.*1. *num.*31. Item datur petitio hæreditatis, juxta Doctores communiter, quos refert, & sequitur Merlinus *de legitima, d. lib.*5. *tit.*4. *q.*4. *num.*2. & alii, quos refert Surdus *d. q.*1. *n.*33. licèt contrarium tenuerint nonnulli allegati à Merlino *d. q.*4. *n.*1. 862

Ad hujus rei etiam confirmationem Surdus *d. q.*1. *n.*38. addit quod alimenta loco legitimæ debita, seu in locum legitimæ succedentia transmittuntur ad hæredes, ut tradunt Ludovicus Molina *d. cap.*15. *num.*10. Stephanus Gratianus *d. cap.*44. *num.*7. & Jurisperiti magis communiter, quos referunt Ludovicus Molina *d. n.*10. Giurba illos sequens *decis.*6. *num.*12. Gratianus *d. n.*7. & Surdus *d. tit.*3. *citata q.*1. *num.*3. *& tit.*5. *q.*1. *num.*31. *&* 32. Quanvis ipse *numeris sequentibus, ad* 38. multa adducat ad probandum contrarium, & quod non transmittantur, sed morte alimentarii finiantur; quod etiam senserunt plures, quos Tiraquellus *de primog. d. quæst.*75. *num.*2. refert, qui dixerunt alimenta debita secundogenito ex statuto deferente primogenito totam hæreditatem, non deberi à primogenito quando secundus genitus est dives, & aliunde habet unde se alat. Cujus tamen contrarium, & deberi etiamsi alimentarius habeat aliunde unde se alat, tenent Tiraq. *d. q.*75. *num.*4. & alii suprà *cap.*1. *num.*45. relati: quod & probat Tiraquellus, quia is, inquit, cui alimenta loco legitimæ debentur, potest alimenta præterita sibi non soluta petere, quibus tamen non eget, *l. libertis quos, §.*1. ibi: *Tam præteriti temporis quàm futuri, ff. de alim. & cibar. legatis*, & ibidem Bartolus, & alia jura, & Doctores ad id allegat Tiraquellus *d. num.*4. ex quo etiam confirmatur, eadem alimenta in locum legitimæ subrogata peti jure actionis; quia alimenta præterita repeti possunt tunc solùm quando pro eis consequendis competit jus actionis; vel pro eis æs alienum contractum est, ut innuunt Scribentes *in d. l. de alimentis, Cod. de transact.* 863

Quan

864 Quandonam autem in aliis casibus præter suprà dictos alimenta debita censenda sint subrogata loco legitimæ, latè tradit Surdus *d.tit.3. citata q.1.à n.39. ad finem.*

865 Prædictis addendum in universum, quod ubi alimenta debentur ex statuto disponente alicui esse præstanda, ut quando disponit quod filia exclusa debeat dotari, & ali, alimenta peti possunt jure actionis, scilicet condictione ex statuto; quæ condictio ex statuto est fortior, & efficacior officio judicis. Ita Alex. *cons.7. n.27. vol.2.* Alc. *cons.338. n.1.* Menoch. *cons.8. num.20.* Moifes. *ad consuet. Neap. p.5. q.4. n.3.* & Surd. latè id declarans, & probans *d.tit.3.q.6. per totam.*

§. IV.

Nonnulli alii casus, in quibus alimenta debentur, & petuntur jure actionis.

866 IN nonnullis etiam aliis casibus juxta omnes alimenta debita petuntur jure actionis, ut si sint debita ex contractu. Ita Pontan. *de alim. cap.16. num.1. & 8.* Vincentius de Franch. *dec.605. num.8.* Molfesius *d. q.4.* Surdus *d. tit.3.q.2.* nonnulli alii à Vincent. de Franch. *d. num.8.* allegati, & alii communiter; cùm ex contractu oriatur obligatio, & actio civilis.

867 Pariter si alimenta sint debita ex legato, legatarius illa petere potest jure actionis ex testamento, Pontanus *de alim. cap.17. num.1.* & post alios Surdus *d. tit.3. q.4. num.1.* qui *num.2.* præter hanc actionem personalem, contra nonnullos tradit legatario dari etiam actionem hypothecariam, quæ datur pro omnibus legatis consequendis: & refert Doctores id tenentes. Addit idem Surdus *num.11.* post alios, dari etiam officium judicis, & *num.14. fine*, cum aliis addit pro legatis piis præsertim judicem posse compellere ex officio exequutores testamentarios ad solvendum, licèt non pro aliis legatis. Idem Surdus *num.13. & 14.* ex communi aliorum, quos allegat, dicit pro legato alimentorum consequendo dari solùm judicis officium quando relictum est incapaci, putà servo, eo quòd in hoc casu alimenta non debeantur legatario de rigore juris, cùm servus sit actionis incapax, *l. servus, ff. de alim. & cib. leg.* ex misericordia tamen, & æquitate videntur deberi, & sic implorato judicis officio potest servus illa petere: quod præter plures alios ab eodem Surdo allegatos notavit etiam Corduba *in d. l. si quis à liberis, §. utrum, num.12. & 13.* addens *num.14.* etiam Fratres minores S. Francisci, etsi bonorum incapaces, posse alimenta sibi relicta in judicio petere judicis officio, juxta Bartol. *in l. servo alieno, ff. de leg.1.* Socinum *in l.1. ff. eod. num.310.* & Hondedeum *cons.40.* quod tamen Surdus *d. q.4. n.15. fine*, ait hodie ordinationibus eorundem fratrum Minorum esse eis omninò prohibitum, ita quod solùm recipere possunt à sponte dantibus.

§. V.

Nonnulli alii casus, in quibus pro alimentis competit officium judicis, vel dubitatur an detur actio.

868 SUbdit Corduba *d. §. utrum, n.16.* pupillum officio Judicis petere alimenta à tutore: & idem tradit Surdus *d. tit.3. q.3. n.28.* & alios allegant iidem Corduba, & Surdus.

869 Idem Corduba *in d. l. si quis à liberis, §. solent, n.6.* Vincentius de Franchis *d. decis.605. num.8.* Surdus *d. q.3. num.2.* & alii apud eosdem Cordubam, & Surdum tradunt, alimenta patrono, & patroni filiis debita à liberto, peti ab eodem liberto officio judicis.

Plures etiam Doctores voluerunt, viduam intra annum luctus alimenta petere solùm officio judicis, non verò jure actionis, cùm debeantur ex dispositione legis, & ex causa necessitatis interim dum dos restituitur, *leg. unica, §. exactio, Cod. de rei uxor. act.* & dictum est *suprà, num.702.* ita Paulus de Castro *in l. divortio, n.6. ff. soluto matrimon.* Alexander, Curtius, Padilla *in l. de alimentis, Cod. de transaction.* Thesaurus *decis.44. num.1. versic. pro negativa*, Surd. *de alim. tit.1. q.44. num.48. & tit.3. q.2. num.16.* & plures alii Jurisperiti ab iisdem Thesauro, & Surdo *locis citatis*, & à Corduba *in l. si quis à liberis, §. si quis ex his num.136. ff. de agnosc. liberis*, & Pontano *de aliment. cap.15. n.6. initio*, relati. Qui propterea aiunt viduam quæ intra annum luctus non interpellavit hæredes pro alimentis, sed aliunde se aluit, non posse repetere alimenta præterita, nisi in defectum talium alimentorum præteritorum æs alienum contraxisset: quod postremum sequutus Thesaurum *d. decis.44.* asserit etiam Ant. Faber *in suo Cod. lib.5. tit. de rei uxor. act. definit.6. n.5.* 870

Contrarium tamen, & prædictæ viduæ competere jus actionis pro consequendis alimentis eo anno ab hæredibus mariti ejus dotem retinentibus, tenent Baldus, & Decius *in d. l. alimenta, Cod. de transact.* idem Decius *in l. si cùm dotem, §. sin autem, ff. soluto matrimonio*, Corduba *d. §. si quis ex his, num.34. & num.40.* Mantica *de tacitis, & ambig. lib.12. tit.31. num.3.* Pontanus *loco citat.* Vincentius de Franchis *d. decis.605. num.5.* & plures alii à Corduba *d. num.40.* & Pontano *d. n.6.* relati, & etiam Surd. *tit.6. q.10. num.1.* qui propterea in hac controversia fuit varius, & Honoratus Leotardus *de usuris, q.30. num.19.* ubi ait idem dicere Antonium Fabrum *definit.6. num.6.* quem tamen non reperio id dicere, sed potiùs videtur asserendum esse, adhærere ejusdem Thesauri sententiæ, cùm dicat, alimenta à vidua intra annum luctus non petita, non posse ab ea anno elapso peti nisi pro se alenda æs alienum contraxisset. Ratio hujus sententiæ desumitur ex traditis suprà *n.759.* scilicet quod viduæ intra annum luctus, nondum ei restituta dote, alimenta ex legis dispositione ab hæredibus mariti debentur, non ex sola charitate, & miseratione, sed propter dotem retentam, seu propter moram retardatæ dotis, ita quod dos ipsa retenta est causa finalis, ob quam lex voluit ab hæredibus mariti præstanda esse alimenta, quæ substituuntur in locum interusurii, seu interesse, argumento dicti *§. exactio*, & legis *cùm unus, §. fin. de alim. & cib. leg.* & consequenter vidua potest illa alimenta petere jure actionis ex causa dotis non restitutæ, seu moræ retardatæ dotis, seu interesse dotis non restitutæ, seu quia bona mariti sunt obligata & pro dote, & pro alimentis, ut latiùs infià *num.872.* Quare hæredes mariti teneri alimenta præbere eidem viduæ intra annum luctus, etiamsi non sit inops, sed aliunde habeat unde possit sibi providere de alimentis, dictum est suprà *d. num.759.* & tradunt Corduba cum aliis *d. §. si quis ex his, num.121.* Pontanus ubi suprà, & Petr. Barbosa *loco d. num.759. allegato.* Item viduam, etsi pro alimentis eo anno luctus consequendis non interpellasset hæredes dotem ejus retinentes, nihilominus posse alimenta sibi pro tempore præterito debita, seu illorum æstimationem repetere, tanquam sibi jure actionis debitam ratione interusurii, seu interesse ob moram in restitutione dotis, tradunt iidem Baldus, Decius, Pontanus, Vincentius de Franchis *locis allegat.* Cancerius *var. tom.1. cap.16. num.36. & 37.* Corduba *d. num.134. & num.138.* ubi alios allegat, Surd. *d. q.10. num.1. & tit.7. q.15. num.69.* & Campegius cum aliis *de dote, p.2. q.16.* Item præfata alimenta, quæ vidua, cui dos non fuit restituta, intra annum luctus non petit, quia de suo se 871

 aluit,

aluit, transmitti ad ejusdem viduæ hæredes, tradidere in terminis Gigas *de pens. q.* 52. *n.* 3. & Corduba *d.* §. *si quis ex his*, id confirmat ex dictis, scilicet quod alimenta, quæ petuntur jure actionis, transmittuntur ad hæredes, ut notatum est suprà *n.* 852. & est communis doctrina. Cùm ergo alimenta præterita viduæ intra annum luctu non præstita ab hæredibus dotem retinentibus, petantur jure actionis ut Doctores suprà allegati tradunt Bartolus, Jason, Socin. & Purpurat. à Corduba *d. n.*40. allegati, quos tamen Surd. *d. q.* 2. *n.* 16. *fine*, ait se non invenisse id dicere, ad hæredes viduæ transmittetur jus petendi non præstita. Ex quibus colligitur, intra eum annum luctus hæredes mariti non restituentes dotem, teneri alere uxorem viduam, etiamsi esset dives, & aliundè posset habere alimenta, ut notatum est suprà *n.* 759. *citato*, & tradunt expresse Doctores *eodem n.* 759. allegati, & alii, inter quos Leotardus *de usuris d. q.* 30. *n.* 34. probans præterea quia maritus recepta dote tenetur alere uxorem etiam divitem, *l.* 7. *in princ. de jure dot. l. ult. ff. de dol. mal. except.* Ergo & hæredes qui dotem habent. Tum quia hoc proprium est dotis, ut qui eam habet, exhibere teneatur, *l.* 20. §. *Hoc amplius, ff. famil. ercisc. l.* 60. §. *si inter, ff. mandati, l. Actione*, §. *n.t. ff. pro socio*, & Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 45. *n.* 16. *in fin.* ubi ait, dotibus onus alendi viduam annexum esse, ac proinde æquissimum esse, hæredes mariti dotem habentes, illud onus mulieris sustinere. Ita Leotardus.

871 Advertendum autem circa prædicta, cùm hæredes mariti intra annum luctus non teneantur restituere dotem viduæ, licèt si vellent, possent, ut latè docet Campeg. *de dote, p.* 2. *q.* 17. post Bartolum, & Angel. *in l. Divortio, ff. solut. matrim.* & tunc non tenerentur ad alimenta illi præstanda, ut cum aliis Corduba *d.* §. *Si quis ex his, n.* 123. contra Capicium *decis.* 24. *n.* 6. sed solùm alimenta illi exhibere sufficeret, si illi restituerent partem dotis, quæ eidem alendæ satis esset; & alterius partis dotis fructus pro illo anno luctus ad ipsos hæredes spectarent, nec vidua illos petere posset, ut post alios tradit idem Corduba *d. num.* 123. & post alios Campegius *de dote, p.* 2. *q.* 6. contra Paulum de Castro *in l. Divortio, ff. solut. matrim.* tenentem, quod si uxor vidua intra annum ab hæredibus mariti habuit alimenta, eosdem hæredes lucrari fructus dotis solùm pro rata alimentorum. Cujus contrarium, scilicet hæredes lucrari quosvis fructus excedentes alimenta, docuerunt Bartolus, Angel. & alii *in d. l. Divortio*, sicut lucratur maritus vivens, quia eo anno uxor censetur in eodem matrimonio, & hoc ideo sentit Honoratus Leotardus *d. q.* 30. *n.* 33. *initio*, cùm dicit hæredes mariti non teneri ad interusurium dotis non restitutæ intra annum luctus, sed solùm ad præstanda alimenta uxori viduæ toto illo anno. Quod intelligitur quando dos consistit in rebus mobilibus, quo casu hæredes mariti intra annum luctus non coguntur illam restituere uxori viduæ *d.* §. *Exactio*; nam si dos consisteret in rebus immobilibus, cùm tunc dos, seu res dotales immobiles debeant restitui statim post mortem mariti, juxta *d. l. unicam, d.* §. *Exactio, Cod. de rei uxor. act.* fructus omnes à die mortis mariti ex dictis rebus immobilibus dotalibus ab hæredibus mariti percepti uxori debentur, & restituendi sunt, deductis sumptibus alimentorum ab eisdem hæredibus uxori post mortem mariti præstitorum; & deducta parte fructuũ novissimi anni, in quo matrimonium solutum est, qui pro rata temporis, quo illo anno ultimo duravit matrimoniũ, inter hæredes mariti defuncti, & ipsã uxorẽ viduã debent dividi, de quibus latè Mant. *de tac. & amb. lib.* 12. *tit.* 51. & Grat. *to.* 4. *c.* 610. apud quos alia de hac re pro nunc videantur; nam de his latiùs *in parte ultima*.

872 Ex quibus etsi Surdus *d. quæst.* 2. *cit. n.* 16. allegans Alexandrum *cons.* 109. *vol.* 5. asserit viduam etiam post annum ob dotem ab hæredibus mariti adhuc retentã, & non solutam, non posse jure actionis, sed tantum judicis officio alimenta petere, eo quod non debeantur jure contractus, sed ex accidenti propter moram; contrarium tamen ex jure actionis posse peti dicendũ est: Ita absque dubio sentiunt Jurisperiti suprà *n.* 870. relati, cùm ratio qua moventur ibi, fortiùs militare videatur in vidua post annum luctus, cui omninò ab hæredibus debet restitui dos, & dum non restituitur cùm anno luctus elapso statim sint in mora, debetur ei interusurium, seu interesse, quod verisimiliter patitur, ut latè rejecta contraria opinione communi, quam tuetur acriter Steph. Gratian. *tom.* 2. *c.* 234. *à n.* 1. *ad* 9. & Surdus *tit.* 1. *de alim. q.* 45. *n.* 1. *ad* 7. de qua tamen infrà cùm de dote, *part. ult.* probat Thesaurus *dec.* 43. *n.* 4. post Grammaticum *dec.* 103. *n.* 92. Ant. Fab. *alleg. tit. de rei uxor. act. defin.* 5. *n.* 7. Leotardus *d. quæst.* 30. *num.* 57. hancque ob causam viduam posse petere alimenta, etiamsi aliunde haberet unde se aleret, tradit Thesaurus *loco citato*, & decisum fuisse à Camera Imperiali restatur Mynsing. *observ.* 64. *n* 2. *centur.* 1. Igitur cùm hæredes mariti dum retinent dotem, & sunt mora in illam restituendi, teneantur alere viduam, ut tenent Mynsinger. *loc. cit.* Thesaur. *d. n.* 4. & *decis.* 44. *n.* 2. Corduba alios allegans *d.* §. *Si quis ex his, n.* 566. Leotardus *d. q.* 30. *n.* 41. & plures alii Jurisperiti, & Theologi ab eodem Leotardo allegati; idque non ex sola charitate, & ex miseratione, sed ob dotem retentam, seu ob interusurium dotis retentæ, in cujus locum alimenta ipsa succedunt, ut iisdem locis ostendant Thesaurus, Corduba, & alii Doctores *n.* 870. citati poterunt peti jure actionis originem trahentis ex ipsa dote tradita, ratione cujus bona mariti remanere uxori obligata, & hipothecata, non solùm pro ipsa dote, sed & tacitè pro alimentis doti correspondentibus, uti doti accessionibus, & interesse, seu dotis fructibus, tenent Bartol. *in l.* 1. *ff. de alim. & cib. leg. & in tr. de alimentis*, Imola *in l. Si cùm dotem*, §. *Item pater, ff. soluto matrim.* & ibidem, §. *Sin autem, l. In savissimo*, Jacobus de Arer. Afflictus *decis.* 10. Mynsingerius *cit. observ.* 54. *n.* 1. & 2. Corduba à Lara *d.* §. *Si quis ex his, n.* 40. Cancerius *var. resol. tom.* 1. *cap.* 16. *n.* 5. Negusantius *de pignoribus, in* 4. *memb.* 2. *part. princ. n.* 55. Stephan. Gratianus *discept. form. tom.* 4. *cap.* 634. *per totum. & cap.* 850. *num.* 9. Franciscus Salgado *in Labyrintho credit. contur. p.* 1. *cap.* 24. *n.* 9. & plures alii à Mynsingero, Gratiano, Corduba, & Salgado relati; & esse communem testantur Negusantius, Mynsinger. *locis citatis*, & Surdus *d. tit.* 3. *citata quæst.* 2. *num.* 4. & *tit.* 8. *privil.* 49. *num.* 1. ubi *num.* 2. refert alios contrarium tenentes, quorum sententiam *num.* 8. *fine*, rationibus inspectis veriorem putet, addens tamen, quod in judicio non prodesset, cùm altera opinio sit communis: & *privilegio* 50. cum Negusantio loco citato, *num.* 54. ea eadem ratione tenet, bona uxoris, vel alterius, qui dotem promisit, esse obligata viro pro alimentis sibi debitis, tanquã inter usuriis, & fructibus dotis retardatæ, & nõ soluto pro quibus sibi non cõpetit hypotheca, sicuti pro dote, & sorte principali, tanquam accessoriis ipsi doti, *ex l. unica*, §. *Sed & plenius, Cod. de rei uxoria act.* & idem asserit Salgado *d. cap.* 24. *num.* 95. Afflictus *d. decis.* 10. ac Mynsingerus ea sententia Cameræ Imperialis, addont ita esse verum, ut bona mariti ob dotem receptam ita maneant uxori obligata tacitè pro alimentis, quod etiamsi uxor constante matrimonio aliunde possit vivere, possit tamen à marito alimenta petere: allegantes etiam Baldum *in d. l. De alimentis, Cod. de transact.* quod tenet etiam Leotardus *d. quæst.* 30. *allegato num.* 34. quanvis contrarium, uxorique ex causa dotis soluto matrimonio non debere præstari alimenta, si aliunde possit sustentari, licèt hæ-

tes

res moram fecerit, senserit Rota Romana apud Manticam *decis.53. n.1.* plures alios allegans, præsertim Covarr. *var. lib.3. cap.1. n.3. versic. Sextò*; & dicens ita communiter tradere Doctores *in cap. Salubriter, de usuris, & in l. Divortio, ff. sol. matrim.* cujus tamen sententiam ob tradita suprà, & alia à Thesauro *loc.cit.* adducta, non approbo. Nec obstant Doctores suprà *cap.11. n.759.* relati, asserentes viduæ intra annum luctus ab hæredibus viri retinentibus dotem deberi alimenta, etiamsi aliunde habeat unde possit vivere, etsi ex Theologis eum approbet Fragosus *de Republica Christiana, par.3. lib.2. disp.5. n.91.* & Molina *de justitia, tom.2. disp.428. n.4.* ubi tenet etiam intra annum luctus ab hæredibus viri retinentibus dotem non deberi uxori viduæ alimenta, nisi ipsa illa petat, neque aliunde habeat unde sustentetur; & ex Jurisperitis post Innocentium, & Joan. And. *in d. cap. salubriter*, Campeg. *de dote, p.2. quæst.* 18. ubi latè de hac quæstione, utrum hæredes mariti, si sint in mora restituendi uxori dotem consistentem in pecunia, teneantur illi solvere interusurium, seu solvere alimenta, etsi aliunde post annum luctus sustentari possit: & dicit præstanda esse illi alimenta, si aliunde non potest habere; secus quando aliunde habet, in hocque casu intelligendos Innocentium & Joan. Andr. addit Campeg. quod si mulier vidua esset consueta dare pecunias mercatoribus ad honestum lucrum, ratione moræ hæredum in restituenda illi dote petita, possit petere interusurium lucri cessantis, quod verisimiliter fecisset.

Hinc quamvis uxori constante matrimonio pro alimentis à marito, qui dotem recepit, consequendis solum officium judicis nobile, seu mercenarium competere voluerint Bartolus *in l. Si marito, §. fin. ff. solut. matrim.* & alii à Surdo *d. tit.3. q.2. n.7. & 9.* relati, quorum sententiam sequitur tum ibi, tum *d. tit. 8. privil.49. n.2. per totum*, sed præsertim *vers. Castrensis tamen*, quia constante matrimonio, inquit Surdus *d.q.8. n.10.* actio de dote non est nata; & sic licèt alimenta dicantur accessiones dotis, non tamen peti possunt ut accessiones, nisi quando dos ipsa petitur, si agendum sit actione de dote: cùm ergo actio de dote non detur constante matrimonio, uxor non potest durante matrimonio petere alimenta jure actionis dotalis.

873 Nihilominus Negusantius loco suprà allegato, *n.49. & 52.* Corduba *d. n. 40.* Mynsingerus *d. observat. 64. n.1.* & alii, quos refert, & sequitur Stephan. Gratian. *d. cap.634. num. 7.* tanquam verius censent, uxorem etiam constante matrimonio posse petere alimenta jure actionis, cùm judicium de dote sit ex parte uxoris universale, in quo judicio universali veniunt, seu includuntur accessiones tanquam pars rei jure actionis, per jura à Surdo *d. q.2. n.2. & 3.* allegata, & tradit Mantica *de tacit. & ambiguis, lib.12. tit.31.* & per consequens etiam datur tacita hypotheca pro eisdem alimentis, sicut pro dote.

E contra verò marito, cui dos promissa ab eo qui jure sanguinis non tenebatur alere uxorem, pro consequendis alimentis, seu interusuriis ob morosè retardatam dotis solutionem, Negusantius ubi suprà *n 54.* Cynus, Baldus, & alii, quos refert, & sequitur Surdus *d. tit.3. q.5. n.4. & 6.* tenent competere solùm officium judicis mercenarium, quod deservit actioni; non autem actionem, eo quòd judicium dotis, licèt ex parte uxoris sit universale, & includat accessiones, & consequenter interusoria, & alimenta, quæ in locum interusuriorum substituuntur; ex parte tamen mariti est particulare, non includens accessoria; etsi Baldus Novellus *in l.1. n.17. ff. solut. matrim.* à Surdo *d. q 5. n. 6. fin.* relatus sustinuerit contrarium, quod meritò detur actio de dote, vel ex stipulatu pro iisdem interusuriis, vel alimentis debitis ob moram commissam; quem tamen reprobat idem Surdus ex eo, quod se fundet in eo, quod etiam ex parte mariti judicium de dote sit universale. Dixi *ab eo, qui jure sanguinis non tenebatur alere uxorem.* Nam ubi dos fuit promissa ab eo, qui uxorem alere tenebatur, tum ob moram in solutione dotis marito contra socerum, vel alium dari actionem negotiorum gestorum pro alimentis consequendis, tradunt Imola *in l. Insulam, §. usuras, ff. soluto matrim.* Roland. *cons.65. n.9.* & alios allegans Surd. *d. q 5. n.1.3. & 6.* sed de prædictis fortè latiùs *in sequenti, vel ultima parte hujus tractatus de effectibus contractus matrimonii*: nunc sufficiat retulisse Doctorum sententias, leviter tactis eorum fundamentis.

In quibusnam etiam aliis casibus alimenta ab eo 874
cui debentur, petenda sint officio judicis implorato, vel jure actionis, videatur apud Surdum, qui latissimè de hac materia per totum illum titulum tertium novem quæstionibus comprehensum, ubi *quæst.* 8. agit quibusnam aliis ab alimentario detur alimentorum petitio, & *quæst. 9.* de libelli forma, quando alimenta petuntur.

Solùm noto alimenta post mortem mariti debita 875
uxori prægnanti ex bonis ejusdem mariti, juxta legem 1. §. *Sed etsi incertum sit, & §. Mulier,* & l. *Curator, ff. de ventre in possess. mittendo*, peti posse jure actionis ex lege, cùm in præfatis juribus specialiter decernantur prægnanti uxori intuitu prolis in ventre existentis, unde prægnanti debentur, etiamsi habeat aliunde unde se alere possit, ut notatum est suprà *n. 140.* & tradunt Mantica *de tacitis, & ambig. lib.12. d. tit.31. n.11.* & Stephanus Gratianus *d. c.610. n.21. & tom. 2. cap. 234. n.38.* Quare fructus bonorum dotalium ipsius uxoris viduæ prægnantis debent illi restitui non deductis sumptibus alimentorum eidem prægnanti præstitorum, cùm juxta dicta jura ex bonis mariti debeant præstari, etiamsi dote careat, id quod etiam in terminis Mantica, & Gratianus *locis citatis* notarunt; & hanc limitationem addunt doctrinæ suprà *n.871. post medium*, traditæ, quod fructus dotis ab hæredibus mariti soluto matrimonio percepti uxori viduæ sunt restituendi, deductis tamen sumptibus alimentorum ab iisdem hæredibus perceptorum. Quam etiam Doctrinam iidem Mantica *d. tit. 31. n 10. fine*, & Gratianus *d. cap.234. n.32. & d. cap.610. num.20.* dicunt (quæ est alia limitatio) intelligendam, nisi alimenta essent à marito eidem uxori viduæ legata.

SUMMARIUM CAPITIS XV.

Alimenta præteriti temporis, quando solo judicis officio debentur, peti non possunt ubi alimentarius pro se alendo non contraxit æs alienum, sed vixit aliunde ex suis industriis, vel alimenta ab aliis ex pietate, vel liberali erogatione fuerunt subministrata, num. 878.

Pater qui ob inopiam non tribuit pro aliquo tempore alimenta filio, si postea deveniat ad pinguiorem fortunam, non tenetur, nec cogi potest alimenta præteriti temporis solvere filio, n.879.

Monachus non potest agere adversus Abbatem pro præteritis alimentis sibi non præstitis, si vixit non contracto ære alieno, n.880.

Dolo facit qui petit quod statim restituturus est, ibid.

Ordinatus sine titulo alimenta præteriti temporis non potest petere ab Episcopo ordinatore, n.881.

Alimenta officio judicis tantùm debita, præterita petuntur, & præstanda sunt alimentario, si is ut se aleret, coactus fuerit accipere mutuam pecuniam, numero 882.

In hoc casu pro alimentorum præteritorum æstimatione,

sep

seu pecunia mutuò accepta restitutione actio adversus debitorem alimentorum competit mutuanti, & alimentario, ibid.

Monachus qui mutuam accepit pecuniam ut se aleret, petit ab Abbate alimenta temporis præteriti, num. 883.

Si pro aliquo tempore pater egenus ob inopiam non potuit alimenta præstare filio item egeno, qui ut se aleret contraxit æs alienum, deveniente posteà patre ad pinguiorem fortunam, contra eum non potest filius agere pro præteriti temporis alimentis, n. 884.

Ius superveniens lite pendente non prodest actori, ibid.

Tempus non est modus inducendæ, vel tollendæ obligationis, ibid.

Obligatio semel extincta non reviviscit, ibid.

Alimenta præteriti temporis solo officio judicis debita contemplatione alicujus servitii, an peti possint. n. 885.

Alimenta in hac specie alimentorum ex solo officio judicis debitorum, secundùm unam sententiam præterita dicuntur etiam ea, quæ à die mota litis decurrunt usque diem sententia lata super alimentis; futura à die sententia decurrenda; & sic decursa à die mota litis usque ad sententiam non debent præstari, si alimentarius vixit interim non contracto ære alieno n. 887.

Contraria sententia, & communis tenet contrarium, & judicari futura etiam ea alimenta, quæ decurrunt à die petitionis, seu mota litis usque ad ipsam sententiam, & ad ea debere condemnari debitorem alimentorum, & etiam in foro conscientiæ debitorem teneri illa solvere, etiamsi alimentarius interim vixerit non contracto ære alieno, n. 888.

Ab alimentis à die mota litis decursis non datur in hac specie appellatio ad effectum suspendendi declarationem, & illius exequutionem, n. 889.

Alimenta præterita peti possunt quando debentur alimentario jure actionis, v. g. ex contractu, vel testamento, n. 890.

Idque etiamsi nulla intervenerit interpellatio, & licèt legatarius ignorasset legatum, n. 891.

Eadem alimenta præterita jure actionis debita transmittuntur ad hæredes, n. 892.

Petens alimenta præterita debet probare sibi legata fuisse, vel alia ratione deberi. n. 893.

Fundamentum suæ actionis, & intentionis probare quilibet tenetur, ibid.

Ubi constiterit alimenta fuisse legata. vel alia ratione debita, debitor si dixerit se præstitisse, probare debet, ibid. fine.

Alimenta se pro tempore præterito præstitisse, difficilè probatur, n. 894.

Ad probandum quod alicui alimenta quis præstiterit, sufficiunt conjecturæ, ibid.

Legatarius præsumitur recepisse alimenta ab hærede, si cum eo morabatur in eadem domo, & ad eandem mensam comedebant, nisi probet contrarium, n. 895.

Item pupillus, qui cum tutore habitavit, præsumitur alimentatus ab eodem tutore, ibid.

Nemo præsumitur vixisse de vento, ibid.

Factum requirens expensas, quod reperitur factum, præsumitur factum ab eo qui facere tenebatur, nec requiritur alia probatio, n 896.

Factum semper quid præsumitur ab eo qui facere tenebatur, ibid.

Ubi quis stetit in domo alterius, præsumitur ab eo habuisse alimenta, & alia necessaria, ibid.

In alimentis parvis, & modici momenti probandis sufficiunt leves conjecturæ: & quæ dicantur parva, vel magna alimenta, n. 897.

Ad probandam continuam alimentorum præstationem factam in domo alicujus, sufficiunt testes domestici, n. 898.

Facta in collegio, vel capitulo probantur per testes de collegio, vel capitulo, ibid.

Continuatio alimentorum plenè probatur, probatis extremis, scilicet initio, & fine, n. 899.

Possessio continuata probatur probatis extremis, ibid.

Probatis extremis censentur posita, & probata media, ibid.

Verbum pluries *verificatur de duobus: & adverbium, quoties, nihil certi ponit, ut sic illis non probetur continuatio alimentorum, ibid.*

Libro tutoris, in quo continentur expensa pro alimentis, & aliis minori necessariis, & cuilibet libro rationum, si omnia sint ritè descripta, adjectâ causâ expensarum, cum quibus, quo die, quo mense, quo anno facta, & omnia sint verisimilia, an adhibenda sit plena fides, tam in magnis, quàm in parvis summis, maximè accedente juramento, vel morte tutoris, latè n. 900.

Ubi qui Doctores de fide libris rationum adhibenda agant.

Pupillus qui habitavit seorsum à tutore, adhuc præsumitur alitus à tutore, n. 901.

Item legatarius, qui extra domum hæredis moratus est, si erat incapax ad se alendum, præsumitur ab hærede accepisse alimenta, nisi sit præsumptio, quod ab alio, in jus domo sit moratus, acceperit, ibid.

Ubi quis est habilis ad quærendum sibi victum, non præsumitur alitus ab alio qui tenebatur, nisi constet cum illo in eadem domo habitasse, ibid.

Militibus non præsumuntur præstita impensa alimentorum ab officialibus, nisi id probetur, ibid.

CAPUT XV.

Alimenta præterita, seu quæ pro præterito tempore alimentario non fuerunt exhibita, an, & quando peti possint.

EX traditis resolvendum est, an, & quando alimenta præterita, seu quæ alimentario pro tempore præterito non fuerunt præstita ab eo, qui aliàs solvere tenetur, possit alimentarius repetere: v. g. filius pro aliquo tempore, putâ septennio, non recepit illa alimenta à patre divite, qui poterat illa præstare, sed aliunde, vel ex propriis bonis, vel à fratribus, aut amico titulo pietatis, vel amicitiæ, aut liberalitatis alimenta habuit: & similiter legatario alimentorum pro aliquibus annis ab hærede testatoris non fuerunt soluta alimenta legata, sed de suo se aluit, an in utroque casu alimenta præterita, seu pro præterito tempore non præstita repeti possint in utroque foro.

§. I.

Alimenta præterita solo officio Iudicis debita, an debeantur alimentario qui aliunde ex pietate, vel liberalitate, & erogatione aliorum vixit, & quando peti possint.

IGitur primò communis Doctorum conclusio est, 878
quod alimenta, quæ solùm officio Judicis debentur, & præstanda sunt, pro tempore præterito non præstita, non possunt peti ab alimentario, seu ab eo qui aliunde

aliunde habuit alimenta, sive ex propriis bonis, sive ex sui industria, sive ex liberali erogatione aliorum se aluerit, sive is sit filius, aut nepos, sive pater, aut avus, sive frater, aut quæcumque alia persona, cui pro alimentis sibi debitis ab alio jus actionis non competit, sed solùm judicis officium. Ita Bartol. *in l. Libertis quos*, §. *Manumissus*, n. 3. *ff. de alim. & cib. leg.* Alexand. *in l. De alimentis*, *in princ. Cod. de transf. ibid.* Decius *n.* 5. idem Alex. *consf.* 71. *num.* 9. *lib.* 5. Ant. Gomez *ad l.* 83. *Tauri*, *n.* 13. *fin.* Pontanus *de alim. cap.* 1 *a. initio*, Thesaur. *decis.* 44. *n.* 1. & *decis.* 211. *n.* 19. Corduba à Lara *in l. Si quis à liberis*, *in princ. n.* 71. *ff. de lib. agnosc.* P. Barbosa *ad l.* 2. *p.* 1. *in princ. n.* 32. *&* 33 *ff. sol. matrim.* Surd. *de alim. tit.* 1. *q.* 32. *n.* 40. *tit.* 7. *q.* 15. *n.* 77. & latiùs *tit.* 5. *q.* 1. *n.* 43. *& seq.* Molfes. *ad consuet. Neapol. tom.* 1. *p.* 5. *q.* 4. *n.* 14. Mateseot. *var. resol. lib.* 2. *cap.* 83. *n.* 2. Jacobus Cancerius *var. resol. tom.* 1. *cap.* 16. *n.* 2. Stephan. Gratian. *discept. for. tom.* 1. *cap.* 60. *num.* 19. *&* 20. Fontanella *de pact. nupt. claus.* 5. *p.* 1. *n.* 100. *& claus.* 6. *gl.* 2. *p.* 3. *n.* 35. Metenda *controv. juris tom.* 4. *d. lib.* 22. *cap.* 39. *n.* 3. *& seq.* Additionat. ad Mol n. *de primog. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 6. & alii Jurisperiti communiter relati à Pontano, Corduba, de Franchis, Gratiano, Fontanella, Thesauro, Addition. ad Molin. *loc. cit.* & à Surdo *d. q.* 1. *cit. n.* 41, Ex Theologis etiam loquentibus in patre, quod non teneatur alimenta præterita præstare filio, qui pro aliquo tempore non ex bonis paternis, sed aliunde ex propria industria, vel ab alio, non contemplatione patris, sed ex pietate, vel liberalitate præstante alimenta habuerit, tradunt Azorius *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 16. Vasquez *opusc. de testam. c.* 5. §. 7. *dub.* 9. *n.* 136. Megala *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 13. *q.* 1. *n.* 26. & Bonacina *de præcept. Decal. disp.* 6. *q. unica*, *p.* 6. *n.* 13. *& de contract. disp.* 3. *quæst. ult. p.* 3. *n.* 5. Ratio est, quia ubi alimenta solùm judicis officio peti possunt ab alimentario, ex eo quod non debentur ex contractu, vel testamento, aut dispositione statuti, sed solùm ex jure, & conjunctione sanguinis, & æquitate naturali, atque ex dispositione juris communis, solùm debentur in subsidium, & ob necessitatem urgentem, scilicet quando alimentatius non habet aliunde unde se possit alere, ut dictum est in præcedentibus, & latè ostensum est suprà *cap.* 1. *n.* 27. *cum pluribus sequent. & cap.* 7. *n.* 279. *& n.* 489. *cum pluribus seq.* & constat ex *d. l. Si quis à liberis*, §. *Sed si filius*, *ff. de liberis agnosc.* & præter prææallegatos Doctores tradunt alii suprà *d. n.* 27. allegati: necessitas verò illa cessat, & non consideratur nisi pro præsenti, & futuro, non pro præterito tempore. Cùm igitur respectu temporis præteriti elapsa sit necessitas, & indigentia alimentorum, ex qua sola oritur obligatio illa præstandi, jam non viget illa obligatio, & sic alimenta illa pro præterito tempore non præstitita, non sunt postea restituenda, ubi propter illa non sit contractum æs alienum. Confirmant hæc communis conclusio, seu doctrina, quia licèt alimentorum causa sit favorabilis, tamen omnis favor cessat quoad alimenta præterita. Battol. Decius, Padilla *in d. l. Alimenta*, *Cod. de transact.* Vincent. de Franch. *decis.* 23. *n.* 1. Thesaur. *d. decis.* 44. *n.* 1. Surd. *tit.* 8. *privil.* 60. *n.* 15. Scaccia *de appellat. q.* 17. *limit.* 7. *n.* 14. Giurba *decis.* 4. *n.* 46. Cancerius *d. cap.* 16. *n.* 2. August. Barbosa *ad lib.* 2. *Cod. Collect. ad d. l. de alimentis*, *n.* 4. & alii communiter, & sic juxta eosdem Doctores, & alios communiter, præteritorum alimentorum causa non est summaria, & à sententia super iisdem alimentis præteritis lata in favorem alimentarii datur appellatio, etiam quoad suspensionem: & licèt Azorius, & Bonacina *locis citat.* dicant solùm in foro interiori non teneri patrem alimenta præterita, seu illorum æstimationem reddere filio; in foro verò exteriori authoritate, & officio Judicis liberum esse filio præfatorum alimentorum præteritorum æstimationem à patre repetere: nihilominus certum est, neque etiam in foro exteriori posse repetere, nisi in casibus in jure expressis, & ita sentiunt omnes prææallegati Jurisperiti, qui loquuntur de petitione alimentorum præteritorum in foro exteriori, & constat ex textu *in d.* §. *Sed & si filius*, juxta quam pater non obligatur alere filium, nisi tunc solùm quando unde se alat, non habet: quæ necessitas cessat respectu temporis præteriti.

Hinc etiam patet, quòd pro aliquo tempore non aluit filium, quia erat inops, & non habebat pro se, deveniens ad pinguiorem fortunam, non cogitur eidem filio præteriti temporis alimenta, seu eorum æstimationem solvere, quia à principio pater paupertate excusabatur, & posteà non obligatur, cùm respectu temporis præsentis cesset necessitas. Ita in terminis Ascanius *de patr. potest. effectu* 17. *n.* 24. & Surdus *d. q.* 1. *n.* 43. *fine.* 879

Similiter Monachus agere non potest adversus Abbatem pro præteritis alimentis sibi non præstitis, si non contracto ære alieno ex erogatione liberali aliorum habuit alimenta, ut tradidere Alexand. *in d. l. de alimentis*, *in fine*, *Cod. de transact.* & Rota Romana *decis.* 10. *de judiciis*, *alias* 305. *in novis.* Qui tamen non nituntur prææallegata ratione, quod dicta alimenta debeantur officio judicis, & sic in subsidium, & ob necessitatem præsentem tantùm; sed moventur illa regula, *Dolo facis qui petis quod restituturus es*, *l. Dolo*, *ff. de except. doli*, etsi pro alimentis futuris potest agere, *cap. ex parte*, *de accusat.* 880

Item ordinatus sine titulo ab Episcopo, quem alioqui Episcopus tenetur alere si aliunde non habeat, si ex arte, vel operis, vel aliter se aluit, non potest petere ab Episcopo ordinatore alimenta præteriti temporis. Ita Decius *in cap. Episcopus*, *de præbendis*, & Surd. *d. q.* 1. *n.* 43. *circa medium.* 881

§. II.

Alimenta officio solo judicis debita petuntur & præstanda sunt alimentario, si is ut se aleret, fecit se debitorem, scilicet mutuam pecuniam accepit; & an tam mutuanti, quàm alimentario competat actio contra debitorem alimentorum pro restitutione pecuniæ mutuò acceptæ.

Dixi autem in propositione præfatæ communis conclusionis, *sive ex propriis bonis, sive ex sui industria, vel liberali erogatione aliorum.* Nam si filius, & quivis alius, cui ab alio debentur alimenta ex solo judicis officio, ex defectu alimentorum sibi à debitore non præstitorum coactus fuit æs alienum contrahere, mutuòve pecuniam accipere ad alimenta; tunc contra debitorem potest pro alimentis temporis præteriti usque ad æstimationem æqualem æri alieno contracto, seu sufficientem ad solvendum æs alienum contractum, agere. Nam hoc damnum accidit culpâ debitoris morosi, ob quam moram debet præservari indemnis à debito ejus occasione facto, & sic est danda actio pro eo quod interest. Ita præter Theologos suprà *num.* 88. allegatos, asserentes etiam in foro conscientiæ patrem teneri solvere tale debitum à filio contractum pro alimentis, quia ipse pater tenebatur administrare, Bartolus, Alexander, Pontanus, P. Barbosa, Corduba, Vincentius de Franchis, Molfesios, Metenda locis suprà *num.* 878. citatis, Thesaur. *d. decis.* 211. *num.* 16. Surdus *d. tit.* 5. *cit. quæst.* 1. *num.* 46. *&* 51. Fontanella *d. clausula* 6. *gloss.* 2. *par.* 3. *num.* 37. *cum pluribus sequent.* Afflict. *decis.* 10. *num.* 4. Molfes. *in consuet. Neap. tom.* 1. *p.* 5. *q.* 4. *n.* 14. *& par.* 6. *q.* 10. *n.* 7. *& consil.* 9. *num.* 35. Additionator ad Molin. *de primogen. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 6. *versic. & quod dictum*, Steph. Gratian. *d. cap.* 60. *n.* 21. & alii plures Jurisperiti, quos Surd. 882

Add.

Additionator ad Molinam, & Gratianus referunt, licèt inter eos sit dissensio, an in hoc casu pro alimentis prædictis, seu eorum æstimatione, aut pecuniæ mutuò acceptæ restitutione detur actio ipsi alimentario, an verò illi qui pecuniam dedit, Bartolus enim, & Corduba locis suprà *n.*878. citatis, & alii à Surdo *d. q.* 1. *n.*52. & Gratiano *d. cap.* 60. *n.*22. *& trib. seq.* allegati voluerunt hujusmodi actionem dari ei qui mutuo dedit pecuniam, ita ut is solus possit agere ad pecuniæ restitutionem, idque per textum *in l. fin. ff. de in rem verso.* At Surdus *d. q.*1. *num.*53. *ad* 59. & Gratian. *d. c.*60. *n.*26. *ad* 29. & Fontanella *d. p.*3. *n.*40. asserunt utrique hoc jus, seu hujusmodi actionem pro alimentis præteritis adversus debitorem competere; & mutuanti quidem, quia in ejusdem debitoris utilitatem mutuum fuit versum, *in d. l. fin. ff. de in rem verso*: sicut cuilibet negotiorum gestiori datur actio contra eum, in cujus commodum negotium cessit, juxta illam regulam, quod ex quo res mea tibi proficit, possum à te condicere, quanvis nullus contractus inter me, & te intervenerit, *l. Si me & Titium, ff. si certum petatur*, Gloss. *in l. His solis, ff. de condict. indebiti*, & Cevallos latè *quæst.* 727. *num.* 43. Alimentario verò hæc actio pro præteritis alimentis competit, quia debitor fuit in mora stante interpellatione, unde æquum est ut implorato judicis officio, quod datur quandocumque suggerit æquitas, ut latè probat Surdus *n.*53. *&* 54. præservetur indemnis, & relevetur pro eo debito, quod ob culpam debitoris contraxit, & sic sibi solvatur quod alteri promisit, & relevetur ab ea obligatione, quam contraxit ob illam moram, ob quam etiam datur regulariter actio pro suo interesse, *l. unica, Cod. de sent. quæ pro eo quod interest, l. Quod te, ff. si certum pet.* & post alios Surdus, & Gratian. *loc. cit.* Bartol. ergo, & alii possunt rectè intelligi de actione danda mutuanti, non tamen privativè ad eum, qui mutuam pecuniam accepit, cùm utrique diversis respectibus hoc sit concedendum; ex quo enim mutuans sequutus est mutuatarii fidem, si noluerit agere contra eum, in cujus utilitatem mutuum versum est, sed contra illum, cui mutuavit, poterit hoc facere: Surdus, & Gratianus post Glossam *in l. Sed Iulianus, §. Perinde, vers. Solebat, fin. ad Macedonian.* & etiam is cui mutuum factum est, debet posse agere contra debitorem alimentorum, quia sua interest habere pretium, quod possit adveniente die solvere, *arg. l. Si debitor, in fin. ff. de furt.* & ita latè Surdus. Dixi, *usque ad æstimationem sufficientem ad solvendum æs alienum pro alimentis contractum*; quia in hac specie alimentarius non potest petere æstimationem omnium alimentorum quæ illi fuissent præstanda secundùm dignitatem, sed solùm æstimationem alimentorum quibus pro eo tempore præterito vixit, scilicet solùm petere potest, sibi solvi æs alienum pro illis alimentis habendis contractum, ut in specie docet Fontanella *d. n.*37. ubi testatur ita sententiasse suum Senatum. Ita etiam Thesaurus *d. decis.*211. *cit. n.*16.

883 Ex quibus dicendum est, quod si Monachus denegatis sibi ab Abbate alimentis, acceperit mutuò pecuniam ut se aleret, vel monachum, vel illum qui mutuam pecuniam dedit, posse adversus Abbatem agere pro solutione pecuniæ mutuò acceptæ. Corduba *loc. suprà allegat.* & similiter Clericum ab Episcopo scienter sine titulo ordinatum, posse consequi alimenta præteriti temporis, si idem Episcopus fuit in mora solvendi, & idem Clericus, ut se aleret, alii se obligavit. Decius loco suprà *n.*881. citato, & Surdus *d. q.* 1. *num.* 49.

884 Etsi autem prædictam doctrinam quoad alimenta præteriti temporis ab alimentario, qui æs alienum contraxit ut se aleret, Ascanius Clem. *in tr. de patria potest. eff.*17. *cit. n.*24. velit habere locum etiam quando pater egenus erat, & filius pariter tunc indigens pro se alendo mutuam pecuniam accepit, si pater devenerit ad pinguiorem fortunam, effectusque sit dives, ut tunc filius possit adversus patrem divitem agere pro præteriti temporis alimentis, ut creditori solvat pecuniam mutuò acceptam: nihilominus asserendum est, patrem qui tempore mutui accepti non tenebatur filium, licèt inopem alere, quia ipse pater etiam erat inops, & non habebat unde se aleret, non teneri ad restitutionem alimentorum præteritorum, seu pecuniæ à filio mutuò acceptæ; nam in patre ob inopiam inhabili ad solvenda alimenta filio, cessat obligatio præstandi alimenta, ut superiùs probatum est, quæ non potest oriri postquam factus est dives; nam quando est dives, jam filius habuerat alimenta aliunde: & quod initio non valet, tractu temporis non convalescit, *l. Quod initio, ff. de reg. juris*: considerandum est tempus in quo filius indigit alimentis, ut cognoscatur si pater tenetur: quando autem filius indigebat, pater egenus non tenebatur alere, & consequenter supervenientes divitiæ non inducunt obligationem respectu illius præteriti temporis: tum ex eo, quod jus superveniens lite pendente non prodest actori, *l. Non potest videri*, ubi Scribentes, *ff. de judiciis*; nec tempus est modus inducendæ obligationis, *l.* 1. *§. Ex his, ff. de verborum obligat.* tum quia filius non potest dicere, quod accipiendo mutuum gesserit utile negotium pro patre, qui ob inopiam non tenebatur alere: tum etiam, quia sicut obligatio semel extincta non resurgit, nec revivisit, *l. Ejus qui, §. fin. ff. de jure fisci*; ita ea quæ non est nata non debet exsurgere ex postfacto, re non integra. Quare tunc solùm supervenientibus divitiis resurgit debitoris obligatio, quando debitum erat jam formatum in persona debitoris, sed suspensa fuit exactio ob paupertatem, ut in his qui tenentur solùm in quantum facere possunt, & in debitore, qui cessit bonis: at in præsenti casu debitum nunquam fuit formatum, nec formatur de novo ex eo, quod pater factus fuerit dives; quia quando supervenere divitiæ, jam non extabat in filio indigentia, sed cessaverat, & ita Surdus *tit.*5. *citata q.*1. *n.*60. *ad* 66. latiùs idem probans. Utrum verò si pater inops pro alendo filio contraxerit æs alienum, quod non est solvendo, neque in vita, neque post mortem, filius teneatur ex propriis bonis illud æs alienum solvere, seu satisfacere creditoribus patris? De hac difficultate agitur *cap.*24. & ultimo hujus partis.

§. III.

Alimenta præteriti temporis solo officio Iudicis debita contemplatione alicujus servitii, an ab alimentario peti possint.

PRæterea doctrinam communem, quod alimenta ex solo judicis officio debita, si pro aliquo tempore 885 alimentario non fuerint præstita, alimentarius postea non possit illa petere, limitatur quando alimenta debentur non solùm jure sanguinis, sed ratione operarū servitii, vel contemplatione alterius rei, v.g. dotis, vel aliter; tunc enim alimenta pro tempore præterito non præstita peti posse, tradunt Bartol. *in d. l. Libertis, §. Manumissis, n.* 3. *ff. de alim. & cib. leg.* ad id allegans Dyn. *in l. Si cùm dotem, §. Sin autem in sævissimo, ff. sol. matrim.* & Cynum *l. Quod in uxorem, ff. de negot. gest.* & Beroum *cons.*52. *n.*18. *vol.*2. Gama *dec.*62. *n.*4. loquitur autem Bartol. & cum eo Gama in uxore cui vir alimenta præstare tenetur propter servitia; & dicit quod si stetit in servitio viri, consequitur præteriti temporis alimenta, & idem ait esse quando culpâ viri non fuit in servitiis, quia per eam non stetit: & Bartolum sequitur Gamma *d. n.*4. in quo tamen Bartolo contradicit Surdus *d. q.* 1. *n.* 69. *versic. Circa tamen*, dicens ea uxoris servitia non esse tantæ virtutis & efficaciæ, ut

inducant

inducant jus præterita alimenta petendi. Additque, Cynum, & alios *in d. l. quod in uxorem*, non dicere quod uxor possit alimenta petere pro tempore præterito, neque etiam id dici *in d. §. sint autem in sævissimo* sed Doctores præfatos voluisse, quod uxor sit alenda à viro, cui fuit in obsequiis; de præterito verò non loqui. Verùm quidquid sit de hoc, propter dotem traditam marito uxorem jure actionis, & non solùm Judicis officio pro alimentis posse à marito petere alimenta, notatum est suprà *num.* 874.

§. IV.

Quænam alimenta in hac specie dicantur præterita, & quæ futura; ubi an præterita judicentur solùm usque ad diem motæ litis, futura à die motæ litis.

886 Diximus in præcedentibus juxta Doctores omnes, quando alimenta debentur, & peti possunt solum Judicis officio implorato, alimenta præterita, seu præteriti temporis, in quo alimentarius aliunde se aluit, non contracto ære alieno, ut se pro eo tempore aleret, ampliùs tam in foro conscientiæ, quàm in foro externo non posse peti, nec debere eorum æstimationem alimentario restitui; & consequenter alimentarium egentem, & aliunde non habentem, posse alimenta futura tantùm petere. Restat modò videre in hac specie, quæ dicantur, & sint alimenta præterita, quæ futura, ut hæc tantùm ab alimentario indigente peti possint, non illa, cùm sint solo officio Iudicis debita; de qua re latissimè Fontanella *d. clausula 6. glossa 2. part. 3. à num. 41. ad 55.* & difficultas est, an præterita alimenta dicantur decursa usque ad diem motæ litis, seu petitionis; futura verò, quæ decurrunt à die motæ litis, seu petitionis factæ, ita quod futura alimenta dicantur etiam, quæ sunt decursa ante sententiam, seu provisionem, ac taxationem, post tamen litem motam, seu petitionem eorum, ac proinde alimentario petenti debeantur, & sint decernenda, licèt intra illud tempus à die motæ litis usque ad sententiam aliunde vixerit, non contracto ære alieno, quia v. g. alimenta ei ex pietate; & ex liberalitate ab alio, quàm à debitore fuerint erogata; an verò futura dicantur solùm à die sententiæ, seu provisionis, & taxationis; & præterita sint, & dicantur decursa usque ad diem sententiæ, etiam post litem motam, & sic non deberi alimenta, quæ à die motæ litis usque ad sententiam decurrunt, nisi alimentarius interim pro alimentis sibi necessariis contraxerit æs alienum alterìve se obligaverit, idque probet.

887 Et prima sententia est, dici, & esse futura solùm quæ decurrunt à die sententiæ, & provisionis, non verò etiam quæ decurrunt à die petitionis & interpellationis; hæcque non deberi, neque ad ea alimentario solvenda debere, seu posse condemnari eum qui ex solo judicis officio præstare tenetur alimenta, nisi alimentarius interim vixerit ex ære alieno contracto, idque docuerit. Ita Paulus de Castro *in l. divortio, n. 6. ff. soluto matrimonio*, à P. Barbosa loco infrà citato relatus, Fabius de Anna *cons. 71. part. 1.* ubi testatur Senatum Neapolitanum idem sensisse. Padilla *in l. de alimentis, Cod. de transact.* Ferrer. *cap. 15. in 3. p. suarum observationum*, ubi testatur in facti contigenti ita judicasse Senatum Cataloniæ, & sæpius juxta hanc sententiam judicasse eundem Senatum, refert Fontanella *d. l. clausula 6. glossa 2. p. 3. num. 42. & 53.* Hanc eandem sententiam tenuisse alios scribit P. Barbosa *ad l. 2. p. 1. in principio, n. 33. ff. solut. matr.* & eam amplexus est Merenda *controv. juris tom. 4. lib. 22. d. c. 29. n. 4.* Fundamentum sumitur ex traditis suprà *n. 878.* ad probandum alimenta præterita, quando solo Iudicis officio peti possunt, non deberi, quia hujusmodi alimenta Iudicis officio tantùm debita præstantur in subsidium, & ex causa necessitatis urgentis, quæ necessitas pertinet tantùm ad tempus præsens, & futurum, non autem ad præteritum: respectu enim temporis præteriti, jam necessitas præteriit, nisi alimentarius, ut se tunc aleret æs, alienum contraxisset. Si ergo alimentarius à die motæ litis usque ad latam sententiam super alimentis vixit aliunde non contracto ære alieno, non debentur ei pro præfato tempore præterito alimenta, seu eorum æstimatio, cùm respectu dicti temporis præteriti præterierit necessitas, cui consulendi gratiâ solum officium Iudicis datur. Quare Merenda *d. cap. 29. n. 5.* dicit in conclusione comuni tradita suprà *d. n. 878.* ita intelligendos esse Bartolum, Alexandrum, Surdum, & alios dictam conclusionem tenentes, & absolutè asserentes alimenta, quæ solo Iudicis officio petuntur, pro præterito tempore non præstita, non deberi alimentario qui ut viveret, non contraxit æs alienum, quia debent præstari solùm in subsidium, & ex causa necessitatis, & necessitas cessat respectu temporis præteriti, respicitque solùm tempus præsens: quod confirmat, quia cùm rarò accidat, non intercedere tempus notabile inter principium litis, & latam sententiam super alimentis, idque non possit dici non venisse illis Doctoribus in mentem, eo ipso, quod dixerunt absolutè non deberi alimenta respectu temporis præteriti, comprehenderunt etiam tempus intermedium inter principium, & finem litis. Idem Merenda *num. 6.* confirmat hanc sententiam, quia cùm ea sit natura horum alimentorum ex solo Iudicis officio debitorum, ut in subsidium debeantur, ut *n. 878.* & alibi dictum est, litis contestatio non potest inducere obligationem absolutam præstandi alimenta, sed eam inducit juxta naturam alimentorum, idest si aliunde ali non potuerit. Idem Merenda *n. 4. fine*, occurrens contrariæ sententiæ fundamento, additi hinc, seu hac sententia non dari occasionem trahendi in longum litem ei, qui alimenta præstiturus est, eo quia adeò facilè Iudices soleant decernere alimenta lite pendente, ut non rarò res ad magnam deducatur iniquitatem, de quo idem Merenda *tom. 1. lib. 5. c. 28. 29. & 30.*

Altera sententia communis, vel saltem magis communis, est in hac specie alimenta futura dici, & esse non solùm ea quæ decurrunt à die latæ sententiæ super alimentis, sed etiam ea, quæ ante sententiam decursa sunt, vel decurrunt à die petitionis, & motæ litis, ut proinde alimentario debeantur etiamsi tempore illo intermedio inter principium, & finem litis, aliunde vixerit non contracto ære alieno, eo quòd ex pietate, vel liberali erogatione ab amico ei alimenta fuerint præstita. Ita P. Barbosa *ad d. l. 2. p. 1. in principio, n. 32. & 33.* referens esse ejusdem sententiæ Baldum *cons. 58. num. 7. vol. 2* & Decium *in d. l. de alimentis, n. 6. Cod. de transact.* Lancellottus *de attentatis, 2. p. c. 12. limit. 24.* Vincentius de Franchis *decis. 605. n. 6. & 9. fine*, Pontanus *de alim. cap. 12.* Surdus *de alim. tit. 8. privil. 60. n. 16.* Marescotus *var. lib. 2. cap. 85. num. 3. fine*, Giurba *decis. 4. num. 47.* Fontanella *d. clausula 6. glossa 2. p. 3. n. 43. ad 51.* Stephanus Gratianus *decis. 53. num. 11.* Cavalcanus *decis. 10. n. 43. p. 1.* Vivius *decis. 523. n. 42.* Thesaurus *decis. 44. n. 1.* Capycius *decis. 24. num. 9.* Polydorus Ripa *observatione 305. n. 2.* quatenus hi tres aiunt alimenta præterita officio Judicis debita solvenda esse ubi acta est interpellatio, & debitor constitutus est in mora, petitio enim alimentorum in futurum judicialiter facta est interpellatio, & efficacior quacumque alia. Sigismundus Scaccia *de appellatione, quæst. 17. limit. 7. num. 15.* Aloysius Riccius *in collect.* Decius *p. 3. collect. 548.* Cancerius *res. var. part. 1. c. 16. n. 2.* Augustinus Barb. *ad librum 2. Cod. collectanea ad d. l. de alimentis, n. 5.* 889

Cod. de transactionibus, & plures alii relati à Fontanella, & Aug. Barbosa, & quod caput est, Rota Romana apud Verallum *decis.* 20. *num.* 4. *dec.* 22. *n.* 2. *dec.* 24. *n.* 3. item *dec.* 764. *n.* 5. *p.* 1. *diversorum*, *dec.* 208. *n.* 5. apud Burattum, & alibi sæpè, ut habetur *d. n.* 5. & referunt Pontan. Marescot. & Fontanella, qui etiam ubi suprà, *n.* 54. refert plures casus, in quibus Senatus Cataloniæ alimenta officio judicis debita, quia censentur uti futura à die petitionis, judicavit ex tunc solvenda, etiamsi alimentarius à die illa usque ad sententiam vixerit non contracto ære alieno. Item hæc alimenta, quæ solo judicis officio petuntur, deberi à die inchoatæ litis, & judicis officii implorati in causa, de qua ibi, judicasse Senatum Neapolitanum testatur *d. dec.* 605. *n.* 6. *fine*, Vinc. de Franchis, qui *n.* 9. *fin.* notat aliter ab eodem Senatu fuisse judicatum in alia causa, de qua Fabius de Anna *d. conf.* 71. quia non fuit facta ibi plenè discussio, & illa decisio prodiit per regulam generalem, scilicet quod alimenta præterita, debita officio judicis, non debentur. Hæc sententia, quod alimenta quæ decurrunt à die petitionis, seu interpellationis, censenda sint uti futura, & ideo quamvis officio tantùm judicis debeantur, nihilominus præstari debere, & esse præstanda ipsi alimentario ex ipso die petitionis, quo incipiunt esse futura, probatur duplici fundamento. Primum est, quia per petitionem, & interpellationem alimentarius tunc alimentis egens constituit debitorem in vera mora, juxta *legem si ex legati causa* 25. *ff. de verbor. oblig.* Quare licet postea per alium à debitore causa pietatis, vel ex liberali erogatione illi præstita sint alimenta, potest nihilominus petere alimenta à debitore moroso; nam cùm tempore petitionis constet non habuisse unde se aleret alimentarius petitor, & interpellans, obligatio jam constituta dissolvi non debuit ex eo, quod causa pietatis, vel ex liberali erogatione postea ab alio obtinuit alimenta. Secundum fundamentum est, quia si à die petitionis, & motæ litis alimenta non judicarentur futura, & præstanda, sed tantùm à die latæ sententiæ, ei qui alimenta præstare debet daretur materia differendi alimentorum præstationem, idemque reportaret commodum ex suo dolo, & ex suis cavillationibus, quibus litem sustinet, protrahit, & prosequitur, ex quo daretur occasio, ut in infinitum eandem litem protraheret, sciens interim dum non fertur sententia super alimentis, & illorum taxatione, se esse exemptum ab illorum præstatione, nec posse postea in sententia ferenda in aliquo circa hoc condemnari: quo dato etiam in causa alimentorum erit deterior aliis, cum in reliquis, si reus declarationem differt, suo periculo differat; quia ex die petitionis currunt contra eum rei petitæ usuræ, fructus scilicet, si res sit frugifera; & interesse, si sit pecunia, ad quorum solutionem, seu restitutionem postea cum re ipsa condemnatur. Et hanc sententiam ego quoque veram existimo, & servandam, non solùm in foro Judiciali, sed etiam in foro conscientiæ, idque præsertim propter secundum fundamentum, adversatur enim juri naturali, dari occasionem delinquendi, & delinquentem consequi commodum ex suo debito, & consequenter is, qui præstare debet alimenta, & potest; eo ipso quod interpellatur, & constituitur in mora ab alimentario tunc egente, jure naturali ex tunc obligatur ad alimenta præstanda.

889 Ex quibus infertur, ab alimentis à die motæ litis decursis non dari appellationem ad effectum suspendendi declaratoriam, & illius executionem, ut tradunt Rota Rom. *d. dec.* 24. apud Verallum, & Vivius loco suprà *citato*, quia judicantur, inquiunt, uti futura, in quibus non datur appellatio ad dictum effectum. Cùm etiam absolutè debeantur, transmittuntur ad hæredes alimentarii, sicut ea quæ jure actionis præstanda sunt.

§. V.

Alimenta præterita peti possunt, & sunt restituenda quando debentur jure actionis, putà ex contractu, vel testamento.

SEcundò juxta Doctores communiter alimenta jure actionis debita, putà ex contractu, vel ex legato, seu testamento, pro præterito tempore à debitore non soluta, possunt peti ab eo cui debentur, quamvis de suo, vel aliunde se aluerit, & tenetur, ac cogi debet debitor illa, seu illorum æstimationem solvere petenti. Ita Bartol. *in l. libertis quos*, §. *manumissis*, *de alim. & cib. leg. & in l. de alimentis*, *Cod. de transact.* ubi Jason. *num.* 6. Decius *num.* 5. & alii Scribentes, Simon de Præt. *de interp. ult. vol. lib.* 4. *interp.* 1. *dub.* 11. *n.* 88. Pontanus *de alim. cap.* 16. *num.* 8. *&* 9. *& cap.* 17. *n.* 1. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, *in princ. n.* 74. *&* §. *item rescriptum*, *n.* 64. *ff. de liber. agnosc.* Surd. *de alim. tit.* 5. *q.* 1. *n.* 40. Cancerius *var. p.* 1. *cap.* 16. *num.* 2. Marescotus *var. lib.* 2. *cap.* 83. *n.* 6. Fontanella *de pact. nupt. clausula* 6. *glossa* 2. *p.* 3. *n.* 35. Stephan. Gratian. *tom.* 1. *c.* 60. *num.* 57. *& tom.* 5. *c.* 815. *n.* 4. *& cap.* 954. *n.* 39. Molfes. *ad consuet. Neap. tom.* 1. *p.* 5. *q.* 4. *n.* 13. Additionator ad Molinam *de primog. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 6. & præter innumeros alios à præallegatis, præsertim Surdo, Gratiano, & Fontanella relatos, Rota Romana *p.* 1. *diversorum dec.* 658. *num.* 1. *& dec.* 203. *n.* 1. 890

Procedit autem præfata communis doctrina, etiamsi nulla intevenerit interpellatio, & licèt legatarius ignorasset ea alimenta sibi deberi, ut post alios Simon de Prætis *d. num.* 88. & etiam Gratianus *d. cap.* 815. *num.* 4. 891

In hoc etiam casu actio, seu jus repetendi præfata alimenta præterita transmittitur ad hæredes illius, cui jure actionis, seu ex contractu, vel testamento debebantur, cùm ad hæredes transeant activæ, & passivæ actiones, *l.* 1. *Cod. si certum petatur*, *& l. pacto successionis*, *Cod. de pactis*, & ita expressè Corduba *in dicta lege si quis à liberis*, §. *si mater*, *num.* 84. *&* §. *item rescriptum*, *num.* 64. *ff. de liberis agnoscend.* Molfesius *loco citato*, & alia jura, & alios Doctores allegans Surdus *d. quæst.* 1. *num.* 39. *&* 40. Etsi enim alimenta ex parte ejus cui debentur, non transeunt ad hæredes; tamen ex parte debitoris obligatio transit ad hæredes, ut notat Alexander *conf.* 18. *n.* 17. *vol.* 5. Gigas *de pension. q.* 52. *n.* 9. & Surdus *d. n.* 39. 892

§. VI.

Præstita fuisse pro tempore præterito alimenta ab eo qui tenebatur præstare, quomodo probetur, & cui incumbat onus probandi fuisse præstita.

CÆterùm ubi ille qui ali debet, negat se alitum, ac præterita alimenta quæ illi relicta sunt petit, cui incumbat onus probandi, legatarióne, vel pupillo, si illi debebantur à tutore, præstita non fuisse; an hæredi, vel tutori se præstitisse? De hac re videndi sunt loquentes in tutore, & pupillo Doctores *in l. fin. Cod. de alimentis pupillo præstandis*, Menochius *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 18. *num.* 4. *& lib.* 6. *præsumpt.* 11. *num.* 2. *& præsumpt.* 71. *num.* 2. Mascardus *de probat. conclus.* 77. *num.* 7. *& conclus.* 715. *num.* 4. *& conclus.* 716. *n.* 1. Corduba à Lara *in l. si quis à libris*, §. *item rescriptum*, *num.* 66. *ad finem*, Benintendus *decis.* 43. & Surdus *de alim. tit.* 6. 893

tit. 6. q. 23. per totam. In primis legatarius probare tenetur alimeota legata fuisse, sicut & pupillus debet probare alimenta sibi ut pupillo à tutore deberi, *l. actor, Cod. de probat. l. ei qui, tit. Cod. eod. l. veriùs, ff. de probat.* quilibet enim probare debet fundamentum suæ actionis, & intentionis, etiamsi consistat in oegativa, *l. optimam, Cod. de contrah. & committ. stipul. & l. illa,* ubi Bartolus, & cæteri Doctores, *ff. de verb. obligat.* & Surdus *d. quæst. 23. n. 2.*

Ubi verò probatum fuerit, constiteritque alimenta esse legata, aut debita, qui præstare debet, cùm præstandi onere sit astrictus, si se ea præstitisse dixerit, probare debet; si quidem excipiendo fit actor, *leg. 1. ff. de emptionibus*, & aliis allegatis à Corduba *d. n. 65. fine.*

894 Cùm verò probatio hujus rei, scilicet se præstitisse alimenta, sit difficilis, ut notavit post alios Corduba *ubi suprà, num. 66.* Mascardus *allegata conclusione 77. n. 8.* Benintendus *d. decis. 43. num. 2.* & Surdus *d. q. 23. num. 9.* quia non solent adhiberi testes quando alimenta perpetuò, & singulis diebus præstantur, ut fiunt continuò singolæ illæ impensæ; ideò sufficiunt probationes per conjecturas, & per aliqua media, per quæ surgat verisimilitudo in mente cujusque sensati judicis, rem ipsam ita fuisse, ut probat Corneus *cons. 113. vol. 1.* Mascardus *d. num. 8.* Corduba ubi suprà, *n. 67.* Benintendus *d. num. 2.* Surd. *d. q. 23. n. 9.* & Stephanus Gratianus *discept. for. tom. 2. cap. 374. num. 1.*

895 Urgens antem conjectura, quod hæres præstiterit alimenta legatariu, est si legatarius in domo hæredis habitavit, & ad ejus mensam vixerit: qua præsumptione stante, si idem legatarius neget se alitum, ipsi incumbit onus probandi se aliunde alimenta habuisse. Ita Menuchius *d. præsumptione 71. num. 1.* Mascardus *d. concl. 715. num. 4. & d. concl. 716. num. 1.* & Corduba *d. n. 67.* & Menochius, & Mascardus dicunt banc præsumptionem esse juris, & naturæ, quia natura constat, quem non posse vivore sine alimentis, nec quis præsumitur vivere de vento, *ad l. fin. Cod. de alim. pupillo præst.* ac proinde expensæ alimentorum præsumuntur factæ ab eo, penes quem reperitur quis alitus. Quare ob eandem rationem, etiam pupillus, qui moratus est cum tutore, & apud eum educatus, præsumitur ab eodem tutore recepisse alimenta, nisi ipse pupillus probet contrarium, & aliunde ea se habuisse, *d. l. fin. Cod. de alim. pupill. præstandis*, Alexaoder *cons. 510. in fine, vol. 7.* Alciatus *de præsumpt. regula 1. præs. 50. num. 1.* Corduba *d. num. 67.* Garzias *de expensis, cap. 4. num. 26. & cap. 8. num. 28.* Menochius *lib. 6. d. præs. 11. num. 1. & de præs. 71. num. 2.* Mascardus *d. concl. 77. num. 7. & d. concl. 715. num. 4. & conclus. 716. num. 1.* Surd. *de alim. tit. 1. d. quæst. 48. num. 18. & d. quæstione 20. num. 4.* & latiùs *tit. 6. dicta quæstione 23. num. 1. 5. & 6.* Augustious Barbosa *ad lib. 5. Cod. collectaneo ad d. l. final. n. 7. Cod. de alim. præstandis.*

896 Quæ omnia etiam prædicti Doctores confirmant, tum ex eo, quod cùm expeosæ, quæ faciendæ erant, reperiuntur factæ, ab eo præsumuntur factæ qui facere tenebatur, nec alia requiritur probatio: nisi & hoc revocetur in dubium, & contrarium probetur. Bartol. *in l. cùm servus, ff. de verborum significat.* Corduba *ubi suprà num. 68.* Garzias *cap. 20. num. 23.* Cancerius *var. p. 1. c. 7. num. 105.* Menoch. *d. præsumpt. 11. num. 1.* Surdus plures alios allegans *d. q. 23. n. 12. & 14.* & cum aliis Mascardus *d. concl. 715. num. 13.* qui tamen post alios limitat id procedere quando concurrunt aliquæ præsumptiones, & conjecturæ pro illo, qui allegat expensas fuisse à se factas, secus si conjecturæ non cōcurrant; nam tunc tenebitur probare se fecisse: quod etiam latè probat Natta *cons. 547. n. 30. vol. 3.* In proposito nostro adest conjectura pro hærede, & tutore,

nempe penes ipsos, & in eorum dicto legatarium, & pupillum stetisse: tum ex eo, quia factum semper qoid præsumitur ab eo qui facere tenebatur, ut al os allegantes probat Surd. *de alim. tit. 9. q. 12. num. 16.* & Mascardus *concl. 38. n. 6.* ubi quod quando actus fuerit factus ab aliquo, sed non constat cujus nomine factux sit, præsumitor tunc factus nomine illius qui obligatus erat ad ipsum agendum: tum demùm, quia ex eo quod quis stetit in domo alterius, præsumitur ab eo habuisse alimenta, & alia vitæ necessaria. Corneus *cons. 120. n. 8. lib. 1. cons. 45. n. 4. lib. 4.* Natta *cons. 547. num. 31. vol. 3.* Corduba ubi suprà, *n. 69.* & alios allegaos Menoch. *dicta præsumpt. 71. num. 6.* præsertim existente iocapace ad se alendum eo qui alitus est. Natta *loco citato.*

897 Porrò si agator de alimentis parvis, & modici momenti, ad ea probanda conjecturæ leves sufficiunt, ut post alios Benintendus *d. dec. 43. num. 1.* & Surdus *d. q. 23. n. 25.* addentes arbitrio judicis relinqui quæ dicantur parvæ, vel magnæ, attenta qualitate personarum.

898 Ad probandam etiam continuam præstationem alimantorum factam, cùm legatarius, aut pupillus moratus est in domo hæredis, vel tutoris, licèt Benintendus *d. decis. 43. num. 9.* neget admitti domesticos, tameo verius est sufficere homines domesticos, ut tradunt Mascardus *d. concl. 77. num. 8.* & Surd. *d. quæst. 23. num. 27.* & alios allogans Stephanus Gratianus *tom. 2. d. cap. 374. num. 6. 7. & 34.* quia versamur in re difficilis probationis, ut dictum est, & actus comedendi ad mensam eum tali oemini potest probabiliter, & meliùs innotescere quàm domesticis, cùm fiat in domo, & tempore quo extranei omnes excluduntur, & sæpè etiam clausis foribus domus. Quare sicut facta in Collegio, vel in Capitulo probantur per testes Collegiales, & capitulares, *cap. conveniens, de testibus*: ita facta in domo probantur, & melius, à domesticis quàm ab extraneis.

899 Probaretur autem plenè dicta continuatio alimentorum probatis extremis, scilicet probato initio, ut si testes deponant se vidisse quod tali tempore legatarius, aut pupillus recipiebat alimenta in domo hæredis, vel tutoris, & quod idem faciebat sequuto tempore, licèt longè post illud; probatis enim extremis, censentur posita, & probata media, & sic continuatio medii temporis, ut loquentes de probatione continuæ possessionis notant Bald. *in l. indicia, Cod. de rei vendic.* & alios allegantes Benintendus *d. decis. 43. num. 8.* & Surd. *d. q. 23. n. 22. & duob. sequent.* idem tradentes in hoc proposito alimentorum. Addunt præterea idem Benintendus *n. 6.* & Surdus *n. 27.* quod non sufficienter, neque concludenter probarent testes, qui dicerent vidisse pluries in eadem domo comedentem, vel invenisse in ea comedentem quoties ingressi suot domum illam, quia verbum *pluries*, verificatur de duabus vicibus, & adverbium *quoties*, nihil ponit certi, & determinati, sed potest verificari in modico, vel minimo indeterminato.

§. VII.

Per librum rationum an plenè probentur expensæ alimentorum: ubi an libro rationum adhibeatur plena fides.

900 AN verò libro rationum hæredis, vel tutoris, in quo contineantur expensæ pro alimentis, & aliis alimentario, legatario, vel pupillo necessariis plena fides adhibenda sit tam in magnis, quàm in parvis summis, maximè accedeote juramento ejusdem hæredis, vel tutoris, & etiam sine juramento, si jam è vita emigrassent, si omnia sint ritè descripta, sci-

licet non solùm expensæ, sed etiam causa expensarum, cum quibus, quo die, mense, & anno sunt factæ, & sint verisimiles considerata qualitate personæ, quæ tribuit alimenta, & illius cui sunt præstita, differunt Joannes Garcias *de expensis, cap.* 20. *num.* 22. Tiraquell. *in leg. si umquam, in princ. n.* 52. Benintend. *d. dec.* 43. *num.* 12. Menoch. *præs. lib.* 5. *præs.* 5. *num.* 4. Mascad. *cons.* 723. *& concl.* 776. *à num.* 6. Polydorus Ripa *de actis in mortis articulo, cap.* 38. *num.* 14 *ad* 19. & post alios latissimè Genua *de scriptura privata, lib.* 4. *cap.* 7. ubi de libris tutorum. Et plenam adhiberi fidem in parvis summis, accedente maximè juramento, si hæres, vel tutor, qui fecit expensas, sit vivus tradunt Tiraquellus, Benintendus, Mascardus, Menoch. Ripa *locis citat.* & Genua plures alios allegans *d. cap.* 7. *num.* 7. multò magis etiam libro adhiberi plenam fidem, si hæres, vel tutor ille sit mortuus, licet juramentum non possit præstari, ex quo non præsumitur fuisse suæ salutis immemor, & sic mors habet vim juramenti, tradunt post Alciatum iidem Menoch. & Ripa *loc. cit.* & Genua *d. c.* 7. *num.* 8. quamvis librum defuncti qualem qualem tantum facere præsumptionem, dixerunt Ruin. *cons.* 59. *n.* 7. *lib.* 4. & Afflictus *decis.* 40. *in fin.* ubi tantùm majorem fidem adhiberi libro rationum defuncti quàm viventis notant, quos tamen Ripa intelligit quoties ageretur de maxima summa; quia tunc, inquit, nec fortè sufficeret viventis Juramentum, & ideo nec mors omnimodam eo casu inducit probationem. Verùm etsi librum tutorum, & administratorum, quanvis continentem omnia ritè, & verisimilia, & etiam accedente juramento non plene probare, sentiant magis communiter Doctores, quos late referunt Mascardus *d. cons.* 776. *num.* 60. & Genua *d. cap.* 7. *num.* 6. nihilominus contrarium affirmavit allegans Corneum, & Panormitanum Aymo Gravera *de antiq. temp. n.* 2. *p.* §. *Quartò limitatur, n.* 18. ubi latè probat, stantè verisimilitudine, & dummodo clarè distinctè contineat data, & accepta, libris tutorum, & administratorum, & aliis libris rationum adhibendam plenam fidem esse, etiam in magnis summis: quod etiam doci isse Alexand. de Nævo *cons.* 39. *num.* 2. *&* 3. refert Genua *d. cap.* 7. *num.* 11. & idem sentire videtur Tiraquellus *d. num.* 52. & M. Brunus *cons.* 139. *num.* 48. dum indistinctè loquentes aiunt, libris rationum stari in verisimilibus, & non improbaut Mascardus *d. concl.* 776. *n.* 62. & Genua *d. cap.* 7. *citato n.* 11. *& sequent.*

§. VIII.

Legatarius, aut pupillus qui habitavit seorsim ab hærede vel tutore, an & quando præsumi debeat ab hærede, vel tutore recepisse alimenta.

901 ET prædicta ubi legatarius, vel pupillus habitaverit cum hærede, vel tutore in eadem domo; quod si is cui constat legata fuisse alimenta, aut pupillus habitaverit seorsum ab hærede, vel tutore, idque constet, vel non constet de contrario, tunc loquentes in pupillo Natta *cons.* 547. *num.* 30. & Surdus *tit.* 6. *d. q.* 23. *n.* 16. aiuntquod cùm pupillus propter ætatis imbecillitatem non sit habilis ad se alendum, tunc adhuc in dubio præsumitur, quod tutor eum extra domum aluerit, per textum *in d. l. fin.* ibi. *Si ea per alium non probet, Cod. de alim. pupill. præstand.* Unde idem videtur dicendum de legatario, si agatur de tempore, in quo per ætatem, aut aliam conditionem esset inhabilis ad quærendum sibi victum, nec appareat, vel præsumptio sit quod ab alio, in cujus domo fortè sit moratus, habuerit alimenta, tunc, ob eandem rationem præsumendum foret eum alitum esse ab hærede, qui tenebatur; si verò legatarius erat habilis ad quærendum victum, tunc hæres non præsumeretur fecisse expensas alimentorum, sed probare deberet. Ita Natta *d. cons.* 547. *num.* 29. *&* 30. & Surd. *d. num.* 16. post Imolam *in l. quæ sub conditione, quæ est antipenult. ff. de condit. & demonstrat.* ubi statuunt regulam, quod ubi persona est habilis ad se alendum, seu ad quærendum sibi victum, impensæ alimentorum non præsumuntur factæ ab alio, licèt aliàs alimenta præstare teneretur: ac proinde si constet habitasse seorsum, vel non constet eum illo in eadem domo moratum esse, is qui tenebatur ad alimenta præstanda, probare debet se præstitisse, *l. excellentia tua, Cod. de erogatione militaris annonæ, lib.* 12. ibi: *Quem semel flagitantibus eosdem erogasse monstraverint*; ibi enim non præsumitur facta impensa ab eo qui tenebatur, quia miles poterat sibi providere: quo pacto illum textum intellexit imola *loc. cit.* & post eum Natta, & Surd. *locis cit.* Illud enim quod præsumatur impensa ab eo facta qui tenebatur, quod Doctores suprà *n.* 896. *allegati*, & alii ab iisdem relati collegere ex *d. l. fin. Cod de alim. pupill. præstand.* procedit, ut *d. n.* 896. notatum est, quando ex circumstantiis adest aliqua verisimilitudo, seu verisimilis conjectura, propter quam sit præsumendum allegantem ipsum fecisse impensam, ut *in d. l. finali*, ubi agitur de pupillo qui moratus fuerit apud tutorem, & etiam propter ætatem imbecillem non erat habilis ad se alendum.

SVMMARIVM Capitis XVI.

Referuntur Doctores Scribentes an, & quando alimenta ab ascendentibus præstita descendentibus, & è contra, & à consanguineo præstita consanguineo repeti, vel non repeti possint, n. 902.

Alimenta à patre, & matre, eorumve ascendentibus præstita filiis, aut nepotibus, & à fratre fratri, aut patruo patrueli, in casibus in quibus præstans tenebatur illa præstare ob inopiam, seu egestatem aliti, non possunt amplius repeti, n. 903.

Procedit id etiam in quocumque alio, qui tenetur alimenta præstare, quæ præstita non potest repetere, ibid.

Hospitale, vel Ecclesia alens infantem expositum, non potest alimentorum expensas postea repetere, ibid.

Etiamsi mater, vel pater, aut quis ex eorum ascendentibus, vel filius, aliusve descendens, aut consanguineus præstans alimenta, quæ tenebatur de jure præstare, protestatur se præstare animo repetendi, protestatio est inutilis, n. 904.

Pater cogitur solvere pecuniam mutuatam filio egenti in studio, etiamsi denunciasset mutuanti ne mutuaret, ibid.

Non relevat protestatio in necessariis, & in iis quæ non pendent à facultate protestantis, ibid.

Ubi inter alimentatum, & præstantem alimenta est conjunctio sanguinis, & affectio charitatis, si præstans alimenta non tenebatur præstare, adhuc expensæ alimentorum in dubio præsumuntur factæ ex affectione, & animo donandi, ideoque non repetuntur, num. 905.

Limitatur hæc doctrina ut procedat si expensæ alimentorum sint tenues, secus si magnæ, juxta sententiam magis communem, n. 906. *&* 909.

Quæ in præsenti materia sit dicenda modica, vel magna expensa, n. 906. *&* 909.

Alimenta defuncto patre à matre filio diviti, & habenti bona, ex quibus poterat ali, præstita sine protestatione repetendi, præsumuntur donata, & præstita absque animo repetendi, etiamsi impensa alimentorum sit magna, juxta nonnullorum sententiam, n. 907.

Contrarium juxta sententiam magis commune, n. 909.

In

Alimenta prastitn patri, vel matri, avo, aut avia diviti, in dubio, an prasnmatur filius, vel uepos animo repetoudi, non donandi prastitisse. Affirmativa, num. 933. *Negativa*, 934.

Filius repetit impensam, quam fecit circa res patris, ut si illius debitum solnit, ibid.

Dispositum in uno correlativorum habet locum in alio, n. 934.

Lex nova torrigens antiquam in uno correlativorum, censetur etiam corrigere in alio, ibid.

Vitricus qui privigno alimenta prostnit, non repetit, ubi elarnm est prastitisse poterno affectu, & animo donandi, n. 935.

Repetit si tonstet prastitisse animo repetendi, quia id si protestatus, vel scripserit in libro rationum, vel erat bonerum privigni administrator, n. 936.

Vitritus in dubio prasumitur aluisse privignum animo repetendi, & datur ei ad repetendum impensam actio negotiorum gestorum, etsi male contrarium aliqui senserint, n. 937. & 938.

Quod vitricus alimenta prostiterit provigno animo donandi, vel repetendi, non probatur juramento vitriei, n. 938.

Vitritus prasnmitur non amare privignum, ibid.

Maritus non tenetur de fructibus dotis alere filios uxoris ex primo matrimonio, ibid.

Vitricus repetit quidquid pro privigno solvit magistro qui illum doenit grammatitam, aut artem congruam, ibidem.

Viteicus qui habuit in servitiis privignum, dum illum alnit, tametsi esset bonerum illius administrator, vel esses protestatus alere animo repetendi, debet alimenta compensare cum servitiis, pro rata tamen, & astimatione servitiorum, n 939.

Si servitium judicis arbitria meretur plus quàm astimentur alimenta, vitricus privigno debet solvere illud incrementum, ibid.

Servitia, seu opera an aequivaleant alimentis, relinquitur arbitrio judicis, ibid.

Servitia astimari debent habita respectu non quanti servitia, seu opera privigni locari potnissent, sed ad emolumentum, quod ex illis vitricus habuerit, & tur, num. 940.

Opera artificis regulariter plus astimantur quàm nudi, & simplicis ministri, ibid.

Salarium tonsnevit constitui non solùm artifici, sed etiam simplici ministro, ibid.

In hac specie astimatio alimentorum judicis arbitrio committitur, ibid.

Vitricus, an repetat moditam impensam factam in alendo privigno, n. 941.

Vitricus non repetit à privigno alimenta illi prastita, quando mater, vel alius eum alere tenebatur; sed repetit à matre, vel ab alio, à quo privignus erat alendus, n. 942.

Vitritus nobilis, & dives non repetit alimenta prastita privigno panperi, n. 943.

Nobilitas cum divitiis juncta facit presumere donationem dati à nobili, ibid. Limitatur, ibid.

Nobilis quod dedit, an donandi, vel repetendi animo prastiterit, judicis arbitrio tommittitur, ibid.

An, & quando socer, qui filia nupta sana, vel agra alimenta, vel medicinas prabuit, possit impensam factam à genero, seu marito filia repetere, n. 944. *& tribus seqq.*

Conjunctio sanguinis sola non semper inducit prasumptionem donationis, n. 945.

Impendens in alterius tommodum, non dititur gerere utile negotium, si id faciat tontra illius voluntatem, & protestationem, n 946.

Socius invito socio reficit parietem communem minantem ruinam, & ab eo repetit impensam pro parte, ibid.

Solvens invito ereditore, tompensat cum eo, si erat debitor illius pro quo solnit, n. 947.

Indebitum solutum per errorem regulariter repeti potest, n. 948.

Error impedit consensum, ibid.

Sine consensu non oritur obligatio, ibid.

Ignorantia, quo est tausa volendi quod aliàs quis non vellet, facit involuntarium simpliciter, ibid.

Donationes, & tontractus quoties non fiunt liberè, & voluntariè, non valent in foro conscientia, ibid.

Qui falsò, & per errorem eredens aliquem esse suum filium, illum aluit, neque in foro civili, neque in foro conscientia potest alimentorum impensam repetere juxta unam sententiam, n. 949. & 950.

Contraria sententia quod possit repetere, approbatur, num. 953.

Solutum per errorem in tausam piam, in hisque qua intuitu pietatis, vel religionis, aut amoris Dei fiunt, non possunt repeti, n. 950. & 954.

Intellectus ad §. fin. Instit. de oblig. qua ex quasi contractu, & ad legem cum is, §. mulier, ff. de conditione indebiti, *n.* 954. & 955.

Mulier qua falsò credens se astrictam onere dotandi puellam, cùm non esset, illam dotavit, an, & quando repetat, vel non repetat dotem solutam. n. 950. & 954.

Is qui credens se debiterem dotis, cùm non esset, solvit dotem, potest illam repetere, n. 953.

Qui falsò credens se esse haredem, vel esse obligatum, cùm non esset, solvit legatum pium Ecclesia, detecto errore, potest repetere ab eo qui verè debebat legatum; & si nullus erat verè debitor, nullum debitum potest repetere ab Ecclesia cui solvit, n. 955.

Legatum relictum alieni, quem testator falsò existimabat filium suum esse, non pertinet ad legatarium, sed ad haredes ejus qui reliquit; & si legatarius jum receperit legatum, & postea constet de errore, tenetur restituere haredibus, ibid.

Institutus hares ex causa, quàm testator veram esse falsò existimabat, cùm esset falsa, non tapit hareditatem, ibid.

Institutio facta de aliquo tanquam filio, non valet, si constat non esse filium, ibid.

An, & quando non detur, vel detur illius repetitio, quod impensum est animo neminem obligandi; quia v.g. credebat quis proprium negotium gerere, n. 956.

Expensa alimentorum dicitur necessaria, ibid.

Extraneus qui alicui prastitit alimenta, credens se teneri, cùm teneretur, illa non repetit secundùm unam sententiam. n. 951.

Verius est posse repetere, n. 957.

Etiamsi idem extraneus credebat illum, cui prastitit alimenta, esse sibi sanguine conjunctum, ibid.

Extraneus non repetit alimenta qua conjuncto prostitit, falsò credens se esse obligatum ex contractu, vel ex alia causa quàm pietatis, ibid.

Non repetit, si prastitisset consanguineo per errorem existimans se ratione consanguinitatis, & ex causa pietatis obligatum prastare, ibid.

Extraneus impensam factam in aliam tausam quàm dotis, & alimentorum, credens se obligatum esse, cùm non esset erga consanguineum, repetere potest.

Mater quo per errorem credens se obligatam esse, cùm non esset, aluit filium scholasticum, an possit repetere impensam alimentorum, n. 852. & 958.

Impensa inter ascendentes, & descendentes, fratres, & sorores, circa res, & bona, in dubio tensetur facta tausâ pietatis, & animo donandi, sed animo repetendi, n. 960.

Si constares de animo expresso, vel tacito facientis expensas, quod ex causa pietatis, vel conjunctionis, absque animo repetendi fuerit, non est locus repetitioni, n. 961.

Medici

Modicitas impensæ, attenta quantitate divitiarum, generositate animi facientis expensas, & affectione ad talem conjunctum, an sit conjectura sufficienter inducens præsumptionem animi donandi, ibid.

In casibus, in quibus in dubio an expensæ pro alimentis, vel circa res alterius sint factæ animo repetendi, ei qui fecit, datur ad illarum repetitionem actio negotiorum gestorum, an iste cogi possit ad jurandum se fecisse animo repetendi.

Expensæ in alimenta, vel in aliud commodum filii, neptis, patris, matris, avi, aviæ, fratris, vel sororis, amici, vel famuli factæ, in foro conscientiæ non possunt repeti, quando constat de animo expresso, vel tacito liberali, & gratis faciendi ab initio habiti, n. 963.

Si omnibus consideratis remaneat dubium de animo, an fuerit gratis faciendi, vel repetendi, in tali dubio melior est conditio possidentis, ut non obligetur ad restitutionem, ibid.

CAPUT XVI.

An, & quando alimenta ab utriusque lineæ ascendentibus præstita descendentibus, vel à descendentibus præstita ascendentibus, vel à consanguineo præstita consanguineo, putà à fratre, vel patruo præstita fratri, vel sorori, aut sobrino, & sobrinæ, seu patrueli, & è contra, possint ab eo qui illa præstitit, repeti.

902 DE hac materia Jurisperiti Scribentes *in l. Nesennius, l. Is qui, l. ex duobus, ff. de negotiis gestis, in l. 1. l. alimenta, l. si filius, l. si paterno, & l. quod in uxorem, Cod. de negotiis gestis*, Corduba *in l. si quis à liberis, §. si mater. ff. de liber. agnosc.* Pontan. *de alim. cap.* 8. Joan. Garxias *de expensis, cap. 4. num.* 24. Menoch. *de arbitr. casu* 88. *à n.* 20. *& de præsumpt. lib* 6. *præs.* 72. *num.* 3. Mascard. *de probat. concl.* 76. *& concl.* 555. *à n* 89. *& concl.* 727. Mantica *de tacitis, & ambiguis conventionibus, lib.* 13. *tit.* 12. *à n.* 12. Surdus *de alim. tit.* 6. *per totum* Caneet. *var. p.* 1. *cap.* 26. *à num.* 25. Steph. Gratian. *discept. for. tom.* 2. *cap.* 374. *à num.* 17. *& tom.* 5. *c.* 959. *num.* 14. *&* 15. August. Barbosa *ad Cod. collectaneo ad d. l. 1. & l. alimenta, Cod. de negotiis gestis*, Mangil. *de imputationibus, q.* 20. *n.* 22. Sanlegerius *resolutionum civilium cap.* 38. & innumeri alii Jurisperiti ab iisdem relati, & ex Theologia Molina *de justitia, tom.* 2. *disp.* 254. Azor. *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 10. *&* 11. & Rebell. *de oblig. justitia, p.* 2. *lib.* 17. *q. unica de negotiorum gestore, n.* 6.

§. I.

Certi casus, in quibus alimenta præstita non possunt repeti.

903 PRima conclusio, & communis, atque indubitata est, quod in iis casibus, in quibus ex charitate, & conjunctione sanguis ascendens descendenti, & è contra; vel consanguineus consanguineo, scilicet frater fratri, vel sorori, & patruus sobrino ob ejus præsentem inopiam, quia aliunde ea non habet, tenetur præstare alimenta, juxta tradita in præcedentibus, in plurimis paragraphis, expensæ alimentorum non possunt amplius repeti, tametsi alimentarius ad pinguiorem fortunam devenerit, & factus sit dives. Ita in terminis Bartolus, & Baldus *in d. l. alimenta, Cod. de negot. gestis* Corduba à Lara *in d. §. si mater, num.* 31. Garzias *d. n.* 24. Mantica *d. tit.* 12. *num.* 12. Surdus *de alim. d. tit.* 6. *q.* 4. *n.* 23. *& q.* 8. *n.* 23. *q.* 4. *n.* 2. *& q.* 12. *n.* 1. Pontanus *de alim. cap.* 8. *n.* 6. & alii Jurisperiti *in d. l. alimenta*, præter alios suprà allegatos, & etiam in terminis Molina *d. disp.* 554. *n.* 11. *paulò post initium*: & constat etiam expressè *ex d. §. si mater, l. si quis à liberis, de liber. agnosc. & d. l. 1. & l. alimenta, Cod. de negot. gestis*. Ratio est, quia in hoc casu præstans alimenta, ex necessitate juris naturalis, & legis humanæ præstat *d. l. alimenta*, ubi sic dicitur: *Alimenta quidem, quæ filiis tuis præstitisti, tibi reddi non justa ratione postulas, cùm id exigente materna pietate feceris*: & magis dicitur obligationis suæ satisfecisse, & debitum solvisse, quam donasse, aut munificentiam exercuisse, *l. 1. ff. de donat.* in necessitatibus enim nemo liberalis existit, *l. rem legatam, ff. de adim. leg. & l. fideicommissa, ff. si quis rem, ff. de legat.* 3. Cùm igitur non potuerit esse, nec præsumi donatio, non est locus repetitioni: quod ob eandem rationem procedit in omnibus casibus, in quibus tenetur quis alimenta præstare, ut testantur Mantica *loco citato*, & Surdus *d. tit.* 6. *q.* 19. *n.* 12. quia tunc non potest præsumi, nec intelligi donatio, sed est debiti solutio: & Surdus *d. num.* 12. exemplificat in eo, qui expositum infantem à se susceptum tenebatur alere, ut cùm susceptus est ab hospitali, vel ab Ecclesia; tunc enim, ait, hospitale vel Ecclesia non repetit alimenta præstita expositi, ut etiam suprà suo loco dictum est, ob generalem regulam, quod non conceditur repetitio ei, qui aliquo jure est obligatus alere.

Quare procedit conclusio etiamsi ascendens, vel descendens, aut consanguineus, vel alius qui tenebatur alere, dum præstitit alimenta, protestatus esset se præstare animo repetendi; nam in hoc casu protestationem non prodesse tradunt in terminis Bartolus, Baldus, Corduba, Pontanus *locis cit.* Mascard. *d. concl.* 727. *n.* 7. & cum aliis Surdus *d. q.* 4. *n.* 23. *& d. q.* 19. *num.* 12. & aliis locis suprà allegatis; & Glossa *in l. si quis à liberis, §. si mater, verbo Materno, ex affectu.* Cùm enim qui in hoc casu præstitit alimenta, teneretur, & invitus cogeretur præstare, nihil impedit quod declaret se invitum præstare, & velle repetere; non enim relevat protestatio in iis quæ non pendent à facultate protestantis, *d. l. Alimenta, Cod. de negotiis gestis*, ut post Aretinum, Panormitanum, Felinum, & alios probat Corduba *d. num.* 31. & Surdus *d. quæst.* 4. *citato num.* 23. ubi ex Jasone *in §. fuerat, num.* 106. *Instit. de actionibus*, Ripa *cons.* 169. *num.* 6. Cacherano *decis. Ped.* 39. *num.* 28. & aliis, quos etiam unà cum aliis refert August. Barbosa *collect. ad d. l. alimenta, num.* 13. tradit non prodesse protestatem in iis ad quæ tenetur quis ex necessitate juris. Hinc Surdus *d. q.* 4. *num.* 21. infert post alios, quod mutuans filio egenti in studiis repetit expensas alimentorum à patre, etiam qui prohibuerit: quia cùm pater teneretur eam impensam facere, sua protestatio nihil operatur, & id confirmant omnia tradita suprà *num.* 882. 904

§. II.

Ubi inter alimentatum, & præstantem alimenta intercedit conjunctio sanguinis, vel affectio charitatis, si præstans alimenta non tenebatur præbere ob divitias aliti, an expensæ alimentorum possint repeti, vel debeant præsumi donatæ.

SEcunda conclusio, ubi inter eum, cui præstantur alimenta, & eum qui de suo præbet, intercedit conjunctio sanguinis, aut affectio charitatis, ratione cujus alioqui si is cui præstantur, aliunde non haberet, teneretur qui præbet, præstare licet is qui præbet non teneatur præstare, putà quia alimentatius habet aliundè unde possit se alere, regulariter adhuc non 905

est locus repetitioni, sed in dubio, & ubi aliunde contrarium ex aliqua conjectura non colligatur, is qui præstitit, ratione conjunctionis sanguinis, vel affectionis, seu charitatis præsumitur voluisse donare. Ita Scribentes *in d. l. Nesennius, ff. de negotiis gestis, & in d. l. 1. & l. alimenta, Cod. eodem*, Corduba *in d. §. si mater, n. 29.* Joannes Garzias *de expensis, d. cap. 4. n. 24.* Pontanus *d. cap. 8. n. 6.* Natta *cons. 108. n. 7.* Mascard. *d. concl. 76. n. 1. concl. 555. n. 89. & d. concl. 72. num. 3.* Menoch. *d. casu 88. n. 20.* Sanlegerius *d. cap. 38. n. 10.* August. Barbosa locis suprà *n. 902.* citatis, & Surdus *d. tit. 6. q. 1. à n. 21. ad finem quæstionis, & q. 8. n. 27. 41. 42. & 43. q. 9. n. 6. & seq.* & alii Jurisperiti communiter à Corduba, Mascardo, Menochio, & Barbosa relati, & ex Theologis Molina, Azotius, & Rebellus *locis suprà n. 902. citatis*, & Doctores conclusionem deducunt tum *ex d. l. alimenta*, loquente in matre, ibi: *Quæ filiis tuis præstitisti, non justa ratione reddi tibi postulas, cùm id exigente materna pietate feceris; Cod. de negot. gestis*: tum *ex d. l. 1. Cod. eodem*, ubi non datur actio negotiorum gestorum ad repetendas expensas ex pietate materna, vel affectione domestica factas, quia animo repetendi factæ non videntur: tum *ex d. l. Quod uxorem*, ibi; *Affectioni tuæ debes expendere*; & *d. l. si paterno affectu, Cod. eodem*, ubi uxori, & privignis præstita alimenta, & expensæ in eam rem factæ repetuntur. Tum *ex d. l. Ex duobus, §. fin. ff. eodem*, loquente in fratre. Verba sunt: *Titium, si pietatis respectu sororis aluit filiam, actionem hoc nomine contra eam non habere respondi.* Tum *ex d. l. Nesennius, ff. eodem*, ubi alimenta ab avia nepoti præstita, ubi non appareat animo repetendi præstitisse, non repetuntur, quia præsumuntur ex affectione sanguinis præstita. Tum demùm *ex d. l. Is qui, ff. eodem*, ubi ait Ulpianus: *Is qui amicitiâ ductus paterna pupillis tutorem petierit, vel suspectos tutores postulaverit, nullam adversus eos habet actionem, secundum Divi Severi constitutionem.* Cur autem Jus, & Doctores alimenta, seu expensas, quæ fiunt in alendo, ubi inter præstantem, & eum cui alimenta exhibentur, intercedit sanguinis conjunctio, ut si alimenta sint præstita à patre, vel matre, vel avo, vel avia, vel à fratre, vel patruo, præsumendū velint esse præstita animo donandi, non repetēdi? Menoch. *d. casu 88. n. 20.* & Mascard. *d. concl. 76. n. 2. & d. concl. 555. n. 89.* asserunt id esse ob duas sequentes rationes, seu conjecturas, quarum una est ipse sanguis, alia alimentorum favor, cujus causa multa jure constituta sunt; nam magna in his æquitas, & parentum studium, atque affectio considerari solet, *l. Si quis à liberis, §. Utrum autem, & §. Si mater, ff. de liber. agnosc. & l. penult. ff. eod.* Et licèt Surdus *d. q. 6. n. 23. & seq.* loquens in patre, qui alit filium, quem non tenebatur alere, cùm esset dives, nonnulla adducat ad probandum non præsumi in eo animum donandi; tamen non est recedendum à præfata legali, & communi conclusione, intellecta tamen, & modificata juxta sequentia, à qua re ipsa nec idem Surd. recedit.

§. III.

Prædicta conclusio an procedat, sive expensæ alimentorum fuerint modicæ, sive magnæ.

906 Igitur primò limitatur, seu declaratur conclusio ut procedat quando impensæ pro alimentis de propriis bonis alentis factæ essent tenues, & modicæ; tunc enim ratio sanguinis, & affectio facit præsumere donationem: secus verò si attenta qualitate personarum, & quantitate facultatum expensæ essent magnæ; nam tunc sola ratio sanguinis, & affectio non induceret præsumptionem donationis, nec impediret repetitionem. Ita Bartolus, Baldus, & Paulus de Castro *in d. l. ex duobus, §. fin. ff. de negotiis gestis*, Alexander *in d. l. alimenta, n. 8. in fine, Cod. de negot. gest.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. Idem rescripsit, n. 106. ff. de liber. agnosc.* ubi loquens de fratre, & consanguineo, ait quod si consanguineus modica alimenta consanguineo, putà fratri, vel sorori, aut sobrino præstiterit, præsumitur donasse, secus si magna. Joan. Garcias *de expensis, d. c. 4. n. 24.* Menoch. *d. casu 88. n. 21. & 28. d. concl. 76. n. 11. & d. concl. 555. n. 90. & d. concl. 727. n. 4.* Mantica *d. tit. 12. n. 17.* Surdus *de alim. tit. 6. d. q. 8. n. 17. ad 37.* ubi disserit quando ipsa est modica, & *à n. 80. initio*, ubi quando impensa est magna. August. Barbosa *collect. ad d. l. alimenta, n. 2.* & innumeri alii Doctores apud Surdum, & Mascardum. Probat Garz. declarationem hanc quoad utramque partem, quia donatio non facilè præsumitur, *l. Cùm de indebito, ff. de probat.* imò regulariter non præsumitur, *l. Campanus, ff. de operis libertorum*, & latissimè Menoch. *d. casu 88.* & Mascard *d. concl. 555.* Quare cùm impensa est magna, concurrunt duæ præsumptiones contrariæ, ait idem Garzias, quæ mutuo concursu sese elidunt, & destruunt, scilicet affectio, aut sanguinis conjunctio, quæ inducit præsumptionem donationis; & magnitudo impensæ, quæ excludit præsumptionem donationis, ac proinde mutuò eliduntur, *l. Divus, ff. de in integr. restit.* quando verò impensa est modica, prævalet conjunctio sanguinis, & affectio, & ita præsumitur donatio, & hoc pacto intelligi jura numero præcedenti allegata, quæ ex sanguinis conjunctione, affectione, charitate, amicitia, & affinitate donationem expensarum pro alimentis conjunctorum factarum præsumunt, scilicet procedere cùm impensa est modica, non verò ubi expensarum quantitas perspectâ personarum qualitate, & quantitate facultatum aliud persuadet. Confirmat hanc declarationem quoad primam partem, tum quia ubi modica est impensa, faciliùs præsumitur donatio in sanguine, vel speciali affectione conjunctos, ut maritus non repetit modicam impensam factam circa res uxoris, *l. Omninò, ff. de expens. in reb. dot. fact.* eo quòd hoc inducit præsumptionem donationis: tum quia regulariter modica impendia non reputantur etiam in casibus, in quibus aliàs solent repeti, *l. In rebus, §. possunt, ff. de credit.* & aliis juribus, quæ adducit Tiraquell. *in tract. de judic. in rebus exig. fer.* & Glossa *in d. §. possunt*, dicit non esse curandum de minimis impensis. Quæ autem in proposito sit dicenda magna, vel modica impensa, juxta Doctores communiter relinquitur arbitrio prudentis Judicis, qui considerata personarum qualitate, & facultatum quantitate tam aliti, quàm illius qui aluit, arbitrabitur. Ita Menochius *d. casu 88. n. 21. & 28.* Mascard. *d. concl. 76. n. 9.* Surdus *d. q. 8. n. 81.* & alii ab eodem Surdo, & Mascardo relati, & colligitur *ex l. si quis à liberis, d. §. si mater, ff. de liber. agnosc.* ibi: *Judices æstimabunt.* Rectè autem id relinquitur arbitrio Judicis, cùm ad ipsum Judicem etiam spectet arbitrium, quanta, & qualia sint alimenta præstanda, ut suprà suo loco dictum est.

§. IV.

Mater defuncto patre alens filium divitem, an possit repetere expensam alimentorum magnam.

Verùm hanc limitationem, seu declarationem quoad secundam partem, scilicet quod impensa 907
pro alimentis facta inter sanguine conjunctos semper, & universaliter non præsumatur facta ex sola affectione, & pietate, & animo non donandi, sed animo repetendi, plures alii Doctores non admittunt, volentes in dubio inter sanguine conjunctos, qui tribuit, censeri præbuisse tam modica, quàm magna alimenta gratis, & ex pietate, & animo non repetendi, sicque non posse repetere, etiamsi is cui præstita sunt alimenta, esset dives, & haberet bona unde se

se posset alere, nisi facta esset protestatio repetendi, vel concurrat alia ex conjecturis infrà positis probantibus animum repetendi. Sic defuncto patre; vel non extante alio qui filium alere teneatur, & habente filio bona unde ei alimenta præberi poterant, non tamen apud matrem ipsam, si mater eidem filio sponte præbuerit alimenta sine ulla protestatione repetendi, in dubio censeri matrem præbuisse intuitu pietatis, & affectu materno, non solùm si alimenta sint modica, ut tradunt duobus numeris præcedentibus allegati, sed etiamsi sint magna, tradunt expressè Glossa *in l. si quis à liberis, §. si mater, verbo Materno affectu, ff. de liber. agnosc. in l. Nesennius, verbo pietate cogente, & verbo, Exhibuisse, ff. de negot. gestis*, Cynus *in d. l. alimenta, col. 2. vers. Si verò* pertinet ad filium, Vitalinus *in tract. clausul. tit. an possit renunciari jus alimentorum, col.* 15. quos Surdus *d. q.* 8. *n.* 80. *versic. prædicti tamen*, refert, & sequitur: & ita etiam sentiunt Pontanus *de alim. d. c.* 8, *n.* 6. Baldus Novellus *de dotib. p.* 6. *privil.* 3. *n.* 5. Molina *de justitia, tom.* 2. *disp.* 535. *n.* 10. *Quando autem filii, &* & Rebellus *loco suprà n.* 902. relato, & Azor. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 5. *alleg. q.* 10. dum absolutè, & sine distinctione, an alimenta fuerint modica, vel magna, asserunt matrem, quæ mortuo patre ultra triennium præstitit alimenta filio, licèt diviti, qui apud ipsam non habebat bona, non posse à filio repetere alimenta sine protestatione ei præstita, eo quia in dubio censetur præstitisse materno affectu, & intuitu solius pietatis, & charitatis, per textus *in d. l. Nesennius, ff. de negot. gestis, & d. l.* 1. *l. alimenta, & l. si paterno affectu, Cod. eodem*, & notavi *suprà, n.* 331.

908 Confirmat Surdus, quod si sola modica impensa à matre non posset repeti, posset autem magna, nulla esset differentia inter impensam à matre factam pro alimentis, & impensam ab eadem factam circa bona filii, & pro illorum administratione; nam etiam impensam à matre factam circa bona filii, si probetur modica, inspecta qualitate personarum, præsumi factam animo donandi, tradunt Glossa, Cynus, Bartolus, Baldus, Castrensis, Alexander *in d. l. alimenta, Cod. de negot. gestis*, item Glossa, Bartolus, Baldus, Castrensis *in d. l. Nesennius, ff. de negot. gestis*, quos & alios ad id refert idem Surdus *d. q.* 8. *n.* 29. & 83. & Mascard. *d. concl.* 727. *n.* 10. & tamen contra *in d. l. alimenta*, & Doctores prælegati, & alii Jurisperiti communiter, & Molina, ac Rebellus constituunt differentiam inter expensas à matre factas circa personam filii, & factas circa bona, ut illa non repetantur, & censeantur facta ex materno affectu non autem hæc cùm major sit affectio matris ad filium quam ad ejus bona. Differentia ergo erit, quod etiam impensæ magnæ à matre factæ pro alimentis filii sine protestatione repetendi, censentur in dubio factæ ex materno affectu, & intuitu pietatis, & sic donatæ; secus; impensæ magnæ factæ circa bona filii conservanda, licèt sine protestatione, quia eum in bonis filii non ita, nec tanta intelligatur pietas, & affectio, in dubio non præsumuntur donatæ sed factæ animo repetendi Dixi. *Non ita, nec tanta, pietas*, scilicet comparatione ad alimenta, & ad conservationem vitæ filii, quæ est cunctis rebus præferenda; nam alioqui simpliciter loquendo, ut notavit Surdus *d. q.* 8. *n.* 84. etiam pietas matris versatur, & consideratur in conservandis bonis, & divitiis, quas esse vitam hominis, post Glossam *in l. Advocati, verbo. Vitam, Cod. de advoc. divers. judic.* tradiderunt plures alii Jurisperiti à Surdo *n.* 85. & Tiraquellus *de nobil. c.* 31. *n.* 364. *& seq.* relati: & dicit solet, quod pecunia est alter sanguis. Prædicta autem procedunt quando constaret, matrem patre defuncto aluisse de suo, seu de suis bonis filium divitem, & habentem bona, quibus ali posset. Nam si dubitaretur, an de suo, vel de bonis filii alimenta ei præstitisset, præsumeretur præstitisset de bonis filii, ut in terminis Glossa *in d. l. Nesennius dicto verbo Exhibuisse*, & constabit ex dicendis infrà de matre administrante bona filii alimenta ei præbente.

At supradictis non obstantibus sustinenda est altera sententia, quod mater quæ defuncto patre alens filium, in alendo fecit impensam magnam, perspecta qualitate personarum, & consideratis facultatibus matris, & filii non præsumatur solo pietatis intuitu, & ex affectu materno aluisse, sed animo repetendi, ideoque possit repetere, licèt non fuerit protestata, quæ est sententia magis communis, & præter Doctores *n.* 906. relatos, & allegatos à Menochio *d. casu* 88. *n.* 28. Mascard. *d. concl.* 555. *n.* 90. & Mangilio *de imputat. q.* 20. *n.* 12. illis sequente eandem sententiam videntur amplecti tum Salicetus *in d. l. alimenta, n.* 2. ubi an mater alimenta de suo præstita filio post patris obitum repetat, dicit recurrendum esse ad conjecturas, quia mater inops non videtur donare filio diviti, sed è contra mater dives censetur pauperi filio donare, & ubi uterque dives est, considerari debet si tanta est impensa, quam præsumitur mater donare filio: tum etiam Glossa *in l.* 1. *verbo Munere pietatis. & in d. l. alimenta*, verbo *Materna pietate, Cod. de negot. gestis*, quibus in locis ad cognoscendum, an mater videatur donare quidquid impedit pro rebus filii, & pro ejus alimentis ultra primum triennium, ait debere considerari qualitatem, & quantitatem expensarum, & quantitatem facultatum matris, & filii, & pro hac sententia urget illa regula generalis, quod donatio non facile præsumitur ubi subest, vel capi potest alia conjectura donationem excludens, cùm nemo in dubio censeatur jactare suum; & in proposito talis conjecturæ, sunt divitiæ filii, quæ cùm excludant filii necessitatem, ut debeat mater de suo alere, excludunt etiam in dubio affectum solum mutuũ & animum donandi in alendo, faciuntque præsumere in matre voluntatem repetendi, quasi negotium utile filii, ad quem onus sese alendi spectabat gesserit; & præsertim id est asserendum, si mater, quæ fecit impensam magnam in alendo filio, erat pauper, & filius satis dives, ut post Corneum *cons.* 28. *in fine, vol.* 4. Mascard. *d. concl.* 76. *n.* 11. & alios allegans Mantica *loco citato*, & Steph. Gratian. *tom.* 2. *c.* 374. *n.* 17. & idem loquens in patre tradit Cancer. *d. c.* 16. *n.* 31. *versic. Nuper successit*, ubi ponit casum patris, qui habebat filium extra domum paternam habentem uxorem, & filium, & dotẽ, quem quia non benè sua administrabat, pater iterum in domum cum uxore, & filio recepit, & omnes aluit, non protestando an alimenta eis donaret, nec ne: mortuus deinde est filius, & remansit nurus in domo cum filio defuncti, & quadam famula ad ejus servitium; continuavit socer præstare alimenta omnia dictæ nurui nepoti, & ejus famulæ per sex annos, postea periit ab eo alimenta; & dicit idem Cancerius, quod ipse consuluit, quod ex quo nurus habeat dotem amplam ex cujus fructibus poterat sibi, & familiæ suæ alimenta commodè exhibere, & socer non erat ita dives, & expensa fuerat magna, itaut socer ferè eam ferre posset neque operæ quæ per nurum, & ejus famulam soceri domui præstabantur, essent alicujus considerationis, locum esse repetitioni, quia expensæ ob earum magnitudinem non poterant præsumi donatæ: & idem Surdus *tit.* 6. *q.* 12. *n.* 31. loquens in fratre alios allegans tenet tanquam probabilius, quod frater repetat à fratre impensam alimentorum, quæ ei præstitit, si fuerit magna. Neque obstat confirmatio ex Surdo *num. præced.* adducta; nam dum Doctores *n.* 906. relati, & alii dicunt, modicam impensam à matre de suo factam pro alimentis filii post obitum patris, censeri factam ex affectu interno absque animo repetendi, non accipiunt modicum sicut accipitur quando jura, & doctores aiunt non esse curandum de minimis, scilicet pro re absolutè minima, & modici momenti; sed comparativè ad qualitatem personarum, & quantitatem facultatum matris, & filii: & sic aiunt

arbi

arbitrio Judicis relinqui quæ in hac specie sit dicenda modica, vel magna impensa: quando verò Doctores dicunt modicam impensam à matre factam circa filii bona, & illorum conservationem, præsumi donatam, possunt vel intelligi de modica simpliciter, & absolutè, scilicet de minima, & modici momenti, juxta regulam generalem de minimis non curandis; vel saltem de modica quidem impensa, qualitate personarum perspecta, quæ tamen longè tenuior sit quàm quæ dicitur modica cùm pro alimentis filii est facta. Modicum enim habet latitudinem, & juxta varietatem personarum, & materiæ de qua agitur, potest vario modo accipi in stricta, lata, & latiori significatione: sicut etiam modicum respectu temporis juxta subjectam materiam accipitur arbitrio Judicis modò pro longiori, modò pro breviori tempore, ex August. Barbosa *dicta Dictione* 74. & etiam dictio *Incontinenti*, regulatur secundùm subjectam materiam, ut aliquando intelligatur sine têporis intervallo, aliquando de brevi temporis intervallo unius, vel trium dierum, vel unius mensis, vel etiam decennii, arbitrio Judicis, ut idem notat Barbosa *dictione* 133. Quare cùm affectio matris ad filii personam major sit quam ad illius bona, quantitas expensarum facta pro alimentis censeri poterit modica, etsi facta circa res, minimè.

Porrò quod superiùs in præcedentibus traditum est,
910 matrem quæ de suo post obitum patris exhibuit alimenta filio diviti, & habenti bona, ex quibus posset se alere, censeri fecisse impensam intuitu pietatis, & ex sola affectione, & non animo repetendi, ubi expensæ alimentorum sunt modicæ, juxta Doctores *n.* 905. 906. *& num. præced.* relatos, & etiam ubi expensæ fuerint magnæ, juxta Doctores *n.* 907. relatos, procedit etiam in avia materna, & etiam avo materno, quæ, vel qui defuncto illius patre nepotem, vel neptem divitem aluerit de suo: ita Glossa *in d. l. alimenta, verbo Materno affectu, Cod. de negot. gestis*, ibidem Baldus *n.* 2. *fine*, & Salicetus *n.* 5. Socinus *cons.* 161. *vol.* 2. post alios Mascard. *d. concl.* 76. *n.* 3. Surdus *d. q.* 8. *n.* 42. *&* 43. & Aug. Barb. *collect. ad d. l. alimenta, n.* 8. & ex Theologis Molina, & Rebell. *locis suprà n.* 907. *citatis*, & de avia expressè loquitur textus *in d. l. Nesennius, ff. de negot. gestis*; in hac enim materia alimentorum jura loquentia in matre locum habent in ascendentibus per lineam maternam, qui omnes matris nomine veniunt, ut suprà *num.* 338. notatum est. Quare sicut pietas, & animus donandi præsumitur in matre alente filium, ita præsumi debet in avo, & avia, imò magis ex eo quod amor ardentiùs descendit in nepotes quàm vigeat in filiis, ut alibi suprà pariter notatum est.

Prædictis de matre traditis addendum etiam, quod
911 si mater filium naturalem, aut spurium divitem de suo aluerit, præsumitur solo affectu materno præstitisse alimenta, & voluisse donare, & sic non potest repetere. Ita Mascardus *d. conclus.* 76. *num.* 4. & Surdus *tit.* 6. *quæst.* 8. *num.* 44. Quæ enim in matre dicuntur de filiis legitimis, procedunt etiam in spuriis, qui respectu matris habentur pro legitimis, itaut iis quoque extantibus, adhuc cum illis in successione hæreditatis maternæ concurrant. Ita Paleotus *de nothis*, *cap.* 38. *n.* 6. & alii Jurisperiti, quos latè refert Surdus *num.* 45. ac proinde sicut mater in alendo filium legitimum non repetit impensam, ita nec alendo spurium.

§. V.

Mater impensam pro alimentis filii de suo factam repetit à patre, avo, & hæredibus, & quacumque alia persona filium alere obligata.

912 ADvertendum in præcedentibus traditis de matre alente filium, procedere quando alit jam defuncto patre, ut expressè dictum est. Quod si mater superstite marito patre filii divite, & habili ad alendum filium, alimenta eidem filio post primum triennium præstiterit ex propriis bonis, tunc in dubio non præsumitur animus donandi, & potest mater à marito, seu patre repetere impensam factam, etiamsi non fuerit protestata, ut constat ex dicta lege *Si quis à liberis, §. si mater, ff. de liber. agnosc.* & ultra alios Doctores ad idem suprà *n.* 330. relatos, tradunt Glossa *in d. §. si mater, verbo Necessariò*, & *in d. l. alimenta, vers. Materna pietate, C. de negot. gestis*, Baldus *ibid. n.* 2. Corduba à Lara *in d. §. si mater, n.* 9. *& n.* 30. Menoch. *de arbitrar. d. casu* 88. *n.* 22. Mascard. *d. concl.* 555. *n.* 91. Mantica *de tacitis & ambig. lib.* 13. *tit.* 12 *n.* 18. Surdus *de alim. tit.* 6. *d. q.* 8 *num.* 1. Steph. Gratian. *tom.* 5. *cap.* 959. *num.* 15. Molina *de justitia tom.* 2. *disp.* 555. *citato n.* 11. *versic. quando autem*, & Jurisperiti communiter, quos Menochius, Mascardus, Surdus, & Mantica referunt; onus enim alendi filium supra triennium principaliter ad patrem spectat, non ad matrem, ut *d. §. si mater*, & suprà suo loco ostensum est; & ideo in dubio censetur mater impendisse in alimenta filii animo repetendi, non intuitu pietatis, quæ quoad patrem non subest in matre. Cùm ergo mater alens filium mariti, seu patris divitis, gerat utile patris negotium, propterea actione negotiorum gestorum ab eodem repetit impensam factam pro alimentis. Dixi etiam, *Si non fuerit protestata*; quia ita in terminis præallegati Doctores. Et ratio est, quia ubi de jure non præsumitur donatio alimentorum, ut *in præsenti d. §. si mater*, non est necessaria protestatio, cùm tunc nihil operetur; nam in dependentibus à jure protestatio non juvat, ut in his terminis tradit Cancerius *var. res. p.* 1. *c.* 16. *n.* 28. & constat ex traditis suprà *n.* 904. & tradunt Doctores *ibid.* citati, & alii, quos Cancerius *d. n.* 28. refert. Advertendum verò hic est, quod si mater, dum alit filium, vivente patre protestaretur se alimenta filio præbere, ut ab ipso filio, non à patre repeteret, repetere non poterit ab ipso filio, quia pater erat gratis daturus alimenta. Ita Glossa *d. l. alimenta, verbo Materna, Cod. de negot. gestis*, ibidem Cynus, Alexander, & alii, & Corduba *ubi suprà, d. n.* 30.

Et idem esset, si non superstite patre, vel avo inhabili ad præstanda alimenta filio, extaret avus paternus, vel alius, qui ex obligatione filium alere teneretur, & mater alens filium sciret ipsum vivere, & habere unde posset alere; nam tunc etiam mater censetur impendisse animo repetendi, non autem pietatis, cùm non subsit pietas inter eam, & eum qui tenebatur alere, & ideo actione negotiorum gestorum ab eo repeteret. Ita post Socinum Sen. *cons.* 26. *n.* 5. *lib.* 1. Menochius *d. casu* 88. *citato n.* 22. Mascardus *d. concl.* 555. *n.* 92. Gratianus *ubi suprà*, & Surdus *d. q.* 8. *n.* 4. 913

Idem etiam si extarent hæredes patris, aut avi, ad quos onus alendi filium, etiamsi sint extranei, transit, 914
ut suprà *n.* 343. *& seq.* probatum est; ab ipsis enim mater repeteret impensam factam in alendo filio, quam non præsumeretur fecisse animo donandi, sed repetendi, ob eandem rationem, & quia hæres non debet esse melioris conditionis quàm defunctus. Ita expressè Cynus *in d. l. alimenta, Cod. de negot. gestis*, & Vitalinus *in tract. d. clausul. tit. an possit renunciari juri alimentorum* relati à Surdo *d. quæst.* 8. *num.* 5. qui illos sequitur, & indicant etiam Menochius, & Mascardus *locis citatis*, cùm universaliter asserant, matrem impensam de suo factam pro alimentis filii repetere ab his qui filium illum alere tenerentur ex aliqua alia causa.

Sed prosequamur limitationes secundæ conclusionis positæ suprà *n.* 905.

§. VI.

§. VI.

Pater, mater, filius, frater, patruus administrans bona filii, patris, matris, sororis, aut patruelis, præstando ei alimenta præsumitur præstasse animo repetendi, non donandi.

915 Sit ergo secunda limitatio, quod ubi pater, mater, aut aliquis ex ascendentibus, tam per lineam masculinam, quàm per fœmininam, vel consanguineus, ut frater, vel patruus administrat bona filii, aut nepotis, vel neptis, vel fratris, aut patruelis, eidem cujus negotia gerit, & bona administrat, alimenta præstitit, in dubio non præsumitur animo donandi, sed potiùs repetendi, & compensandi præstitisse, ut constat *ex d. l. Nesennius, ff. de negot. gestis*, loquente in matre, & avia, quæ nepotis à se aliti bona administrat. Et tradunt Doctores communiter. Ita Scribentes *in d. l. Nesennius*, Bartolus *num.* 5. Baldus *n.* 3. Fulgosius *num.* 4. Paulus de Castro *num.* 3. Baldus Novellus *de dotibus, part.* 6. *privil.* 33. *num.* 5. Menochius *de arbitr. d. casu* 88. *num.* 23. 24. 25. *& de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 71. *num.* 3. Mascardus *conclus.* 76. *num.* 5. *&* 6. Mantica *de tacitis, & ambig. conv. lib.* 13. *tit.* 18. *num.* 13. Surdus *de alimentis, tit.* 6. *quæst.* 8. *num.* 46. 47. 53. 58. *& seq. quæst.* 9. *num.* 8. *quæst.* 12. *num.* 18. *quæst.* 14. *num.* 10. *&* 12. *& quæst.* 15. *num.* 2. Pontanus *de alimentis, cap.* 8. *num.* 6. Cancerius *var. resol. part.* 1. *cap.* 16. *num.* 30. Joannes Garcias *de expensis, cap.* 4. *num.* 25. Stephanus Gratianus *d. c.* 374. *num.* 17. Augustinus Barbosa *collect. ad d. l. alimenta, num.* 16. *Cod. de negot. gestis, & collect. ad l. quod plerique, num.* 4. *Cod. de alim. pupillo præstand.* & Jurisperiti communiter à Menochio, Mascardo, Mantica, & Surdo relati, & ex Theologis Molina *de justitia, tom.* 2. *disputat.* 555. *num.* 11. *versiculo Quando autem filii*, Azorius, & Rebellus locis suprà *num.* 902. allegatis. Etsi enim sanguinis conjunctio faciat in dubio præsumi donationem, tamen hæc præsumptio cessat ubi alimentator est negotiorum gestor, & administrator bonorum alimentandi; hæc enim conjectura, seu præsumptio, quod negotiorum gestor, & bonorum administrator non impenderit, ubi de contrario non constat, animo donandi, sed repetendi, & compensandi, est potentior, & tam violenta, ut excludat præsumptionem pietatis, quæ aliàs suberat, scilicet excludat præsumptionem donationis etiam in eo, qui ratione pietatis, & conjunctionis sanguinis posset videri voluisse donare, ut sunt pater, mater, avia, de quibus *d. l. Nesennius*, & alii ascendentes, & descendentes, se frater & Patruos, ut in his terminis docent Bartolus *in d. l. Nesennius*, Surdus *d. q.* 15. *num.* 2. & alios allegans Mantica *d. tit.* 12. *n.* 13. ubi etiam ampliat, habetéque locum asserit, quamvis ille administrator, & negotiorum gestor, qui præstitit alimenta, speraret ei succedere, atque ita fuisse decisum ait per Rotam Romanam *in Romana compromissi, 4. Maii* 1582. *versic. Quartò quia in præstandis*, coram Cardinali Seraphino. Confirmat limitationem Surdus *d. q.* 8. *n.* 58. *& seq. & d. q.* 12. *num.* 20. quia tunc non præsumitur animus donandi quando sumi potest alia conjectura, *l. cùm de indebito, ff. de probat.* Mascardus *d. concl.* 555. & Menochius *d. casu* 88. at ubi pater, aut mater, vel alius alimentator bona filii, ejusque qui alitur, administrat, sumi potest alia conjectura quàm donationis, scilicet quod impenderit alimenta de bonis filii, & alimentandi, cujus bona administrat. Addit aliam confirmationem *d. q.* 8. *n.* 59. nempe quod donari tunc videtur aliquid, quando nullo cogente jure solvitur, *l. donari, ff. de donat. & l. donari, ff. de reg. jur.* Præstando autem alimenta filio, & ei cujus gerit administrationem, videtur id solvere ad quod cogi poterat, & sic non præsumitur donare, cùm paria sint quod cogatur, vel cogi possit, & non dicatur voluntarius actus, cùm ab eo fit qui compelli potest, ut aliis allegatis probat idem Surdus *d. q.* 8. *n.* 60. Quid verò si alimenta excedant fructus bonorum administratorum, infrà *n.* 919 dicemus.

916 Ex quibus universaliter excluditur, quod si quis sit negotiorum gestor, & administrator bonorum ejus cui alimenta præstitit, in dubio non præsumitur animo donandi, sed repetendi præstitisse, & sic potest repetere, & compensare. Ita Bartolus *in d. l. Nesennius, n.* 5. *ff. de negot. gestis*, ibid. Baldus *n.* 2. Alexander *in l. fin. ff. de petit. hæred.* Mascardus *d. concl.* 555. *n.* 19. Mantica *d. tit.* 18. *n.* 13. & Surdus *d. tit.* 6. *q.* 15. *n.* 1. & alii à Mantica, & Surdo relati: propter administrationem enim alimentantis intentio, & mens, ubi de contrario non appareat, præsumitur esse, quod impensa fiat de bonis alimentandi, cujus bona administrat, & negotia gerit.

§. VII.

Tutor, & curator an, & quando, & qua ratione possit repetere alimenta, quæ præstitit pupillo, aut minori, dum tutelam, vel curam exercet, & bona pupilli, & minoris administrat.

917 Hinc tutor, & Curator impensam alimentorum, quæ præstitit pupillo, aut minori, cujus tutelam, aut curam gerit, & bona administrat, poterit repetere; & non solùm tutor, seu curator extraneus, sed etiam pupillo, aut minori sanguine conjunctus, ut si tutor sit frater, aut patruus. Constat *ex l. fin. Cod. de alimentis pupillo præstandis, & ex l. cùm plures, §. cùm tutor, ff. de administr. tutor.* & tradunt Scribentes *in d. l. fin. & in d. l. Nesennius, ff. de negot. gestis*, Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. si mater, n.* 70. *&* 71. *ff. de liber. agnosc.* Surdus *tit.* 6. *q.* 15. *à n.* 1. *ad* 13. August. Barbosa *collectaneo ad l. finalem, n.* 3. *&* 4. Molina *de justitia, tract.* 2. *disp.* 224. *§. Esto Index*, & alii qui infrà referuntur, & tacitè alii suprà *n.* 915. relati, asserentes matrem, fratrem, vel alium sanguine conjunctum repetere impensas alimentorum ei cujus bona administrat, præstitorum, qui licèt aliàs ratione conjunctionis videri posset præstitisse animo donandi, tamen propter administrationem in dubio præsumitur impendisse animo repetendi: quæ ratio administrationis militat etiam in tutore, & curatore; ac proinde pupillo, & minori alimenta præstans, non censetur habuisse animum non repetendi, sed præstitisse animo repetendi, & sic potest tutor repetere quod in pupilli alimenta, & personam impendit, sive actione negotiorum gestorum, sive judicio tutelæ, *l.* 1. *§. præterea, & §. penult. ff. de contraria tut. & utili act.* Confirmatur, quia officium suum nemini debet esse damnosum, *l. si quis ex assignatoribus, ff. quemadmodum testam. aper.* tutor autem ex necessitate sui officii alit pupillum, *d. l. cùm plures, citato §. cùm tutor, & l.* 3. *§. tutor, ff. de suspectis tutoribus*: & licèt *d. l. fin. Cod. de alim. pupillo præstandis*, Imperator Alexander consulat, quod cautè curet alimenta pupillo pro modo facultatum illius per prætorem taxari, ne exinde contingat eum controversiam pati super quantitate alimentorum; nihilominus si proprio judicio alimenta minori tribuat, quia videt non expedire, ut patrimonii quantitas intelligatur, aut alia justa ratione ductus, tunc adhuc boni viri arbitratu ipsi solvendæ sunt expensæ idoneæ, aut quas in alimentis debitè expendisse constiterit, *d. l. fin. Cod. de alim. pupillo præstandis, & l.* 2. *initio, ff. ubi pupil. educ. deb.* Cumanus *cons.* 87. Corduba, Surdus, Barbosa, & Molina *locis citatis.* Imò etiamsi per incuriam non curavit tutor alimenta taxari, nihilo minus etiam repetet, &

habere

habere debebit expensas idoneas, & quas per arbitrium boni viri debitè fecisse apparebit, Ita expressè Molina & Barbosa *collectaneo ad d. l. fin. n.5.* Guttierez *de tutel. p. 2. c.3. n.4. & 5.* à Barbosa relatus, & ita etiam sentiunt Corduba, & Cumanus *locis citatis*; Cardosus *in praxi judiciorum, verbo Alimenta, n.3.* & Surdus *d. q.15.* quatenus absolutè dicunt, tutorem repetere alimenta congrua, & idonea pupillo præstita, etiamsi Judex non taxaverit: & colligitur etiam clarè *ex d.l. 2. initio, ff. ubi pupil. educ. deb. & eadem l. fin. versic. Nec ferendus est, Cod. de alim. pupill. præstandis.*

918 Quod si tutor excesserit in alendo pupillo, impendens indebitè, & plusquam permitterent conditio pupilli, & fructus bonorum ejus, tunc quoad excessum non repeteret impensam factam, sed præsumeretur de suo ex animo donandi expendisse quoad illum excessum alimentorum. Ita tacitè Molina, Cardosus, & Barbosa *locis citatis.*

919 Et idem dicendum, si mater, aut frater, aut patruus administrans bona filii, aut fratris, vel patruelis, præstaret illi alimenta ultra redditus, seu fructus bonorum, nam quoad excessum præsumeretur donasse, nec repetere posset. Ita Baldus *in d.l. Nesennius, n.3. vers. aut dubitatur utrum id, ff. de nego. gestis*, Surdus *de alim. tit 6.q.8.n.62.* & Sanlegerius *resolut. civil. cap.38.n.11.* quod tamen videtur intelligendum extra casum, quando etiam proprietas vendi potest pro alimentis, scilicet quando fructus non sufficiunt ad præstanda idonea alimenta, juxtà tradita supra §. *undecimò*, *n.* 803. & id indicat etiam Surdus *d.n.62.*

920 Extenditur autem doctrina suprà *n.* 917. tradita, ut tutor non solùm repetat alimenta à se præstita pupillo, sed etiam ea, quæ præbuit sorori ipsius pupilli interim donec fuit nupta. Ita Cumanus *d. cons.* 88. & Surdus *d.tit.6.q.14.* Ratio est, quia tutor tenetur alere sororem pupilli, *l. qui filium, ff. ubi pupill. educ. deb.* & cùm ipse pupillus frater teneatur alere sororem, juxta *d.l. qui filium*, & latè ostensum est suprà, *cap. 7. n.371. & 373.* tutor sorori pupilli præstans alimenta nomine, & contemplatione ejusdem pupilli, censetur eidem pupilo præstitisse, & sic potest repetere, sicut ea quæ ipsimet pupillo præbuit. An verò ubi pupillus adoleverit, possit repetere à sorore id quod tutor impendit pro illius alimentis, definiendum est juxta tradita suprà *dictis numeris* 371. 373. *& quinque sequentibus.* Si enim soror à patre fuerit exclusa, relicta ei tantùm dote, nec aliunde habuerit bona unde sese alere posset, frater non poterit alimentorum impensam ab illa repetere, nec illam in dotis legatum imputare, ut probatum est *d.n.371. & 373. 374. & 376.* Si verò soror esset dives, habens alia bona ad se alendum sufficientia, frater posset ab illa repetere alimenta illi à tutore præstita, vel etiam præstita à se, si ipse illa bona administrabat, juxta tradita suprà *n.375. & n.91.* Si etiam frater erat debitor sorori pro legitima, & tutor eo adhuc pupillo, & minore, vel ipse postquam factus est major, illi præstitit alimenta, poterit fructus legitimæ penes se retinere, & compensare quod solutum fuerat pro alimentis, ut etiam in terminis tradit Corduba à Lara *in d. l. si quis à liberis, d. §. si mater, n.35. ff. de liber. agnosc.* Surdus *tit.6. q. 12. n. 26.* Cancerius *var. resol. p.1. c.16. n.31.* & Cephalus *cons.85. n.1. & 2.* à Corduba, & Surdo allegatus.

921 Item tutor repetet expensas quas fecerit in conducendis magistris, ut pupillus disciplina, seu arte congruente instituerctur, ut constat *ex d.l. qui filium. ff. ubi pupillus educ. deb. & l. si postremò, in princ. Cod. de negotiis gestis*, loquente in vitrico, qui mercedes pro privignis aliqua arte congrua instituendis magistris expendit: ibid. Baldus, & Surdus *tit.6.q.11.n.15.* Et ratio est, quia expensa Magistri utilis est pupillis, & etiam æquiparatur expensæ alimentorum, nomineque alimentorũ comprehenditur, ut suprà suo loco dictum est.

Utrum verò si pupillus fuit in ministeriis, seu servitiis, & obsequiis tutoris, qui illius operis sit usus, alimenta præstita debeant compensari cum servitiis, vel saltè pro rata servitiorum, seu illorum æstimationis? De hac re latè Scribunt Corduba à Lara *d. §. si mater, à n.70. ad finem*, & Surdus *d.tit.6. citata q.14. n.15. ad fin. & eodem tit. q.11. à n.18.* & Corduba primò *n.70.* dicit, compensari debere ex intentione Scribentium *in l. si paterno, Cod. de negot. gestis*, & ad id allegat plures Jurisperitos. Secundò *n.72. & 73.* in contrarium adducit duas rationes, unam quod alimentarius operas debet altori, quia non debet esse otiosus, & tanquam corpus mortuum, ex Glossa *in l. sicut, ff. de oper. libert.* & sic videtur alimenta non posse compensari cum pupilli operis. Alterum quod jure communi tutor gratis, & sine salario tutoris officium exercere debet. Glossa *in l.1. & in l. in eos ff. de tutelis*, licèt ex causa tutori judex salarium possit constituere. Tertiò *eodem n.74.* resolvit dubium distinguendo. Dicit igitur primò, quod cùm pro tutelæ ministerio nullum est constitutum salarium, alimenta à tutore præstita pupillo non compensentur cum operis à pupillo præstitis, neque in totum, neque pro rata operarum, sed eædem operæ pupilli compensentur cum laboribus tutoris. Cùm enim tutor gratis operas has personæ, & rebus pupilli impendat, æquum est, & naturali rationi consentaneum, ut pupilli operis uti possit, cùm pupillus antidora obligatione astrictus sit, ac proinde non competit ei operarum æstimationis repetitio, quæ in hac specie, seu ratione antidoralis obligationis cessat, *l. si testamento, initio ff. de fidejuss.* & clarius *l. si non sortem, §. libertus ff. de condict. indebit.* Jason *in l. ex hoc jure, n.74. versic. Tertiò fallit ff. de justitia, & jure*, plures alii à Corduba allegati, & latè Tiraquellus *in l. si unquam. verbo Donatione largitus, n.44. & seq. Cod. de revocand. donatione*, & etiam Surdus *d. tit. 6. q.11. n.26. & 27.* Secundò *eodem n.74. juncto n.80. & 81.* dicit quod ubi salarium tutori est statutum, & tutelæ nomine de bonis pupilli aliquid percipit, alimenta tutor compensare debet pro rata cum operis, seu servitiis pupilli, si sit ejus ætatis, ut utiliter operari possit servitio aliquo, vel alicujus artis exercitio, relicta arbitrio boni viri æstimatione, an operæ alimentorum expensam æquent. 922

At primum dictum Cordubæ Surdus *d.q.14. num.18.* non approbat, & ad duas illas rationes, quibus præcipuè nititur dictum, respondens ait, primam in præsenti materia non subsistere, quia cùm tutor nomine tutorio alimenta præstet, de bonis pupilli præstat, unde illi non tenetur pupillus operari. Textus verò *in d.l. sicut*, loquitur quando quis alit de suo, non de alieno. Secundam etiam rationem dicit non probare, quia cùm officium tutelæ sit necessarium, & consequenter laborem in illius administratione sustinere cogatur, nec possit recusare, non acquirit aliquod meritum renumeratione, aut compensatione dignum, quia obligatio præcedens impedit, ne exercitio tutelæ possit mereri, & non dicitur beneficium præstare qui debitũ impendit, *l. si servo, ff. de hered. instit. l. unum ex familia, §.1. ff. de legat.2.* & Tiraq. *d. verbo Donatione largitus, n.106.* Quare ipse sustinendo quod dicit *eodem tit. d.q.11. n.24. & seq. eadem q.14. n.21.* inhærendo communi Doctorum *in d.l. si paterno*, & aliorum, quos *d.q.11.* refert, absolutè asserit compensationem alimentorum faciendam pro rata operum pupilli, ita quod compensatio sit totalis, si operæ quoad æstimationem illis æquivaleant; partialis si operæ solùm parti alimentorum æquivaleant, dummodo tamen operæ non sint modici momenti; nõ enim ait, rationabile videtur quod qualecumque servitium induci debeat ad æstimationem alimentorum, sed illorum utilitas sit considerabilis. Hoc idem absolutè tradit Molina *de justitia, tom.2. disp.554. n.13. fine.* Rationem esse dicit, quia tutor qui servitia recipit, dicitur tanto minùs impendisse de suo; quæ quidem ratio est vera. 923

Verùm

Verum nihilominus existimo, non esse excludendum primum dictum Cordubæ, tum ob rationem secundam numero præcedenti adductam, juncta explicatione, seu confirmatione ipsius Cordubæ; nam cùm debitum tutoris exercendæ tutelæ absque salario sit tantùm legale, non justitiæ commutativæ, & particularis, & ex tutelæ ministerio gratis exercito pupillo verè proveniat beneficium, & non mediocre circa illius personam, & res, non mirum si ex parte ejusdem pupilli consurgat erga tutorem antidotalis obligatio, quæ ut idem notat Surdus *d. q.11. num.26.* post Jasonem, & Tiraquellum locis numero præcedenti relatis, plurimùm potest, & multos operatur effectus ab ipsis Jasone, & Tiraquello enumeratos, & inter alios, quod in dubio facit præsumere donationem in eo qui adstrictus aliquid dat, vel operatur in utilitatem illius, qui beneficium contulit, ut latè docet Tiraquellus *d. verbo Donatione largitus, n.50.* & Surdus *d.q.11. num.27. & seq.* & sic facit cessare compensationem, ut in textibus numero præcedenti adductis. Meritò igitur, ubi tutor pro laboribus tutelæ nullum percipit emolumentum ex bonis pupilli, in repetitione alimentorum pupillo præstitorum non debebit compensare servitia pupilli, nisi fortè quoad excessum, si æstimatio servitiorum, seu operarum pupilli arbitrio prudentis viri excederent notabiliter labores tutoris.

924 Sicut verò tutor repetens alimenta facit compensationem pro rata servitiorum, & operum pupilli, ita etiam frater, qui fratri, & fraternæ familiæ exhibuit alimenta, si à fratre, & ejus familia recepit servitia, illorum æstimationem compensare debet, ita Surdus *d. tit.6. citata q.11. n.25.* post Aretinum *in l. si negotium, Cod. de negot. gestis*, ubi etiam alii Doctores.

925 Plura de hujusmodi compensatione alimentorum præstitorum à tutore pupillo cum servitiis, & operis pupilli, *infra hoc cap.* ubi an, & quando vitricus repetat alimenta præstita privignis, scilicet an sit facienda proportionaliter, & ad rationem ratam, an in illis æstimandis habenda sit solùm quanti tutor esset conducturus, an verò quanti pupillus, seu minor potuisset locare, an etiam habenda ratio operum, nimirum an sit alicujus artificii, vel nudi ministerii, an modicitas alimentorum præstitorum, nobilitas, & divitiæ illa præstantis inducant præsumptionem donationis, de quibus latè Corduba à Lara *in d. §. si mater, à n. 61. ad finem*, & Surdus *tit.6. q.11. per totam.*

§. VIII.

Mater filiæ debitrix, & frater debitor fratris, præstans alimenta filiæ, vel fratri, non præsumitur illi donare.

926 Tertia limitatio conclusionis suprà *n.905.* positæ, est: Mater, frater, patruus, & quicumque consanguineus, si debitores sint filii, fratris, patruelis, aut consanguinei, ei præstando alimenta, in dubio non præsumũtur præstasse animo donãdi, sed compensandi alimenta cum debito, seu debitum solvendi. Ita Ruinus *conf.223. n.1. vol.1. & conf.145. n.3. vol.4. & conf.152. n.9. vol.5.* Surd. *de alim. tit.6. q.8. n.63. & q.12. n.20. & seq.* ratio est, quia datum à debitore, in dubio præsumitur datum in causam debiti, *l. si cùm dotem, §. si pater, ff. sol. matrimonio*, Bart. *in l. triticum, n.4. ff. de verborum oblig.* Brunus *de statuto exclud fœminas, art.6. n.243.* Et confirmatur ex traditis suprà *n.915. circa medium*, scilicet quod non præsumitur animus donandi quando sumi potest alia conjectura: in præsenti autem adest conjectura, quod in extinctionem debiti alimenta præstiterint. Vnde etiam debitorem mulieris, sive extraneum, sive fratrem, illam dotantem, censeri habuisse animum gerendi utile negotium ejusdem mulieris, & compensandi cum debito, tradunt Bartolus, & Ruinus *locis citatis*, Menochius *d. arbitrariis, de casu 88. n.43.* & Surdus *d. q. 12. num.20. & 24.* ubi etiam refert plures alios Iurisperitos asserentes fratrem debitorem videri dare animo compensandi, & loquuntur in fratre illius debitore dante dotem sorori.

§. IX.

Per protestationem factam ab initio præstationis alimentorum, donationis præsumptio excluditur, & probatur animus illa repetendi.

Limitatio quarta ejusdem conclusionis *n.905.* positæ, quod ubi inter alimentantem, & eum cui alimenta sunt præstita, intercedit affectio sanguinis, vel charitatis, expensæ pro alimentis factæ in casibus, in quibus præstans alimenta non tenebatur, vel quia ad alios spectabat onus alendi, vel ipse alimentarius habebat bona, ex quibus poterat ali, non præsumuntur factæ animo donandi, sed repetendi, si alimentans ab initio fuerit protestatus se præstare animo repetendi & recuperandi. Ita constat expressè *ex l. Nesennius, ff. de negotiis gestis*, ubi de Avia, quæ nepotibus divitibus alimenta præstiterat, *ex l. paterno, C. de negotiis gestis*, ubi de vitrico, qui privignis alimenta præstat cum declaratione, quod erat repetiturus: ita etiam tradunt Bartolus, & alii Scribentes *in d. l. Nesennius, & d. l. si paterno*, & alii Jurisperiti communiter, Baldus *in l. filiæ cujus, n.5. Cod. famil. erciscundæ*, Tiraquellus *de retractatu consang. §.36. gloss.2. n.53.* Pontan. *de alim. c.8. n.6.* Joan. Garzias *de expens. cap.4. n.25.* Menochius *de arbitr. casu 88. n.26.* Mascardus *concl.76. n.7. & 8. concl. 527. n.5.* Mantica *de tacit. & ambig. conv. lib.13. tit.22. n.21.* Corduba à Lara à contrario sensu, & tacitè *in l. si quis à liberis, d. §. si mater, n.29. ff. de liber. agnosc.* Surdus *de alim. tit.6. q.8. n.64.* ubi loquitur in matre alimentante filium divitem, *& quæst 9. num.15.* ubi loquitur in fratre alimentante fratrem in casu, in quo cùm non sit inops, non tenetur alere. Cancer *var. resol. p.1. cap.16. num.28. & 29.* Augustinus Barbosa *collect. ad d. l. alimenta, num.11. Cod. de negot. gestis*, & alii Jurisperiti apud Menochium, Mascardum, & Surdum, & ex Theologis Molina *de justitia, tom.2. disp. 554. num.11. versic. quando autem filii*, Azorius, & Rebellus locis suprà *n.902. relatis.* Ratio est, quia ubi alimentans protestatur, & declarat expressè se velle conservare indemnem, & repetere expensas alimentorum, sumus in claris, & sic non potest esse locus præsumptioni in contrarium. Protestatio igitur, qua alimentans explicat animum suum recuperandi expensam, rem alioqui dubiam facit certam, & excludit præsumptionem donationis, ut notavit Baldus *in d. l. Nesennius, num.4.* ubi addit sufficere quod tabellio de tali protestatione, & explicatione suæ voluntatis rogetur à protestante: cujus rationem reddit Surdus *d. quæst.8. num.65.* scilicet quia voluntas declarari potest, quantumcumque absente parte, ut ex Craveta *cons.148. num.11.* Rolando *cons.2. num.173. vol.1.* & pluribus aliis Iurisperitis tradit idem Surdus *eod. num.65. & num.66.* & colligitur *ex d. l. Nesennius, & d. l. si paterno.* 927

Ista autem protestatio facienda est à principio, in ipsove actu præstationis alimentorum; & facta ex intervallo post actum perfectum, nempe post alimenta jam præstita, non prodesset, nec valeret, ex quo jam quæsitum est jus illi, cui alimenta fuerunt præstita, cùm tempore præstationis censeantur præstita animo donandi, & alimentorum expensa, & quæcumque alia res alteri semel soluta, vel data animo donandi, etiam præsumptivè, scilicet quia præsumitur donatio, ubi de contrario animo non constat, non potest amplius 928

per mutationem voluntatis repeti, neque etiam in foro conscientiæ per jus jam alteri acquisitum: Ita Molina *d. disput.* 554. *num.* 11. *& seq.* & Rebellus loco suprà *num* 902. allegato, & in his terminis quoad forum exterius, à quo non discordat forum conscientiæ, ut magis explicatur infra, talem protestationem factam post alimenta præstita, nón prodesse tradunt Surdus *d. q.* 8. *n.* 67. *& seq.* Cancerius *d. num.* 29. & Marcabrunus *consf.* 110. *num.* 95. *&* 98. ab eodem Cancerio relatus. Nam etsi declaratio semper possit fieri, & soleat retractari ad tempus dispositionis, juxta Doctores, quos latè refert Surdus *num.* 67. *&* 68. nihilominus id non habet locum quando agitur de præjudicio tertii, cui medio tempore jam jus est quæsitum. Tiraquellus *in l. si unquam, verbo Libertis, num.* 15. *C. de revoc. donat.* Rolandus à Valle *consf.* 64. *num.* 38. *vol.* 2. & alii Jurisperiti ab eodem Surdo *num.* 69. *& duob. sequentib.* relati. Actus quoque qui ab initio debuit fieri, non prodest, si fiat ex postfacto, ubi statim actu perfecto fuit jus tertio quæsitum, ut docet *loco citato* Cancerius ex Marcabruno *ubi suprà*.

929 Quanvis verò Glossa *in d. l. Nesennius, verbo Conveniret, ff. de negotiis gestis*, & nonnulli alii relati à Surdo *d. quæst.* 8. *num.* 72. opinari sint, protestationem non prodesse quoad repetitionem, quando impensa pro alimentis facta est modica: nihilominus omninò asserendum est, etiam quando impensa est modica, protestationem ab initio factam repetendi excludere animum donandi, & sic locum esse repetitioni. Ita Alexander *in l.* 1. *num.* 3. *in princ. & fin. C. de negot. gestis*, Castrensis *in l. alimenta, num.* 3. *fin. Cod. eodem*, Menochius, Mantica, & Mascardus locis suprà *n.* 927. citatis, Surdus *d. quæst.* 8. *num.* 34. *& tribus sequentibus, & d. num.* 72. *versic. Diversum*, & *d. quæst.* 9. *num.* 15. & alii Jurisperiti ab eodem Surdo, & Mantica relati. Nam primò textus *in d. l. Nesennius*, dicens esse locum repetitioni, si avia, vel mater quæ præstabat filio aut nepoti diviti alimenta, protestata sit velle recuperare, non distinguit inter magnam, & modicam impensam, & sic nec nos distinguere debemus, & cùm simus in casu in quo alimentans non tenetur præstare alimentario alimenta, eo ipso quod declarat animum suum non esse donandi, sed repetendi, cessat conjectura, quod voluerit donare, ob modicitatem. Cùm igitur nemo etiam sanguine conjunctissimo à jure cogatur donare etiam quid minimum, ac tota vis donationis inter sanguine conjunctos proveniat à præsumpta voluntate, ex protestatione, seu declaratione voluntatis, ea præsumptio omninò cessat, tam quando impensa est modica, quàm ubi est magna, cùm in utroque casu eadem militet ratio. Ad summum sententia Glossæ posset procedere quando impensa ita esset parva, quod foret elusoria. Castrensis *loco citato*.

§. X.

Quando quis sumptus quos pro alimentis alteri præstitit, retulit in librum rationum, ab initio scribens quod præstabat animo repetendi, non præsumitur donatio.

930 QUinta limitatio ejusdem conclusionis suprà *n.* 905. propositæ inter præfatos sanguinis, & charitatis affectione conjunctos, de quibus *in d. conclus.* Expensæ alimentorum descendenti, vel ascendenti, vel fratri, aut patrueli præstitorum in casu in quo alimentans non tenebatur præstare, quia alimentarius haberet bona, ex quibus decenter ali poterat, vel onus alendi ad alium spectabat, non præsumuntur donatæ, sed repeti possunt si ab alimentante fuerint descriptæ seorsum in libro rationum, & notatum quod præstabat alimenta animo repetendi, seu scripsit debitorem alimentarium, aut alium cui tunc incumberet onus alendi, & non probaretur fuisse descriptos ex intervallo post factam impensam, aut litem motam. Ita expressè textus *in d. l. Nesennius, fin.* loquens in avia quæ retulisset in ratione expensarum alimenta nepoti diviti præstita, *ff. de negotiis gestis*, ibidem Bartolus, & alii, Ant. de Butrio *consf.* 28. *num.* 5. Mascardus *concl.* 527. *n.* 6. Mantica *de tacit. & ambig. conv. lib.* 13. *tit.* 12. *n.* 20. Surdus *de alim. tit.* 6. *d. q.* 8. *n.* 73. 74. *&* 76. *& q.* 9. *n.* 9. Cancer. *resol. var. p.* 1. *c.* 16. *num.* 27. Genua *de scriptura privata, lib.* 4. *c.* 1. *n.* 38. Augustinus Barbosa *collect. ad l. alimenta, n.* 12. *Cod. de negot. gestis*, & alii Jurisperiti à Surdo, & Genua allegati: & ex Theologis Molina, & Rebellus *locis suprà allegatis*. Et ratio est, quia cùm etiam in hoc casu constet clarè de voluntate alimentantis, à qua sola pendet, an fuerint expensæ donatæ, necne, planè standum est declarationi ejusdem, an fuerit animo donandi, vel repetendi, nec opus est alia conjecturâ. Quare etsi ex libro rationum aliquid continente pro scribente ad illius favorem non oritur plena probatio, regulariter loquendo, ex communi Doctorum conclusione, de qua latè Genua *d. c.* 1. *à n.* 6. nihilominus præfata communis conclusio limitatur ut habeat locum in illis, quæ in libera voluntate ipsius scribentis sita sunt, in his enim librum rationum pro scribente facere plenam probationem, seu fidem, inferunt Doctores *ex d. l. Nesennius*, loquentes in avia quæ in suo libro rationum scripserat quod præstabat nepti alimenta animo repetendi; quem animum rectè probari per dictum librum rationum, tradunt non solùm Bartolus *in d. l. Nesennius*, & alii suprà allegati, sed etiam idem Bartolus *in l. nuda, num.* 7. *de donationib. in auth. etsi contractus, Cod. de fide instrum. & in l. admonendi, num.* 16. *fin. ff. de jurejur. ibidem* Scaccialupus, Jason, Curtius, & plures alii à Genua *d. num.* 38. relati.

Advertit autem Surdus, quod ad probandum alimentantem, sive matrem, sive fratrem, &c. sufficere etiam si in libro, in quo servatur memoria debitorum, & creditorum illius, qui præstat alimenta sanguine, vel charitatis affectione conjuncto, scriptum inveniatur, Sicuti præstat filio, seu fratri alimenta; eo quia non possit verisimiliter videri scriptum ad alium finem quàm repetendi: secus, inquit idem Surdus, si in libro consuevisset alimentans scribere res gestas, non pertinentes ad rei familiaris administrationem: quamvis addat in iis plurimùm versari Iudicis arbitrium, consideratis parcellis, & scribentis qualitatibus, ex quibus judicabit quanta sit fides adhibenda. 931

Dixi verò *Et non probaretur, præfatas expensas descriptas in libro ex intervallo, &c.* nam ut probent animum repetendi, debet apparere quod fuerint descriptæ à principio, & si probaretur descriptas esse post impensam factam, non probarent animum repetendi, ob rationem suprà *num.* 928. datam, quod protestatio debet fieri à principio, & non post consummatum actum, & lite pendente. Ita expressè Surdus *d. q.* 8. *n.* 77. advertens cum Ripa *in l. admonendi, n.* 122. *ff. de jurejurando*, propterea *in d. l. Nesennius*, considerari scripturam aviæ jam defunctæ ante litem motam ab ejus hæredibus. Quare idem Surdus *ibid.* addit quod non sufficeret apparere, seu probari, quod liber fuerit scriptus per talem, nisi etiam probaretur tempus, scilicet dies, mensis, annus scriptionis, aliàs mater, v. g. quæ filio præstitit alimenta, posset post litem motam scribere in libro, apposita die jam diu ante litem motam lapsa in præjudicium filii: & facit doctrina, quod scriptura privata, etiam recognita, contra tertium non probat respectu temporis, seu quoad diem non contentam non possit debitor prælata die jus anterioris tollere, ut aliis relatis tradit idem Surdus *n.* 78. & quando controvertitur de prioritate temporis, vel tempus est de substantia probationis, ut in præsenti specie, 932

rodu

producentem scripturam privatam debere necessariò probare tempus, ac diem, tradunt Baldus *in l. scripturas, Cod. qui potior.* Tiraquellus *de retract. convention.* §. 1. *gloss.* 7. *n.* 49. *cum sequentibus*, & innumeri alii Jurisperiti, quos refert, & sequitur Genua *de script. privata, lib.* 1. *q.* 3. *n.* 5. qui etiam *lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 85. alios plures allegans notat librum rationum carentem nomine contrahentium, vel die aut consule, non indúcere præsumptionem ad favorem ipsius scribentis; id tamen *n.* 86. limitatur, nisi forsan ex justa, ac probabili causa Judex ipse moveatur, ut huic libro rationum die, ac consule carenti fidem aliquam adhibear, prout etiam annotavit Joan. Andr. *ad Speculat.* §. *nunc dicendum, n.* 4. *versic. Supradicta, de instrumentorum editione.*

§. XI.

Filius, vel nepos an alimenta patri, matri, avo, vel aviæ diviti præstita possit repetere; an verò præsumendus sit præstitisse animo donandi.

933 Sextò limitatur eadem conclusio *d. n.* 905. proposita, ut non procedat in filio, vel nepote, quem si de propriis bonis præstiterit alimenta patri, vel matri, vel aviæ diviti, in dubio, scilicet quando apertè non constat ex aliqua conjectura ex suprà enumeratis, quod impenderit animo non repetendi, vel donandi, præstitisse animo repetendi tradidit Corneus *consf.* 199. *col. fin. versic. Circa secundum, vol.* 3. & post eum Mascardus *de probat. allegata concl.* 76. *n.* 2. *fine*. Motus est Corneus tum ex eo, quod in dubio non præsumitur animus donandi: tum quia in jure, ut constat ex textibus suprà *n.* 903. adductis, reperitur solùm dispositum in ascendente, quod præsumatur in dubio habere animum donandi: non est autem idem animus, & votum liberum erga parentes, *l. nam etsi parentibus, in princ. ff. de inoffic. testam.*

934 Hæc tamen limitatio rejicienda est, & omninò asserendum, præfatam conclusionem secundam procedere etiam in descendente erga ascendentes, ut etiam descendens filius, vel nepos ex propriis bonis præstãs alimenta ascendentibus patri, matri, avo, aviæ divitibus, in dubio præsumi debeat intuitu pietatis, & ex affectione, & charitate sanguinis præstitisse, & sic animo donandi. Ita expressè Bartolus, Cynus *in l. si filius, Cod. de negot. gestis*, ibidem Alexander, & etiam *in l. alimenta, n.* 10. *Cod. eodem*, Castrensis *in l. si negotium, Cod. eodem*, & Surdus qui eos refert *tit.* 6. *q.* 9. *n.* 6. & 7. August. Barbosa *collect. ad d. l. si filius, n.* 3. Molina *de justitia, tom.* 2. *disp.* 554. *n.* 9. Joan. Garzias loco suprà *d. n.* 905. citato, & communiter Doctores: allegati enim Doctores, & alii distinguunt inter impensas à filio factas pro alimentis patris, aut matris, & circa ejus personam, & ab eodem filio factas extra alimenta, scilicet circa res, putà si eorum debitum solverit: & aiunt factas pro alimentis patris, aut matris, in dubio præsumi factas intuitu pietatis, & animo donandi; factas verò circa res, præsumi factas animo repetendi, & eidem filio, ejúsve hæredibus competere actionem negotiorum gestorum ad eas repetendas, nisi constaret de animo liberali filii, quo gratis eas facere intendisset. Ita tradunt Cynus, Bartol. Baldus, & alii Scribentes *in d. l. si filius*, ibidem Aug. Barbosa *d. n.* 3. Surdus *d. q.* 9. *n.* 7. & 10. & alii ibidem ab eodem relati, qui ad ita asserendum moti sunt ex distinctione facta *in d. l. alimenta, Cod. de negot. gestis*, ubi expressè dicitur, matrem non repetere alimenta præstita filio, cùm materno affectu præstita censeantur; repetere autem si aliquid utiliter circa res filii impenderit, ut dictum est suprà *num.* 908. & tradunt Doctores *ibid.* relati. Fundamentum ergo, quod descendentes, ut filius, vel nepos, ex propriis bonis alimenta patri, matri, avo, vel aviæ, etiam diviti, in dubio præsumatur dedisse intuitu pietatis, & animo donandi, est ipsa ratio, & actio conjunctionis sanguinis, quæ cùm sit eadem in descendente erga ascendentem, sicut in ascendente erga descendentem; sicut in ascendente contra regulam generalem, quod donatio non præsumitur, inducit præsumptionem donationis, ut in textibus *d. n.* 905. relatis: ita etiam in descendente facit præsumere animum donandi, imò idem operatur in quocumque conjuncto ratione sanguinis, & specialis charitatis, seu amicitiæ vinculi, ubi agitur de impensa pro alimentis. Quare cùm ratio super qua fundatur dispositio facta in textibus *d. num.* 905. adductis de matre, & avia, reperiatur etiam in descendentibus, in iis debet habere locum eadem dispositio. Quod ulteriùs confirmatur ex natura correlativorum, quæ operatur quod dispositum in uno habeat locum in alio, *l. fin. Cod. de indict. viduit. toll.* etiam in materia correctiva, ut si lex nova corrigat antiquam in uno correlativorum, haberet etiam locum in alio, ut docent Everardus *in loco* 76. *à correlativis*, & alii Jurisperiti, quos Surdus *d. q.* 9. *n.* 6. refert. Igitur filius, vel nepos impensam alimentorum patri, vel matri, aut avo, vel aviæ præstitorum solùm in casibus *à n.* 906. *ad* 930. explicatis, censebitur præstitisse non animo donandi, sed repetendi. Plura alia, an, & quando filius censeatur impensam factam pro patre illi donasse, vel fecisse animo repetendi, videantur apud Surd. *d. q.* 9. *à n.* 11. *ad finem.*

§. XII.

Vitricus si privigno præstet alimenta, an, & quando possit illa repetere, anque in casu dubio præsumi debeat animus donandi, an verò repetendi.

Et prædicta quoad sanguine conjunctos, sed quid de vitrico, qui præstitit alimenta privigno, cui (ut suprà *n.* 889. probatum est) non tenetur præbere, an censeatur præstitisse animo donandi, vel repetendi, & repetere à privigno possit.

Certum est si constet vel ex ejus confessione, vel ex conjecturis, vitricum præstitisse paterno affectu, & ex liberali animo, non posse illa repetere, ut est textus expressus *in l. Si paterno, Cod. de negot. gestis*; ideò autem quando vitricus præstat alimenta privignis, censetur animo donandi præstitisse, quia eo casu cùm dilectionis, amorisque causâ præstet, non potest sumi alia conjectura quàm donationis, ut ait Cumanus *consf.* 87. *fin.* & post eum Corduba *in d. l. si quis à liberis*, §. *si mater, n.* 67. *ff. de liber. agnosc.* Conjecturæ autem, & præsumptiones animi donandi possunt desumi ex qualitate privigni, vel vitrici, ut post alios notat Surdus *d. tit.* 6. *q.* 11. *n.* 50. ubi etiam *n.* 51. & 52. ait eundem animum declarari privatâ scripturâ, & per testes singulares. 935

Item certum est, si constet præstitisse animo repetendi, quia dum præstabat, protestatus sit se recuperaturum ab eodem privigno, vel quia administrabat bona privigni, vel quia in libro rationum impensam descripsit, & privignum debitorem scripsit, posse illa repetere, ut ex eadem lege *si paterno*, & ex traditis in præcedentibus constat. 936

Difficultas ergo est, si vitricus non administrabat bona privigni, neque protestatus sit se præstare animo repetendi, neque impensam factã in alendo privigno scripsisset, neque etiam constaret ex confessione, vel ex conjecturis de animo liberali; sed dubium sit, an ex solo affectu paterno, & animo donandi, an verò animo repetendi præstiterit, utrum in hujusmodi dubio debeat præsumi vitricum privigno præstitisse animo donandi, an verò potiùs animo repetendi; & ideò eidem vitrico competat actio negotiorum gesto- 937

negotiorum gestorum ad illa à privigno repetenda. Petrus, & Cynus *in d. l. si paterno, n.* 1. Franc. Aretinus *ibid.* & nonnulli alii à Corduba *in* §. *si mater, n.* 61. *fine,* & Surdo *tit.* 6. *q.* 11. *n.* 3. relati affirmarunt, in dubio vitricum præsumi alimenta præstitisse privigno affectu paterno, & consequenter animo donandi, nisi consuetudo regionis aliud suadeat. Fundatur in illis verbis dictæ legis *si paterno,* secundæ responsionis: *Quod sicut repetiturus ea, quæ in sumptum misisti, aliquid erogasti, negotiorum gestorum tibi intendenda est actio.* Ergo à contrario sensu, si non constat præstitisse animo repetendi, juxta illum textum non poterit repetere, & sic censetur præstitisse animo repetendi; valet enim argumentum à contrario sensu sumptum, *l.* 1. §. *ejus, ff. de offic. ejus,* & aliis juribus per Surdum *d. q.* 11. *n.* 2. relatis.

938 Communis tamen sententia est, vitricum in præfato dubio præsumi præstitisse privigno alimenta animo repetendi, & consequenter actione negotiorum gestorum posse repetere à privigno quidquid pro illis alimentis expendit. Ita Glossa, Bartolus, Baldus, Alexander, Paulus Castrensis, Salicetus, Corneus, & alii *in d. l. si paterno,* Corduba *d.* §. *si mater, n.* 62. 63. & 67. Surdus *d. q.* 11. *à n.* 4. August. Barbosa *collect. ad d. l. si paterno, n.* 2. & alii Jurisperiti ab iisdem Corduba, & Surdo relati, & Molina *de justitia, tom.* 2. *disp.* 554. *n.* 13. & hæc communis sententia licèt clarè non probetur *in d. l. si paterno,* ut notat Surdus *d. q.* 11. *n.* 7. est tamen illi consentanea, nec sententia opposita ullo modo ex eadem lege deduci potest; lex enim illa solùm denegat actionem, si paterno affectu impensæ alimentorum factæ sint; non autem affirmat, aut innuit, præsumendum esse factas paterno affectu. Accedit ratio satis evidens, quia affectus paternus erga privignos non præsumitur in vitrico, sed potiùs odiũ, sicut & in noverca, juxta legem *non est, de inoffic. testamento, & l.* 1. ubi Glossa, *Cod. ubi pupilli educari debeant,* & tradita suprà *n.* 689. unde regulariter privignus non debet educari apud vitricum uti suspectum, ne vitæ privigni insidietur, *d. l.* 1. & latè infrà suo loco explicatur. Igitur animus donandi, qui præsupponit benevolentiam, cùm donatio sit actus ab amore erga donatarium proveniens, non potest præsumi in vitrico regulariter rarò amante privignum: ac proinde nisi probetur in eo fuisse affectum paternum, ex eoque ipsum motum ad alimenta privigno præstanda, repetit id quod pro alimentis impendit. Et licèt Corduba *d.* §. *si mater, n.* 65. dicat hunc affectũ, utpote in animo consistentem, probari posse non adfuisse, vel adfuisse assertione jurata vitrici dicentis affectum paternum se habuisse, vel non habuisse, & sic an habuerit animum donandi, vel repetendi: nihilominus contra Cordubam est, quod in præsenti materia contra præsumptionẽ juris non statur protestationi, seu declarationi ejus qui alimenta præstitit, nisi facta sit à principio, nec prodest quæ ex postfacto fit, ut suprà *n.* 928. probatum est, & in hac specie expresè tradit contra Cordubam Surdus *d. q.* 11. *n.* 12. & addit hanc sententiam communem procedere, tametsi vitricus habeat penes se dotes uxoris, ejusque fructus ultra sumptum in matrimonii onera necessariũ sufficerent pro alimentis privigni: & similiter si dos ob inopiam mariti esset collocata in tuto, & ex illius fructibus ultra necessarios ad uxorem, & filios, & ipsum maritum alendum, aliquid superesset, quo privignus fuisset alitus; in utroque enim casu vitricus repetere potest à privigno præstita alimenta, cùm non teneatur maritus de fructibus dotium alere filios uxoris ex priori matrimonio susceptos, ut suprà *d. n.* 589. ostensum est. Extenditur etiam communis sententia, ut vitricus repetat quidquid pro privigno solvit Magistro, qui illum docuit Grammaticam, aut artem idoneam, & congruam, ut est textus *in d. l. si paterno,* ibidem Baldus *in princ.* Surdus *d. q.* 11. *n.* 15. Aug. Barbosa *collect. ad d. l. si paterno, n.* 2. & probat ratio tradita suprà *n.* 921.

Procedit autem prædicta communis sententia de jure communi; nam in Hispania jure regio, *l. ult. tit.* 12. *pars.* 5. vitricus qui non administrat bona privigni illum alimentans, intelligitur præstitisse paterno affectu; nec illa repetit, nisi protestatus fuerit ab initio, se velle recuperare, vel aliter probaverit repetendi animo præstitisse. Ita referunt Corduba *in d.* §. *si mater, n.* 67. *initio,* & Molina *d. disp.* 554. *cit. n.* 13. *post medium.*

Limitatur verò primò eadem sententia communis, si privignus tempore alimentorum præstitorum fuerit in servitiis, & obsequiis vitrici, illique operas suas exhibuit; tunc enim non potest repetere omnes sumptus pro alimentis factos, sed compensare illos debet cum servitiis. Ita Glossa, Cynus, Bartolus, Baldus, Fulgosius, Alexander, Castrensis, Salicetus, Corneus *in d. l. si paterno,* Corduba *in d.* §. *si mater, n.* 69. Surd. *d. quæst.* 11. *num.* 18. *& tribus sequentibus, & n.* 25. *cum pluribus sequentibus,* August. Barbosa *collectaneo ad d. l. si paterno, num.* 2. Jurisperiti communiter à Surdo, & Corduba relati, & Molina *d. disp.* 554 *num.* 13. *fine:* probat ratio suprà *num.* 923. adducta, scilicet quia vitricus, qui privigni servitia recipit, dicitur tantò minùs de suo præstitisse. Quare procedit ista limitatio etiamsi vitricus esset bonorum privigni administrator, vel fecisset protestationem repetendi, quæ non prodest quando tenetur alere, ut quando actu recipit servitia ab alito; alere enim quis tenetur eum cujus operis utitur, *l. In rebus,* §. *possunt, ff. commodati:* & ita etiam expresè alios allegans Surdus *d. quæst.* 11. *num.* 19. & 20. Utrum verò omnes sumptus pro alimentis facti sint compensandi cum servitiis, etiamsi servitia illis non æquivaleant, licèt Bursatus *cons.* 94. *num.* 11. à Surdo *d. quæst.* 11. *num.* 31. relatus affirmaverit; longè tamen verius, & rationi magis consentaneum est, compensationem faciendam pro rata & æstimatione servitiorum. Ita Corneus *cons.* 265. *vol.* 1. Aretinus *cons.* 148. Corduba *d.* §. *si mater, n.* 77. 80. & 81. Surdus *d. q.* 11. *n.* 34. & *seq.* & Molina *de justitia, tom.* 2. *dicta disp.* 554. *n.* 13. *fine,* ubi dicit omnes sumptus pro alimentis privigni cum servitio ejusdem privigni compensari debere, modò servitium Judicis arbitrio dignum sit tanta compensatione; & addit, & meritò quidem, quod si servitium plus quàm alimenta præstita meretur, tunc vitricus persolvere tenetur privigno incrementum. Dixi, *Judicis arbitrio, &c.* quia super æquivalentia, anve alimentis æquivaleant, necne servitia, & opera, judex debet arbitrari, & illius judicio standum est, ut post alios notat Corduba *d.* §. *si mater, num.* 80. Surdus *d. q.* 11. *n.* 42. Molina *ibid.* arbitrio enim Judicis decidenda committuntur quæ à lege certam non habent determinationem. Corduba *ibid.* ex Baldo *in l. certum, n.* 11. *Cod. famil. ercisc.*

Servitia autem, seu operas Judex æstimare debebit, non habito respectu quanti locari potuissent ab eo qui præstitit, sed quanti vitricus fuisset conducturus, seu habito respectu ad emolumentum, quod ex servitiis, & operis vitricus habuerit, ut post alios probat Corduba *in d.* §. *si mater, num.* 81. & Surdus *d. quæst.* 11. *num.* 39. & *seq.* per textum clarum *in l. Si non sortem,* §. *Libertus, ff. de condictione indebiti,* ubi operarum æstimatio fit pensatis robore, ætate, famuli, tempore præstationis, & aliis multis. Addit Corduba cur servitia, & operas, quæ pupillus, & mater tutori, vel curatori, frater fratri, & sobrinus patruo, & privignus vitrico exhibuit, non debeant æstimari quanti 940

locari

locati potuissent, quia in tutotis, curatotis, fratris, patrui, ac vitrici obsequio pupillus, vel minor honestè esse potest, non ita in extranei hominis servitio. In hujusmodi quoque operarum æstimatione judex considerare debebit, an qui alimenta percepit, fuerit solùm minister, an verò sit artifex, cùm regulariter plus æstimentur artificis operæ quàm personæ simplex ministerium, *l. ut jurisjurandi*, §. *Dubitur, ff. de operis libertorum, & l. fin.* §. *In tum, ff. de liberali causa*, Surdus *d. quæst.* 11. *n.* 43. & Corduba. *d.* §. *si mater, n.* 76. & 77. ubi si impubes sit artifex, vult operas recipere æstimationem, & decernendum salarium, non verò si sit simplex minister, quo casu ait solùm servitiis compensari alimenta. Sed in hac re, cùm certa non possit dari regula, cùm tam sagax, & industrius quis esse possit, quamvis impubes, & simplex minister, quod nedum alimenta, sed etiam salarium possit operis suis mereri, ut experientiâ constat tam inter nobiles, quàm inter rusticos, quando & illi pro nobilioribus servitiis impuberes salario constituto, & hi pro custodiendis armentis, vel pecudibus impuberes pariter salario conducant, ultra alimenta, aliquando conducant pro solis alimentis, & aliquando insuper qui sunt in servitiis, tamersi ætatis provectioris, sint valdè desides, & inertes, ut eorum servitia, & operæ parui, vel nullius momenti æstimentur, longéque distent à valore alimentorum; totum negotium æstimationis relinquendum est arbitrio Judicis definiendum, ut innuunt Surdus *d. q.* 11. *n.* 42. & Molina *d. disp.* 554. *n.* 13. *fine*, & potest colligi ex traditis suprà *n.* 939. *fine*.

941 Limitatur secundò eadem communis sententia, ut non procedat quando impensa à vitrico facta pro alimentis privigni esset modica; nam tunc præsumendum esse vitricum fecisse animo donandi, tradunt Baldus *in d. l. si paterno*, *Cod. de negot. gestis*, & Corneus *cons.* 265. *fin. vol.* 1. Verùm Surdus *d. q.* 11. *n.* 45. reiicit limitationem dicens, etsi facilius donetur quod modicum quàm magnum, res tamen, licèt modica, in dubio non præsumitur donata, nisi ultra modicitatem concurrat aliqua alia conjectura, qualis est conjunctio sanguinis, & affectio charitatis, juxta tradita suprà, *n.* 905. & 906.

942 Limitatur tertiò eadem communis conclusio, ut vitricus non repetat alimenta à privigno, quando ille gratis alendus erat à matre, vel ab alio, quia tunc non est gestum privigni negotium, nec quid sit in illius utilitatem versum, quando mater, vel alius eum alere tenebatur. Ita argumento à contrario, probatur *in l.* 2. *Cod. de negot. gest.* & constat etiam ex traditis suprà, *n.* 912. & *seq.* de matre, quæ superstite patre divite, vel alio, ad quem priùs spectabat alendi onus, filio alimenta præbuit: & ita expressè Surdus *d. q.* 11. *n.* 16. post Scribentes *in d. l.* 2. & Cynum *in d. l. paterno, Cod. de negot. gest.* In hoc igitur casu vitricus repetet, ut aiunt iidem Cynus, & Surdus *locis citatis*, à matre, quæ gratis alere tenebatur, cùm matris negotium utiliter gestum sit, & impensa pro alimentis privigni versa sit in illius utilitatem.

943 Limitatur ultimò ex traditis suprà *n.* 935. nempe quando aliqua conjectura, præsertim desumpta ex qualitate personarum, suaderet alimenta à vitrico fuisse ex liberalitate, & animo donandi præstita privigno, putà si vitricus esset persona insigni nobilitate prædita, & valde dives, & privignus pauper. Ita in his terminis Baldus *in d. l. si paterno*, & alios allegans Surdus *d. q.* 11. *n.* 46. & 47. Fundamentum desumitur ex alia doctrina generali, quod cùm aliquid à valdè nobili, valdéque divite datur, præsumitur datum ex animo liberali, ita quod nobilitas cum divitiis juncta faciat præsumere donationem. Glossa *in l. uxori suæ*, §. *finali, ff. de legat.* 3. & alibi Tiraquel. *in tract. de nobilit. cap. ult. n.* 47. Surdus *d. q.* 11. *n.* 47. & Jurisperiti communiter, quos referunt Tiraq. *loc. cit.* & Menoch. *de arbitr. casu* 88. *n.* 49. magnatum enim, & Principum proprium, & peculiare videtur donationem, & liberalitatem exercere, quamvis de hac doctrina dubitet Menoch. *d. casu*, *n.* 50. dicens jure aliquo non probari: & declarat procedere solùm quando actus à nobili gestus donationi convenit, & ubi agitur de re modica; non autem si agatur de re gravi, & magna, quæ an talis sit, necne, Judex arbitratur: Ex quibus concludendum, Judicis arbitrio relinquendum, an, & quando consideratis omnibus circumstantiis ex parte personarum, & ex parte rei datæ se tenentibus, præsumendus in nobili, & divite sit animus liberalis, & donatio; an verò animus repetendi, ut colligitur ex Menochio *loco cit.* & ex Corneo *cons.* 265. *vol.* 1. & *cons.* 105 *fin.* notavi Surdus *d. q.* 11. *n.* 53.

§. XIII.

An, & quando socer, qui filiæ sanæ, vel ægræ alimenta, aut medicinas exhibuit, possit impensam factam repetere à genero.

Post præmissa posset pertractari, an, & quando maritus alimenta uxori præstita possit à socero, vel ipsa uxore repetere, vel socer possit à marito recuperare impensas in alenda, & curanda filia nupta infirma factas de quibus Surdus *de alim. tit.* 6. *q.* 3. 4. & 5. Sed commodior locus de his tractandi erit in ultima parte hujus tractatus, de effectibus contractus matrimonii, ubi agitur de obligatione conjugum sibi invicem præstandi alimenta. Hic solùm circa alimenta, aut medicinas à socero filiæ sanæ, vel ægræ præstita, quando socer filiæ marito consignavit dotem, seu pecuniam, quæ in utilitatem mariti sit versa, ac proinde idem maritus eam alere, & ægræ secundùm facultates, & fructus dotis necessariam curationem exhibere tenetur, noto sequentia. 944

Primò, si filia sit in obsequio mariti, vel si esse non possit, quia justam causam habeat vivendi seorsim à marito, vel ob quam non possit esse in obsequio mariti, illive inservire, & à marito non subministrentur ei necessaria, vel quia absens sit, vel quia negligat, socer filiæ sanæ, vel ægræ præbens alimenta, aut medicinas, etiam sine protestatione repetendi, potest à marito repetere expensas pro alimentis, & medicinis necessariis factas, quatenus non excedunt fructus dotis, & obligationem mariti. Ita Corduba *in l. si quis à liberis*, §. *si quis ex his n.* 27. *ff. de liber. agnosc.* Menoch. *de arbitr. casu* 88. *n.* 14. & 15. Surdus *de alim. d. tit.* 6. *cit. q.* 5. *num.* 1. & 2. & alii Jurisperiti communiter ab Menochio, & Surdo relati. Cùm enim jam socer genero dotem dederit, ut ex fructibus ejus sustineat onera matrimonii, dum alit filiam, & eidem ægræ necessaria ad curationem exhibet, non debet, nec potest in dubio credi socer ex solo paterno, & naturali affectu impensam fecisse, sed potiùs repetendi à genero, cujus negotium utiliter gessit; Nec videtur admittenda præsumptio, qua admissa, alter eum aliena jactura, locupleteretur, ut in proposito gener locupletaretur, si socer non posset impensam, quam ille facere tenebatur, & consequenter pro illo factam repetere. Accedit quod donatio regulariter non præsumitur, & capitur omnis alia conjectura quàm donationis, *l. Cum de indebito*, sæpiùs in præcedentibus allegata, *ff. de probat.* & sola ratio, seu conjunctio sanguinis non semper inducit præsumptionem donationis, seu animi donandi, ut latè probant Menoch. & Surd. *loc. cit.* & constat ex traditis suprà *n.* 906. & 909. Solùm igitur impensa, quæ excederet obligationem mariti, putà facta ultra vires, & fructus dotis, præsumetetur facta ex affectu paterno, & animo donandi, vel etiam quæ esset modica, si socer ipse non esset pauper, juxta tradita *d. n.* 905. Plura videantur apud Menoch. & Surd. 945

Secundò si gener, seu maritus soceto, seu patri uxoris infirmæ apud eundem socerum commorantis 946

denunciet eidem socero se paratum esse alere uxorem, illique mederi, ideoque illam ad ejus domum remittat, si socer neglecta protestatione alimenta, & medicinas filiæ præstiterit, non poterit repetere, quia tunc nil culpæ imputari potest genero, & nemo contra illius voluntatem debet gerere negotium alterius, & si faciat, etiam impendens an illius commodum, non dicitur ejus negotium utiliter gerere, *l. fin. Cod. de negotiis gestis*, *& l. si pro te præsente*, *ff. mandati*, & ibi Scribentes, & in hac specie Socinus *cons.* 286. *vol.* 2. Corduba *d. § si quis ex his, num.* 28. & Surdus *d. quæst.* 5. *num.* 15. *& seq.* qui rectè declarat id procedere quando uxor sine culpa mariti ejus domum exivit, at secus si culpâ mariti, putà ob ejus sævitiem notabilem abesset, & apud patrem moraretur; nam tunc illa protestatio illum eximeret ab onere restituendi impensam, quam pater uxoris fecisset pro illius alimentis congruis, & medicinis necessariis: nam tunc etiam gereret utiliter negotium mariti, licèt contradicentis; & impensa necessaria repetitur etiam ab invito, & contradicente, argumento legis *ut proponis*, *Cod. de ædificiis privatis*, ubi socius invito socio reficit communem parietem, qui ruinam minabatur, & nihilominus repetit à socio impensam pro parte: quod etiam notarunt Practica Papienii *in forma libel. hæred. vel resig. versic. Et in futurum*, & Cepolla *de servit. urban præd. cap. de pariete, seu muro*, relati à Surdo *d. q.* 5. *n.* 22.

947 Utrum verò si socer genero esset debitor dotis, & contra protestationem factam ab eodem genero, qui paratum se offerebat alere uxorem absque sua culpâ morantem apud patrem, idem pater alimenta filiæ præstitisset, an tunc posset solutum pro alimentis compensare cum debito. Respondet negative Surd. *d. q.* 11. *n.* 24. quia etsi aliàs solvens, qui est debitor ejus, pro quo solvit, compenset solutum cum debito juxta Doctores *in d. l. fin. Cod. de negot. gestis*, & Glossam, & Doctores *in l. Stichum*, *§. fin. ff. de novat.* & alios à Surdo *ibid.* allegatos: nihilominus præfata jura, & Doctores loquuntur quando solvitur debitum ejus, pro quo fit solutio; ubi verò uxor est sana, vel non ita ægra, quin possit esse in obsequio ejus, maritus non dicitur debitor alimentorum, nisi eadem uxor serviat in domo: quando autem non est debitor, solvens non gerit utile illius negotium, & ex consequenti non repetit.

§. XIV.

Pater putativus, seu is qui falsò, & per errorem credens aliquem esse suum filium, illi præbuit alimenta, an sublato errore possit impensam alimentorum repetere ab ipsomet alito, vel ab ejus patre.

948 SEd quid si quis per errorem, credens aliquem esse filium suum, qui verè non erat, præstitit illi alimenta, an detecto errore possit in utroque foro impensam in alimentis factam repetere ab eo cui præstitit, vel ab ejus patre, si illum alere tenebatur: & quidem partem affirmativam satis probare videtur regula juris quod solutum per errorem repeti potest, *l. cujus per errorem, ff. de reg. juris*, *l. regula*, *§. fin. ff. de juris, & facti ignorantia & l. error*, *Cod. ad l. Falcid. & toto titulo ff. de condict. indebiti*: cujus regulæ, seu constitutionis legalis æquitas naturalis, seu ratio est, quia qui errat non consentit, *l. si per errorem, ff. de jurisd. omn. Iud.* Sine consensu autem nemo obligatur, *l. obligamur*, *ff. de act. & oblig.* unde mulier quæ in facto errat, restituitur, *l. error*, *ff. de juris, & facti ignor. & l. fin. C. eod.* Hinc etiam illa doctrina communis Theologorum, quod ignorãtia quæ causa est volẽdi id quod alias quis nõ vellet, facit involuntariũ simpliciter, ut docet D. Th. 1. 2. *q* 6 *art.* 8. & ibi interpretes, de quo etiam in præcedenti parte hujus tractatus *de effectib. contractus matrimonii, c.* 5. *à n.* 155. & in foro conscientiæ donationes, transactiones, & contractus, quoties non fiunt animo libero, voluntariè, non valent, ut tenent omnes Theologi, & Summistæ, præsertim Navarr. *in man. c.* 17. *n.* 5. & de hoc etiam latissimè egi *in tract. de contractu matrimonii, c.* 12. Igitur qui alimenta præstitit alicui, quem per errorem credidit suum filium, esse cùm non esset; & si scivisset non esse suum filium, non præstitisset, cum absque libero consensu, & involuntariè dederit, in foro conscientiæ, & etiam in foro externo repetere potest, vel ab eo cui dedit, si dives sit, & ad se onus alendi spectabat, vel ab ejus patre, si idem pater alere tenebatur, & erat solvendo.

Quibus tamen non obstantibus Corduba *in l. si quis* 949
à liberis, §. si vel parens, n. 39. *&* 40. *& §. si mater, n.* 28. sustinet negativam partẽ, asseritque eum qui falsò existimans aliquem suum filium esse, alimenta ei præbuit, non posse detecto errore repetere, neque ab eo, cui præstitit, neque ab ejus patre. Eandem negativam, inspecto saltem jure civili, ait Corduba *d. n.* 39. asseruisse Bart. *in l.* 1. *§. competit. ff. si mulier ventris nomine*, Bartolũque sequutos fuisse Paulum de Castro, & Alexand. *in l. alimenta, C. de negot. gestis*; & quamvis Natta *cons.* 108. *n.* 8. dicat Bartolum non firmasse pedem, seu nihil determinatè affirmasse, & pariter etiam Paulum de Castro, & Alexandrum, eo quòd solùm se remittunt ad ad Bart. nihilominus idem Corduba *eodem n.* 39. *fine*, contradicit Nattæ, dicitque Bart. opinatum esse, jure civili alterem in hoc casu non posse impensam alimẽtorum repetere, neque ab eo qui præbuit, neque à patre ejus in foro verò conscientiæ eundem Bart. ibidem scripsisse, contrarium respondisse monachos, & ita pro hac sententia Bartolum, Paulum de Castro, & Alexand. *locis cit.* refert absolutè Surd. *de alimentis, tit.* 6. *q.* 6. *n.* 1. & addit eandem tenere Vitalinum *in tract. de claus. in vers. an juri alim. renunc. possit.* Pro hac eadem sententia Corduba *d. §. si mater, n.* 28. refert Nattam *d. cons.* 108. *citato n.* 8. ubi tamen eam non tenet absolutè, sed imò dicit, quod non audet eam firmare; sicut etiam putat non firmare Bartolum, Castrum, & Alexandrum *locis citatis*. Bart. igitur probat hanc sententiam argumento textus *in d. §. competit*, quo ostenditur alimenta præstita mulieri, quæ ventris nomine sine calumnia in possessionem missa est, non repeti. Ita ergo nec præstita ei, quem præstãs falsò existimavit filium suum. Ex quo tamen textu Corduba *d. §. si vel parens, n.* 40. negat inferri hanc sententiam, quia in casu dicti *§. competit*, ut alimenta non repeterentur, sufficit (inquit Corduba) quod mulier sine calumnia in possessionem missa sit ventris nomine, cùm æquius sit frustra impensas fieri, quàm denegari aliquando alimenta ei qui dominus bonorum aliquo casu futurus est, *leg.* 1. *§. sed & incertum, ff. de ventre in possess. mitt.* Hæc autẽ ratio cessat in præsenti casu, in quo is qui alimenta percipit ab eo, quem filium suum putabat, non erat futurus dominus.

Probat ergo Corduba *d. §. si vel parens, num.* 40. *& §.* 950
si mater, n. 26. ex eo quod regula illa juris, quod solutum per errorem, solvitur, vel fit intuitu, & causa pietatis; nam favore causæ piæ introductum est, ut quod quis dederit, vel fecerit intuitu pietatis, licèt per errorem, illud repetere non possit, *§. fin. Instit. de obligationibus quæ ex quasi contractu*: ubi cùm legatum fuit aliquid ad pias causas, si Titius v. g. existimans se hæredem, ad evitandam pœnam dupli, quam alioqui incurreret, si temerè legatum negasset, solvit, & posteà agnoscens se hæredem non esse, vult repetere quod per errorem solvit, non potest, si legatum sit pium intuitive Religionis, vel pietatis relictum; seu is qui accepit verum debitum, acceperit, & utatur favore causæ piæ, quia sit Ecclesia, vel Monasterium, aut alius locus pius: hoc enim decerni *in d. §. fin.* interpretantur Mynsingerius *ibidem*, & Antonius Pichardus *eodem §. fin. num.* 8. *fine*: & *l. cùm is*, *§. mulier, ff. de conditione indebiti*, ubi Julianus ait mulierem quæ falsò existimans se obligatam ad dotem solven-

dam,

dam, aliquid nomine dotis dederit, non posse repetere; & rationem subdit, scilicet quia sublata falsa opinione, relinquitur, seu superest causa: quam rationem etiam Mynsingerius *d. §. fin. verbo Non repetuntur*, adducit ad probandum, cur ibi non permittatur repetitio legati pii soluti per errorem ab eo, qui non tenebatur solvere, scilicet quia sublato errore, & cessante debiti causa, adhuc tamen causa pietatis subest. Quod autem jura constituerint, quod solutum per errorem in causam piam non repetatur, rationem affert Corduba *in d. §. si mater, n. 27.* quia scilicet qui dedit pietatis causa, acquirere existimatur, cùm faveat animæ, quæ omnibus rebus præponitur, *l. sancimus, §. fin. Cod. de sacros. Eccl.* quod latiùs explicat idem Corduba ibidem, propterea concludens, quod cùm quis pietatis causâ dedit, repetere non potest, quia animæ condonavit, & pium sanctumque opus retractari non debet. Cùm ergo is qui falsò credens aliquem esse suum filium, illi præstans alimenta, causâ pietatis, & absque animo repetendi præstet, opusque pium exerceat, non minùs quàm mater, quæ falsò credens se adstrictam onere dotandi, dotem dat, cùm dos, & alimenta æquipatentur, & procedat argumentum de dote ad alimenta, ut alibi in præcedentibus sæpe dictum est ideò inquit idem Corduba *in d. §. si vel parens, n. 40. fine*, non potest repetere ab eo cui præbuit, neque ab ejus patre quia opus pium est; quam ob causam in foro etiam conscientiæ, inquit Corduba, qui alimenta percepit, ejusve pater, non tenebitur restituere, quidquid secus dixerint Monachi, tacitis nominibus a Bartolo *loco suprà cit.* relati. Ita Corduba, qui *eodem n. 80. fin.* ait hanc sententiam esse jure regio approbatam, *l. 36. tit. 14. p. 5.* & hanc eandem sententiam confirmat Natta *d. cons. 108. n. 8. initio*, ea ratione, quia pater alens filium ut filium, non habet animum tunc repetendi.

951 Ob præallegata jura, præsertim ob textum *in d. l. cùm is, §. fin. ff. de condict. indeb.* & ob adductas rationes idem Corduba *d. §. si mater, n. 26.* asserit, quod si quis extraneo, falsò existimans se esse obligatum, cùm verè non esset, dederit alimenta, non poterit ea repetere, quia causa alimentorum est causa pia non minùs quàm dotis, & sublatâ causâ, seu obligatione, remanet causa pietatis, propter quam solutum indebitè per errorem non repetitur, juxta tradita: è contra verò idem Corduba *d. §. si vel parens, n. 41.* notat quod legatum relictum alicui, quem testator falsò existimabat esse suum filium, non pertinet ad legatarium, sed ad hæredes ejus qui reliquit, quia per errorem (inquit) relictum est, nec pia fit causa, & consequenter ad legatarium non pertinet, *arg. l. fin. ff. de hæred. instit.* ubi institutus hæres ex causa, quam testator veram esse falsò existimaverat, cùm esset falsa, non capit hæreditatem, *l. si pater, & l. nec apud, Cod. de hæred. instit.* ubi si quis per errorem, putans aliquem esse suum filium, illum suum hæredem instituit, detecto errore non valet institutio, ut præter Cordubam *loco cit.* post alios tradit Surdus *de alim. d. q. 6. n. 4.* Idem ergo est in legato relicto ei, quem testator per errorem credebat suum filium; non enim valet. Tenet etiam idem Vasquius *c. 48. n. 30.* & alii à Corduba relati. Quare si legatarius jam ante detectum errorem habuerit legatum, constito de errore, & quod non erat filius, in conscientia tenetur illud hæredibus restituere, licèt id contra præfatos textus immeritò neget Sotus *de just. lib. 4. q. 7. art. 2. in respons. ad arg.*

952 Idem Corduba *d. §. si mater, n. 24. & 25.* ex præfato textu *in d. l. cùm is, §. mulier*, infert quod si mater per errorem, credens se obligatam alere filium, alimenta præstet filio Scholastico, alimenta non potest repetere, quia causa dotis (inquit) & causa studii æquiparantur, ut præter Doctores *in l. 1. ff. solut. matrimon.* notat Rebuffus *de privil. Schol. privil. 174.* & an de dote ad causâ studii valeat argumentum, Glossa *fin. in d. l. 1. ff. soluto matrim.* ibid. Bartolem *n. 31.* Baldus *n. 8.* Angelus, Cumanus, & Jason, argumento illius legis 1. quæ ideo favet causæ dotis, quia interest Reipublicæ, ut mulieribus dotes conserventur ad implendam liberis civitatem; sed non minùs interest Reipublicæ causæ studii favere ad implendam viris sapientibus civitatem, Glossa *fin. in l. 1. Cod. de studiis liberalibus urbis Romæ*: etsi Ripa *in l. 1. soluto matrimonio, n. 140.* plures rationes à jure desumptas adducat ad probandum contrarium, scilicet non valere argumentum de dote ad causam studii.

Contrariam sententiam, quam tam quoad forum conscientiæ, quàm quoad forum civile, & externum, longè veriorem existimo, & eum qui per errorem credens aliquem suum filium illi præbuit alimenta, posse illa repetere, vel ab eo cui præstitit, si ipsemet sese alere debebat, utpote habens bona unde se possit alere; vel ab ejus patre, si is alere tenebatur, & erat habilis solvere, atque adeò eum qui percepit, vel patrem ejus in conscientia obligari, & in foro externo cogi posse ad restitutionem impensæ factæ in alendo, sustinent ex Jurisperitis Surd. *d. tit. cit. q. 6. à n. 2. ad* 18. & Pontanus *de alim. c. 20. n. 1.* & ex Theologis Megala *p. 2. Instit. confess. lib. 2. c. 23. q. 1. à n. 31. ad* 38. & hanc sententiam sufficienter probant adducta suprà *n. 948.* quæ habent locum etiam in hoc casu patris putativi, qui per errorem præstitit filio putativo alimenta, quæ aliàs non præstitisset, si novisset non esse suum filium: Licèt enim alimentorum causa sit favorabilis, non tamen est descendendum ad jus speciale, nisi in casibus expressis; & ubi lex non dicit, nec nos dicere debemus, *l. de pretio, ff. de public.* Confirmat ulteriùs Surd. *n. 2.* hanc sententiam per textum *in l. qui se debere, in princ. ff. de condictione causa dota*, ubi Julianus dicit, eum qui credens se debitorem dotis, cùm non esset, solvit dotem, rectè illam repetere. Valet autem argumentum de dote ad alimenta, ut dictum est, ac proinde idem dicendum in eo, qui falsò existimans se patrem, & consequenter teneri ad alimenta, illa præstitit. Præterea sublato errore, non potest alia intentio præsumi in præstante, quàm animus repetendi, quia aliter alimenta non præbuisset. Pluribus aliis argumentis confirmant Surdus, & Megala ex eodem Surdo, quæ apud ipsos videri poterunt; & hanc sententiam approbavit etiam Castrensis, dum *in d. leg. cùm is, §. mulier ff. de condictione indeb.* dixit, quod præstans alimenta, falsò credens eum quem alit esse sanguine conjunctum, detecto errore; potest impensam alimentorum repetere, allegans legem *nec apud*, & legem *si pater, Cod. de hæred. instit.* Et quod dictum est de patre, qui per errorem præstitit alimenta ei, quem putabat filium, cùm non esset, dicendum etiam de filio, qui falsò existimans aliquem suum patrem, ei alimenta exhibuisset: certè quod alimenta exhibita aut patri, aut filio putativo, qui malitiosè, & callidè se tales effinxissent, detecto errore, in foro conscientiæ possint repeti, & restitui debeant ab eo, qui ita malitiosè percepit, si sit solvendo, videtur evidens, quia alioqui sequeretur illud absurdum, quod ex malitia sua reportaret commodum; unde etiamsi is qui præstitit, non posset errorem agnoscere, adhuc in foro conscientiæ qui percepit, restituere teneretur, nisi tunc cùm se effinxit eum, qui non erat, esset pauper, ita ut aliunde alimenta necessaria non posset habere, & titulo eleemosynæ data fuissent, & tanquam eleemosyna accepta. 953

Neque huic sententiæ obstant adducta suprà *n. 950.* ex Corduba; nam ad textum *in d. §. fin. Instit. de oblig. quæ ex quasi contractu*, & ad legem *Cùm is, §. mulier, de condict. indebiti*, respondent Surd. *d. quæst. 6. num. 8. & quæst. 7. num. 12. & 13.* & Megala *num. 35.* loqui de causa pia propriè, seu de operibus pietatis, quæ propriè fiunt intuitu Dei, aut ex virtute pietatis, seu animo exercendi actum virtutis pietatis; in terminis enim operum, quæ fiunt intuitu Dei, clarè loquitur textus *in d. §. fin.* De opere etiam pietatis facto intuitu Dei, vel animo exercendi actum pietatis, loqui textum *in* 954

d. §. si mulier, latè explicat Surd. *d.q.7. d.n.*18. Textus igitur oon loquitur quando nulla subest alia pietatis causa præter do.em, sed quando causa aliqua pietatis movet dotantem ad credendum se obligatum, v. g. quia erat mater, furor, fratet, vel alia persona sanguine conjuncta, quo casu pietas, & affectio intercedens causam dedit errori, ita quod motivum solvendi fuerit ratio sanguinis; tunc enim sublato errore, adhuc subest causa pietatis, & sic non datur repetitio: & ita etiam Bartolus ibidem, & etiam Angelus, ubi etiam dicit *d.§. mulier*, loqui in eo quoqoe casu, io quo mulier per errorem dotavit puellam, quæ erat pauper, & sic intuitu pietatis, & amoris Dei dotem soluit. Quare idem Angelus, & Castrensis *in d.§. mulier*, aiunt, aliud esse si mulier crediderit se teneri dotare, non ex sanguinis conjunctione, sed ex contractu, vel ex alia causa, quæ non convenit pietati; nam tunc dicunt eam posse repetere dotem etiam consanguineæ, tanquam iodebitè solutam, quos refert, & sequitur Surd. *d.q.7. n.*13.

955 Non omittenda etiam hic est observatio Antonii Richardi *in d.§.fin.Institut.de oblig. qua ex quasi contractu, n.9.* obi circa illud quod supra *n.*950. initio dictum est de solvente legatum pium, seu factum Ecclesiæ, monasterio, vel alteri pio loco, per errorem, & falsò existimante se heredem esse, primò dicit, quod ne sit in damno, habet actionem adversus eum qui verè debebat legatum. Secundò si nollus esset verè debitor, nullumque verè debitum, dicit se oon videre, qua ratione religionis prætextu soluti legati per errorem repetitio possit impediri, ut alter cum alterius injuria, seu damno locuples sit, licèt favore causæ piæ nitatur. Neque ubstare, addit dictâ legem *cùm is, in d.§. mulier*, ubi mulier non repetit dotem per errorem tanquam à se debitam: solvit verò allegando disparitatem, quia ioquit, non est æqua, & eadem ratio in Ecclesiis ditandis, & filiabus dotandis: quod ait observasse etiam Baldum *in d.§.fin.* Confirmat id Pichardus dicens, quod hilarem datorem diligit Deus, nec vult prætexto religionis dominos invitos rebus suis fraudari, aot ignorantes, & qui nullum piæ donationis babeut affectum, circumveniri. Et hoc ego qooque approbo, existimoque eom qui legatum, vel quid aliud Ecclesiæ, vel loco pio, aut personæ gaudenti favore causæ piæ soluit per errorem, existimans se adstrictum onere solvendi, quique alioquì non soluisset, ita quod solutio proresserit ex sola existimatione falsa obligationis, & nullo modo ex affectu pietatis, & amore Dei, & animæ propriæ, posse saltem in foro conscientiæ repetere solutum, quia soltio fuit absque libero consensu, & omninò, ac simpliciter involuntaria, juxta tradita *n.*948. & sic ei, cui solutio facta est, non potuit acquiri dominium, qui propterea detecto errore requisitus à solvente restituere debet solutum, quatenus ex eo factus est locupletior.

Ad confirmationem *in fin. n.*30. adductam ex Natta, respondetur *ad* summum procedere quando pater alit filium ut filium, qui verè est filius suus, quia concurrit conjunctio, & affectio sanguinis, & sic sobest causa pietatis, qoæ saltem io dubio excludit animum repetendi, & repetitionem ipsam, juxta tameo limitationem suprà *n.*906. traditam.

956 Neque etiam præfatæ sententiæ negativæ obstat, si ex Bartolo *suprà num.*949. *citat.* dicatur non dari illius repetitionem, quod impensom est animo neminem obligandi, ut quia credidit proprium gerere negotium, *l.si in area, ff.de condictione indebiti*, ubi faciens novum ædificium in area aliena, non repetit sumptus à domino areæ, quia non ædificavit animo gerendi negotium domini, cùm putaret aream esse suam, Nam respondet primò Surdus *d.q.6.n.*11. si non datur repetitio actione utili negotiorum gestorum, datur tamen repetitio ex æquitate, ut probat Castrus *in d. leg. si in area, fin.* per textum *in l.si me & Titium ff.si certum petat*, Secundò respondet *num.* 13. *& seq.* textum *in d. l.si in area*, procedere in utili, vel voluptaria, non verò in impensa necessaria, quam etiam dominus fecisset: talem enim impensam repetit etiam possessor malæ fidei, *l. domum ff. de rei vind.* & latè tradidi *in tom.3.mor. var. tit. 6. num.* 325. impensam autem pro alimentis certom est necessariam esse, cùm sine ipsis vita naturalis nequeat sustentari *l. penult. versic. Omnia enim hæc, ff. de impensa in res dotales facta*, Menoch. *de recup. rem.15. num.*517. *circa medium*, & Surdus *d. quæst.* 6. *num.*16.

§. XV.

Extraneus qui præstitit alicui alimenta, credens se teneri, cùm non tenetur, potest illa repetere.

EX traditis contra Cordubam, infertur extraneum, 957 qnia aliqui præstitit alimeota, credens falsò se esse obligatum, cùm oon esset obligatus, posse illa repetere, cùm indebitum per errorem solutum repeti possit, per regulam, & alia tradita suprà *num.* 948. 950. *& duobus sequentibus*: neque pietatis ratio desumitur, seu derivatur à solo favore alimentorum, sed à conjunctione saoguinis, vel ab alia qualitate personæ alienæ, quæ ioducat præsumptionem, alimenta fuisse præstita intuitu pietatis, religionis, vel amoris Dei. Ita Angelus, & Castrensis loci suprà *num.* 954. citatis, & Surdus *d. quæst. 7. num. 2. ad* 13. Unde si præstitisset alimenta, credens falsò se obligatum esse ex contractu illa præstare, etiamsi præstitisset sanguine conjuncto, potest illa repetere, ut tradunt iidem Doctores, quia tunc sublato errore, non remanet pietas, quæ sola excludit repetitionem alimentorum: secus aiunt si præstitisset alimeota consanguineo, per errorem existimans se ratione consanguinitatis obligatum præstare; eo enim casu juxta eosdem Doctores, alimenta per errorem præstita non repeteret, quia sublato errore, subest pietas exclusiva repetitionis, per textum *in d. §. mulier*, suprà sæpiùs allegatum. Advertit etiam Surdus *d. quæst.7. num.*16. post Castrensem *in d. §. mulier*, quod quæcumque alia impensa quàm dotis, & alimentorum per errorem facta, etiam data conjunctione sanguinis, potest repeti, quia sola pietas, quæ consideratur, & desumitur ex sanguinis conjunctione, non est causa privilegii, sed concurrit favor causæ, qualis est causa dotis, & alimentorum; & ideo decisio textus *in d. §. mulier*, non debet extendi ad alium casum. Quod confirmatur *ex l.alimenta, Cod. de negot. gestis*, ubi mater non repetit impensam factam pro filio in aliam causam qoàm alimentorum, scilicet factam circa res filii, de qua re suprà *n.* 908. & infrà *n.*960.

Quid verò dicendum sit de matre, quæ per errorem 958 credens se esse obligatam, cùm oon esset, aluit filium Scholasticum, an à patre qui erat solvendo, & tenebatur alimenta præstare filio, aut à filio, si erat dives, & ad ipsum spectabat onus se alendi, impensam alimentorum repetere possit? Resolvendum videtur juxta tradita suprà *num.* 954. scilicet si ratio motiva ad alendum fuit affectus maternus ob sanguinis conjunctionem, oon potest repetere, quia sublato errore, subest pietas exclusiva repetitionis, juxta dictam legem *cùm ei, §. mulier, ff. de condictione indebiti.*

§. XVI.

§. XVI.

In quo casu quis potest alimenta præstita repetere, jus repetendi transit ad ejus hæredes, contra eum qui recepit alimenta, & etiam contra ejus hæredes.

959 Porrò quoad suprà dicta in hoc capite animadvertendum, quod in quo casu quis potest repetere impensas, quas pro alimentis alteri præstitis fecit, repetendi jus ad ejus hæredes contra alitum, & ejus etiam hæredes transmittitur, quia in eos activæ, & passivæ actiones transeunt, *l. 1. Cod. si certum petatur, l. pacto successionis, Cod. de pactis, & toto tit. ut ab hæredibus, & contra hæred.* & dictum est suprà agendo an onus alendi filios transeat ad patris, vel avi hæredes; & in his terminis tradunt Socinus *cons. 161. n. 3. lib. 2.* Corduba *in l. si quis à liberis, §. si mater, num. 84. ff. de liber. agnosc.* & latiùs Surdus *de alim. tit. 6. quæst. 22. per totam.*

§. XVII.

Impensa inter ascendentes, & descendentes, & inter fratres, & sorores facta circa res, & bona, in dubio non censentur facta causa pietatis, & animo donandi, sed animo repetendi.

960 Animadvertendum etiam, inter sanguine, vel speciali affectione, & charitate conjunctos non ita facilè præsumi donatam impensam factam circa res alias externas, sicut factam circa personam, & pro alimentis, aut dote. Quare si mater, vel avia facit expensam pro rebus, seu bonis filiorum, vel nepotum tuendis, vel conservandis, in dubio non præsumitur fecisse animo donandi, sed animo repetendi, ut notatum est suprà *n. 908.* & constat *ex l. alimenta, Cod. de negot. gest.* & tradunt ibidem Glossa, Salicetus, Castrensis, Bartolus, Baldus, Alexander, Fulgosius, & alii Scribentes: idem Baldus *in l. Nesennius, ff. de negot. gest.* & Castrensis *in l. 1. Cod. eod.* Surdus *de alim. q. 8. n. 29.* latiùs *num. 83. & q. 12. num. 14.* Mascardus *concl. 727. n. 10.* Molina *de just. tom. 2. disp. 554. n. 11. fine*, & Rebellus *de oblig. just. par. 2. lib. 17. q. unica de negot. gest. num. 6.* idem si pater, & avus insumpserit, seu expensas fecerit circa res, & bona filii, vel nepotis; præsumitur enim in dubio fecisse absque animo donandi, sed animo repetendi. Ita Molina *ubi suprà*, & Surdus alios allegans *d. q. 12. num. 34.* ubi universaliter dicit, quod inter ascendentes, & descendentes quoad impensam, quæ non respicit personam, in dubio non præsumitur animus donandi. Quare etiam quando filius faceret expensam circa res patris, aut matris, extraque alimenta eis debita aliquid insumeret, putà eorum debitum solveret, non præsumitur in dubio donasse, sed præstitisse animo repetendi, & repetere poterit actione negotiorum gestorum: quod etiam constat *ex l. si filius, Cod. de negot. gest.* & in terminis notant ibi Bartolus, Baldus, & alii Scribentes, & Surdus *d. tit. 6. q. 9. n. 10.* ac Molina *d. disp. 554. n. 12.* Idem multò magis dicendum est in impensa à fratre, non circa personam, sed circa res fratris, vel sororis facta; in dubio enim in ea non præsumitur animus donandi, sed præsumitur animus repetendi. Constat *ex l. negotium, Cod. de negot. gest.* ubi frater qui solvit tributa pro bonis sororis, repetit, & tradunt Castrensis *ibidem*, & Surdus *d. q. 12. n. 33.* Ratio cur prædicta impensa circa res, & bona etiam inter sanguine conjunctos in dubio præsumitur facta non ex pietate, & affectione, & consequenter non animo donandi, sed è contra animo repetendi, est quia non est tanta affectio conjunctorum patris, avi, matris, aviæ, filii & fratris ad res alterius conjuncti, sicut ad illius personam; & etiam major est favor alimentorum quàm aliarum rerum.

Dixi semper, *in dubio*, &c. nam si apertè, v. g. per 961
scripturam impendentis, vel per testes constaret de mente, & animo facientis expensas circa res, & bona sanguine, speciali ve affectione, aut charitate conjuncti, quod ex causa pietatis, & conjunctionis, & non intendens repetere impendisset, non esset locus repetitioni, ut constat *ex d. l. si filius, Cod. de negot. gest. & ex l. 1. l. alimenta, l. si paterno, Cod. eod. & ex l. Nesennius, ff. eod. tit.* & in his terminis tenet Molina *d. disp. 554. num. 11. fine*, Rebellus ubi suprà; in claris enim non est locus contrariæ præsumptioni. Ad impediendam etiam repetitionem Molina *d. n. 11.* ait satis esse, si de intentione repetendi constaret ex conjecturis, scilicet attenta modicitate impensæ, multitudine bonorum parentis, vel ascendentis, aut fratris sumptus facientis, generositate animi ipsius, atque affectu ad talem conjunctum, putà filium, aut nepotem; standum enim, inquit, esset ei quod ex verisimilibus, & urgentibus conjecturis omninò præsumeretur: & idem prius innuit Fulgosius *in d. l. alimenta, Cod. de negot. gestis*, ubi dicit quod expensa à patre, vel matre facta circa res filii, semper repetitur, nisi inspecta personarum qualitate sit modica. Glossa etiam, Bartolus, Baldus, Cynus, Salicetus, & Alexander *in d. l. alimenta*, prout illas refert, & videtur sequi Surdus *d. quæst. 8. num. 29.* opinati sunt impensam à matre factam circa res filiorum, quando est modica, censeri factam animo donandi. Ex quo colligitur, eus voluisse modicitatem impensæ, attenta qualitate personarum, esse conjecturam intentionis donandi, seu præsumendi fuisse factam causâ pietatis. Quod videtur satis verisimile quando impensa esset valdè parva, ut dicit Castrensis *in d. l. Alimenta, num. 3. versic. Sed circa bona*; quanvis idem Castrensis *in l. 1. in fine, Cod. de negot. gest.* dicat absolutè, & indistinctè impensam à matre factam circa res filii repeti, etiamsi sit parva impensa. Advertit etiam Surdus *d. quæst. 8. num. 83.* post Salicetum *in d. l. Alimenta, fin.* non dari repetitionem impensæ à matre factæ circa bona filii, quando aliàs erat gratis facturus; quia in tali casu mater non dicitur gessisse utile filii negotium.

§. XVIII.

In casibus in quibus in dubio an expensæ factæ sint animo donandi, vel repetendi, præsumitur animus repetendi, & conceditur ad repetendum actio negotiorum gestorum, an is qui repetit, possit cogi jurare se fecisse illas animo repetendi.

Adducenda hîc alia observatio Molinæ *d. disp.* 962
554. n. 14. versic. Illud observa, ubi dicit quod in omnibus casibus, in quibus in dubio, an aliquid datum, vel factum pro alio, sit factum animo liberali, ac gratis, conceditur actio negotiorum gestorum, is adversus quem conceditur, potest cogere illum cui actio datur, ut priùs juramento affirmet, se tales impensas fecisse animo illas repetendi: verùm sicut suprà *num. 938.* notatum est, ubi præsumptio juris stat pro devotione, seu persuadet animum donandi, qui fecit impensam, non potest juramento probare se habuisse contrariam intentionem, scilicet repetendi; ita etiam ubi

ubi pro eo qui fecit impensam, stat præsumptio juris, quod habuerit animum repetendi,& ideò jus illi concedit ad repetendum actionem negotiorum gestorum, non potest cogi jurare se fecisse animo repetendi,quia præsumptio juris eximit illum ab obligatione talis juramenti, & in adversarium ob illam juris præsumptionem transfertur onus probandi contrarium. Juramento igitur tunc locus erit, quando res, an fuerit, vel non fuerit animus liberalis, vel repetendi, ita manet dubia, ut pro neutra parte adsit conjectura sufficiens ad inducendam præsumptionem juris,sed tantùm dubitationem.

§. XIX.

In foro conscientiæ expensæ pro alimentis alterius, vel in aliam utilitatem factæ, repeti non possunt, quando constat de expresso, vel tacito animo liberali, & gratis faciendi.

963 EX traditis quoque inferendum, quid dicendum in foro conscientiæ quoad repetendas, vel non repetendas expensas pro alimentis, vel in commodum personale, aut in quamcunque utilitatem alterius factas: si enim qui fecit impensas, etiam magnas pro alimentis, &c. sive pater, mater, avus, avia, filius, nepos, frater fecit illas ex pietate, gratis, & animo liberali, & donandi; vel paterfamilias, seu herus pro curatione famuli ægroti sumptus fecerit ex domestica affectione, aut ex causa pietatis, non intendens repetere; vel si amicus in commodum personæ, vel rerum amici, vel ejus filii, solùm intuitu, & ex causa amicitiæ gratis dederit, vel fecerit; & si quis Dei intuitu, & eleemosynæ faciendæ pro alio impenderit, & universaliter ubi quovis alio intuitu gratis, & animo liberali, vel expresso, vel tacito in alterius commodum, & utilitatem fecerit, non potest mutare animũ, nec repetere in foro conscientiæ, sicut non potest repetere in foro exteriori, si in eo de tali animo ab initio donandi, & gratis faciendi expresso constet per testes, vel scripturam illius qui fecit, vel insumpsit; vel de animo tacito donandi constaret per sufficientes, & verisimiles conjecturas, & juris præsumptionem, juxta in præcedentibus tradita. Quare sicut ubi animus donandi juxta jura in præcedentibus adducta, & Doctores pariter suprà allegatos, in foro exteriori præsumitur, denegatur repetitio: ita etiam in foro conscientiæ minimè licita erit repetitio. Ita in terminis Molina *d. disp.* 554. *n.* 10. Azorius *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 5. *q.* 10. & 11. & Rebellus loco suprà, *num.* 960. citato. Quod si omnibus consideratis nequeat constare de animo expresso, vel tacito donandi, vel repetendi, sed res maneat anceps, & dubia, qualis fuerit animus, in tali dubio melior erit conditio possidentis, ut non obligetur ad restitutionem, juxta tradita *primo tomo mor. tit.* 1. *p.* 2. ubi de conscientia dubia: & sic is, in cujus utilitatem impensæ factæ sunt, ubi jam illas non restituerit, non erit obligatus restituere: & è contra qui fecit, si ante exortum dubium jam recuperaverat easdem expensas, non tenebitur illas restituere: & hoc idem videtur sentire Rebell. *loc. cit.*

SUMMARIUM CAPITIS XVII.

Referuntur Doctores agentes cùm dubitatur, utrum quis sit filius, vel pater alterius, à quo petit alimenta, pendente lite super filiatione, cogendus sit reus conventus illi præstare alimenta, & litis expensas: & in universum an, & quando alimenta, & sumptus litis actori pauperi per reum conventum subministrari debeant, vel è contra, n. 964.

An collitiganti alter collitigans cogatur lite pendente exhibere alimenta, vel litis expensas, vel utrum debeat in petente concurrere non levis præsumptio boni juris, & paupertas, & qua paupertas, & quod alter sit dives, ibid.

Filius, vel alius descendens, aut pater, vel alius ascendens, aut frater existens in quasi possessione ut præstentur alimenta, privari non potest sua possessione ob litem obortam super filiatione, &c. n. 966.

Cùm quis existit in quasi possessione, quod est filius, nepos, vel pater, aut avus, vel frater ejus, à quo petit alimenta, & est pauper aliunde non habens, eo à quo petuntur, negante esse filium suum, &c. negans lite pendente super filiatione, &c. cogitur illi præstare alimenta, & litis expensas, n. 966.

Si ab eo, qui est in quasi possessione libertatis bona surrepta sunt ab eo qui dominum se esse contendit, is qui asserit se dominum, alimenta, & litis expensas illi, si aliunde non habet, ex bonis illis subministrare debet, ibid.

Paupertas, si de ea non constet, evidenter est probanda per petentem alimenta à reo convento, antequam ei alimenta decernantur, ibid.

Quasi possessio filiationis, aut libertatis facit non levem præsumptionem boni juris actoris petentis, ibid.

Quasi possessio filiationis, aut libertatis facit plenam probationem circa ea quæ in præparatoriis judiciorum veniunt, ut circa alimenta, & litis expensas, & similem causam, ibid.

Existenti in quasi possessione filiationis, & pauperi, is qui negat esse suum filium, cogi debet præstare alimenta, & litis expensas in prima instantia, & etiam nulla præmissa summaria cognitione causæ, scilicet quod sit filius, ibid.

Non existenti in quasi possessione filiationis, seu quod sit filius, nepos, pater, avus, aut frater ejus, à quo petit alimenta, eo titulo ut eidem decernantur alimenta, prius præmitti debet summaria cognitio causæ, seu super filiatione, &c. & constito esse filium, & talem qualem se asserit, negans esse suum filium, cogi debet, si ille sit pauper, præstare illi alimenta, & litis expensas, donec in plenario judicio definiatur causa filiationis, num. 968.

Summaria cognitio, & quasi possessio filiationis per eam inducta facit non levem præsumptionem pro actore, ibid.

Decretum judicis de præstatione alimentorum, & expensarum litis non præjudicat causæ principali filiationis, n. 968. *fin.*

Modicum præjudicium affert, n. 969.

In summario judicio sufficit ut filiatio semiplenè probetur, ibid.

In causis summariis requiritur, & sufficit semiplena probatio, ibid.

Ad effectum præstationis alimentorum, & expensarum litis sufficit quod de filiatione constet, vel ex fama publica, vel ex dicto unius testis omni exceptione majoris: quæ qualitas est probanda per famam, vel per juramentum agentis, ibid.

Testes ad informationem filiationis debent recipi parte citata, ibid.

Sufficit autem, ut judici de filiatione, seu ejus quasi possessione, & præsumptione boni juris actoris constet ex lectura attestationum non publicatarum, ibid.

Testium repulsa, seu reprobatio non admittitur in summario judicio, dum filius poscit alimenta à patre, vel in bonis paternis, n. 970.

In summario judicio, post quod sequi debet judicium plenarium super causa, non admittitur reprobatio testium

ſtinm, niſi repulſatio colligatur ex ipſius ſcriptura inſpectione, ibid.

Pro filio, & quovis actore paupero petente alimenta, & litis expenſas, ut decernatur, requiritur non quacumque boni juris præſumptio, ſed præſumptio non levis, ſeu magna, & urgens, n.971.

Iudex debet utrinſque litigantis jura, & præſumptiones boni juris examinare, & ſi urgentior præſumptio ſtet pro actore, decernere alimenta, & litis expenſas: ſecus ſi pro reo urgeat potiùs præſumptio, ibid.

Præfata præſumptio boni juris actoris ad effectum præſtationis alimentorum, &c. debet eſſe in eodem judicio, de quo agitur; nec ſi agitur poſſeſſorio judicio, ſufficit præſumptio quod actor foveat jus in petitorio, ibid.

Durante cognitione præſumptionis boni juris, & probatione paupertatis collitigantis, non decernuntur alimenta, & litis expenſa, ſed ſolùm ubi de utroque judici conſtiterit, num.972.

Filio, aut nepoti pauperi agenti ad hæreditatem, ſeu bona patris, vel avi decerni debent alimenta, & litis expenſa, ab adverſario convento præſtanda lite durante, num.975.

Id procedere ſolùm poſt primam ſententiam in favorem filii, aut nepotis prolatam, à qua fuerit appellatum, eſt aliquorum ſententia, n. 976.

Contrarium, & etiam in prima inſtantia filium, aut nepotem pauperem agentem debere habere alimenta, & litis expenſas, tenent magis communiter Doctores, n.977.

Lex Si inſtituta, §. de inofficioſo, ff. de inoffic.teſtam. qualiter intelligatur n.978.

Iure antiquo filius præſumebatur juſtè exhæredatus à patre, & ipſi filio incumbebat onus probandi exhæredationem fuiſſe injuſtam, ibid.

Hodie hæres tenetur probare, quod exhæredatio ſit juſta, ibid.

Ut alimenta, & litis expenſas filio, vel nepoti pauperi agenti, &c. reus conventus exhibere cogatur in prima inſtantia, requiritur præſumptio non levis boni juris, n.979.

Talis præſumptio adeſt, ſi filius, vel nepos exiſtat in quaſi poſſeſſione filiationis, vel deſcendentia, ſeu quod ſit nepos, n.980.

Vel ſi per ſummariam cognitionem judici conſtet ſemiplenè de filiatione, vel deſcendentia, nec requiritur plena probatio filiationis, aut deſcendentia, num.981. & 982.

Sufficit quod judici conſtet de filiatione, vel deſcendentia per unicum teſtem omni exceptione majorem, vel ex fama, vel per juramentum agentis, & etiam ex ſola lectura atteſtationum non publicatarum, n.982.

Teſtes tamen non poſſunt recipi, non citata parte, ibid.

Interim dum ſummariè cognoſcitur de filiatione, vel deſcendentia, ſeu de præſumptione boni juris pro agente, & de illius paupertate, alimenta, & litis expenſa non debentur, n.983.

Diſpoſitio dicta legis ſi inſtituta, & doctrina quod filio pauperi, & agenti ad hæreditatem, ſeu bona patris, debeantur alimenta, & litis expenſa, ſi pro ipſo adſit præſumptio non levis boni juris, procedit etiam in filio emãcipato, vel legitimato per ſubſequens matrimonium, per reſcriptum, aut oblationem curiæ, & etiam in filio exiſtente in utero, n.984. 985. 986. & 987.

Utrum procedat etiam in filio agente ad hæreditatem adoptantis, n.988. & 989.

Procedit in filio, & nepote agente ad hæreditatem patris, vel avi, n.1000.

Procedit etiam in pronepotibus, & aliis quibuſcumque exhæredatis à deſcendentibus à teſtatore, n. 1001.

Procedit & in patre, avo, & aliis aſcendentibus, n.1002.

In præcedentibus caſibus etiam pendente tempore dato hæredi ad deliberandum, filio, &c. ſunt præſtanda alimenta, n.1002.

Fratri, & ſorori agenti contra primogenitum pro alimentis, vita, militia, legitima, & dote, quæ ei jure primogenituræ præſtari debent, lite durante fieri debet proviſio de alimentis, & litis expenſis, n.1004.

Item fratri, ſorori, vel patruo agenti contra fratrem, &c. ad alimenta, legitimam, vel dotem à patre in teſtamento ſibi relicta, n.1005.

Item fratri contra fratrem ad portionem hæreditatis paternæ, vel avitæ ſibi debita, agenti actione familiæ erciſcundæ, vel communi dividundo, n.1006.

Item filio ſpurio, & naturali agenti pro legato alimentorum ſibi à patre relictorum, n.1007.

Et filio naturali petenti vel inſtitutionem de ſe factam, vel alia legata relicta à patre in caſibus, in quibus poteſt eum inſtituere, vel ei relinquere, ibid.

Eidem etiam filio naturali agenti ad petitionem bonorum paternorum delatam ab inteſtato, ibid.

Naturali præterito in teſtamento patris agenti ad recuperandum teſtamentum, non debentur alimenta, & litis expenſæ, n.1008.

Secus ſi contra teſtamentum opponeret invaliditatem ex alia cauſa, allegans talia quæ teſtamentum apparenter deſtruerent, & ceſſaret calumnia, n.1009.

Inſtrumentum non facit rem liquidam, quando ei aliquid objicitur, ibid.

Collaterali conſanguineo agenti ad hæreditatem alterius conſanguinei, & cuicumque judicio univerſali agenti pro tota hæreditate, vel majori ejus parte, an ab adverſario pendente lite debeant ſubminiſtrari alimenta, & litis expenſa, concurrentibus paupertate, & boni juris præſumptione, referuntur tres ſententiæ, & approbatur affirmativa communis, n.1010. ad 1014.

Cuilibet litiganti ſuper bonis, quæ prætendit communia, vel ad ſe pertinere, ſi ſit pauper, & habeat præſumptionem boni juris, adverſarius cogi debet exhibere alimenta, & litis expenſas, lite pendente, n.1012. & 1013.

Item fratri pauperi agenti ad legitimam ſibi debitam in bonis fratris, ob turpem perſonam ab eo inſtitutam, n.1013. fine.

Cuique litiganti pauperi agenti ad bona, quæ nunquam poſſedit, habenti præſumptionem boni juris, an ex dictis bonis debeant provideri alimenta, & litis expenſa, eâ durante. Negativa, num.1015. ad 1020. quæ extenditur etiamſi pro eodem litigatore paupere fuerit lata prima ſententia, quæ ſit per appellationem ſuſpenſa, n.1020.

Affirmativa, & communis, n.1021. ad 1023.

Limitatur hæc affirmativa, ut procedat ſolùm quando agitur ad univerſitatem bonorum, ſecus ſi ad res particulares, vel perſonali actione, n.1023.

Rejicitur limitatio, & probatur procedere etiam in litigatore paupere agente ad res particulares, certave bona, aut perſonali actione, ſi pro eo ſtet præſumptio boni juris, n.1014.

Intellectus ad legem Imperator, ff.de tutela, & rationib. diſtrahendis, & ad regulam, Quod reus etiam dives non tenetur alimenta, & litis ſumptus exhibere actori, licèt egeno, n.1015. & 1022. poſt medium.

Litigatori cuicumque agenti tam ad univerſitatem bonorum, quàm ad rem particularem, ut decernantur alimenta, & litis expenſa, debent concurrere duo ſimul, paupertas, & præſumptio boni juris, n.1025.

Preſumptio boni juris debet eſſe nõ levis, & urgens, n.1026.

Talis eſt præſumptio reſultans ex prima ſententia, etiamſi ab ea fuerit appellatum, n.1027.

Sententia pendente, ſeu non obſtante appellatione, habet quandam præſumptionem juſtitiæ, & rectitudinis, ibid.

Præfata præſumptio operatur ut ſequeſtrentur fructus, ibid. & quos alios effectus operetur, remiſſivè, ibid.

Cuique litiganti pauperi agenti ad univerſitatem bonorum, vel rem particularem, decernenda ſunt alimenta, & litis expenſa, etiam in prima inſtantia, & ante omnem ſententiam, ſi conſtiterit de præſumptione bo-

ni

CAPTUT

CAPUT XVII.

Si dubitetur an sit filius, qui petit alimenta, quia verbi gratiâ filio ea petenti pater negaret esse suum filium; & è contra, si dubitetur, an sit pater, qui alimenta petit à filio, quia filius negat esse suum patrem, an pendente lite super filiatione, & paternitate, alimenta, & litis expensa filio, vel patri pauperi actori à patre, vel filio reo negante filiationem, vel paternitatem præstari debeant. Ubi an, & quando alimenta, & sumptus litis actori pauperi per reum subministrari debeant, vel è contra.

694 DE hac materia frequentissimè in iudiciis agunt Jurisperiti Scribentes *in l. si quis à liberis*, *§. si vel parens, in l. si instituta §. si de officioso, ff. de inoffic. test. in l. Imperator, ff. de tutela, & ration. distrah. in l. 1. C. de ord. cognit.* Pontan. *de alim. c. 3. initio, & c. 13. per tot.* Hier. Gabr. *cons. 25. p. 1.* Lud. Molin. *de primog. lib. 2. 16. à n. 30. ad fin.* Covarr. *pract. c. 6.* Guidæ Papæ *q. 561.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, d. §. si vel parens,* Sim. de Pret. *de interp. ult. volunt. lib. 5. interpr. 2. dub. 2. n. 11. cum plurib. seq.* Menoch. *de præs. lib. 1. præs. 35.* Ægidius Bossius *in praxi crim. tit. de alim. præst. n. 2.* Robert Lancellot. *de attent. lite pend. c. 4. limit. 11. n. 18. ad fin.* Asinius *in pract. §. 32. ampliat. ult. 23. ad 32.* Valasc. *consult. Lusitana* 1. Craveta *cons. 164.* Surd. *de alim. tit. 1. q. 110. ad. 120.* Maresc. *var. lib. 2. à n. 8.* Molfes. *ad consuet. Neap p. 5. q. 3. à n. 13. & tom. 2. in addit. ad q. 3.* P. Barb. *ad l. 1. p. 1. n. 58. 59. & 60.* Farinac. *in repert. judic. q. 52.* Steph. Gratian. *disc. for. tom. 1. c. 55. n. 49. & 50. tom. 2. c. 236. ferè per tot. & tom. 3. c. 567. n. 24. & 25.* Fachin. *controv. juris lib. 12. c. 62.* Camil. Botel. *in summa decis. p. 2. tit. 39. n. 321. ad 327.* Paschal. *de patr. potest. p. 2. c. 3.* Joan. Bapt. Lupi *tract. de illeg. com. 2. §. 3. à n. 61. ad fin.* Merenda *controv. juris tom. 1. lib. 5. q. 28. 29. & 30.* Cæsar Carena *resol. 21.* Rot. Rom. *dec. 2. de judic. in antiquior. dec. 18. & 20. apud Verallum, p. 1. dec. 8. de judic. apud Crescent. dec. 426. n. 1. apud Seraphin. dec. 470. & 749. p. 2. in recentior. Farinacii, decis. 189. n. 1. apud Ludovis. & ibid.* Oliverius Beltramin. *in annot. & dec. 524. apud eund. decis. 15. apud Buratium, & decis. 707. apud eundem Burattum*, & utrobique Ferentil. *in addit. & dec. 39. n. 4. p. 7. divers. apud Paul. Rub.* & alii Jurisperiti apud præallegatos: ex Theologis Molina *de just. tom. 3. disp. 616. n. 15.* qui omnes ut colliriganti alter collitigans teneatur, seu cogi possit lite pendente subministrare alimenta, aut litis expensas, conveniunt in hoc, quod saltem debeant in petente concurrere duo scilicet, non levis præsumptio boni juris, & paupertas non quæcumque in genere, sed quæ probetur talis, ob quam non possit se, & litem sustentare: & ex parte alterius collitigatoris, à quo petuntur, concurrant divitiæ, quæ sint tantæ, ut commodè sibi, & collitigatori alimenta, & litis expensas possiit providere: de quibus infrà. Clariratis autem gratiâ, quæ ab aliis satis confusè in hac materia usu frequentissima tractantur, pluribus dubiis propositis dinstinctè, & exactè explicabo.

§. I.

Ei quis se asserit filium, vel alium descendentem, vel patrem, aut alium ascendentem, vel fratrem ejus, à quo petit alimenta, an is à quo petit, & negat esse suum filium, &c. cogi debeat præstare alimenta, & litis expensas, si aliunde nequeat habere.

965 DUbium primum, filio petenti à patre, qui negat eum esse suum filium, an pater cogatur durante lite super filiatione præstare alimenta, & sumptus litis, si filius petens sit pauper, nec aliunde habere possit alimenta, & litis expensas, si de hujusmodi paupertate judici plenè constet.

Respondetur primò, si filius existat in quasi possessione, ut ei præstarentur alimenta, privari non potest sua possessione ob litem obortam super filiatione, nisi omninò convinceretur non esse filium, idque sive dives esset, sive pauper. Ita expressè Molina, *de just. d. disp. 616. num. 15. init.* & constat ex regula generali, quod nemo debet privari sua possessione, nisi probetur deficere titulum legitimum possidendi. Idem ob eandem rationem dicendum de quovis alio, sive sit alius descendens, sive ascendens, sive frater, sive nepos ex fratre, qui sit in quasi possessione, ut alimenta ei præstentur.

Respondetur secundò, quod si quis existit in quasi possessione filiationis, seu quod est filius ejus à quo petit alimenta, & constet de ejus paupertate, eo à quo petuntur, negante eum esse suum filium, interim dum lis super filiatione pendet, negans esse filium cogitur illi tradere competentia alimenta, & expensas unde & se sustentare possit, & litem prosequi; idque non solum ante sententiam definitivam super filiatione, sed etiam nulla præmissa summaria cognitione causæ, scilicet quod sit filius. Ita Bartol. *in l. si neget, ff. de alend. lib.* ex Doctoribus *sup. n. 964.* relatis, Lud. Molina *de primogen. d. c. 16. n. 36.* Pontan. *d. c. 3. n. 1. & d. c. 13. n. 5.* Hier. Gabr. *d. cons. 25. n. 1.* Covarr. *d. c. 6. n. 8.* Simon. de Pret. *d. dub. 2. n. 16. & 18. juncto n. 20.* Menoch. *d. q. 35. n. 1. & 4. vers. Porrò,* Lancell. *d. lim. 11. n. 27. & 28.* Asinius *d. §. 32. ampliat. 23.* P. Barb. *in rubr. p. 1. n. 19. ff. sol. matr.* Surd. *d. tit. 1. q. 110. n. 10. & 13.* Suarez de Paz *in praxi, 3. p. §. 3. n. 10.* Paschal. *de patr. potest. d. c. 2. n. 7.* Maresc. *d. c. 83. n. 16.* Steph. Grat. *d. c. 236. q. 43.* & præter alios Iurisperitos communiter ab iisdem relatos Rot. Rom. *dec. 21. n. 2. apud Verall.* ubi dicit ad hunc effectum, ut præstentur alimenta futura, & nō retardentur, sed præstari debeant, donec causa principalis filiationis finiatur sufficere quasi possessionem filiationis per publicam etiam reputationem, & ex Theologis Mol. *de just. d. disp. 616. n. 15. v. Quando autem,* & colligitur ex textibus in sequenti responsione citatis, & expressè *ex l. ult. §. quod si ei, C. de ord. cogn.* ubi decernitur, quod si ab eo, qui est in quasi possessione libertatis, bona subrepta sunt ab eo qui dominū se esse contendit, is qui asserit se dominū, alimenta & litis expensas illi, si aliunde non habet, ex bonis illis subministrare debet. Ratio autē est, quia quasi possessio filiationis, & libertatis facit non levem præsumptionem pro actore, ut expressè tradit Lud. Molin. & Menoch. *loc. cit.* per textum Clarum *in l. circa, ff. de probat.* Confirmatur, quia ubi quis existit in quasi possessione filiationis, filiusve alicujus habetur, & communiter reputatur, vel à parente semel est agnitus, habet intentionem fundatam de jure communi super petitione alimentorum, & ideo dum petit alimenta, & super hoc litigatur, debent præstari, & etiam expensæ pro lite sustinenda & prosequenda, ex eadem ratione, si aliunde habere non potest, sunt subministrāda, ut etiam colligitur *ex d. §. quod ei,* ibi *Ita ut ex iisdem, scilicet bonis subreptis (si aliqua alia facultas esse non poterit) tantùm litis sumptus & alimonia homini subministrentur, quantum moderato Iudicis arbitrio fuerit æstimatum.* Et per eum textum tradunt Guid. Pap. *q. 561. initio,* Craveta *d. cons. 164.* & Marescot. *d. c. 83. n. 15.* Idem ob eandem rationem dicendum quando est in quasi possessione, quod est alius descendens, nempe nepos, aut pronepos, vel pater; aut alius ascendens, nempe avus, vel frater ejus aquo petit alimenta, si eo titulo ei debeantur alimenta, scilicet quia aliunde habere non possit, tunc enim negans esse nepotem, vel patrem, aut avum, vel fratem, cogitur ei præstare alimenta, & sumptus litis, etiam nulla præmissa cognitionem, an sit nepos, &c. cùm pro ipso stet magna præsumptio boni juris: & id etiam

in terminis tradunt uterque Molina locis suprà allegatis. Prædicta confirmantur ex doctrina communiter recepta & à me *tom.1.mor.var.tit.*1.§.43.*n.*1457.tradita, scilicet quod quasi possessio filiationis, aut legitimitatis sufficit, & facit plenam probationem in præparatoriis, seu circa ea quæ in præparatoriis judiciorum veniunt, ut est circa alimenta, litis impensas, & similem causam; quam doctrinam præter Doctores præallegatos tradunt Covar. *de sponsf.p.*2. *c.*8. §.3. *n.*6. paulò post initium, Mascard. *concl.*799.*n.*29.& 30.Stephan.Gratian. *allegato c.* 567.*n.*23. Rota Rom. *decis.*150. *n.*1. *p.*1. apud Verallum, & *decis.* 444. *n.*9.*p.*1. *recentiorum Farinac.* & alii à me *ibid.* allegati, ubi etiam *à n.*1430. *ad d. n.* 1457. explico plures alios effectus quasi possessionis filiationis, & legitimitatis. Quandonam verò quis censeatur constitutus in quasi possessione filiationis, & legitimitatis, quibusque modis, aut conjecturis probetur filiatio legitima, & illegitima, latissimè tradidi *d. tom.*1.*mor.var.citato* §.43.*à n.*1393.*ad* 1586. & præsertim *n.*1522. tradidi doctrinã Rotæ *d.decis.*21. *n.*2. apud Verallum suprà tactam, quam etiam approbant Doctores communiter, quos ibidem refero, scilicet quasi possessionem filiationis simpliciter, vel filiationis, & legitimitatis induci per publicam vocem, & famam seu communem opinionem, & reputationem populi, vel viciniæ. Dixi autem in responsione, *Et constat de ejus paupertate*; quia ad effectũ ut decernantur à Judice alimenta, & sumptus litis, non sufficit sola quasi possessio filiationis, &c. sed etiam requiritur paupertas actoris, quæ si de ea non constet, est priùs probanda per eundem actorem, ut infrà post *n.*1031. probatur, quidquid secus senserit Joan. Lupi *de illegit. com.*2.§.3. *n.*66. *fine*, ubi dicit, patri, seu alteri conjuncto incumbere onus probandi filium habere unde se alere valeat, & interim dum probatur, alimenta à reo convento non sunt subministranda, ut præallegati Doctores communiter tenent: quomodo autem sit probanda, & censenda sit sufficienter probata ad hunc effectum, distinctè explicatur infrà *post dictum n.*1031.

967 Dixi etiam, *Ante sententiam definitivam super filiatione*, quia in hoc casu in prima instantia, & nulla sequutã sententiã super negotio filiationis pro actore, & petente alimenta, qui petit tanquam filius, nepos, frater &c. alimenta, & litis impensæ actori pauperi à reo divite debét subministrari, juxta præallegatos Doctores, & alios qui infrà in secundo dubio allegantur. Neque obstare textum *in l. si instituta*, §. *si de inofficioso*, *ff. de inofficitestam.* in quo ultra quasi possessionem filiationis fit mentio de sententia quam priùs obtinuit filius ad sui favorem, postquam mandatum est decerni alimenta, explicatur infrà post responsionem ad secundum dubium.

968 Respondetur tertiò, si is qui asserit se alicujus filium, vel nepotem, aut pronepotem, aut patrem, aut avum, aut fratrem, non sit in ea quasi possessione filiationis, &c. alicujus, petatque hac de causa ab eo alimenta, & reus conventus negat esse filium, aut suum descendentem, vel patrem, aut ascendentem, vel fratrem, in hoc casu antequam eidem filio, aut nepoti, &c. pauperi, & qui aliunde habere non potest, decernantur à Judice alimẽta & litis expensæ, priùs requiritur ut Judex summariè cognoscat super filiatione, &c. scilicet an sit talis, qualem se asserit, & si per summariam hanc cognitionem constiterit esse filium, &c. virtute istius solius quasi possessionis filiationis, &c. summariè probatæ, etiam in prima instantia, & ante sententiam super causa principali, negans esse filium suum, per Judicem cogi debet, ei qui se asserit esse ejus filium, &c. pauperi præstare alimenta, & litis expensas, donec in plenario judicio definiatur causa filiationis, &c. Ita Glossa *in c.*2. *verbo Nutriatur, qui filii sint legitimi*, Glossa *in l.*1. §. *Iulianus, ff. de liber.agnosc.* & *in l. si quis à liberis*, §. *si vel parens, verbo Decernent*, & *in l. fin. Cod. de liber. alendis*, *ibid.* Salic. *n.*2. Bart. *in d. l. si neget*, *n.*2. *ff. de liber. agnosc.* Joan. Bapt. Ferrer. *in practica Papiensi*, *in forma libelli pro legato rei singularis*, *n.*110. ex Doctoribus suprà *n.*964. relatis Corduba *in d.* §. *si vel parens*, *n.*2. & 35. Hieron. Gabr. *d. cons.*25. *n.*2. uterque Molina, Covar. Menoch. P. Barb. Pont. Lancel. Simon de Pretis, Marescot. Rota locis suprà *num.praced.allegatis*, Surd. *d. q.*110.*n.*10. & 13. Farin. *d.q.*52.*n.*6.*versic. Limita*, Stephan. Gratian. *d.c.* 256. *n.*43. & *d c.*567.*n.*23. & 24. Suarez de Paz *in praxi*, *tom.*3. *allegato* §.3. *n.*10. Paschal. *d.c.*3.*n.*6. & 8. Joan. Bapt. Lupi *d.* §. 3. *n.*61. Fontan. *de pactis nupt. tom.*2.*claus.*6. *gloss.*2. *p.*4. *n.*46. & 52. Molfes. *d.q.*3.*n.*13. & alii Jurisperiti communiter apud eosdem, & probat textus *d.*§. *si vel parens*, dum ibi dicitur: *Quod si pater neget filium, vel filius patrem petentem alimenta, ut filio, vel patri decernantur alimenta, oportet summatim constare eum esse filium, vel patrem; & si ita constiterit, pater filium, & filius patrem alere cogetur donec in plenario judicio causa filiationis finitur.* Intelligitur enim textus iste juxta Doctores hoc, & præcedenti numero citatos, quando nec filius, nec pater existit in quasi possessione filiationis, aut paternitatis, tunc enim ut ei decernantur alimenta debet præcedere ea summaria cognitio, & per eam probata filiatione, seu ejus quasi possessione, judex debet cogere patrem alere filium, & è contra, lite pendente, & cum dicto §. *si parens* concordat lex penultima *ff. de his qui sunt sui vel alien.* ubi Vlpian. ita habet: *Si Iudex nutriri, vel ali oportere pronuntiaverit, dicendum est, de veritate quaerendum, filius sit, an non; neque enim alimentorum causa veritati facit prajudicium.* Intelligitur enim etiam hæc lex quando filius non existit in quasi possessione filiationis; nam hæc tunc est summatim per Judicem cognoscenda, ut postea statim decernat alimenta, ut etiam ponderavit P. Barbosa *loco num. praced. cit.* Ratio autem cur præmissa præfatã cognitione summaria, per quam judici constat de filiatione, seu ejus quasi possessione, debet eidem filio actori pauperi decernere alimenta, & litis expensas, est quia hæc summaria cognitio, & quasi possessio inducit non levem præsumptionem boni juri actoris, ut *n.*966. dictum est. Quare in hoc summario judicio etsi Iudex debet cognoscere filium esse, non tamen probata sic summatim filiatione debet pronunciare filium esse, sed tantùm decernere debet ali interim dum plenariè cognoscitur de filiatione: quod decretum propterea non facit præjudicium in eadem causa filiationis ordinariè, & plenariè agitanda, ut constat *ex l. si quis à liberis*, *d.* §. *si vel parens*, ibi: *Meminisse autem oportet etsi pronunciaverit ali oportere, attamen eam rem prajudicium non facere veritati, nec enim hoc pronunciatur filium esse, sed ali debere.* Et hoc idem tradunt *ibid.* Bart. Alberic. & Corduba à Lara *eodem* §. *sed si parens*, *n.*34. & 35. Natta *cons.*473. *n.*2. Menoch. *d. q.*35. *fine*, Surd. *tit.*1. *q.*126. *n.*1. *ad* 9. & Pasch. *de patr.potest. p.*2. *d.c.*2. *n.*67. Joan. Bapt. Lupi *d.* §.3. *n.*61. cùm hoc decretum non procedat ex plena, sed leviori, & semiplena tantùm, ac præsumptiva probatione filiationis, quæ ad tale decretum sufficit, ut mox; etsi negari non possit, hanc leviorem, & præsumptivam probationem aliquale præjudicium afferre in discussione causæ principalis, ut explicat latè Surdus *d. q.*126. *n.*10. & *duob. seqq.* & post eum Joan. Lupi *de illegit. com.*2. *citato* §.3. *n.*61. *versic. prajudicium.*

Sicut ergo alimentorum decretum modicum præjudicium affert, ita in hac summaria cognitione non debet plenè probari filiatio, sed sufficit qualisqualis, & semiplena probatio. Hieron. Gabr. *d. cons.*25. *n.*2. Pontan. *de alim. d.c.*5. *n.*2. Grat. *d.c.* 567. *d.n.* 23. & 24. Fontanella *d. num.*52. Surdus *tit.*1. *q.*112. *num.*21. & 22. & præter Doctores mox allegandos, alii ab eodem Gratiano allegati per doctrinam Bartoli *in l.* 3. §. *causa*, *in fine*, *Cod. de Carbon. edict.* ubi tradit regulam, quod in causis summariis debet esse semiplena probatio, nec major requiritur. Quare sufficit quod 969

de

de filiatione constet, vel ex fama publica. Ita Rota *d. decis.* 21. *n.* 2. *p.* 1. apud Verallum, Covarr. *d. c.* 6. *n.* 8. Ludov. Molina *lib.* 2. *d. c.* 16. *n.* 40. alter Molina *de justitia, d. disp.* 616. *n.* 15. *versic. Quando autem.* Surdus *d. q.* 112. *n.* 24. & ad id faciunt tradita à me *tom.* 1. *mor. var.* §. 43. *n.* 1437. suprà *n.* 967. *citato*, & Doctores ibidem citati: vel constet ex uno teste, ita Bartolus *in extravag. Ad reprimendum, verbo Summariè*, Menochius *d. q.* 35. *n.* 32. Covarruvias, uterque Molina *locis citatis*, & alios allegans Surdus *d. q.* 112. *n.* 22. *&* 23. eo quòd regulare sit, quod in causis summariis, & possessoriis judiciis, saltem summariissimis, unus testis sufficienter probet, ut tradiderunt Decius *cons.* 16. *n.* 1. & post eum Chassanæus, Alciatus, Bellonus, Rebuffus, Natta, Rolandus; & plures alii, quos Surdus *d. n.* 23. refert, & Fontanella *d. n.* 52. Debet autem hic unicus testis esse omni exceptione major, juxta Menochium *d. n.* 32. Molinam *d. versic. quondo autem*, Surdum *d. q.* 112. *n.* 13. & alios à Menochio, & Surdo allegatos, constituentes regulam, ut testis semper debeat esse omni exceptione major, quando à jure admittitur probatio per unicum testem: quam etiam testis qualitatem debere articulari, & probari, post Bartolum *in d. l.* 1. §. *si neget, col. fin. ff. quemadm. testam. oper.* tradit Surd. *d. q.* 112 *n.* 14. eo quia etsi testis præsumitur idoneus, ut probavi *tract. d. contractu matr. c.* 15. *n.* 121. non tamen præsumitur omni exceptione major, ut latissimè probavi *eodem c.* 5. *n.* 120. *cum seq.* & tradunt magis communiter Doctores à me *ibid.* relati, præter alius quos Surdus *d. q.* 112. *num.* 24. refert, & sequitur: notat autem Menochius post Rotam *decis.* 150. *& decis.* 329 *p.* 2. apud Verallum & Bartolum *in præallegato* §. *si vel parens*, præfatam quasi possessionem filiationis censeri satis probatam, si testes affirment talem reputari, & tractari à patre pro filio, de quo latè egi *in tom. mor. var. d.* §. 43. Demùm hanc quasi possessionem filiationis, seu filiationem sufficienter probari per famam, vel etiam per juramentum petentis, seu agentis, tradunt Covarr. *d. n.* 8. uterque Molina *locis supra allegatis*, & Surd. *d. q.* 112. *n.* 24. *fine*, qui tamen *n* 26. pro ista summaria cognitione filiationis, seu quasi possessionis filiationis, ad effectum præstandi alimenta, & sumptus litis filio agenti pauperi, notat testes non posse recipi parte non citata: & idem post eum tradit Gratian. *d. c.* 236. *n.* 39. prout in similibus causis hæ receptiones parte citata fieri debent, ut tradunt Menoch. *de adipisc. possess. remed.* 6. *n.* 18. & alii Jurisperiti ibidem ab eodem Menochio, Surd. & Gratiano allegati. Quoad eundem verò effectum decernendi alimenta, & litis expensis, satis est quod Judici de filiatione, seu quasi possessione filiationis, & præsumptione boni juris actoris constet ex lectura attestationum, etiam nondum publicatarum, quibus summariè sit probatum, petentem esse filium: nec est necesse ut eædem attestationes publicentur, ut post alios ex Doctoribus *supra n.* 964. relatis tradit Asinius *d.* §. 3 *a. ampliat.* 9. *n.* 2. Cephal. *cons.* 127. *n.* 10. Simon de Prætis *d. dub.* 2. *n.* 17. Fontanel. *d. n.* 52. Surd. *d. q.* 112. *n.* 17. Farinac. *d. q.* 52 *n.* 7. & Steph. Gratian. *tom.* 2. *d. c.* 236. *n.* 50. *& tom.* 3. *d. c.* 567. *n.* 25. & ratio est, quia hujusmodi attestationes testium talem esse filium, vel nepotem, aut patrem, avum, & fratrem, etiam non publicatæ faciunt non mediocrem præsumptionem boni juris actoris, qua stante Judex eidem actori pauperi debet compellere reum præstare alimenta, & litis expensas, ut suprà ostensum est.

970 Addendum in hac summaria cognitione, ut Judici constet de filiatione, & præsumptione boni juris actoris pauperis petentis alimenta à patre, vel in bonis paternis (de quo dubio sequenti) non dari repulsam testiũ, cùm in judicio summario, post quod faciendum est aliud judicium plenarium super eadem causa, in quo reparari potest damnum, si quid in summario datum est, non admittatur reprobatio testium, ut notat Roman. *sing.* 383. Curt. *in l. admonendi, n.* 68. *ff. de jurejur.* Capyc. *dec.* 55. *n.* 5. Covarr. *pract. c.* 17. *versic. septimò*, Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *q.* 32. *n.* 10. Stephan. Gratian. *d. c.* 236. *n.* 44. & alii à Capycio, & Gratiano allegati: quod tamẽ limitatur quando repulsatio testium colligeretur ex ipsiusmet scripturæ inspectione; hujusmodi enim causa reprobationis, tanquam evidens, & clara, in quovis judicio admitti debet, ut post alios docet Menoch. *d. n.* 10. & Gratian. *d. c.* 236. *n.* 46.

Cùm autem pro filio, & quovis actore petente alimẽta, & litis expensas ad effectum ut illi à judice decernãtur præstanda durante lite, requiratur non quæcumque præsumptio, seu præsumptio nõ levis, nec mediocris, sed magna, & urgens boni juris filii, vel alterius actoris pauperis illa petentis à reo convento, ut suprà dictũ est, & tradunt Gabr. expressè *cons.* 25. *post n.* 2. *lib.* 1. Menoch. *cons* 491. *n.* 3. *&* *de præs. lib.* 1. *d. q.* 35. *n.* 6. Rota *decis.* 524 *n.* 3. apud Ludov. Molinam *de primogen. lib.* 2. *d. c.* 16. *n.* 36. *fine*, Pasch. *d. c.* 3. *n.* 8. Surd. *d. q.* 112. *n.* 27. Carena *d. resol.* 21. *n.* 14. Joan. Bapt. Lupi *d.* §. 3. *n.* 62. *versic. Qui tamen*, & alii suprà *d. n.* 464. & infrà *n.* 1026. relati, ne alias sit in facultate cujusque alimenta obtinendi ab libitum ex frigidissima (ut inquit Pontanus) deductione filiationis, vel alterius tituli, & præbeatur occasio fraudis, & fictionis; ideo Covarr. *pract. c.* 6. *n.* 6. *fine*, advertit judicem debere utriusque partis, seu litigatoris jura & præsũptiones exactè examinare, & observare, & cognito quod pro ipso actore extet urgentior præsumptio boni juris, quàm pro reo, decernat illi alimenta, & litis impensas; cognito verò quod præsumptio urgeat potiùs pro reo, seu adversario, non debet decernere alimenta, nec litis impensas: quod dicunt etiam Menoch. *d. q.* 35. *n.* 6. Pasch. *d. c.* 3. *n.* 8. Fontanel. *d. pactis nupt. claus.* 6. *glossa* 2. *p.* 4. *n.* 28. & Surd. *d. q.* 112. *n.* 27. præsumptiones enim fortiores ex parte unius litigantis extantes elidunt præsumptiones pro altero litigatore militantes, ut tradunt Menoch. *cons.* 484. & Gabriel *allegato cons.* 25. *num.* 6. ubi ait fortiores & pares præsumptiones elidere se invicem. Addit Menoch. *d. q.* 35. *eodem n.* 6. ex Pont. *d. tract. de alim. citato c.* 13. *n.* 6. præsumptionem hanc boni juris, ad effectum ut propter eam litigatori pauperi ab altero collitigatore alimenta, & litis expensas præstari jubeat judex, debere esse in eodẽmet judicio de quo agitur, ac proinde si ageretur possessorio judicio, non sufficeret præsumptio, quod idem actor foveret ius in petitorio: & loco citato testatur ita observasse Rotam Romanam *in Benevent. hæreditatis, coram Seraphino, de anno* 1568. dum ageretur possessorio, *ex l. fin. Cod. de edicto D. Hadriani toll.* ac peterentur alimenta per reum conventum deducentem aliquam boni iuris præsumptionem quoad petitorium, fuit enim reiectus, inquit Pontanus, ab ea prætensione, cùm opus esset doceri de bono iure eiusdem possessoris, de quo non constabat, sed potiùs contrarium: & tradita hoc, & præcedentibus numeris observanda sunt etiam in his quæ sequenti dubio, & in aliis traduntur.

Porrò dum durat summaria cognitio præsumptionis boni juris, & probatio paupertatis litigatoris asserentis se filium, vel nepotem, aut patrem, vel fratrem eius, à quo petit alimenta, & eo titulo petentis alimenta & litis expensas non debent decerni alimenta, neque litis impensæ, ut suprà dictum est, & omnes Doctores tradunt expressè, vel implicitè *n præced.* allegati: si enim sola filiationis allegatio, dum quis non existit in quasi possessione filiationis, & pater negat eum filium, sufficeret ut ei statim decernerentur alimenta, aperiretur, ut *n. præced.* dictum est, via fraudibus, quilibet enim posset se alicuius filium effingere, eique litem movere ad hoc ut ea pendẽte alimẽta haberet, ut benè considerãt Bart. *in d. l. si negat, n.* 2. *ff. de agnosc. liber.* Dec. *cons.* 66. *n.* 1. *vol.* 1. Socin. junior *cons.* 8. *vol.* 3. Menoch. *d. q.* 35. *n.* 2. & alios allegans Pasch. *de patr. potest. p.* 2. *d. c.* 3. *n.* 4. *&* 5. 971 972

973 Existente verò filio in quasi possessione filiationis, vel probata jam summariè filiatione modo supra explicato, etiamsi pater ad illum excludendum ab alimentis velit probare eum fuisse ingratum, nihilominus interim filio erunt per patrem subministranda alimenta, & etiam litis expensæ; quia cùm jam constet de filiatione, suam habet intentionem fundatam, ut etiam expressè tradunt Ascan. Clemens *in tract. de patr. potest. effect.* 16. *n.* 56. & Surd. *d.q.*110. *n.* 12.

974 Et prædicta in præcedentibus duabus responsionibus secunda, & tertia extenduntur, & procedunt etiam in filio emancipato, in filio legitimato per subsequens matrimonium, vel per rescriptum, aut oblationem curiæ, in filio naturali, & in spurio, & in filio qui adhuc est in utero, quibus omnibus pater tenetur præstare alimenta, ac proinde si sint pauperes, & illis petentibus alimenta pater negat prætextu quod non sint sui filii, vel ingratitudinis, & sint in quasi possessione filiationis, vel per summariam cognitionem præmissam constet Judici eos habere non levem præsumptionem boni juris ad id quod petunt, eis decernenda sunt alimenta, & expensæ litis ex bonis patris usque ad finem litis, ut latè tradunt ex Doctoribus suprà *n.*964. relatis, Ludov. Molin. *d.c.* 16. *n.* 31. *& duobus seqq.* Menoch. *lib.* 1. *d.q.* 35. *n.* 8. *ad* 14. Surd. *d. tit.* 1. *q.* 111. Joan. Bapt. Lupi *de illegit. com.* 2. §. 3. *n.* 62. *post med.* & Steph. Grat. *d. tom.* 2. *c.* 236. *n.* 2. *&* 3. de quibus latiùs *in dubio seq.* ubi etiam an extendantur ad filium adoptivum. Hîc solùm adverto, filio spurio pauperi agenti ad alimenta contra patrem, vel patris hæredem, deberi lite pendente alimenta, & litis expensas, etsi ageret tantùm ex dispositione juris canonici *in c. cùm haberet, de eo qui polluit,* si sit in quasi possessione filiationis, vel summariè appareat esse filium, ut tradunt omnes prææallegati Doctores: non verò quando contra hæredem patris ageret pro legato alimentorum sibi à patre relicto, ut videtur voluisse Corduba à Lara *in l. si quis à liberis,* §. *si vel parens, n.* 63. *ff. de liber. agnosc.* sicut etiam cùm filio naturali ab hærede patris denegantur alimenta, dum idem filius illa petit ex legis dispositione, alimenta & sumptus litis debent decerni, probata quasi possessione, vel filiatione semplenè, si sit pauper, ut iidem Doctores, & Steph. Gratian. *tom.* 3. *c.* 567. *n.* 23. & ante eum Hieron. Gabr. *cons.* 25. *n.* 13. tradunt.

§. II.

Filius, aut nepos pauper agens contra possessorem paternæ, vel avitæ hæreditatis ex causa inofficiosi, vel ex alia causa, petens hæreditatem paternam, aut avitam, an lite pendente debeat à reo convento habere alimenta, & litis expensas.

975 DUbium secundum, an filio, vel nepoti inopi agenti ad successionem, seu hæreditatem paternam, aut avitam ex causa inofficiosi testamenti, in quo à patre, vel avo fuerit exhæredatus, vel ex alia causa contra fratrem, vel patruum, patris vel avi hæredem, aut contra alium ejusdem patris, vel avi hæredem, vel alium possessorem hæreditatis paternæ, vel avitæ, lite pendente à reo convento præstari debeant alimenta, & litis expensæ, ipsa lite durante.

Hujus dubii resolutionem affirmativam habet textus *in l. si instituta,* §. *de inofficioso, ff. de inoffic. testam.* ubi decidit Ulpianus, filium, vel nepotem exhæredatum, & inopem, si in querela inofficiosi in prima instantia obtinuerit, quamvis scriptus hæres appellaverit, alendum esse de bonis, & adversarium alimenta ei subministrare teneri usque ad finem litis. Verba Ulpiani sunt: *De inofficioso testamento nepos contra patruum suum, vel alium scriptum hæredem pro portione egerat, & obtinuerat, sed scriptus hæres appellaverat: placuit interim propter inopiam pupilli alimenta pro modo facultatum, quæ per inofficiosi testamenti accusationem pro parte ei vindicabantur, decerni, eaque adversarium ei subministrare necesse habere usque ad finem litis.* Et per eundem textum eandem resolutionem tradidere Jurisperiti communiter *ibi,* glossa, Bartolus, Albericus, Angelus, Paulus de Castro, & Fulgosius, item Alciatus *reg.* 3. *præsumpt.* 3. *num.* 9. Afflict. *decis.* 11. Masuerius *in sua praxi tit. de possessorio, n.* 13. & ex Jurisperitis suprà *n.* 964. relatis, alios cumulantes Ludov. Molin. *d.c.* 16. *n.* 30. *&* 35. Covarr. *practic. d.c.* 6. *n.* 5. Pontan. *de alim. d.c.* 3. *initio, & d. c.* 13. *n.* 1. Simon de Pretis *d. dubit.* 2. *n.* 18. Lancellot. *d. limit.* 11. *n.* 30. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis,* §. *si vel parens, n.* 42. Guid. Pap. *d.q.* 561. Craveta *d. cons.* 164. Azinius *d.* §. 32. *ampliat.* 29. Menoch. *de arbitr. casu* 169. *n.* 13. *& de præs. lib.* 1. *d.q.* 35. *n.* 1. 4. *& seq.* Valasc. *d. consult.* 1. *n.* 10. *&* 11. Surd. *d. tit.* 1. *q.* 111. *n.* 10. *& seq. & q.* 112. *n.* 1. *& seq.* Marescot. *var. d.c.* 83. *n.* 13. P. Barbosa *ad d. l.* 1. *p.* 1. *n.* 58. *ff. solut. matr.* Joan. Bapt. Lupi *de illegit. com.* 2. §. 3. *n.* 62. Molfes. *d. p.* 5. *q.* 3. *n.* 13. Stephan. Gratian. *d. tom.* 2. *c.* 236. *n.* 1. *& seq.* Molina *de justit. disp.* 516. *n.* 15. Calvin. *de æquitate, lib.* 1. *c.* 72. *n.* 5. *& seq.* & Rota *decis.* 1. *tit. de judiciis, in antiquioribus.* Ratio autem hujus decisionis legalis, & communis conclusionis est, quia nisi filio, vel nepoti inopi provideatur de alimentis, privaretur bonis suis, cùm quidquam non habeat ad illa prosequendum, & vindicandum, & cogeretur vel fame perire, vel modico recepto juri suo cedere. Additur alia ratio, scilicet quia æquius est impendia frustra fieri, quàm ei denegari alimenta, qui aliquo casu futurus est dominus, *l.* 1. §. *sed & si incertum sit, ff. de ventre in possess. mittendo.* Etsi autem *in d.* §. *de inofficioso,* non fit expressè mentio de sumptibus litis subministrandis, sed tantùm de alimentis; nihilominus unà cum alimentis etiam expensas litis eidem filio, vel nepoti pauperi agenti, &c. deberi ab adversario subministrari, tradunt iidem Doctores communiter ex eadem ratione, quia dictæ expensæ sunt ei necessariæ, ut possit prosequi litem, & vindicare bona, cùm aliundè non habeat. Ita expressè Guido Papæ, Craveta, Covarruvias, Simon de Pretis, Menochius, uterque Molina, Azinius *locis citatis,* Marescot. *d.c.* 83. *n.* 15. Steph. Gratian. *d.c.* 236. *n.* 32. & Rota *d. decis.* 1. *& in causa bonorum de Ceulis,* 3. *Decembr.* 1584. *coram Clemente VIII.* ut locis citatis testantur Marescottus, & Gratianus.

Et quanvis hujusmodi alimenta, & litis expensas 976
eidē filio, aut nepoti agenti, &c. adversarium cogi non posse exhibere, nisi post ab eo obtentam sententiam favorabilem in prima instantia, docuerint Glossa, Bartolus, Baldus, Angelus, Castrens. *in d.* §. *de inofficioso,* & plures alii relati à Covarr. *d.c.* 6. *num.* 7. *versic. Secundum,* Corduba *d.n.* 42. & Surdo *d. tit.* 1. *q.* 112. *n.* 18. per textum *in d.* §. *de inofficioso,* qui loquitur in filio, & nepote, qui jam obtinuerat in prima instantia; & per textum *in l. qui de inofficioso, ff. de inoff.* aientem filio exhæredato, qui testamentum accusat tanquam inofficiosum, non decerni alimenta; cogi autem aiunt præstare post primam sententiam, licèt ab ea fuerit appellatum, ut dicitur *d.* §. *de inofficioso,* quia etsi appellatione suspenditur effectus sententiæ, ex tali tamen sententia oritur præsumptio, agentem habere bonum jus ad bona, ut tradunt Doctores, quos cumulant Covarr. *d. versic. Secundum,* & Velascus *d. consultat.* 1. *num.* 9. *initio,* & Rota Rom. *decis.* 759. *n.* 2. *p.* 1. *in recent. Farinac.* & consequenter statim post talem sententiam actori pauperi decerni debere alimenta, & litis sumptus, decisum est *in d.* §. *de inofficioso*: & hanc sententiam tandem amplexus est Valascus *d. consultat.* 1. *num.* 12. *fine,* ubi contra Doctores *num. seq.* allegatos ait, quod non auderet exhæredato filio, seu nepoti, de quo ille textus loquitur, alimenta decernere, additque se vidisse nunquam in Regno Lusitaniæ in prima instantia, antequam ulla ferretur sententia pro litigante, alimenta cuiquam decerni, etiamsi evidenter de paupertate doceret.

Nihilo

977 Nihilominus Doctores magis communiter asserunt, esse locum decisioni dicti §. *de inofficioso*, & filio, aut nepoti pauperi litiganti, & agenti ad successionem, seu hæreditatem patris, vel avi, vel ad legitimam, de bonis quæ petit, alimenta, & litis expensas debere per judicem decerni, etiam in prima instantia, quamvis adhuc non obtinuerit primam sententiam, si aliqua non levis adsit præsumptio pro jure ipsius Actoris, seu quod actor jus habeat ad bona petita. Ita afflictus *d. decis.* 11. Hier. Gabriel *d. conf.* 25. *n.* 1. Bellam. *decis.* 88. *fine*, Covarr. *d. c.* 6. *n.* 6. Ludov. Molina *d. c.* 16. *n.* 36. Alter Molina *d. disp.* 616. *n.* 15. Cephal. *conf.* 27. *n.* 11. *vol.* 2. Corduba *in d.* §. *si vel parens*, *n.* 44. Pontan. *d. c.* 13. *n.* 7. Menoch. *d. q.* 35. *n.* 4. *&* 5. Simon de Pretis, Guido Papæ, Craveta, Azinius, Lancellottus, Marescottus locis suprà *n.* 975. citatis, Surdus *d. q.* 112. *n.* 18. Fachin. *contr. var. lib.* 12. *c.* 62. Stephan. Gratian. *d. c.* 236. *n.* 4. *& seq.* Giurba *decis.* 5. *n.* 29. P. Barbosa *ad d. l.* 1. *p.* 2. *n.* 58. *&* 59. Farin. *in repert. jud. d. q.* 52. *n.* 7. Paschal. *de patria potest. p.* 2. *d. c.* 3. *n.* 60. Joan. Lupi *de illegit. &c. com.* 2. §. 3. *n.* 67. *&* 76. *versic. Et quoad alind requisitum*, Sanfelicius *decis.* 289. *n.* 13. *p.* 2. Merend. *contr. jur. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 30. *n.* 2. Fontanel. *de pactis nupt. clauf.* 6. *glof.* 2. *p.* 4. *n.* 26. Calvin. *loco superiùs allegato*, & præter alios innumeros à præcitatis doctoribus, præsertim Surdo relatos Rota *d. decis.* 1. *de judiciis in antiquioribus*, *& in d. causa bonorum de Ceulis*, & alii plures à Giurba relati. Et ratio est, quia eadem æquitas, de qua *in d. l. si instituta*, *allegato* §. *de inofficioso*, militat tam in prima, quàm in secunda instantia, scilicet ne filius, aut nepos fame pereat, nec jus suum indiscussum cogatur relinquere, & suis bonis privari ob paupertatem. Et Vlpianus *in d.* §. *de inofficiosis*, motus est propter egentis inopiam, ut ibi expressè legitur. *Placuit interim propter inopiam pupilli alimenta pro modo facultatum*, *&c.* non autem propter primi judicis sententiam: & huic sententiæ etiã apertè suffragatur textus in superiùs *n.* 966. allegata *l. ult.* §. *quod si ei*, *Cod. de ordine cognit.* ubi nulla erat lata sententia, & sic prima instantia vertebatur; & tamen textus ita dicit: *Ita ut ex iisdem, si aliqua alia facultas esse non poterit, tantùm litis sumptus, & alimonia homini subministretur, quantùm moderato judicis arbitrio fuerit æstimatum.* Et Doctores communiter sentiunt inopiam junctam cum præsumptione boni juris, esse veram, & germanam rationem dispositionis *d.* §. *de inofficioso*, ut notavit etiam Carena *d. resol.* 21. & ex tradendis constabit.

978 Neque obstat textus *in d. l. si instituta*, *d.* §. *de inofficioso*, in quo fundatur prior sententia mentionem faciẽs de sententia quam priùs obtinuerat filius ad sui favorem. Nam primò juxta Rotam, Surdum, Fachineum, & alios respondetur ibi factam esse mentionem de sententia obtenta, quia ita ex facto contigerat, non quia esset necesse illam sententiam præcessisse, nam textus non fundatur in eo quod sententia esset lata pro filio, sed propter illius inopiam; sicut etiam licèt textus ibi loquatur in nepote, & pupillo, nihilominus quia id fuit ex facti contingentia, textus non limitatur ad nepotem, & ad pupillum, sed extenditur ad filium, & nepotem non pupillum, juxta Doctores præallegatos, & quoscumque descendentes à testatore; & etiam ad ascendentes, ut dicitur infrà *num.* 1001. *&* 1002. Respondetur secundò (& est responsio communis à præallegatis Doctoribus tradita) textum illum esse intelligendum secundùm jus antiquum; nam jure antiquo filius præsumebatur justè exhæredatus, *l. nam & his* 5. §. *ult. ff. de inoffic. & l. liberi*, *C. eodem*, & ideo ad enervandam præsumptionem insurgentem ex exhæredatione paterna, oportebat ut filius exhæredatus haberet pro se sententiam, ut ei alimenta præstarentur, cùm ei non competeret Carboniana bonorum possessio propter exhæredationem, *d. l. qui de inofficioso*, *ff. de inoffic. testam.* At de jure novo, & hodie, cùm exhæredatio præsumatur injusta, & hæredi incumbat onus probandi filium justè fuisse exhæredatum, *l. omni modo*, *Cod. de inofficioso testamento*, *&* §. *aliud quoque capitulum*, *auth. ut cùm de appellat. cognoscitur*; ideo hodie non est ampliùs necessaria sententia, sed etiam pendente prima instantia, & antequam feratur prima sententia pro filio, ei alimenta, & litis expensæ præstari debent, si habeat non levem præsumptionem juris pro se boni, ut omnes præallegati Doctores concludunt.

Igitur ut alimenta, & litis expensæ in hoc casu reus conventus actori pauperi exhibere cogatur, etsi non prærequiritur sententia, quæ in prima instantia fuerit obtenta, & ab ea appellatum, requiritur tamen præsumptio boni juris pro actore, non quæcumque, & levis, sed magna, & urgens, quæ saltem faciat semiplenam probationem, ut tradunt omnes Doctores suprà *n.* 971. *initio* relati, & P. Barb. locis suprà allegatis. 979

§. III.

Vt filio, vel nepoti pauperi agenti contra possessorem ad hæreditatem paternam, vel avitam alimenta, & litis expensæ præstari debeant, qua ratione constare debeat de illius filiatione, aut descendentia, atque de bono jure petentis.

Hinc ut filio, vel nepoti pauperi agenti ad successionem, seu hæreditatem patris, & avi, vel ad legitimam in bonis patris, vel avi, ex bonis hæreditatis paternæ, vel avitæ, etiam ante ullam sententiam obtentam, & nulla etiam præmissa alia summaria cognitione decerni à Judice debeant alimenta, & litis expensæ, sufficit ut filius, vel nepos jã existat in quasi possessione filiationis, vel descendentiæ. Ita omnes Doctores citati suprà *n.* 966. *&* 967. & alii quos refert, & sequitur P. Barbosa *ad d. l.* 1. *p.* 1. *n.* 58. *&* 59. ut enim dictum est suprà *d. n.* 966. quasi possessio filiationis, & descendentiæ inducit præsumptionem non levem boni juris ad bona petita, & facit plenam probationem circa alimenta, & litis expensas; & qui in tali quasi possessione filiationis existit, habet intentionem fundatam de jure communi super petitione alimentorum, & bonorum paternorum, vel avitorum. Hoc idem confirmat textus *in d. l. ult.* §. *quod si ei*, *C. de ord. cognit. suprà eodem num.* adductus, & pro filio paupere agente ad hæreditatem paternam ex causa inofficiosi apertè stat præsumptio ex quasi possessione filiationis, quam patet ipse fatetur, dum eum exhæredem facit, ut notat Menochius *d. q.* 35. *n.* 5. 980

Si verò filius, vel nepos pauper petens legitimam, vel hæreditatem, non existat in quasi possessione filiationis, & descendentiæ, judex summatim cognoscere debebit de filiatione, vel descendentia; & si ei saltem per semiplenam probationem constiterit, petentem esse filium, aut nepotem, statim ei decernere debet alimenta, & litis expensas ex bonis petitis præstanda à reo convento usque ad finem litis; cùm probata summariè filiatione, seu descendentia, seu quasi possessione filiationis, statim resultet non levis præsumptio boni juris. Ita Pontan. *d. c.* 3. *n.* 5. & omnes Doctores suprà *n.* 968. *&* 977. relati. 981

Dixi, *Saltem per semiplenam probationem*, *&c.* quia etsi antequam Iudex in hoc casu decernat alimenta, prærequiratur non levis præsumptio boni juris actoris pauperis, juxta Doctores communiter suprà *n.* 971. allegatos, non tamen prærequiritur plena probatio filiationis, aut descendentiæ, sed sufficit semiplena, ut probatũ est suprà, *n.* 969. & tradunt Doctores *ibid.* citati; ac proinde juxta *ibid.* tradita, & Doctores *ibid.* citatos, sufficit quod judici constet de filiatione, aut descendentia, eiusve quasi possessione per unicum testem omni exceptione maiorem, aut ex fama, vel per iuramentum agentis, ut latè explicatum est suprà *d. num.* 969. Sicut etiam licèt testes non possint recipi non citata parte, sufficit tamen quod 982

judicii de filiatione, & præsumptione boni juris constet ex sola lectura attestationum nondum publicatarum, ut *d. num.* 296. ostensum est. Nec etiam in hac summaria cognitione admittitur repulsa testium, juxta tradita, & Doctores suprà *num.* 970. relatos, quo modo etiam Judex antequam alimenta, & litis expensas jubeat à reo præstari actori pauperi, considerare debet præsumptiones pro utraque parte stantes, & quæ pro actore, vel pro reo existant urgentiores, dictum est suprà *num.* 971. ubi etiam traditum est præsumptionem boni juris actoris debere esse in eodem judicio.

983 Interim verò dum summariè cognoscitur de filiatione, & descendentia, & an pro actore paupere adsit præsumptio non levis boni juris, alimenta, & litis expensæ non debentur: sicut nec debentur durante cognitione super paupertate, alimenta, & litis expensæ pro lite sustinenda, & prosequenda; sed solùm post plenè probatam paupertatem, ut dictum est suprà *n.* 972.

§. IV.

In quiqusnam filiis, & descendentibus, & an etiam etiam in patre, & descendentibus habeat locum dispositio textus in d. l. si instituta, §. de inofficioso, ff. de inoff. testam. *& doctrina tradita de alimentis, & litis expensis præstandis filio pauperi agenti ad hæreditatem patris.*

984 Porrò dispositio dictæ legis *si instituta*, §. *de inofficioso, ff. de inoff. testam.* & doctrina in præcedentibus tradita, quod filio pauperi agenti contra possessorem ad hæreditatem, & bona paterna, vel legitimam, debeant interim, dum durat lis à reo convento ex bonis patris exhiberi alimenta, & litis expensæ, etiam in prima instantia si, adsit præsumptio boni juris pro eo, existatve in quasi possessione filiationis, vel filiatione summarie probata, modo suprà explicato, procedit, seu extenditur etiam in filio emancipato, nam si sit pauper, & constet eum habere non levem præsumptionem boni juris pro se, debet ex bonis patris consequi alimenta, & litis expensas. Ita aliis allegatis ex Doctoribus suprà *num.* 964. relatis, Ludov. Molina *de primog. lib.* 2. *de cap.* 16. *n.* 31. Menochius *de præsumpt. lib.* 1. *d. quæst.* 35. *num.* 8. Surdus *tit.* 1. *q.* 111. *num.* 3. & Stephanus Gratianus *tom.* 2. *d. cap.* 236. *num.* 2. Et ratio est, quia hodie quoad succedendum patri, & habenda alimenta, nulla est differentia inter filium emancipatum, & existentem in potestate, §. *nullum verò, in Auth. de hæredibus ab intestato venientibus*: & ratio superiùs *num.* 975. adducta, militat æquè in filio emancipato ac in existente in potestate, si sit inops. Limitatur autem à Surdo *d. q.* 111. *num.* 6. & à Gratiano *d. num.* 2. hæc extensio, ut habeat locum in filio emancipato solùm in casibus in quibus est par conditio filii emancipati, & existentis in potestate; ac proinde aiunt non habere locum in nepote emancipato, quia quoad eum non sit hodie sublata differentia, secundùm Cynum *in l. qui se patris, num.* 6. *vers. nec obstat si dicatur hodie, Cod. unde liberi*, & alios à Surdo allegatos: neque etiam in filio emancipato, qui agit adversus testamentum patris, eo quòd emancipatus non sit ejusdem juris quoad immutandum testamentum, cujus est filius in potestate, secundùm Glossam magnam *in princ. in auth. ex causa, Cod. de liber. præter.* Alexandrum *in l. emancipati, num.* 11. *Cod. de collat.* & Jasonem *ibid. num.* 30.

985 Item eadem dispositio, & doctrina procedit etiam in filio legitimato per subsequens matrimonium, ut post alios tradit Molina *d. cap.* 16. *num.* 32. Menochius *d. q.* 35. *num.* 10. Surdus 4. *quæst.* 111. *num.* 9. & Gratianus *dicto num.* 3. Ratio est, quia legitimatus per subsequens matrimonium nil differt à legitimis conceptis jam contracto legitimo matrimonio, & dicitur verè & propriè legitimus, *cap. tanta, qui filii sint legitimi*, & *l. cùm quis, Cod. de natur. liber.*

Item eandem dispositionem, & doctrinam procedere in legitimato per rescriptum, vel oblationem curiæ, tradunt Menochius *d. q.* 35. *num.* 12. Surdus *d. quæst.* 111. *num.* 11. *& tribus seqq.* & Gratianus *d. cap.* 236. *num.* 3. eo quia is filius sic legitimatus dicatur propriè, & verè legitimus quoad successionem, & alimenta, & etiam debet hæres institui sicut legitimus, & dicat patris testamentum inofficiosum & nullum, eique debeatur legitima, ut aliis relatis tradit Surdus, ac proinde etiam in eo paupere, dum agit contra testamentum patris, in quo præteritus fuit, militat ratio ad obtinenda alimenta pendente lite, quæ induxit ad decernendum filio verè legitimo & naturali. 986

Item eadem dispositio, & doctrina procedit in filio qui est in utero matris, cujus nomine petuntur alimenta, cui interim decernenda erunt alimenta, licèt ignoretur an masculus sit, an fœmina, atque ita sit institutus, vel exhæredatus. Ita Molina *d. cap.* 16. *num.* 33. Menochius *d. quæst.* 35. *num.* 14. Surdus *d. q.* 111. *num.* 15. *&* 16. & Gratianus *d. cap.* 236. *d. num.* 3. & alii apud eosdem. Ratio est, tum quia semper matri prægnanti debentur alimenta ventris nomine, *l.* 1. *& l. curator, ff. de ventre in possess. mittendo*: tum quia melius est facere superflua impendia quàm ei negare alimenta qui aliquo casu futurus est, seu potest esse hæres, vel dominus, *d. l.* 1. §. *sed & si incertum.* 987

Quanvis verò præfatam dispositionem dicti §. *de inofficioso*, & doctrinam suprà traditam Rebuffus *in comm. ad constit. Galliæ, tom.* 1. *tit. de sent. provision. artic.* 1. *glossa* 2. *num.* 27. Dueñas *reg.* 365. *limit.* 5. Simon de Prætis *de interpr. ult. vol. lib.* 5. *interp* 2. *dub.* 2. *num.* 24. & Menochius *d. q.* 35. *num.* 24. tradant non habere locum in filio adoptivo paupere agente ad hæreditatem adoptantis, cui aiunt non esse decernenda alimenta, nec litis expensas: cujus rei duplex affertur ratio, una quod appellatione filiorum in hac materia non veniant adoptivi, *cap. in præsentia, de probat. & l. fideicommissum, de legat.* 3. altera quod pater ipse adoptivus non teneatur alere ipsum filium adoptivum, ut scripserunt Doctores suprà *cap.* 5. *n.* 146. relati. 988

Nihilominus probabilius existimo contrarium, & etiam in filio adoptivo paupere agente ad hæreditatem patris adoptantis, si pro eo adsit præsumptio boni juris, modo suprà explicato, procedere præfatam dispositionem, ac doctrinam, eique decernenda esse alimenta, & litis expensas quod expressè asserunt Surdus *tit.* 1. *q.* 114. & Joan. Lupi *de illegitimis, &c. com.* 2. §. 3. *num.* 63. Ratio est, tum quia adoptivi filii æquiparantur legitimis, & naturalibus, ut latè probat Tiraquellus *in l. si unquam, verbo Susceperit liberos, num.* 19. *&* 20. & faciunt tradita suprà *cap.* 5. *num.* 142. tum quia pater adoptivus tenetur alere filium adoptivum, juxta Doctores suprà *d. num.* 142. relatos, & tradita *ibidem, & numeris seqq.* tum demùm quia cuilibet pauperi agenti ad bona magni valoris, quæ prætendat, si habeat pro se non levem præsumptionem boni juris, alimenta, & litis expensæ, ut infrà latè probatur, ex fructibus illorum bonorum ei debentur: quare multò magis illa consequi debet adoptivus filius propter majus vinculum ejus cum patre adoptante, quàm cum extraneo. 989

Citra

Citra antem omne dubiam est, dispositionem textus *in d.l.si instituta*, §. *de inofficioso*, & doctrinam traditam *à n.*975. *ad* 983. habere locum oon solùm in filio, & nepote, sed etiam in filia, & nepte inope agente ad hæreditatem patris, vel avi, ad legitimamve, seu dotem sibi debitam ex boois patris, vel avi: id quod etiam post Dueñam *reg.*365. *ampliat.*12. notarunt Surdus *d. tit.*1. *q.*111. *n.*19. & Gratianus *d. c.*236. *num.* 2. Hodie enim sublata est differentia sexus quoad successionem, *d.§. nullum verò, in auth. de hæredibus ab intest. venient. & l. maximum vitium, Cod. de liber. præterit.* & militat in fœmina ratio, quæ in masculo, idque etiamsi filia, vel neptis jam nupta ageret ad dotem, cui non essent administranda alimenta à marito, sed à possidentibus dotem, de quo iofrà *post num.*1107.

1001 Rursus quamvis dispositio dictæ legis *si instituta*, §. *de inofficioso*, *ff. de inoffic. testam.* loquatur expressè tantùm in nepote, & a fortiori in filio exhæredato; nihilominus citra controversiam Doctores aiunt, eandem dispositionem extendi, & procedere etiam quoad pronepotes, & alios quosvis descendentes à testatore. Ita Rebuffus *in* 1. *tom. ad leges Galliæ, tract. de sententia provis. art.* 1. *glossa* 2. *col.* 2. Dueñas *reg.* 365. *ampliat.* 5. Covar. *pract. qq. allegato cap.* 6. *num.* 6. *initio*, Ludovicus Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 16. *allegato num.* 34. Valascus *allegata consultat.* 1. *num.* 11. Joan. Baptista Lupi *de illegitimis*, *&c. tom.* 2. §. 3. *num.* 61. *versic. Ex quibus*, Molina *de justitia*, *tom.* 3. *disp.* 616. *num.* 15. & alii à Dueña relati. Nam etiam in his desceodentibus à testatore militat eadem ratio quæ in filiis, & nepotibus, eisque non minori jure debetur legitima quàm filiis. Quare & his pauperibus agentibus ad successionem, seu hæreditatem ascendentium providendum est de alimentis, & litis sumptibus, etiam io prima instantia.

1002 Eandem dispositionem extendi qooque ad patrem, atque ad alios ascendentes, tradunt Rebuffus, Corruvias, Valascus, & Molina Theologos *locis numero præcedenti citatis*, Joan. Baptista Lupi *loco citato*, & etiam *num.* 683. Dueñas *d. reg.* 365. *ampliat.* 6. Meoochius *de præsump. lib.*1. *quæst.* 35. *n.*16. & Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *quæst.* 115. *num.* 56. Nam non minus quàm liberis debetur hæreditas, seu legitima parentibus, *l. nam etsi parentibus*, *ff. de inoffic. can. præd.* 16. *quæst.* 1. *l. scripto hærede*, *in fine*, ubi Glossa, *ff. unde liberi*, ubi pater succedit filio in solatium amissi filii; ideóque si pater litigat cum filio suo, vel ab alio petens successionem, seu hæreditatem filii, debet illi fieri provisio de alimentis, & sumptibus litis; si sit pauper, & pro eo stet præsumptio boni juris.

1003 Procedunt autem prædicta etiam pendente tempore dato hæredi ad deliberandum; eo enim tempore, etiamsi moota sit lis ab aliquo ex descendentibus, vel ascendeotibus testatoris super alimentis, vel super successione, & sit pauper, habeatque pro se præsumptionem boni juris, ali debet de hæreditate, ne deliberationis dilatione fame pereat, ut traditur *in l. filius*, *ff. de jure deliber.* & impediatur prosequi jus suum. Ita Dueñas *d. reg.*365. *ampliat.* 2.

1004 Prædictis addenda sequentia, nempe qnod dicta dispositio legis *si instituta*, §. *de inofficioso*, *ff. de inofficioso*, procedit etiam in fratribus, & sororibus egentibus, à fratre primogenito petentibus alimenta, vitam militiam, legitimas, & dotes, quæ jure primogenituræ eis præstari debent, quibus lite durante provideri debet, etiam in prima instantia, de alimentis, & litis expensis. Ita Ludovicus Molina *d. cap.* 16. *n.* 35. Menochius *d. q.*35. *n.*17. Afflictus *decis.*11. Ursillus *ad decis.* 10. *n.* 4. Surdus *d. tit.*1. *q.*116. *n.* 3. Paschalis *de patr. potest. p.* 2. *d. cap.*3. *n.*68.

Procedit pariter eadem dispositio dicti §. *de inofficioso*, in fratre, & sorore, vel patruo agente contra fratrem, &c. ad alimenta, legitimam, vel dotem à patro sibi relicta, cui proinde si sit pauper, & habeat pro se præsumptiooem boni juris, durante lite debet fieri provisio de alimentis, & sumptibus litis, etiam in prima instantia, cùm etiam in hoc casu militet eadem ratio. Ita Aleiatus *cons.*449. Molina, Menochius locis suprà *n.*1001. citatis, Afflictus *d. decis.* 11. Ursillus *ad d. decis.* 10. *Afflicti*, *n.* 5. Simon de Prætis *de interp. ult. vol. lib.*5. *interpr.* 2. *dubit.* 2. *dubit.* 2. *n.*18. Surdus *tit.*1. *q.*116. *n.*3. & *q.* 117. *n.*3. Marescottus *var. lib.*5. *c.*83. *n.*13. Juan. Lupi *de illegitimis*, *com.* 2. §. 3. *n.*69. Paschalis *de patr. potest. p.*2. *c.*2. *n.*69. & 70. & colligitur etiam ea Cuvarruvia *allegato c.* 6. *num.* 6. dum post Rebuffum loco suprà *n.*1001. citato, ait diversum esse in fratre agente pro hæreditate fratris, de quo infra. Et hujusmodi provisiu debet fieri etiam sorori nuptæ ad dotem agenti, licèt maritus sit dives; quia in hoc casu alimenta debentur ratione dotis relictæ in testamento, quam cùm non acceperit, adhuc maritus non est cogendus uxorem alere, sed de fructibus dotis prætensæ ali debet, de quo iofrà *post n.*1107. 1005

Ulteriùs procedit etiam in fratre contra fratrem ad portionem hæreditatis paternæ, vel avitæ sibi debitæ agente actione familiæ erciscundæ, vel commuoi dividundo; huic enim pauperi, & habenti pro se præsumptionem boni juris, durante judicio, etiam in prima instantia frater bona, seu hæreditatem patria possidens cogi debet præstare alimenta, & litis expensas; cùm etiam in hoc casu locum habeat æquitatis ratio, de qua suprà. Ita Rebuffus *d. glossa* 2. suprà *num.* 1001. *citata*, *num.* 10. Dueñas *d. reg.* 365. *ampliat.* 5. & Surdus *d. quæst.* 117. *num.* 2. An verò idem sit dicendum si frater communi dividundo agat contra fratrem ad portionem bonorum communium, non hæreditatis paternæ, sed ex societatis contractu, vel aliu modo, putà emptione, legato, donatiooe, &c. coostabit ex dicendis infrà. Affirmare videtur Surdus *d. n.*2. dum absolutè ait, quod si frater agat contra fratrem familiæ erciscundæ, vel communi dividundo, interim provideri sibi debeat de alimentis. 1006

Procedit quoque in filio spurio, vel naturali, tum contra hæredem patris pro alimentis agenti ex juris dispositione, ut suprà *num.* 974. tum agenti pro legato alimentorum sibi à patre relictorom, ali eoim debet pendente lite, si aliunde non habeat, cùm in his filiis locum habeat ratio æquitatis, quæ in aliis legitimis. Ita Rebuffus *d. glossa* 2. *num.* 30. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *si vel parens*, *num.*63. *ff. de agnosc. liber.* Menochius *d. quæst.* 35. *num.*13. Ludov. Molina *d. c.*16. *num.*32. & Surdus *d. tit.* 1. *q.*115. *n.*2. qui *num.* 3. & 4. ait procedere etiam quando filius naturalis peteret vel institutionem de se factam, vel alia legata relicta à patre in casibus, in quibus potest eum instituere, vel ei relinquere: hoc enim casu esset alendus durante lite, eo modo quo aleretur legitimos; nec discordant alii Doctores modò allegati, dum asserunt, naturalem debere ali dum agit pro legato alimentorum sibi à patre relicto: idem si filius naturalis ageret ad portiooem bonorum paternorum sibi delatam ab intestato, in casibus io quibus vocatur ad patris intestati successionem, juxta jam tradita suprà, dum ageretur de alimentis debitis filiis illegitimis naturalibus; pendeote eoim hujusmodi lite, deberet ei fieri provisio de alimentis, sicut fieri debet filio legitimo petenti ab intestato patris hæreditatem, cùm sit æqua ratio: & ita expressè Surdus *d. q* 10 *num.* 5. 1007

Cùm verò pater condens testamentum filio naturali nihil relinquere teneatur, nec de eo in testa- 1008

mento facere mentionem, & eo facto, habeatur pro extraneo, *l.fin. Cod.de natur.liber.*& notatum est suprà, *n.*168.*& n.*174. & sic si pater nullis etiam extantibus filiis legitimis,extraneo instituto, illum omnino prætereat, non potest testamentum rumpere tanquam præteritus, ut *citato n.*168. dixi, & tradunt Doctores ibidem citati; si filius naturalis impugnaret tale testamentum, in quo nullis extantibus filiis à patre est præteritus, illi non deberentur alimenta, nec litis expensæ, ut Doctoribus allegatis tradidi suprà *d.n.* 174. & ultra eos Hieronym. Gabriel *consf.* 25. *num.* 10.*p.*1. quia haberet contra se præsumptionem ex testamento insurgentem, & calumniosam litem, seu causam ageret.

1009 Advertendum tamen, quod etsi filius naturalis ex causa prætetitionis non potest rumpere testamentum patris, potest tamen contra testamentum opponere invaliditatem ex alia causa, ac proinde si agens ad invaliditatem testamenti allegaret talia, quæ apparentet testamentum destruerent, tunc interim fore illi decernenda alimenta, censet Surdus *d. q.*115. *num.*9. ob eam rationem, quod præsumptio validitatis testamenti dormit, & obscuratur, quando contra illud allegantur talia, quæ apparenter concludunt; cùm instrumentum non faciat rem liquidam quando opponitur aliquid, ut notant Imola, Jason, Ruinus, Herman. *in l.* 1.*ff. de operis novi nunt.*& alii, quos refert, & sequitur Surdus *d. quæst.* 115. *num.* 10. Advertit autem idem Surdus *num.* 11. quod Judex debet oculatè procedere, ne fortè per calumniam actor excipiat contra instrumentum testamenti; committitque judicis arbitrio cognitionem, an interveniat calumnia, & ea cessante danda esse alimenta.

§. V.

An fratri, & consanguineo agenti ad hæreditatem fratris, vel alterius consanguinei, & cuicumque judicio universali agenti pro tota hæreditate, vel majori ejus parte, cuilibetque litiganti super bonis, quæ prætendit communia, vel ad se pertinere, ab adversario debeant subministrari alimenta, & litis expensa, si sit pauper, & habeat pro se præsumptionem boni juris.

Dubium tertium, an dispositio dictæ legis *si instituta*, §. *de inofficioso*, *ff. de inoffic. testam.* extendatur ad fratres, & sorores, & alios consanguineos ex linea transversali agentes ad hæreditatem fratris, vel sororis, aut alterius consanguinei, ita quod si sint pauperes aliunde non habentes,& habeant non levem præsumptionem boni juris, de qua saltem per summariam cognitionem judici in initio litis constet per semiplenam probationem, eis durante lite super petitione hæreditatis debeant etiam in prima instantia decerni alimenta, & litis expensæ, exhibendæ ab adversario hæreditatem possidente; idque sive petant hæreditatem ex causa intestati, sive ex testamento; & in universum an extendatur ad quemcumque litigantem pauperem petentem universam hæreditatem, vel majorem ejus partem, habentem boni juris præsumptionem.

1010 Prima sententia loquens expresè de alimentis, negat decernenda esse alimenta, juxta dictum textum *in* §. *de inofficioso*, cùm agitur ad hæreditatem fratris, vel consobrini ex causa intestati: affirmat verò extendi ad fratres, & alios consanguineos transversæ lineæ, & etiam ad extraneos, & quoscumque successores, eisque esse decernenda alimenta, si ex testamento non raso, nec cancellato agant. Ita Rebuffus *in com. ad ll. regias*, *tit. de sent. provis. art.* 1. *glossa* 2. Dueñas *d. reg.*365. *fine*, & Menochius *de præs.d.q.*35. *num.*17.Prima pars negativa hujus sententiæ innititur fundamentis, quæ numero sequenti adducuntur pro secunda sententia. Alteram verò partem affirmativam, quam Covarruvias *d. cap.*6.*num.*5. ait habere æquitatem *in d.*§. *de inofficioso*, à Jureconsulto consideratam probant *ex lege ult. Cod. de edicto D. Hadriani toll.*

Secunda sententia absolutè negat dispositionem ten Jurisconsulti *in d. l. si instituta*, *ff. de inofficioso*, quoad alimentorum provisionem extendi ad fratrem, vel sororem, aut alium consanguineum petentem hæreditatem fratris, vel sororis, aut alterius consanguinei, & multò minùs ad extraneum, etiamsi petat hæreditatem defuncti ex testamento non raso, nec cancellato, etiamsi sit pauper, & cum paupertate concurrat præsumptio aliqua non levis boni juris. Ita Boërius *decis.* 324. *num.* 4. quem sequi videtur Simon de Pretis *de interpr. ult.vol. lib.* 5. *interpret.* 2. *dub.* 2. *num.* 27. Valascus *consult.* 1. *num.* 11. & Anton. Merenda *var. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 28. Hanc eandem sententiam tenent Pet. Ant. Anguis. *consf.*4.*num.*1. *lib.* 3. & Lacellottus *de attent. p.* 2. *cap.* 4. *d. limit.*11. *num.* 31. quatenus dicunt, textum *in d.* §. *de inofficioso*, procedere tantùm in his agentibus, seu litigantibus pauperibus, qui ex juris dispositione alendi sunt ex bonis, ad quæ agunt. Fundamentum præter textum *in l. Imperatores*, *ff. de tutela*, *& rationibus distrahendis*, (de quo infrà) est primò, quia in collateralibus, & multò magis in extraneis cessat ratio quæ in descendentibus, & ascendentibus versatur, quibus ex præcepto legis portio legitima debetur, non autem debetur collateralibus. Ita Valascus. Secundò (& est ratio Merendæ, & fortasse fuit fundamentum Petri Ant. Anguis. & Lancellot.) quia Jurisconsultus *in d.* §. *de inofficiosa*, ad ibi decernenda alimenta pupillo nepoti exhæredato agenti ad hæreditatem avi contra hæredem scriptum, motus sit ratione fundata in vinculo sanguinis, & ex eo oriente charitate naturali, ex qua descendit obligatio alendi filios & descendentes, quæ transit etiam ad hæredes, ut *suprà* latè ostensum est: quam rationem, seu obligationem ex charitate naturali & vinculo sanguinis descendentem semper præ oculis habere debet Judex, cùm agitur de alimentorum prætensione, ut *in l. si quis à liberis*, §. *utrum*, *ff. de liberis agnosc.* Hæc enim charitas, seu æquitas naturalis non patitur, inquit Merenda *d. cap.* 28. *fine*, ut nepos impubes, quem injustè exhæredatum fuisse prima sententia declaravit, miseram præ inopia vitam ducat, faméve pereat, aliis paternam hæreditatem ex testamento, quod brevi rescindendum veluti inofficiosum speret, possidentibus; cùm nimis durum sit, hæreditatem patris extraneis lautè alimenta subministrare, filio autem impuberi vitæ sustendandæ necessaria negare. Aliud fundamentum idem Merenda *d. cap.* 28. *num.* 6. *& tribus seqq.* affert, quod hîc omitto, quia infrà dubio sequenti examinabitur.

Tertia sententia, nunc temporis communis, & 1011
tenenda, quæque servatur in praxi, asserit dispositionem Ulpiani *in d.* §. *de inofficioso*, decernentis de alimentis & litis sumptibus filio, & nepoti exhæredato, agenti ad hæreditatem patris vel avi contra hæredem scriptum, ob pupilli inopiam, & boni juris præsumptionem ex quasi possessione filiationis, & descendentiæ, seu ex filiatione, seu descendentia summariè semiplenè probata, extendi non solùm ad alios descendentes, & ad ascendentes lineæ rectæ; sed etiam ad fratrem, sororem, & alium quemcumque consanguineum collateralem petentem hæreditatem fratris vel alterius consanguinei, sive ab intestato,

intestato, sive ex testamento; & etiam ad quemcunque extraneum, qui judicio universali agat ad universam hæreditatem, vel ejus majorem partem, ita ut sic agenti, seu litiganti debeant etiam in prima instantia à judice decerni alimenta, & litis expensæ durante lite ab adversario bona petita possidente, si idem actor sit pauper, & pro eo stet boni juris præsumptio non levis. Ita Guido Papæ *q.* 561. Craveta *cons.* 164. *num.* 15. Cephalus *cons.* 127. *num.* 10. Afinius *in praxi,* §. 32. *cap.* 2. *ampliat.* 29. Simon de Pretis *d. dub.* 2. *n.* 29. Pontanus *de alimentis, cap.* 15. *num.* 1. Aretinus *in cap. si quis testamentum, num.* 14. *de testibus*, ibidem Felinus *num.* 9. Bossius in praxi, *tit. de alimentis, num.* 2. Joseph. Ludov. *decis. Panorm.* 46. *num.* 5. Giurba *d. decis.* 5. *num.* 31. Surdus *de alim. tit.* 1. *quæst.* 117. *n.* 119. *&* 120. Stephanus Gratianus *discept. for. tom.* 1. *cap.* 55. *num.* 49. Paschalis *de patria potestate, p.* 2. *cap.* 3. *n.* 83. 88. *&* 89. Caroll. Borellus *in Summa decis. p.* 2. *tit.* 39. *num.* 321. *&* 322. Carena *resolut.* 21. Rota Romana apud Verallum *decis.* 20. *p.* 1. *decis.* 8. apud Crescentium *de judiciis, decis.* 189. *num.* 1. apud Ludovisium, & ibidem Oliverius Beltramoinus *in annotat. n.* 7. *initio*, & *decis.* 15. *num.* 1. apud Buratum, & ibi Ferentillus *in annot. lib.* 1. *decis.* 707. *num.* 1. & ibidem Ferentillus *littera A, decis.* 749. *p.* 2. *recentiorum Farinacii*, & alibi sæpe, ut refert Ferentillus *in annotat. ad d. decis.* 15. His accedunt alii Doctores generaliter asserentes actori pauperi litiganti super bonis, quæ prætendit esse communia, vel ad se pertinere, habenti aliquam pro suo jure præsumptionem, esse ab adversario ministrandas litis expensas. Ita præter Aretinum *ubi supra*, Hostiensis *in tit. de accusationibus*, § 1. Speculator *tit. de inquisit.* §. *ult. vers. Porrò*, Alciat. *de præsumpt. reg.* 3. *præsumpt.* 9. *num.* 9. in specie etiam Surdus *d. q.* 109. Joan. Lupi *de illegit. com.* 2. §. 3. *num.* 73. Paschal. *d. num.* 84. & alii à Surdo *d. q.* 120. *n.* 1. relati, & esse communem Doctorum sententiam testatur Covarruvias *d. cap.* 6. *num* 6. illamque quoad litis expensas, tanquam veram approbat. Qui etiam statim addit, etiam quoad alimenta maximam habere æquitatem: quod Ulpianus *in d.* §. *de inofficioso*, tradidit non tantùm in filiis & nepotibus, sed in fratribus, aliisque successoribus, non solùm ex testamento non raso, nec cancellato, sed etiam ab intestato, quoties ex adverso non negatur bona illa, quæ petuntur, usque ad mortem fuisse à defuncto possessa, vel eorum dominium habuisse illum, donec mortem obierit, & præterea subsit non levis præsumptio pro jure agentis: & ibidem testatur se in Granatensi Prætorio vidisse ita observatum, & decreta fuisse alimenta actori, qui fratris intestati postulabat hæreditatem. Ita etiam plures in curia sui Parlamenti Gratianopolitani se vidisse fieri observari, & actori pauperi litiganti contra possessorem de sua hæreditate, vel omnibus bonis, non habenti unde litigaret, fuisse decreta alimenta & litis sumptus, quæ ab adversario ei præsentarentur, testatur Guido Papæ.

1213 Hanc sententiam probant præallegati Doctores tum per textum *in l.* 1. §. *sed etsi intertum, ff. de ventre in possess. mitt.* tum per textum *in l. finali*, §. *quod si ei*, ibi: *Ita ex iisdem, si aliqua facultas esse non poterit, tantùm litis sumptus, & alimonia hominis*, &c. *Cod. de ordin. cognit.* tum *ex d. l. si instituta, alleg.* §. *de inofficioso, ff. de inoffic. testam.* Ego hîc, omissis duobus aliis textibus, de quibus dubio sequenti, probo solùm ex dispositione Jurisconsulti *in d.* §. *de inofficioso*, de decernendis alimentis, sub quibus & litis expensæ comprehensæ fuerunt, juxta omnes interpretes, & cæteros Jurisperitos, filio seu nepoti exhæredato agenti ad hæreditatem contra hæredem scriptum; ibi enim Jurisconsultus non est motus ea ratione, quod descendentibus debeantur legitima, & hæreditas; fratri verò non ita debetur hæreditas fraterna, sicut filio hæredi as patris, aut quod filio debeatur paterna hæreditas, neque etiam ea ratione proximitatis, & vinculi sanguinis, charitatisque naturalis ex eodem vinculo sanguinis descendentis, sed ob inopiam nepotis conjunctam cum præsumptione justitiæ, seu boni juris, ne scilicet fame periret, & ob inopiam qua laborabat, cogeretur derelinquere, & amittere jus suum, ut Jurisconsulti communiter considerarunt & intelligunt, & ostenditur quia quod hæreditas patria sit magis debita filio quàm fraterna fratri, procedit inspecto naturali vinculo, non quia fortior sit actio quæ filio datur, quàm quæ fratri, quia inter actiones nihil magis est, vel minus, & tam fratri quàm filio ad hæreditatem delatam eadem competit actio petitionis hæreditatis, quorum bonorum, vel rei vindicationis, ut notavit Surdus *d. q.* 117. *num.* 1. Quare si ob illam rationem Jurisconsultus voluit debere provideri filio litiganti de alimentis, & litis expensis, ita etiam juxta eundem Jurisconsultum providendum est fratri, vel alii ab intestato, vel ex testamento succedenti. Item Jurisconsultus *in d.* §. *de inofficioso*, considerat solùm inopiam, & sententiam antea latam, ex qua resultabat præsumptio boni juris actoris; ob hasque causas dicit alimenta deberi, non verò propter rationem, seu obligationem, seu charitatem naturalem ex proximitate & ipso vinculo sanguinis descendentem, quia si ratio hæc naturalis sufficeret, non fuisset opus mentionem facere de sententia, cùm non minus alendus sit filius de jure ante sententiam, quàm post. Igitur cùm ratio, ex qua Jurisconsultus *in d.* §. *de inofficioso*, deduxit suam decisionem provisionis alimentorum, & expensarum litis, sit generalis, nempe paupertas, seu inopia actoris conjuncta cum præsumptione boni juris ejusdem actoris, ob quam alias ex impossibilitate litigandi jus illius deperiisset, quæ convenit cuique consanguineo, & etiam cuique litiganti pro hæreditate, vel bonis quæ prætendit ad se pertinere, qui sit inops, cujusque paupertati accedat præsumptio justitiæ, seu quod jus faveat, ad eum debet extendi dispositio dicti §. *si de inofficioso*, de provisione alimentorum, & expensarum litis, ne præ inopia cogatur jus suum deserere ob impossibilitatem litigandi. Nam lex extenditur ad limites rationis, *l. regula*, §. *fin.* ubi Bartolus, & Baldus, *ff. de juris, & facti ignorantia, l.* 2. §. *si mater ff. ad Trebell, l. nomen debitoris*, §. *fin. ff. de leg.* 3. & Doctores *num. præcedenti* allegati in hac specie. Quare ferè omnes præallegati Doctores, & præsertim Rota *præallegatis decisionibus, & decis.* 426. *&* 1090. apud Seraphinum, ut actori ad bona quæ prætendit ad se pertinere, debeant decerni alimenta & litis expensæ, solùm considerant paupertatem ejusdem, & præsumptionem boni juris; his enim duobus probatis, ita ut non sufficiat unum sine altero, sed ambo debeant concurrere, semper dixit Rota actori providendum de alimentis, & expensis litis: idemque dixere alii Doctores *num. præced.* allegati, saltem quando actor litigat de universa hæreditate, vel de ejus majori parte judicio universali, prout magis constat ex traditis dubio sequenti: etsi autem nonnulli ex Doctoribus *num. præced.* allegatis expressè loquantur de expensis litis, ut Hostiensis, Aretinus, Speculator, Alciatus & nonnulli alii, præsertim ex relatis à Surdo *d. quæst.* 120. *num.* 1. nihilominus intelligendi sunt etiam de alimentis, quæ sunt favorabiliora quàm litis expensæ, & sine quibus (cùm actor habens pro se præsumptionem justitiæ, seu boni juris ad bona quæ petit, illis etiam eget, aliunde non habens) non posset litigare, jusque suum prosequi, sed cogeretur ob alimentorum defectum desistere à prosequutione. Quare cùm iidem Doctores velint actori pauperi habenti pro se boni juris præ-

sumptionem

sumptionem debere provideri de eapensis litis, oe jus ejus depereat, ita ob eandem rationem sensere providendum illi de alimentis, sicut ob eandem rationem, licèt rextus *in d. §. de inofficioso*, expresè loquatur tantùm de alimentis, Doctores tamen communiter intelligunr etiam de litis expensis. Ex quibus infertur, dispositionem dicti *§. de inofficioso*, & doctrinam suprà traditam, habere locum in fratre paupete, qui ageret ad legitimam sibi debitam in bonis fratris, ob turpem parsonam ab eo institutam, juxta dispositionem legis *fratres, Cod. de inofficioso testamento*, & notarunt etiam Joan. Lupi d. *com.* a. §. 4. *n.* 69. *fine*, & Surdus *d. q.* 117. *num.* 3. cùm in hoc casu eadem omniò militet ratio, quæ in filio petente legitimam. Ea dictis quoque manet satisfactum fundamentis pro secunda sententia suprà *num.* 1011. adductis; nonnullis verò aliis fundamentis, quibus eadem sententia ab illius auctoribus confirmarur, satisfit dubio sequenti. Igitur pro majori confirmatione hujus tertiæ conclusionis, & eorum, quæ in ejus explicatione tradita sunt, sit

§. VI.

An lite pendente, cuicumque litiganti pauperi agenti ad bona, quæ prætendit ad se pertinere, & ea nunquam possedit, habenti præsumptionem boni juris, subministrari debeant alimenta, & litis expensa.

1014 DUbium quartum, utrùm cuicumque pauperi litiganti, agenti etiam ad bona quæ nunquam possedit, habenti pro se præsumptionem boni juris ad bona quæ petit, debeant pendente lite ab adversario bona possidente, si dives sit, subministrari alimenta, & litis somptus.

Negant Boërius loco suprà *num.* 1011. citato, & *decis.* 303 *n* 4. Corduba à Lara *in l si quis à liberis*, *§. si vel parens*, *n.* 49. & 50. *ff. de agnosc. liber.* Menochius *de arbitrariis, casu* 169. *n.* 18. ubi etiam quoad eapensas litis addit, dato quod vera esset opposita sententia, quæ infrà approbatur, non fore litis impensas præstandas arbitrio judieis, sed ut in dies fiant: de qua re infrà *n.* 1059. & 1060. Valascus *d. consult.* 1. *num.* 6. & 9. & Merenda *contr. juris lib.* 5. *allegato cap.* 28. allegatur etiam pro hac sententia Covarruvias *practicar. cap.* 6. *num.* 5. qui tamen in fine contrariam sententiam affirmativam amplectitur, & servandam fore ait, cogendumqoe reum divitem dare actori pauperi litis eapensas, ubi perpenso statu litis, & causæ, constaret aliqua non levis præsumptio pro jure actoris pauperis. Idem autem Covarruvias *d. num.* 5. fatetur se nunquam vidisse in praxi servatum, & similiter Boërius, & Menochius testantur se non vidisse juxta eandem judicatum. Igitur

1015 Primò probatur hæc seotentia per textum *in l. imperatores, ff. de tutela, & rationibus distrahendis*, ubi Ulpianus refert, quod Imperatores Severus, & Antoninus rescripserunt, non habere rationem litigantem, qui in sumptum litis pecuniam sibi ministrari à reo postulabat. Verba Ulpiani sunt: *Cùm hoc ipsum quæreretur, an aliquid sibi à tutoribus, vel curatoribus debeatur, non habet rationem postulatio tua volentis in sumptum litis ab his sibi pecuniam ministrari.* Ex quo textu Baldus & alii aliam constituerunt regulam, quod reus etiam dives non tenetur alimenta ac litis sumptus exhibere actori, licèt egeno; & sic per eum textum paupertatem actoris extra casum expressam *in d. l. si instituta*, *§. de inofficioso*, *ff. de inofficioso*, non sufficere ut cogatur reus actori pauperi agenti ad bona, quæ non possedit, quibusque non fuit spoliatos, præstare alimenta, & litis sumptus, concludunt præfati Doctores.

Secundò probatur, eo quòd opposita sententia affirmativa, nec civili, nec naturali ratione juvetur; nam lex ultima, *§. quod si ei, C. de ordine cognit.* ubi ei qui existebat in quasi possessione libertatis, agenti contra dominum qui volebat illum in servitutem vindicare, & ei bona abstulerat, & non habenti alias facultates decernuntur alimenta, & litis sumptus, ibi: *Tantum litis sumptus & alimonia homini subministretur, quantum moderato judicis arbitrio fuerit æstimatum*; quæ pro sententia affirmativa allegatur, non juvat eandem sententiam affirmativam, quia (inquiunt Valascus, Corduba, & Menochius post Covarruviam *d. n.* 5. & alios ab eodem Covarruvia, Cordoba, & Valasco relatos) loquitur in casu speciali, in quo is qui erat in quasi possessione libertatis, vindicabatur à domino in servitutem, qui ab eo bona abstulerat; & cùm non posset domino fidejussorem (si lite pendente ab eo acciperet) dare de bonis sibi restituendis, si servus judicaretur, jubentur bona sequestrari, & ex illis alimenta & litis expensas pendente lite exhiberi. Quare textus loquitur in actore spoliato bonis suis, & sic constat in casu dicti textus dari expensas litis, & alimenta litigatori pauperi, ex bonis quæ ei ablata fuerant, & quæ præsumebantur ipsius esse propria, quæ ipse item possidebat, quibusque auctoritate privata fuerat spoliatus; secus autem in actore paupere petente bona, quæ nunquam possedit, & in quo militant ea quæ proponuntur *in d. l. fin.* 1016

Textum etiam *in d. l. si instituta, §. de inofficiose, ff. de inoffic. testam.* non fulcire eandem sententiam affirmativam, probant Valascus, & Merenda per tradita suprà *n.* 1012. 1017

Eandem sententiam affirmativam etiam nullum habere fundamentum *in l.* 1. *§. sed etsi incertum ff. de ventre in possess. mit.* quæ est ad eandem allegata, ubi dicitur, *melius esse dispendia inutilia facere, quàm denegare alimenta ei* (unde fame pereat) *qui aliquo casu futurus est bonorum dominus*, conatur probare Merenda *d. cap.* 28. quia illud dictum, inquit, accipiendum non est de eo qui litem, de cujus eventu dubitatur, super dominio bonorum aliquorum movit, sed de eo, quod certum est, aliquo casu adveniente dominum bonorum futurum esse; cùm textus ibi tractet de posthumo præterito, qui aliquo casu futurus esset suus hæres; eo enim casu adveniente, absque controversia dominus bonorum futurus erat posthumus, eo quòd tunc temporis clari juris erat, testamentum ob præteritionem sui hæredis penitus petire, *l.* 1. *ff. de lib. & posth. & Instit. de exhered. lib. in princ.* Quare, subdit Merenda, ex eo textu non potest argumentum colligi præsentis quæstionis ad concludendam affirmativam sententiam, cùm hîc agatur de controversia super hæreditate, vel aliis bonis mora, de cujus eventu dubitari potest, quando longè melior sit conditio ejus quem certum est aliquo casu futurum esse rei petitæ dominum, quàm sit ejus, de quo dubitari potest, an unquàm hujusmodi dominium habiturus sit. Addit ad majorem confirmationem diversitatis casus Merenda, quod alimenta quæ ventri dantur, modico tempore durant; ea verò quæ pendente lite decernuntur, diu durare possint. 1018

Quod verò etiam nulla adsit ratio naturalis probans sententiam huic negativæ oppositam, conatur ostendere ideo Merenda, quia si aliqua est, maximè illa, ne propter inopiam actor pauper non possit prosequi in judicio jus suum ob defectum sumptuum qui ad litigandum requiruntur: sed hanc rationem non juvare ostendit Merenda, quia pauperi aditus ad jus dicentem non præcluditur, sed tanta inopia eum ad judicium venire non sinit, vel cœptam litem prosequi, 1019

prosequi, nec justitia ostenditur: tum quia potest absque alterius, seu adversarii culpa incidisse in hujusmodi inopiam: tum quia etiam fortè incidit suâ culpâ. Quapropter ut justitia, æquitasque offendatur, cùm propter inopiam non potest quis iura sua experiri, necesse est (ut ait Merenda) ut culpa, vel dolo alicujus in hanc ipse inciderit jacturam. Ac proinde nisi constiterit dolo, vel culpa alterius actorem inopia laborare, non possumus affirmare, iniquum esse eum cogi præ inopia jura sua indiscussa relinquere; & cùm culpa suos teneat auctores, non permittitur eam allegare adversus illos, qui culpæ sunt expertes. Ex quibus idem Merenda concludit, nobis non licere affirmare, posse per judicem alimenta decerni actori pauperi super hæreditate quæstionem moventi, nisi possessoris, aut ejus cujus hæres culpâ inops factus fuerit, & pariter non licere etiam hoc admittere, nisi priùs de culpa per confessionem partis, aut per rem judicatam constiterit; nam actore plenè intentionem suam non probante, reus absolvitur, *l. qui accusare*, *Cod. de edendo.* Ea ergo ratio deducta ex inopia actoris, non est idonea, & sufficiens, ut indistinctè alimenta, & litis expensæ decernantur actori pauperi petenti in judicio hæreditatem, vel bona à se nunquam possessa, quæ dicit ad se pertinere.

1020 Extenditur hæc sententia negativa etiamsi cum paupertate actoris concurrat sententia in ejus favorem lata in prima instantia, à qua fuerit appellatum: nam etiam in hoc casu præsumptionem justitiæ in latæ favorem resultantem ex eadem sententia, non sufficere ut alimenta, & litis expensæ debeant decerni à reo appellante esse subministranda, scribunt Corduba *d. §. si vel parens*, *n.* 50. & Valascus *d. consult.* 1. *num.* 9. & probant, tum quia extra casum dictæ legis *instituta*, *§. de inofficioso*, *ff. de inoffic. testam.* non reperitur lex, quæ gravet ita reos, illosque cogat ut lata sententiâ litis expensas, aut alimenta contra se ministrent actoribus pauperibus, cùm id sit valde durum, ut *in l. nimis grave*, *C. de testibus*, *& l. fin. Cod. de edendo.* Non possumus autem sine lege ab aliis contrariis juris regulis recedere, *l. illam*, *Cod. de collectis*: tum quia præsumptio illa, quæ oritur ex sententia, tollitur, vel suspenditur pendente appellatione, sicut per eandem appellationem sententia tollitur, seu extinguitur, *l. fratri*, *§.* 1. *ff. de iis qui notantur infam. leg.* 1. *ff. ad Turpil.* vel saltem suspenditur, *cap. pastoralis*, *§. præterea*, *de offic. deleg.* & tradunt Doctores à Valasco, & Corduba *locis citat.* & à Covarruvia *pract. cap.* 23. *num.* 1. relati: & sic extincta, vel suspensa, & impedita non producit aliquem effectum, qui lege non exprimatur. Hæc illa præsumptio (subdit Valascus) ulteriùs se extendit quàm ad sequestrum, propter dilapidationem, ex *l. Imperatores*, *§. ult. ff. de appellat. & cap.* 1. *de sequestratione possessionum.* Quare idem Valascus monet, ut in simili casu actor pauper adeat Principem, qui tanquam viva lex potest uti præsumptionibus, quæ sibi sufficientes videbuntur; & pro habita informatione judicum, alimenta ac litis sumptus decernere, ut aliquando impetratum se vidisse testatur.

1021 Prædictis tamen non obstantibus, affirmandum est, cuicumque actori pauperi litiganti, & agenti etiam ad bona, quæ antea non possedit, habenti pro se præsumptionem boni juris non levem, ex fructibus bonorum petitorum decerni debere alimenta, & litis expensas, exhibenda ad adversario illa bona possidente, & divite. Ita Guido Papæ, Craveta, Pontanus, Aretinus, Felinus, Simon de Pretis, Speculator, Alciatus, Hostiensis, Cephalus, Bossius, Joseph. Lud. Borellus, Paschalis, Gratianus, Carena locis suprà *num.* 1012. allegatis, Covarruvias *practic. d. cap.* 6. *num.* 5. *fine*, Menochius *de præs. lib.* 2. *præs.* 67. *num.* 41. Asinius *d. §.* 32. *cap.* 2. *ampliat.* 30. Paschalis *de patr. pot. p.* 2. *d. cap.* 3. *num.* 85. Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 120. *n.* 7. *ad* 10. Joan. Baptista Lupi *de illegitim. part.* 2. *§.* 3. *num.* 75. Rota Romana in præallegatis decisionibus apud Verallum, Crescentium, Ludovisium, Buratium, *& decis.* 749. *p.* 2. *recent. Farinacii*, suprà *d. num.* 1012. adductis, *& decis.* 426. *&* 1090. apud Seraphinum, in quibus decisionibus, & in aliis sæpissimè, & semper resolvit, litiganti pauperi, unà cum paupertate habenti boni juris præsumptionem, deberi litis sumptus, & etiam alimenta, juxta contingentiam casuum ex bonis, super quibus lis mota est, dum collitigans sit dives, & non egeat fructibus illorum bonorum ad se sustentandum, & sustinendam litem: hanc eandem sententiam affirmativam sequuti sunt Oliverius Beltraminus in *annotatione ad d. decis.* 189. *Ludovisii*, *num.* 7. *initio*, & Ferentillus *in annot. ad dict. decis.* 15. *&* 307. *Buratti*, Fontanella *de pactis nupt. tom.* 2. *claus.* 6. *glossa* 2. *p.* 4. *num.* 73. Nevizanus *lib.* 6. *Sylvæ*, *num.* 32. & plures alii ab eodem Nevizano & aliis, præsertim Surdo, relati, & Glossa *in cap. ex parte*, *verbo Expensa*, *de accusationibus*: & ita videtur sentire etiam Corduba à Lara *d. §. si vel parens*, *num.* 42. licèt *num.* 49. dicat id non colligi *ex d. l. fin. Cod. de ordine cognitionum*, & pluries juxta hanc sententiam affirmativam fuisse judicatum testatur Guido Papæ loco suprà *num.* 1012. citato.

Probatur hæc sententia affirmativa ex traditis suprà, *num.* 1013. nempe ex textu *in d. l. si instituta*, *§. de inofficioso*, *ff. de inoffic. testam.* quo textu præcipuè innituntur præallegati Doctores, & præsertim Rota, quia ratio decisionis illius, quod nepoti exhæredato agenti ad hæreditatem paternam decerni deberent alimenta, & litis expensæ, nulla alia fuit quàm paupertas illius, & præsumptio boni juris, quæ stabat pro nepote: ob quam rationem voluit Jurisconsultus, in illa specie alimenta, & litis sumptus debere ab hærede scripto subministrari actori, ne aliquid de jure illius deperiret, cùm ob defectum expensarum, & alimentorum illi esset impossibile illud prosequi. Ex eadem ratione emanavit etiam decisio Imperatoris Constantini *d. l. fin. §. quod si ei*, *Cod. de ordine cognit.* non verò ex eo quod ab eo qui in servitutem vindicabatur, bona fuissent à domino ablata, fuerintve sequestrata: & decisio utrobique fuit fundata in maxima æquitate naturali, suadente non debere omninò destitui eum qui habet pro se præsumptionem, quod teneat bonum jus, dum petit aliqua, quæ ad se pertinere putat, nec habet unde se alat, & possit jus suum experiri, litemve sustinere; eo enim casu bona possunt dici quodammodo sua, saltem in spe probabili, ex illa præsumptione boni juris actoris pauperis ad dicta bona: & melius est aliquando facere impendia superflua, quàm denegare alimenta, & similiter litis sumptus ei qui aliquo casu, ut verificatur etiam in quocumque paupere, qui tenet bonum jus ad bona quæ petit, futurus est dominus, *d. l.* 1. *§. sed etsi incertum*, *ff. de vent. in poss. mitt.* Cùm igitur præfata ratio sit universalis, cuique litigatori pauperi, de quo constat eum habere præsumptionem non levem boni juris ad bona petita, convenit, illaque comprehendit, etiamsi bona illa antea nunquam possederit; quia eadem subest ratio quando bona non fuere ablata egenti, si constet de bono illius jure præsumptivè; & non refert, quod nunquam ea possederit, quia præsens status attenditur, non qui aliàs fuit. Ideò *in d. §. de inofficioso*, decernuntur alimenta, licèt non agatur de bonis ablatis: & *in cap. ex parte*, *de accusat.* Regulari accusanti Abbatem decernuntur expensæ litis ex bonis monasterii, non habito respectu an bona fuerint aliàs sua: & *d. l.* 1. *§. sed etsi incertum*, *ff. de vent. in possess. mitt.*

mitt. consideratur id quod contingere posset, ideò dicitur melius esse inutilia facere impendia, quàm alimenta illi negare qui aliquo casu futurus est dominus: ex quo textu potest confirmari hæc sententia affirmativa. Nec obstat illud Merendæ, quod ibi agatur de eo, qui aliquo casu adveniente, certò erat futurus suus hæres, in præsenti verò specie de eo, cujus litis eventus bonus est dubius; nam sufficit ut casus ille esset dubius, ut currat similitudo. Licèt ergo ibi casus ille esset incertus, nihilominus decernitur ei, qui in ventre erat, non esse deneganda alimenta ob præfatam rationem ibidem allatam: ita in præsenti specie actori pauperi habenti præsumptionem boni juris, non erant deneganda alimenta, cùm aliquo casu, scilicet succedente victoria contra adversarium, sit futurus dominus. Itaque etsi sola paupertas actoris non sufficiat ut ei decernantur alimenta & litis sumptus, ne alioqui sub prætextu paupertatis instituantur lites injustæ; nec etiam sola præsumptio boni juris ad eundem effectum sit sufficiens, ut præallegati Doctores omnes, & præsertim Rota, asserunt; tamen ubi illa duo sequuntur, paupertas, & præsumptio non levis boni juris, & simul concurrunt, cuique litiganti agenti ad bona quæ prætendit ad se pertinere, *de-d* cerni, & subministrari debent litis sumptus, & alimenta, ob præfatam rationem, ut omnes præallegati Doctores affirmant, & Rota Romana tenet, & semper illis duobus concurrentibus resolvit, & in praxi observavit: & quamvis plures ex præallegatis Doctoribus loquantur expressè tantum de subministrandis litis expensis, & aliqui expressè tantùm de alimentis; nihilominus eadem est ratio utriusque simul, scilicet expensarum litis, & alimentorum, quia nihil prodest actori habere unde litem sustineat, si non habeat unde se alat, & è contra: & textus *in d. l. fin. §. quod si ei, Cod de ordine cognitionum, & in d. §. de inofficioso, & in d. l. 1. §. sed etsi incertum*, ex quibus deducunt hanc affirmativam universalem, non solùm de sumptibus litis, sed etiam de alimentis loquuntur. Quare prædictæ affirmativæ non obstat regula illa dictæ legis *Imperatores ff de tutela, & ration distrah.* ea enim intelligitur quando adest sola paupertas litigatoris, vel sola præsumptio boni juris: secus quando actor est pauper, & habet non levem præsumptionem boni juris; tunc enim ab ea regula receditur, ut sæpiùs dixit Rota Romana, & notarunt cæteri Doctores præallegati, & alii apud eosdem: & Cephalus *d. cons.* 127. *fine*, expressè respondit textum *in d. l. Imperatores*, non obstare huic affirmativæ, cùm non loquatur de actore inope, nec in eventum quo præsumptio sit pro actore; sed imò in casu, in quo præsumptio erat contra actorem ipsum, cùm tutores rectè præsumantur administrasse, juxta legem *meritò, ff. pro socio*, cum similibus. Non etiam obstant adducta pro negativa sententia suprà *n.* 1016. 1017. *&* 1018. quibus in præcedentibus, & hoc numero jam satisfactum est. Non item obstant tradita suprà *n.* 1019. ex Merenda; nam ut dixi, ut decernantur alimenta actori pauperi habenti pro se non levem præsumptionem boni juris, consideratur, & attenditur status præsens; ac proinde sive effectus sit pauper absque sua culpa, sive ex culpa alterius, sive propria culpa, saltem non ordinata ad id, ut movendo litem ab adversario haberet alimenta, & litis sumptus, illi succurrendum est, & providendum de alimentis, ne ob inopiam jus ejus depereat, ut probant tradita, & est de mente Doctorum, qui pro hac eadem affirmativa suprà allegati sunt, qui absolutè, & nulla facta distinctione, seu mentione, an actor pauper laboret paupertate absque sua culpa, vel culpa alterius, vel sui ipsius, solùm requirunt, ut cum paupertate concurrat præsumptio boni juris.

1023 Præfatam sententiam affirmativam, quamvis nonnulli ex præallegatis Doctoribus post Joannem Lupum *in cap. per vestras, §. 39. ampliat.* 18. *num.* 3. declarent procedere solùm quando actor pauper habens pro se præsumptionem boni juris ageret ad universitatem bonorum, totamve hæreditatem, aut majorem partem, non verò si ageret ad res particulares, certave bona, aut personali actione experiretur pro aliquo suo credito, seu ageret ad particularem pecuniæ quantitatem, ut ibi Surdus *d. quæst.* 140. *num.* 14. Steph. Gratian. *d. cap.* 55. *num.* 50. Joannes Baptista Lupi *de illegitimis, &c. d. §. 3. num.* 75. *fine*, Ferentillus *ad d. decis.* 15. *Buratti, num.* 8. & Farinacius *in repert. jud. quæst.* 52. *num.* 14. & videntur voluisse etiam Guido Papæ, Cephalus locis suprà *num.* 1012. relatis, cùm loquantur de actore paupere qui agat de universa hæreditate, omnibusve bonis, vel majori eorum parte.

1024 Nihilominus præfatam distinctionem expressè reprobant, asserentes etiam actori pauperi, pro quo stat præsumptio boni juris, decerni debere alimenta & litis expensas, non solùm si agat ad universitatem bonorum, sed etiam si agat ad res particulares, certaque bona, vel ad certam pecuniæ quantitatem. Rota *d. decis.* 749. *num.* 5. *p.* 2. *recentiorum Farinacii*, Oliverius Beltramio. *in annotat. ad allegatam decis.* 189. *Ludovitii, num.* 7. *initio*, Ferentillus *in annotat. ad d. decis.* 707. *Buratti, n.* 6. retractans quod dixerat *in annot. ad decis.* 15. Fontanella loco suprà *num.* 1021. citato, Carena *resolut. suprà num.* 1012. *allegata*, & Covarruvias, Borellus, Bossius locis suprà *num.* 1012. citatis, Asinius, Simon de Pretis, & Paschalis locis suprà *num.* 1021. relatis, quatenus absolutè asserunt, pauperi habenti præsumptionem boni juris, litiganti cum divite, decernenda esse alimenta, & litis expensas esse exhibēdas à divite. Ratio enim, seu causa, ob quam præstantur ista alimenta, & sumptus litis, non videtur consistere in eo, quod agatur magis ad unam rem, quàm ad aliam, sed ne is, de cujus boni juris præsumptione constat, cogatur ob impotentiam litem deserere, & abstinere à prosequendo suo jure, ut suprà probatum est, & tradunt Doctores *num.* 1012. *&* 1021. relati, & alii communiter: & confirmat Rota ex allegato capite *ex parte*, & capite *olim, de accusat.* ubi dantur alimenta ei qui sine dubio non agit ad universitatem bonorum. Addit Rota *d. num.* 5. Lupum qui pro altera sententia allegatur *d. §.* 39. non distinguere an agatur ad universa, vel ad particularia bona; sed an adsit, vel non adsit præsumptio boni juris, quod ait parere *ex allegato num.* 3. ubi sæpè inculcat præsumptionem boni juris. Textus etiam *in d. l. si instituta, §. de inofficioso*, etsi ponit casum, in quo agebatur de universitate bonorum, non tamen, ut notat eadem Rota, loquitur limitatè, nec pro ratione decisionis considerat hanc circunstantiam, quod ageretur ad universitatem bonorum, sed tantùm inopiam actoris, ibi: *Placuit propter inopiam pupilli*; quam etiam inopiam ponderat Constantinus *in d. l. fin. Cod. de ordine cognitionum*, & S. Pontifex *in d. cap. ex parte, & cap. olim*, & juxta hanc sententiam Senatum Cathaloniæ semper consuevisse largiri alimenta, etiam his qui de rebus particularibus agunt, testatur Fontanella *d. num.* 73.

§. VII.

Ad effectum decernendi alimenta, & litis expensas, pendente lite, actori pauperi, qualis præsumptio boni juris requiratur & sufficiat; & an sententia talem præsumptionem faciat, licèt ab ea sit appellatum.

1025 IGitur ut cuicumque litigatori agenti tam ad universitatem bonorum, quàm ad rem particularem,

deree

decerni possint, & debeant alimenta, & litis expensæ ab adversario præstanda, hæc duo simul requiruntur, & sufficiunt juxta omnes Doctores suprà *n.969. 975. 1012. 1021. & num. præced.* relatos, scilicet præsumptio boni juris, & paupertas, seu inopia actoris, qui aliunde nec alimenta, nec litis sumptus habere possit; ubi enim actor, quicumque ille sit, foret dives, cessat æquitas propter quam decernuntur alimenta, & litis sumptus, & cessat ratio illa, ne ob inopiam deserat prosequutionem rerum suarum, & cedat juri, modico accepto; & inopia consideratur *in d. §. De inofficioso*, ibi: *Propter inopiam pupilli*; ita quod propter paupertatem, tanquam ob causam, facta est provisio, & sine ea facta non fuisset. Cessante autem causa impulsiva, cessat dispositio, ut post alios docet Surdus *tit. 1. p. 12. num. 32.* Nec obstat si dicatur, alimenta & litis sumptus in præsenti specie non dari ex sola miseratione, sed tanquam de bonis propriis illius, cui decernuntur, ac proinde videri præstanda etiam habenti aliunde. Nam respondetur, non dici verè decerni de suis bonis, sed de iis quæ aliquo casu possunt esse sua, ut latiùs explicat Surdus *d. q. 112. n. 33.* & post eum Steph. Gratianus *tom. 2. cap. 256. n. 31.*

1016 Porrò præsumptio boni juris debet esse non levis, ut tradunt Doctores, & Rota suprà *num. 971.* relati, Covarruvias *pract. citato cap. 6. num. 5. versic. Idem ipse profiteor*, Valascus *d. consult. 1. num. 12.* Fontanella *de pact. nupt. claus. 6. glossa 2. p. 4. num. 27.* Oliverius Beltraminus *addit. ad decis. 189. Ludovisii, n. 7. versic. Præsumptio boni juris*, & Merenda *controv. var. tom. 1. lib. 5. c. 30. n. 3. in fine.*

1017 Hujusmodi autem præsumptionem boni juris sufficientem ad decernendum alimenta, & litis expensas cuicunque pauperi litigatori, etiam agenti ad res particulares, resultare ex sententia in prima instantia obtenta, licèt fuerit ab ea appellatum, quidquid secus senserint Corduba & Valascus *locis suprà n. 1020. citatis*, tradunt Craveta *cons. 164. num. 1. fine*, Covarr. *d. cap. 6. versic. Secundùm*, Surdus *d. q. 120. num. 11. 12. & 13.* Pontanus *de alim. cap. 13. num. 7.* Farinac. *d. quæst. 52. num. 12.* Menochius *de præs. lib. 1. præs. 67. num. 41.* Oliverius Beltraminus *loco citato*, Ferentillus *in annot. ad decis. 707. Buratti, lit. B*, Joan. Bapt. Lupi *de illegitimis, com. 2. §. 3. num. 75. fine*, P. Barbosa *ad l. 1. par. 1. num. 58. paulò post initium, ff. solut. matrim.* Doctores suprà *num. 976.* relati, & præter alios Rota Romana *decis. 15. n. 4. & decis. 707. num. 3.* apud Burattum *decis. 554. n. 2.* apud Cavalerium *d. decis. 749. num. 2. p. 1. recent.* ubi etiam fuit dictum, non tolli præsumptionem boni juris ex secunda sententia revocatoria primæ, si prima fuit postea per tertiam sententiam confirmata: *& decis. 470. num. 5. p. 2. recent.* Et quod sententia, licèt per appellationem suspensa, faciat urgentem præsumptionem boni juris respectu litigatoris, in cujus favorem lata est, tradunt eadem Rota *decis. 250. n. 2. p. 1. recent.* & alii Doctores communiter, quos latè referunt Covarr. & Surdus *locis citatis*, id inferentes *ex ead. l. si instituta, §. de inofficioso, ff. de inofficioso testam.* & ex aliis juribus: & ratio ea assignatur, quod etsi appellatio suspendit sententiam, & impedit ne commodum sortiatur effectum, non tollit tamen in totum, neque suspendit omnes sententiæ effectus; & ideo sicut sententia quæ transivit in rem judicatam, habet pro se præsumptionem justitiæ, & rectitudinis processus, ut notant Covarruvias *d. versiculo Secundùm*, & aliis relatis Farinacius *in repertorio judic. quæst. 84. num. 9.* ita etiam non obstante appellatione, seu appellatione pendente, sententia habet quandam præsumptionem justitiæ, & rectitudinis, seu pro judice, quod rectè judicaverit, præsumitur. Ita Covarruv. Menochius *loco citato*, & plures alii quos refert Menochius *loco citato*, & Surdus eos sequens *d. q. 120. num. 11.* Quæ præsumptio aliquot operatur effectus, qui enumerantur *in Clem. unica de sequestrat. possessionis, & fructuum*, ubi præsertim quod operatur ut sequestrentur fructus. Quare si in aliis causis multùm operatur sententia, seu præsumptio boni juris, quæ ex ea resultat, non minùs operari debet in causa alimentorum, & expensarum litis in favorem litigatoris pauperis, pro quo lata est sententia. Unde etiam appellatio non suspendit exequutionem sententiæ alimentorum, juxta Doctores communiter, si is pro quo lata est, pauper sit, de qua re infrà.

Imò quamvis Merenda *d. c. 30. n. 1. & 3.* solùm in 1018
personis, quas natura nos alere jubet, agentibus pauperibus existimet non esse necesse præcisè latam esse sententiam pro actore, ut illi decernantur alimenta, etiam in prima instantia; quia, inquit, talis circumstantia accidere potest, ut charitas naturalis, quam in decernendis alimentis hujusmodi personis judex sequi debet, *l. si quis à liberis, §. utrum, ff. de agnosc. lib.* jubeat alimenta decerni actori pauperi in prima instantia, & antequam prima sententia lata fuerit; in aliis verò personis idem Merenda asserat vix posse accidere casum, in quo in prima instantia, & ante latam sententiam possint actori pauperi alimenta decerni, quia cùm ad id juxta omnes requiratur, ut magna adsit præsumptio boni juris actoris, necesse est, inquit, ut reo datum fuerit tempus jura sua deducendi, & probandi exceptiones, quas actori opponit; & antequam fuerit elapsum tempus probandi, non potest judex de bono jure actoris aliquid decernere; eo autem elapso, si judex putat bonum jus actorem fovere, debet sententiam ferre super causa principali. Ita Merenda.

Nihilominus non solùm actori pauperi, cui jure 1019
sanguinis debentur alimenta, sed etiam cuicunque litigatori pauperi agenti ad bona, quæ prætendit esse sua, etiam ante latam primam sententiam, & in prima instantia esse decernenda alimenta, & litis expensas, si judici in eadem prima instantia per summariam cognitionem constat de præsumptione boni juris ejusdem actoris non levi, simili ei quæ ex sententia resultat, tradunt communiter Doctores suprà allegati, Guido Papæ *d. decis. 561.* Craveta *d. cons. 164.* Cephal. *d. cons. 127. n. 11.* Hier. Gabr. *cons. 29. n. 19.* P. Barbosa, Fachin. Giurba, Farin. Paschalis locis suprà *n. 977.* relatis. Asinius *in praxi, §. 32. c. 2. ampliat. 29.* Steph. Grat. *discept. for. tom. 1. c. 55. n. 51.* & *tom. 2. c. 236. n. 49. & 50.* Fontanella *de pact. nupt. claus. 6. glossa 2. d. p. 4. n. 52. ad 56.* & alii communiter apud præallegatos: & ratio est, quia ubi in actore conveniunt urgens præsumptio boni juris, & inopia, ob quam defectu alimentorum, & sumptuum litis non posset prosequi jus suum, illudque omninò amitteret, non est major ratio concedendi alimenta, & litis expensas in causa appellationis, quàm in prima instantia, sed in utroque casu eadem omninò ratio, & æquitas militat, ut suprà *d. num. 977.* ostensum est, & etiam probatum id colligi *ex d. §. De inofficioso*, quod solet in contrarium allegari. Cùm igitur præfati Doctores asserunt litigatori cuicunque pauperi agenti ad bona, quæ prætendit esse sua, & ab alio possessa, concedenda esse alimenta, & litis expensas, etiam in prima instantia, constito quod habeat non levem præsumptionem boni juris, supponunt ante definitionem causæ principalis posse judici per summariam informationem constare de sufficienti præsumptione boni juris actoris pauperis.

Quapropter advertendum, ut alimenta, & litis 1020
expensæ debeant decerni litigatori pauperi agenti ad bona, quæ prætendit ad se pertinere, non requiri plenam probationem sui juris, prout requiritur ad ferendam

rendam sententiam in causa principali, sed sufficere qualemqualem probationem boni juris, seu probationem semiplenam, & præsumptionem per summariam cognitionem, seu per summarias informationes, ut tradunt Cephal. *d. consf.* 127.*n.*11. Steph. Gratian. locis *num. praced.* citatis, *& cap.* 562.*n.*22. Fontanella *d. p.*4. *n.*52. & Doctores suprà *n.*969. allegati, & meritò, quia diversæ debent esse, & efficaciores probationes, quæ concludunt pro causa principali, quàm quæ factæ sunt per alimentis, & litis sumptibus, ut probat Fontanella *d. p.*4. *n.*54. ubi enim agitur de alimentis præstandis seu decernendis, leviores requiri probationes, post Covarr. *de sponf. p.*2. *cap.*8. §.3. *n.*6. tradit Grat. *d. c.*562. *n.*28. & post eum Fontan. *d. n.*53. & pariter Seraph. *decis.*41. dixit Rotam in materia alimentorum decernendorum non multùm rigorosè, & per apices juris procedere, & ideo admissam fuisse ibi paupertatis probationem ad effectum decernendi alimenta, quæ aliàs admissa non foret. Et quod pro decernendis alimentis, & litis sumptibus sufficiat levior probatio boni juris, quàm pro causa principali definienda, ostenditur etiam ex ea quæstione, quam tractant (quæ alioqui frustrà tractaretur) Doctores, num succumbente postea actore in causa principali (quæ succumbentia non potest provenire nisi ex defectu probationis sui juris) teneatur succumbens quod pro alimentis, & litis sumptibus lite pendente recepit, restituere? De qua quæstione infrà; videntes enim Doctores fieri posse, quod quis obtineat in causa alimentorũ, & sumptuum litis, & deinde succumbat in causa principali, utpote quia probatio quæ facta fuit summariè pro alimentis, & ad ea propter alimentorum privilegia sufficere visa est, non sufficiat ad causam principalem, ideò quæstionem prædictam meritò potuerunt movere.

1031 Hinc ut decernantur alimenta, sufficere summariam cognitionem, etiam per unicum testem omni exceptione majorem, tradidere Covarr. uterque Molina, Menoch. Surdus, & alii suprà *n.* 969. allegati, Steph. Gratian. *d. c.*567. *n.*25. & Fontan. *d. n.*52. & item ad eundem effectum sufficere, ut judici constet de præsumptione boni juris ex lectura attestationum, quæ adhuc non sunt publicatæ, docuere post Alciatum *de præsumpt. præsumpt.*9.*n.*11. Cephal. Asinius, Sim. de Pretis, Surd. Farin. Steph. Grat. locis citatis suprà *d. n.*969. *fine*, Fontan. *d. q.*4.*n.*52. & alii à Farin. relati.

§. VIII.

Qualis paupertas actoris, ejusque probatio requiratur, & sufficiat, ut ei possint, & debeant decerni alimenta, & litis expensæ, lite pendente.

1032 POrrò sicut ad præfatum effectum, ut illi decernantur alimenta, & litis expensæ lite pendente, debet actor qui illa petit, probare præsumptionem boni juris pro se, ut suprà est ostensum: ita etiam ad eundem effectum debet probare paupertatem, & inopiam, ita quod ipsi, & non reo incumbit onus probandi, se non habere aliunde unde se alere, & litis expensas sustinere valeat, cùm ista paupertas sit fundamentum suæ intentionis ad obtinenda eadem alimenta, & litis sumptus. Ita præter Doctores hac parte suprà *n.*348. allegatos, Rota Rom. *decis.*48. *p.*2. *diversor. decis.*426. *apud Seraphinum*, *decis.*208. *n.*8. *apud Burattum*, & alibi sæpe, Oliv. Beltram. *in annot. ad decis.* 189. *Ludovisii*, *n.*7. *versic. Paupertas*, Barzius *decis.*69. *n.*21 *& seqq.* Ferentillus *in annot. ad decis.* 41. *Buratti*, *n.*10. *fine*, Farin. alios allegans *in repert. jud. q.*52.*n.*9. Valascus *consult.*1. *n.*1. *fine*, Corduba à Lara *in l. si quis a liberis*, §. *si vel parens*, *n.*46. *ff. de lib. agnosc.* Fontan. alios allegans *decis.*296. *n.*14. Merenda *controv. juris* *tom.*4. *lib.*12. *cap.*29. *n.*2. & Doctores universaliter asserentes, eum qui divitias, vel paupertatem ad propriæ intentionis comprobationem allegat, teneri eam qualitatem probare, sive sit actor, sive sit reus: quos Doctores latè eos sequentes referunt Covarruvias *var. lib.*2. *cap.*6. *num.*2. Menochius *de præsumpt. lib.*6. *præsumpt.*25. *num.*14. Corduba, Valascus *locis citatis*, & Rota *d. decis.*208. *num.* 7. *&* 8. apud Burattum: unusquisque enim tenetur suæ intentionis fundamentum probare, *l. Eum qui*, *de probationibus*, Doctores suprà, *d. num.* 288. relati, & cum aliis Rota *allegatis decisionibus*. Quare omninò reprobandus est Joannes Lupi *de illegitimis*, dum *comment.* 2. §. 3. *num.* 66. asserit, quod filius allegans se inopem, non tenetur hoc probare, sed patri, seu alteri conjuncto incumbit onus probandi filium habere unde se alere valeat. Advertit autem Carena *resolut.* 21. *num.* 9. quod non esset necesse probare in processu inopiam quando notoria est, eo quòd notoria probatione non egeant. Surdus *cons.* 371. *num.*45. *&* 46. ubi etiam addit quod super notoria potest judex se informare extrajudicialiter: quod & post alios tradit Gratianus *tom.* 3. *cap.* 422. *numero* 8.

Dixi, *Onus probandi, se non habere aliunde unde se alere, & litis expensas sustinere valeat.* Non enim sufficeret, quod in genere paupertas probaretur, sed in specie probanda est paupertas talis, ob quam actor se, & litem sustentare non possit. Ita Rota Romana *d. decis.*426. apud Seraphin. & *d. decis.*208. *num.* 7. *&* 8. apud Burattum, Oliverius Beltraminus *in annot. ad d. decis.* 189. *n.* 7. *versic. Paupertas*, Ferentillus *in annot. ad d. decisionem* 41. *Buratti*, *n.*10. & Merenda *loco suprà citato*. Nam etsi quis pauper dicatur, necne, juxta communem opinionem relinquatur arbitrio judicis, qui attenta personarum, & circumstantiarum qualitate judicet divitem, vel pauperem: de qua communi opinione agunt Doctores allegantes Covarruviam *var. lib.* 2. *citato cap.* 6. *num.* 8. Menochius *de arbitrariis*, *casu* 65. *num.*7. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.*16. *num.*46. *fine*, Surdus *tit.* 7. *quæst.*9. *num.*10. *& tit.* 9. *quæst.*37. Rota *decis.*48. *num.*1. *par.* 1. *diversorum*, & Ferentillus *in annot. ad decis.*55. *Buratti*, *num.* 9. Nihilominus Rota *d. decis.*48. *num.*2. ait, id intelligi ubi agitur de paupertate simpliciter & absolutè, secus autem quando paupertas est probanda respectu certi, & determinati effectus; tunc enim probari debet in specie respectu illius effectus, ut si probanda sit respectu alicujus debiti solvendi, prout in casu *d. decis.*48. probari debet, quod debitoris facultates pro solutione illius debiti non sufficiant: Rota aliis allegatis *d. decis.* 48. *n.*3. *&* 4. *par.*2. *diversorum*, *d. decis.*208. *n.*7. *&* 8. *& in Cordubensi Capellaniæ*, 8. *Novembris* 1610. *coram Ortembergo*, relata ab Oliverio Beltramino *in annot. ad decis.*189. *Ludovisii*, *num.*7. *d. versic. Paupertas*, in Viterbiensi transactionis, 20. *Feb.* 1615. *coram Verospio*, & in Sarnensi Præposituræ, 20. *Maii* 1612. *coram Remboldo*, relatis à Ferentillo *in annotat. ad decis.*41. *Buratti*, *n.*10. & iidem Oliverius & Ferentillus *locis citatis*, ac Stephanus Gratianus *tom.*5. *cap.*907. *n.*1. Quare cùm in casu Rotæ *d. decis.*48. non ageretur de paupertate debitoris simpliciter, & absolutè, sed specialiter respectu certi effectus, nempe respectu solutionis mille scutorum, dixit ibidem Rota, non habendam esse rationem nobilitatis, & conditionis ipsius debitoris, & consequenter non debuisse habere locum judicis arbitrium, sed probandum esse debitorem non habuisse tot in bonis, ut posset totum debitum solvere: & sic etiam in nostra specie, cùm sit probanda paupertas respectu litis sustentandæ, probanda erit talis paupertas, ob quam litigator habens pro se boni juris præsumptionem, non

non possit se alere, & litem sustinere. Hujusmodi enim paupertas respectu hujus effectus requiritur, ut alimenta, & litis expensæ debeant ei decerni: unde si haberet unde se & litem sustentare posset, in præsenti materia non censeretur pauper, licèt alioqui spectata ejus qualitate, & aliis circunstantiis attentis, posset dici pauper simpliciter, & absolutè. Ex quibus infertur, non sufficere quamcumque paupertatis probationem, & etiam quæ apta erit inducere urgentem præsumptionem, sed debere esse plenam & concludentem per necesse respectu illius effectus, scilicet esse talem paupertatem, ob quam actor se vel litem, vel utrumque non possit sustentare: id quod etiam in terminis notat Merenda loco citato, ex Surdo *decis.* 170. *num.* 6. *& seqq.* & probat ratio suprà *num.* 1032. adducta, scilicet quod quisque suæ intentionis fundamentum plenè probare debet. Quanquam Seraphinus *decis.* 41. *& suprà num.* 1030. notavi, dicat Rotam Romanam in hac materia alimentorum propter paupertatem decernendorum, non ita rigorosè, & per apices juris procedere, atque adeo fuisse ibi admissam paupertatis probationem ad effectum taxationis alimentorum, quæ alias admissa non fuisset: & Molina etiam *d. num.* 46. *fine*, dicit in hac materia paupertatis considerationem relinqui arbitrio judicantis, quem in hoc sequuntur Joannes Lupi *d. num.* 66. Fontanella *de pactis nuptialibus, clauf.* 6. *glossa* 2. *p.* 4. *num.* 25. Surdus *d.* 99. *num.* 10. *fine*, & plures alii à Fontanella relati, qui omnes fundantur in eo quod non possit circa paupertatem probandam tradi certa regula, quia quod in uno divitiarum nomen meretur, in alio paupertas, & inopia secundùm diversas eorum conditiones plerumque dicatur; & ideo id dijudicare prudentis judicis arbitrio committi debet. Quæ tamen ratio videtur concludere solùm quando agitur de paupertate probanda absolutè, & simpliciter, non respectu certi effectus.

§. IX.

Litigatore qui de suo non habet unde se alere, & litem sustentare possit, habet tamen aliquas personas, à quibus de jure ali debet, debet, vel suo labore absque decore alimenta sibi comparare potest, an in præsenti materia sit dicendus pauper.

1034 Utrum verò litigatori habenti præsumptionem boni juris, agenti contra patrem negantem eum esse suum filium, vel hæreditatem paternam, vel fratris, aut patrui, vel jus ad bona communia, vel ad alia bona ab adversario possessa, quæ prætendit ad se in totum pertinere, non habenti de suo unde se alere, & litis sumptus sustinere valeat, si habet patrem, matrem, vel filium, aut aliam personam divitem, à qua alioquin de jure alimenta ei petenti sint subministranda, & ea consequi possit, adhuc possit frui beneficio dictæ legis *si instituta*, §. *de inofficioso*, *ff. de inoff. testam.* sintque ei tanquam pauperi decernanda alimenta, pendente lite ab adversario subministranda, an verò in tali casu cesset paupertas, & dicendus sit dives, & consequenter non cogendus reus ab eo conventus ei alimenta administrare. Merenda *controv. juris tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 30. *n.* 4. absolutè, & unisaliter negat, tali litigatori ab adversario pendente lite debere alimenta subministrari, juxta dictum §. *de inofficioso.* Probat primò, quia in hoc casu cessat ratio illa, quod non subministratis ab adversario alimentis, periret jus suum, quod ob inopiam non posset prosequi; quia cùm in hoc casu actor habeat jus consequendi alimenta ab alia persona, quæ de jure illum tenetur alere, non cogitur litem deserere propter defectum alimentorum, seu ut alimenta sibi paret: quæ sola ratio in hac materia decernendorum litigatori alimentorum ab adversario præstandorum attenditur, & consideratur *in d.* §. *de inofficioso*, & à Doctoribus communiter, ut constat ex traditis suprà *n.* 975. 977. 1022 *&* 1024. Secundò quia obligatio providendi de alimentis litigatori pauperi, per collitigatorem divitem subministrandis, est extraordinaria, ac proinde ei locus esse non potest quousque suppetunt remedia ordinaria, *l. in causa* 17. *ff. de minoribus.* Non ergo providendum erit litigatori de alimentis ab adversario præstandis, quousque ei licebit ea consequi ab aliqua persona de jure obligata ad illam alendam. Demùm qui habet personas, à quibus alimenta vitæ sustentandæ necessaria, si velit, habere potest, non censetur pauper in præsenti materia, in qua paupertas consideratur quoad necessaria vitæ subsidia; & hanc sententiam tradidit priùs Hieron. Gabr. *conf.* 25. *n.* 15. *p.* 1.

Concordat Oliverius Beltraminus *in annotatione* 1035
ad d. decis. 189. *Ludovisii*, *num.* 7. *vers. Paupertas, fin.* ubi dicit quod si litigator haberet patrem divitem, vel ei non esset indecorum exercitio alicujus artificii, & propriis manibus laborare, & victum, ac litis expensas comparare, tunc cessaret paupertas quoad prædictam materiam: quod ait in terminis dixisse Rotam Romanam *decis.* 470. *num.* 15. *part.* 2. *recentiorum*, ubi uxori, quæ à marito ejusdem mariti culpâ diverterat, petenti separationem, & interim lite pendente alimenta, eadem Rota dixit maritum non teneri ad præstationem dictorum alimentorum, quòd non constaret de solutione dotis factæ marito; & quatenus dos fuisset soluta, non debere alimenta à marito præstari, quia habebat patrem divitem, scilicet industriosum, & artificem, qui tenebatur ad dicta alimenta ubi uxor esset pauper; & quia etiam eidem, ut filiæ artificis, non erat indecorum propriis manibus laborare.

At discrepant Craveta *d. conf.* 164. *num.* 2. *& seq.* 1036
& Cephalus *d. conf.* 127. *num.* 10. *&* 11. qui loquentes in casu mulieris nuptæ non habentis de suo unde se aleret, & litis sumptus sustineret, agentis ad hæreditatem patris & avi, pro qua stabat præsumptio boni juris, asserunt pendente lite alimenta, & litis sumptus debuisse illi provideri, præstanda ab adversario ex bonis ab eo possessis ad quæ egebat, licèt haberet filium & maritum divites, & esset sana, & posset suis laboribus sibi quærere alimenta absque dedecore; idem de muliere paupere cum præsumptione boni juris agente ad universam hæreditatem habente maritum & filios divites affirmat Stephanus Gratianus *tom.* 1. *cap.* 55. *num.* 52. & tenuisse etiam Joannem Castillo *lib.* 3. *controv. c.* 27. *num.* 15. *ad* 21. refert Merenda *d. cap.* 30. *num.* 4. dicens eum universaliter docere, litigatorem, qui de suo nil habet unde se, & litem sustentare possit, quamvis habeat personas, vel personam aliquam, à quibus, vel à qua de jure alimenta sint debita, & ea consequi possit, adhuc ex bonis petitis, & ab adversario possessis, illi providendum esse de alimentis & litis sumptibus, si constet de præsumptione boni juris ipsius ad illa bona, idque ob eam rationem, quod etiamsi habeat jus petendi alimenta à quibusdam personis, adhuc tamen censetur, & est pauper, & sic in eo habet locum dispositio dictæ legis *si instituta*, §. *de inofficioso*, *ff. de inoff. testam.* & generalis traditio Doctorum in præcedentibus explicata de provisione alimentorum & expensarum litis: cujus provisionis fundamentum, & ratio est paupertas, ob quam non subministratis ei ab adversario alimentis, & sumptibus litis, non posset se, & litem sustentare, sicque jus

ejus deperiret. Craveta etiam in sua specie eadem ratione, limitatè tamen, utitur; ait enim quod licèt mulier agens ad bona extradotalia, scilicet ad hæreditatem, quam ad se devolutam, ad seque pertinere prætendit cum urgenti præsumptione boni juris, alioqui de suo proprio non habens unde se alere possit, licèt habeat filios divites, vel maritum divitem, qui etiam habuerit illius dotem, per hoc mulier ipsa non dicitur dives, & utrumque latè probat Craveta, ostendens speciale esse in filio, quod dicatur dives quando habet patrem divitem, *l. in suis, ff. de lib. & posth.* propter naturalem affectionem patris erga filios, quibus propterea in vita thesaurizant. Non reperitur autem in jure, quod uxor dicatur dives propter maritum divitem, neque etiam quod mater dicatur dives propter filios divites, cùm bona descendentium non ita ascendentibus dicantur debita sicut è contra. Ita Craveta, cujus doctrinam approbant Cephalus, & Gratianus. Quare juxta eundem Cravetam, si filius ageret ad bona ab alio possessa, cum præsumptione boni juris ad se spectare, si haberet patrem, & avum divitem à quo posset alimenta consequi, diceretur dives etiam in præsenti materia; nec adversarius posset cogi illi subministrare alimenta lite pendente. Si etiam uxor negligente marito ageret ad bona dotalia contra tertium debitorem, quæ maritus tenetur exigere, tunc à marito divite uxori alimenta, & litis sumptus deberent subministrari, juxta eundem Cravetam *d. cons.* 164. *num.* 3. Non autem, ait idem Craveta, si uxor agat ad alia bona & jura, quæ maritus non tenetur recuperare, sicut etiam non potest invita uxore administrare.

1037 Quod verò etiamsi mulier agat ad hæreditatem, habens pro se præsumptionem boni juris, etiamsi esset sana, & posset absque dedecore suo labore se alere, & litis sumptus comparare; nihilominus & alimenta, & litis sumptus illi fore providenda ex bonis petitis, si alia bona non habeat, probat Cephalus *d. cons.* 127. *num.* 11. quia ex eo, inquit, quod sit sana, non propterea tenetur diurnis operis laborare pro alimentis, ac litis sumptibus, cùm ex bonis quæ sua prætendit, ea consequi debeat; siquidem in hoc proposito solùm quæritur, an sit pauper, non autem an sit, vel non sit sana, & sit, necne ei indecorum laborare. Ita præfati Doctores.

1038 Quid dicendum? Distinguendum inter alimenta, & præcisas litis expensas: & quoad alimenta, si litigator agens ad bona ab alio possessa careat bonis, & industria, unde ex se non possit se alere, & habeat parentes, vel alios ascendentes, aut descendentes, aut collaterales divites, ad quos de jure spectat onus illum alendi, juxta tradita in præcedentibus, in hac parte, & ab illis alimenta consequi possit; licèt etiam in hoc casu probabiliter dici posset pauper ad effectum, ut ex bonis quæ sua prætendit, alimenta ei decerni deberent, ob illam rationem, quod ad hunc effectum non quæratur an habeat aliàs à quibus consequi possit alimenta, sed an ipse ex se verè sit pauper, sicut verè est pauper, qui caret bonis propriis, & omni arte ad lucrandum accommodata: Nihilominus probabilius videtur, censeri divitem, & consequenter pendente lite non esse decernenda ei alimenta ex bonis ad quæ agit, & prætendit sua; cùm ea possit, si velit, habere ab alia persona de jure obligata ad illa sibi præstanda: alimenta enim litigatori ab adversario subministranda sunt tantùm in subsidium, & sic solùm quando aliunde non potest habere: & quod non possit quis dici pauper quando adsunt alii, ad quos pertinet onus alendi, tradidit Bartolus *in l. si quis a liberis, §. item rescriptum, ff. de agnosc. lib.* quem refert, & approbat Stephanus Gratianus *tom.* 3. *cap.* 552. *num.* 187. Dixi, *possit*, *si velit*, *&c.* nam si illi denegarentur à persona obligata, & sine litigio, & absque notabili difficultate, & longa temporis mora non posset consequi, tunc censeretur omninò pauper, & ne cogeretur jus suum ad bona petita deserere ob defectum alimentorum, & expensarum litis, decernenda essent ei alimenta, & litis expensæ ex bonis petitis, constito de præsumptione boni juris ipsius.

Quo verò ad litis expensas, citra omne dubium dicendum est, eas fore subministrandas pauperi litigatori ex bonis ad quæ agit, & prætendit esse sua, licèt habeat personam, quæ etiam pauperem de jure alere teneatur; non enim nomine alimentorum, quæ à personis ratione sanguinis, conjunctionis vel proximitatis, vel ex legato alteri debentur, & quæ à marito uxori, comprehenduntur expensæ processuum & litis necessariæ alimentario agenti ad aliquam hæreditatem, vel rem, quam suam, & ad se pertinere prætendit, ut rectè notat Craveta *d. cons.* 164. *num.* 6. & Doctores communiter; sed veniunt solùm ea quæ ad victum, vestitum, & habitationem, & ad alia suprà hæc parte, *cap.* 2. explicata spectant. 1039

Quo verò ad litigatorem agentem ad bona, quæ sua esse prætendit cum præsumptione boni juris judici nota, carentem bonis, & personis, ad quas de jure spectat illum alere, industriosum tamen, & qui absque dedecore artificio aliquo, vel operibus diurnis potest sibi providere de alimentis, & sumptibus litis, mihi etiam probabilius videtur in præsenti materia censeri divitem, & non ei ab adversario ex bonis prætensis & litigiosis debere subministrari alimenta, aut litis expensas, cùm etiam talis non possit prætendere alimenta à patre, vel avo, aut alia persona sanguine conjuncta divite, juxta tradita suprà hac parte, *cap.* 1. Et hoc idem tradidit etiam Hieronym. Gabriel *d. cons.* 25. *d. num.* 15. Quod si propter occupationem in lite prosequenda, non posset suo artificio, vel suis laboribus, seu operis comparare omnia necessaria ad se & litem sustentandam, tunc facienda ei esset conveniens provisio ex bonis ad quæ agit, ne ob defectum alimentorum vel expensarum litis cogeretur eam deserere. 1040

Quare juxta tradita, quando litigator agens ad bona, quæ sua esse prætendit cum præsumptione boni juris, tanquam pauper peteret alimenta ex bonis prætensis, & petitis sibi decerni, si haberet alios ad quos de jure spectaret onus alendi, vel ex artificio sine dedecore lucrari posset, priùs facienda esset summariè excussio, an ab aliis alioqui de iure obligatis eum alere, vel ex suo labore posset habere alimenta, quàm decernerentur alimenta ex bonis prætensis præstanda, ut in terminis tradit Hieronymus Gabriel *d. cons.* 25. *n.* 18. *p.* 1. 1041

Advertendum etiam in præsenti materia, & aliis similibus, non dici pauperem eum, qui habet actionem ad rem, seu ad consequendum illud, ex quo se potest alere, & litem sustinere, v. g. si habet debitores exigibiles, qui debeant illi quantum requiritur pro alimentis, & sumptibus litis. Ita in terminis Stephanus Gratianus *tom.* 1. *cap.* 132. *num.* 46. & Fontanella *d. clausula* 6. *glossa* 2. *p.* 4. *num.* 55. & colligitur etiam ex Hieronymo Gabriel *d. cons.* 25. *numero* 18. Probat Gratianus, quia inopia dicitur notissima, quando non solùm deficit substantia, sed etiam actio, & officium judicis, ut docet Bartolus loco suprà *num.* 1038. citato, ab eodem Gratiano relatus. Addo quod qui habet actionem ad rem, censetur habere rem ipsam, *l. qui actionem, ff. de reg. jur.* Quare necessaria erit priùs excussio, an debita exigibilia 1042

gibilia

gibilia, vel inexigibilia sint, ad effectum ut litigatori aliunde præter illos debitores non habenti unde se alere, & litem sustentare possit, decerni possint, & debeant ex bonis ad quæ agit cum præsumptione boni juris. Ita Hieron. Gabr. & Fontanella *locis citatis*.

§. X.

Defectus liquidationis non impedit executionem decreti de alimentis, & litis expensis subministrandis litigatori pauperi.

1043 ADvertendum etiam, quod ubi cognita præsumptione boni Juris, & paupertate actoris ad bona vel communia, vel ad legitimam, vel ad alia bona, quæ sint liquidanda, reus bonorum possessor fuerit condemnatus ad subministrandum alimenta, vel expensas litis, vel utraque, eidem actori lite pendente tenebitur reus ad ea, vel ea subministrandum, non obstante quod non sit facta liquidatio, quia pendente liquidatione debentur, ut latè probat Craveta *d. conf.* 164. *n.* 1. *&* 2. & post eum Surdus *tit.* 1. *q.* 11 1. *n.* 28. & etiam Steph. Gratian. *tom.* 1. *cap.* 55. *n.* 53. Cùm enim pendente lite liquidatio aliqua facta dici non possit, semper opponi posset defectus liquidationis, sic namque esset locus dispositioni dictæ legis *si instituta, ff. de inofficioso*, & doctrinæ communi in præcedentibus probatæ de facienda provisione alimentorum, & sumptuum litis actori pauperi habenti præsumptionem boni juris, ut inquit Craveta *d. n.* 1. Confirmat idem Craveta *n.* 2. quia defectus liquidationis obstat quando agitur de executione sententiæ super causa principali, quæ ante liquidationem nequit fieri, *l. Hæc autem*, §. 1. *ff. ex quibus cauf. in possess. eat.* cum aliis ab eodem Craveta allegatis: secus quando agitur de provisione alimentorum, in quæ satis est quod petens pauper habeat aliquam non levem præsumptionem pro se circa jus petitum.

§. XI.

Supervenientibus divitiis cessat provisio alimentorum, pendente lite.

1044 NOn etiam omittendum, quod si litigatori, cui ob inopiam decreta fuere alimenta, vel litis expensæ, divitiæ quibus se alere, & litem sustinere queat, superveniant, non currunt ultrà alimenta, vel litis expensæ lite pendente, ut notat Lancellotus *de attent. allegato cap.* 1. *limit.* 11. *n.* 32. Farinac. *in repert. jud. q.* 52. *n.* 10. & censuisse Rotam Romanam *in Romana status & alimentorum, coram Capiz.* 7. *Nov.* 1554. refert loco citato Lancellotus: cùm enim paupertas sit causa & ratio propter quam alimenta, & litis expensæ lite pendente decernuntur, ea cessante, cessat etiam provisio, ut suprà *n.* 1025. notatum est.

§. XII.

Actori pauperi non debentur alimenta, vel litis expensa, quando altera pars non est dives, sed eget.

CÆterùm, ut litiganti agenti ad universitatem bonorum, vel ad rem particularem, vel petenti alimenta à patre, vel ab alio, à quo sibi de jure deberi prætendit, alimenta, vel litis expensæ decernantur lite pendente, præter præsumptionem boni juris, & paupertatem, nonnulla alia requiruntur à judice consideranda.

Requiritur enim primò, quod alter collitigator sit dives, vel saltem non egeat, sed habeat unde se & suos sustentare possit, & etiam agenti contra se alimenta vel litis expensas possit subministrare; quare in decernendis, & taxandis hujusmodi alimentis & litis expensis, semper priùs deducenda sunt alimenta ejusdem collitigatoris qui tenetur alere, & ea omnia quæ sunt sibi necessaria ut & ipse possit litem sustinere. Ita in his terminis Rota Romana *decis.* 470. *num. ult. par.* 2. *recent.* Olivetius Beltraminus *in annot. ad decis.* 189. *Ludovisii*, *n.* 7. *initio*, & Ferentillus *in annot. ad decis.* 707. *Beratti*, *n.* 8. Et ratio generalis est, quia pauper non tenetur alere pauperem, & in universum qui alioqui alium alere de jure teneretur, ad alimenta præstanda non obligatur, quando non potest se, & alium alere, ut latè probavi suprà *hac parte*, *n.* 643. *& seqq.* & tradunt Doctores ibidem citati, Rota, Olivetius, & Ferentill. *loc. cit.* & Doctores communiter. 1045

Notat autem Ferentillus loco citato, quod paupertas ad hunc effectum se eximendi à præstatione alimentorum, probari debet ab allegante plenè, & concludenter, nec sufficiunt juris præsumptiones, & conjecturæ, cùm sit fundamentum exceptionis suæ: & testatur ita censuisse Rotam Romanam *in Ulysbonensi matrim.* 1. *Iulii* 1624. *coram Pirovano*, in qua fuit resolutum, teneri maritum ad præstandum uxori alimenta, licèt exciperet de sua paupertate, quam non aliter probaverat, nisi per juris præsumptionem, asserendo se filiumfamilias. Vide tradita suprà *num.* 647. 1046

§. XIII.

Actori pauperi alimenta, & litis sumptus debentur tantùm de bonis, ad quæ agitur, & pro modo fructuum rei super qua litigatur, & sic tantùm ubi agitur de re fructifera, vel alia pretio æstimabili.

PRæterea cùm actori pauperi alimenta, & litis 1047 expensæ decerni debeant tantùm ex bonis, seu ex fructibus bonorum ad quæ agitur, & non ex aliis, ut tradunt Petrus Augustinus Anguis. *conf.* 4. *num.* 1. *lib.* 3. Lancellotus *d. limit.* 11. *num.* 31. Simon de Pretis *de interp. ultim. vol. lib.* 5. *interpr.* 2. *dub.* 2. *num.* 29. Guido Papæ *quæst.* 561. Craveta *conf.* 164. Cephalus *conf.* 127. Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *quæst.* 111. *n.* 21. *& quæst.* 112. *num.* 23. Farinacius *in repert. judic. d. quæst.* 12. *num.* 8. Rota, & alii Doctores mox citandi, & cæteri communiter, & constat *ex l. fin.* §. *nam si tales*, ubi Baldus *num.* 4. Salicetus *num.* 2. *Cod. de ordine cognitionum*, requiritur ut reus bona petita possideat, ut iidem Doctores notant, & quod agatur de re fructifera, vel aliàs pretio æstimabili, ut decidit Rota Romana *d. decis.* 470. *num.* 6. Olivetius Beltraminus *loco suprà allegato*, & Ferentillus *in annot. ad d. decis.* 707. *Buratti*, *num.* 10. *&* 11. Quod constat ex tradita doctrina, scilicet quod alimenta, & litis expensæ actori pauperi non nisi ex fructibus rei in controversiam deductæ debeantur, ut probant præfati Doctores omnes, Rota *d. n.* 6. & alibi, ut refert Ferentillus *d. num.* 11. Quare in decernendis alimentis, & sumptibus litis datur regula, ut Judex perpendat fructus rei super qua litigatur, & solùm pro modo fructuum bonorum petitorum decernantur, & taxentur alimenta, & litis expensæ, Simon de Pretis *loc. cit.* Ferentill. *d. num.* 10. & alios allegans Rota *d.*

decis. 470. *n.* 6. ubi propterea in casu, de quo ibi, in quo litigium erat tantùm de separatione, quam petebat uxor, & sic de re, quæ non cadit sub existimatione, dicit satis dubium fuisse, an illi præstari debuissent alimenta, & litis sumptus à marito, licèt divite, & qui dotem recepisset. Resolvit autem Rota, maritum non esse cogendum ad prædicta alimenta, & litis expensas, præcipuè quia non constabat uxorem solvisse dotem marito.

1048 Ex quibus videtur rejicienda traditio Petri Rebuffi *tom.* 1. *tit. de sent. provis. art.* 1. *gl.* 2. *n.* 18. & P. Dueñas *reg.* 565. *ampliat.* 1. dicentium non sòlùm quando filius agit, sed etiam quando agitur contra ipsum, seu ipse convenitur super hæreditate, seu successione bonorum paternorum, alimenta esse præstanda, *ex d. l. si instituta, §. de inofficioso, ff. de inoffic. testam. & ex l.* 1. ubi Doctores, *Cod. de Carbon. edicto.* Hanc enim traditionem impugnant Menochius *de præsumption. lib.* 1. *præsumpt.* 35. *n.* 7. & Surdus *tit.* 1. *q.* 111. *n.* 1. tum quia jura *in d. §. de inofficioso*, & alibi loquuntur de filio actore: tum quia si filius convenitur, præsupponitur possidere bona, & sic cessat ratio inopiæ; & cùm adversarius non possideat, non potest cogi ad alimenta, juxta tradita *num. præcedenti.* Quare præfata traditio solùm potest procedere in illis casibus, in quibus lite pendente fructus dimittuntur sub sequestro; in his enim casibus dari debent filio pauperi alimenta de fructibus bonorum paternorum, ne fame pereat, ut latè probat Surdus *d. q.* 111. *n.* 21. & 22.

§. XIV.

Actori pauperi non debentur alimenta, & litis expensa si à parte adversa objiciatur statim aliquid excludens, vel eximens præsumptionem boni juris ejusdem actoris.

1049 TErtiò requiritur, ut à parte adversa nihil objiciatur quod excludat, vel notabiliter diminuat præsumptionem justitiæ, seu boni juris actoris. Ita Hieron. Gabriel *cons.* 25. *num.* 14. *vol.* 1. Surdus *tit.* 1. *q.* 113. *n.* 5. Molina, Menochius, Fontanella, Joan. Lupi, Paschalis *locis infrà citatis*, & alii pariter qui infrà citantur, & constat ex notatis suprà *num.* 971. ubi dictum est, quod si urgentiores præsumptiones sunt pro reo quàm pro actore, non sunt per judicem decernenda alimenta pendente lite.

Quare si filio petenti alimenta à patre, licèt etiam non negetur filius, objiciatur tamen quod est ingratus, non debentur alimenta, probata ingratitudine, juxta tradita suprà *num.* 648. & ita expressè Surdus *d. q.* 113. *n.* 5.

§. XV.

Filio, vel fratri, aut uxori agenti ad rescindendam renunciationem alimentorum, aut hæreditatis, vel cessionis bonorum à se factam, an lite pendente super rescissione sint decernenda alimenta, & litis expensa.

1050 HInc etiam si actore paupere petente alimenta, vel litis sumptus, per reum statim exhibeatur scriptura authentica omninò illius intentionem excludens, etiamsi illam actor impugnet, tunc cùm non adsit illa præsumptio boni juris, quæ requiritur, non dantur, seu decernuntur alimenta, aut litis expensæ, putà si ex ea scriptura authenticè appareat filium vendidisse, vel renunciasse, seu cessisse alicui hæreditatem paternam, vel per contractum renunciasse juri petendi alimenta, & petat contractum rescindi, pendente lite super valore, vel rescissione, non esse illi providendum de alimentis vel expensis litis, tradunt Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 45. Dueñas *reg.* 365. *limit.* 4. Menochius *de præsumpt. lib.* 1. *præsumpt.* 35. *num.* 27. Surdus *de alimentis, d. quæst.* 113. *n.* 2. & 3. Steph. Gratianus *tom.* 2. *cap.* 236. *num.* 42. Fontanella *decis.* 139. *num.* 12. & latiùs *de pactis nupt. claus.* 6. *gloss.* 2. *part.* 4. *num.* 30. *ad* 35. Joannes Lupi *de illegitimis, tom.* 2. §. 3. *num.* 65. Paschalis *de patria potestat. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 66. & præter plures alios à prætat. Doctoribus allegatos juxta hanc sententiam, Federicus Scotti, ut refert Fontanella *resp.* 20. *tom.* 1. *lib.* 5. consuluit adversus mulierem expugnantem cessionem multiplicis hæreditatis in fratrem tenuissima dote acceptа expositam, & interim lite pendente alimenta, & litis expensas præstolantem. Ita consuluit Botta *cons.* 64. *num.* 13. ubi tractatur de minore impugnante suam venditionem, & Joannes Gallus *in arresto, seu decisione Parlamenti Parisiensis*, *q.* 122. dicit ita fuisse per dictum Parlamentum judicatum contra uxorem, quæ cōsenserat venditioni bonorū mariti, cui fuerant denegata alimenta pendente lite super dictis bonis, eo quòd dictus consensus tollebat præsumptionem, quam pro se habere poterat. Hujus traditionis, seu sententiæ plures adducuntur rationes. Prima quod remittentibus jura non datur regressus, *l. quæritur, §. Si venditor, ff. de ædilit. edict.* & *cap. quàm periculosum,* 7. *quæst.* 1. Ita Joannes Gallus, Menochius, & Joan. Lupi *loc. cit.* Secunda, quia actio contra renunciantem stat in cognitione causæ, qua durante contractus in suo sensu permanet, donec per sententiam rescindatur. Ita post alios Gratianus *d. n.* 42. & Fontanella *d. parte* 4. *n.* 31. Tertia, quia præsumitur semper pro contractu, & sic quod renunciatio fuerit jure, & legitimè facta: ita Menochius *d. præsumpt.* 35. *n.* 29. Quarta, quia cùm pretium succedat loco rei, *l. Labeo, ff. de verb. signific.* qui jam habuit pretium quo vendidit, vel renunciavit hæreditatem, eoque utitur, videtur rem ipsam habere, *l. Quia, ff. de usufructu.* Ita Menochius.

Hæc tamen traditio, seu sententia declaratur ut 1051
non procedat quando pro filio, fratre, uxore, &c. petente contractum, vel conditionem, aut renunciationem rescindi, appareret præsumptio justitiæ, seu boni juris ad probandam rescissionem, putà si summariè, saltem semiplenè probaret in contractu, venditione, vel renunciatione intervenisse enormissimam læsionem ex parte sui, aut dolum, vel metum, aut aliam justam causam, ex qua rescinderet, præsumptio illa boni juris, quam habebat ad bona antequam eam renunciaret, multum valeret; tunc enim renuncianti agenti ad rescissionem, aliunde non habenti, dari, seu decerni deberent alimenta, & litis sumptus ex bonis petitis, non obstante renunciatione, cùm in hoc casu constet de præsumptione boni juris adversus contractum, venditionem, & renunciationem, & concurrat paupertas: & ita in terminis Ludovicus Molina *d. n.* 45. §. *Et in hoc casu*, Surdus *d. q.* 113. *num.* 5. *& duobus seqq.* Joan. Lupi *d. n.* 65. *versic. Quod tamen,* & Fontanella *d. part.* 4. *num.* 35. & 36. & juxta hanc declarationem Surdus *d. quæst.* 113. *num.* 7. refert judicasse Senatum Montisferrati, decernendo parti alimenta, & litis expensas pendente judicio rescissorio, quod fuerat intentatum contra quandam cessionem in favorem fratris factam, in qua frater actor asserebat se læsum ultra dimidiam, & etiam inductum dolo ad cedendum. Consulit Fontanella *num.* 36. ut actor faciliùs alimenta, & litis expensas consequatur, quod priùs quàm illa petantur, justificentur quantum fieri possit causæ quæ faciunt contra renunciationem; hoc enim facto, non poterunt, inquit, alimenta prædi-

cta

cta, & litis expensæ denegari: sed hoc est quod diximus, scilicet summariè, saltem semiplenè, probandas esse causas rescissionis, ut notavit etiam Surdus *d. q. 113. n. 5.*

§. XVI.

In Rebuspublicis, ubi sunt advocati, & procuratores pauperum de publico constituti, an pauperibus actoribus sint litis expensæ pendente lite ministrandæ, an verò negandæ, illique cogendi uti operis advocatorum, & procuratorum de publico constitutorum.

1052 QUæret hic quis, an ubi advocati, & procuratores pauperum publicis expensis constituti sunt, & gratis eisdem pauperibus patrocinari debent, prout in omni Republica benè instituta esse, seu constitui deberent, & de facto in omnibus Rebuspublicis orbis Christiani observatur, de quo Covarruvias *practicarum cap. 6. num. 4.* Guido Papæ *q. 561.* Joannes Lupi *de illegitimis, com. 2. §. 3. num. 76.* Paschalis *de patria potest. p. 2. cap. 3. num. 8.* & Borellus *in sum. decis. p. 2. tit. 39. num. 322.* ubi latè agunt de necessitate, seu obligatione constituendi, vel assignandi advocatos & procuratores, qui gratis pauperibus patrocinentur, & de obligatione advocatorum, & procuratorum, ac notariorum eisdem pauperibus patrocinandi; an tunc actori pauperi agenti ad bona, quæ prætendit esse sua cum præsumptione boni juris, decerni debeant litis expensæ ex bonis petitis, an verò denegari possint, cùm possint habere advocatos, & procuratores, qui gratis illis patrocinentur. Et Joannes Botta *cons. 64. num. 10.* relatus à Fontanella *de pact. nupt. claus. 6. gloss. 2. p. 4. num. 56.* dixit sibi videri, actori pauperi in his locis non esse expensas litis de bonis petitis subministrandas, cùm non sint necessariæ, attento quod habent advocatos, & procuratores, ac notarios auctoritate publica, & publicis expensis constitutos, quorum operis gratis uti possunt.

1053 At contrarium, & etiam in iisdem locis, in quibus pauperibus de publico constituti sunt advocati, & procuratores, actori pauperi habenti præsumptionem boni juris, decernendas esse litis expensas ex fructibus bonorum petitorum, & super quibus litigatur ministrandas, omninò asserendum, prout etiam asserunt Fontanella *d. p. 4. num. 57.* & Carena *d. resol. 21. num. 13.* & servatur in praxi, & in specie tradit idem Fontanella, dicens se nunquam vidisse judicatum juxta Bottæ sententiam in provincia Cataloniæ, ubi tamen similes advocati, & procuratores pauperum constituti sunt. Probatur hæc assertio primò, quia alioqui admissa opinione Bottæ, cessaret traditio generalis Doctorum in præcedentibus probata de subministrandis alimentis, & litis expensis cuicumque litigatori paupeti agenti ad universitatem bonorum, vel res particulares, cum præsumptione boni juris; cùm ferè ubique, ut dictum est, constituti sint procuratores, & advocati qui gratis patrocinentur pauperibus. Secundò, quia nec justum, nec rationi consonum est obligare pauperes in causis civilibus ad utendum solis operis advocatorum, & procuratorum de publico constitutorum. Tertiò, quia aliæ sunt litium expensæ præter solutionem advocatorum, & procuratorum. Quartò, quia præfati advocati, & procuratores de publico constituti, gratis operis pauperibus præstitis, non solent adhibere in causis illam diligentiam quâ utuntur qui mercede accepta causis patrocinantur. Demùm quia advocati, & procuratores pauperum de publico constituti, utplurimùm toti occupantur in causis pauperum criminalibus, in quibus tantùm serviunt gratis, non verò in civilibus.

§. XVII.

Fiscus tenetur adversario contra ipsum litiganti inopi præstare alimenta.

CÆterùm quæ hoc paragrapho in præcedentibus tradita sunt de alimentis, & litis sumptibus administrandis cuicumque litigatori inopi habenti præsumptionem boni juris ad bona ad quæ agitur, procedunt etiam in paupere litigante cum fisco; tenetur enim ei fiscus subministrare alimenta, & litis expensas pro modo fructuum bonorum, super quibus cum eodem fisco litigatur. Ita Boërius *decis. 303. num. 4.* Asinius *in praxi, §. 32. ampliat. 31.* Bossius *tit. de alimentis, in princ.* Surdus *de alim. tit. 1. q. 111. num. 28.* Paschalis *de patria potestate, p. 2. cap. 3. num. 87.* Farin. *in repert. jud. q. 52. n. 16.* & alii relati ab Asinio, idque probant jura, & rationes, quibus suprà probata est traditio, seu doctrina universalis de alimentis, & litis expensis ministrandis litigatori inopi habenti præsumptionem boni juris. Quare filio petenti legitimam, & uxori petenti dotem in bonis confiscatis, interim fiscus præstare debet alimenta: ita Bossius, & Surdus *locis citatis.* 1054

§. XVIII.

Præfata alimenta, & litis expensæ peti possunt in quacumque parte judicii, & tam si agatur possessorio, quàm si agatur petitorio, & præstari debent usque ad finem litis, & sententiam definitivam, & exequutionem in causa principali, non habita ratione alicujus causæ incidentis: & horum alimentorum provisio exequutioni mandanda, non obstante appellatione à decreto.

SCiendum etiam est, ubi litigator actor est pauper, & pro eo apparet præsumptio boni juris, alimenta, & idem de litis expensis, si aliunde actor non possit habere, in quacumque parte judicii peti posse. Ita loquentes in filio agente ad hæreditatem paternam ex causa inofficiosi, post Joannem Gallum *in decis. Parisiens. quæst. 128.* & Rebuffum *in tom. 1. tit. de sent. provisionali, in præfat. num. 25. & tit. 1. glossa 2. n. 14.* Dueñas *reg. 365. ampl. 10.* Surdus *tit. 1. d. q. 111. n. 23.* & Steph. Gratianus *tom. 2. cap. 236. n. 25.* eo quòd hæc non sit exceptio dilatoria, & quia semper gravatur filius, cui non fit provisio alimentorum; & ideo semper admittitur, juxta notata *in cap. Cùm dilectus, de fide instrum.* Quare peti possunt non solùm ante, sed etiam post litem contestatam ante sententiam diffinitivam, & conclusionem causæ, etiam in causa appellationis, ut notant iidem Doctores, & alios allegans Lud. Molina *de primog. lib. 2. cap. 16. num. 38.* & constat ex sæpiùs allegata lege *Si instituta, §. De inofficioso, ff. de inoffic. testam.* & ex traditis in præcedentibus, & Doctoribus allegatis pro traditione, & doctrina illa universali de alimentis, & sumptibus litis collitigatori actori subministrandis, concurrentibus paupertate, & præsumptione boni juris: & convincit ratio illa suprà adducta, ob quam actori inopi debent alimenta, & litis expensæ decerni, tam ante, quàm post primam sententiam, à qua fuerit appellatum, scilicet ne ob inopiam cogatur deserere jus 1055

suum, & multò magis peti poterunt, & subministranda erunt alimenta post latam sententiam diffinitivam, interim dum fit liquidatio; cùm major sit ratio alimenta dandi in executione, quàm ante sententiam. Ita Craveta, & Gratianus locis suprà *n.* 1043. citatis, Rebuffus *in allegata præfatione*, *n.* 28. *&* *in d. glossa* 2. *num.* 15. & alios allegans Surdus *d. quæst.* 111. *num.* 24. idem Gratianus *d. cap.* 236. *num.* 26. & Pontanus *de alim. cap.* 13. *num.* 7. Quare reprobandus est Ægidius Bellamera, dum *decis.* 169. sentit hæc litis alimenta non deberi post conclusionem in causa, provt eum reprobat Pontanus *loco citato.*

1056 Item alimenta, & litis expensæ peti, & subministrari debent duobus illis concurrentibus ex parte actoris, scilicet paupertate, & præsumptione boni juris, sivè agatur possessorio, sive petitorio; cùm in utroque casu eadem æquitas, & ratio, de qua in præcedentibus, procedat: ita Rebuffus *d. glossa* 2. *n.* 10. Pontanus *de alim. cap.* 13. *num.* 6. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *præsumpt.* 35. *n.* 6. Dueñas *d. reg.* 365. *ampliat.* 8. Surdus *d. q.* 111. *n.* 25. & Gratianus *d. cap.* 236. *n.* 27. addentes cum Rebuffo, majorem esse rationem dandi alimenta quando agitur petitorio, quàm ubi de sola possessione tractatur; quia major impensa requiritur, plenior probatio, & longior discussio.

1057 Præstari quoque debent alimenta præfata, & litis expensæ actori pauperi durante lite, usquequò per diffinitivam fuerit in causa principali agitatum, & usque ad executionem pronunciatum, ut post alios docet Lud. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 39. Pontanus *d. cap.* 13. *num.* 7. Menoch. *d. præsumpt.* 35. *num.* 34. Farinacius *in repert. jud. quæst.* 52. *num.* 17. & Rota apud Vetallum *decis.* 18. *lib.* 2. & Doctores communiter in præcedentibus allegati. Addunt Pontanus, Menochius, & Farinacius, non habendam esse rationem alicujus causæ incidentis nondum fortè completæ, quam aiunt non fore attendendam. Subdit etiam Pontanus *num.* 8. quod Rota Romana aliquando decrevit ista alimenta ad certum tempus, quod posteà fuit prorogatum.

1058 Eadem alimenta actori pauperi postquam Judex decrevit esse ab adversario præstanda, eorum provisio executioni est mandanda, non obstante appellatione ab eodem decreto, vel supplicatione, aut alia provocatione, quæ appellationi assimilatur, seu æquipollet, ut tradunt Doctores communiter, quos referunt, & sequuntur Surdus *tit.* 1. *quæst.* 120. *n.* 13. *&* *tit.* 8. *quæst.* 60. *num.* 13. & Fontanella *decis.* 296. *num.* 1. *&* 18. atque Calvinus *de æquitate*, *lib.* 1. *c.* 72. *num.* 12. 13. *&* 14. ob illam manifestam rationem, scilicet ne interim actor pauper fame pereat, de qua re latissimè Fontanella per totam illam decisionem, & ego infià *post num.* 1110. ubi etiam quando negotium alimentorum futurorum sit suspensivum negotii principalis, ita ut appellans non audiatur, nisi priùs solvat alimenta: de qua re Vetallus *decis.* 22. *lib.* 1. Surdus *tit.* 8. *privil.* 96. & Marescottus *var. lib.* 2. *cap.* 83. *num.* 8.

§. XIX.

In qua quantitate hæc alimenta, & litis expensæ debeant taxari, relinquitur prudentis Iudicis arbitrio, pro diversitate personarum, dubio litis eventu, & modo redditUum rei super qua litigatur.

QUænam autem, seu quanta quantitas pro præfatis alimentis, & litis sumptibus litigatori pauperi ad universitatem bonorum, vel res particulares agenti, præsumptione boni juris taxari, & decerni debeat, Mansuetius *in praxi, tit. de possessorio*, *num* 27. Boëtius *decis.* 324. *num.* 3. *&* 4. & Stylus Parlamenti *tit. de provis. ad fin.* ut refert Covarr. *practicarum c.* 6. *n.* 7. *versic. Solet*, voluerunt esse decernendam, & præstandam quartam partem fructuum bonorum, seu rerum super quibus litigatur. Menochius *de arbitr. casu* 169. *num.* 22. loquens de impensis litis, ait diviti non esse præstandas arbitrio Iudicis, sed uti in dies fiunt. 1059

1060 Communis tamen sententia est, hujusmodi taxationem alimentorum, & sumptuum litis relinqui arbitrio prudentis Judicis definiendam, consideratis qualitate personarum, futuro, seu dubio eventu litis valore, & fructibus rei in judicium deductæ: ita in hac specie Covarr. *d. num.* 7. Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 47. Menochius *de præsumpt. lib.* 1. *præsumpt.* 35. *n.* 35. Pontanus *de alim. c.* 83. *n.* 12. Ioan. Lupi *de illegitimis, com.* 2. §. 3. *n.* 76. *versic. Rursus*, Paschalis *de patria potestate*, *p.* 2. *c.* 3. *n.* 65. Borellus *in sum. decis. p.* 2. *tit.* 39. *n.* 32. Calvinus *de æquitate*, *lib.* 1. *cap.* 72. *n.* 19. *& seqq.* Fontanella *de pactis nupt. claus.* 6. *gl.* 2. *p.* 5. *n.* 65. *&* 66. Steph. Gratianus *tom.* 1. *c.* 55. *n.* 53. Ferentillus *in annot. ad decis.* 707. *Buratti*, Farinacius *in repert. judic. q.* 52. *num.* 18. & plures alii ab iisdem, præsertim à Joan. Lupi, Fontanella, & Ferentillo allegati, & Rota Romana, quæ etiam Rota *decis.* 749. *n.* 6. *p.* 2. *recent.* expressè dixit in taxatione horum alimentorum in primis habendum esse in consideratione valorem petitorum; faciunt etiam Doctores suprà *n.* 75. relati: & ratio est, quia neque in omnibus judiciis eædem litis expensæ fiunt, de singulisque non potest quid certum statui, & consequenter definitio relinquitur Iudicis arbitrio, juxta prædictas circunstantias, scilicet qualitatem personarum, dubium litis eventum, & valorem, ac fructus rei, super qua litigatur, & etiam secundùm facultates debentis alimenta, quando petuntur ab eis, à quibus petens jure sanguinis, aut conjunctionis, vel aliàs de jure alendus est, juxta latè tradita in præcedentibus, *cap.* 3. *ad* 7. *inclusivè*, ut constat ex traditis *à n.* 70. *ad* 76. Quare Surdus *d. q.* 23. *n.* 24. ex Rebuffo *d. gl.* 2. *n.* 3. advertit, quod si filius sit, qui provisionem alimentorum petit, & bona extent non solùm sub judice causæ, sed etiam in aliis locis, tunc fieri debet provisio habito respectu ad universum patrimonium, quanquam non totum eidem judici subjiciatur. Addit tamen idem Surdus ex eodem Rebuffo, quod Iudices ita exactè non procedunt. Ubi autem non constaret de quantitate, vel redditibus bonorum, quorum occupatione alimenta debentur, illa petenti decernenda erunt ad certam quantitatem Iudici benè visam, sine præjudicio utriusque partis, ut suprà *num.* 76. notatum est, & præter Rotam, & Marescottum locis *d. num.* 76. citatis, dixit etiam Pontanus *d. num.* 8. ubi etiam refert in hoc casu, quo non constat de quantitate bonorum petitorum, Rotam Romanam filio

litigan

litiganti interdum decrevisse alimenta ad summam quinquaginta ducatorum, interdum verò ad centum, cum facultate addendi, vel diminuendi juxta formam futuræ probationis reddituum. Ubi verò constat de rei petitæ valore, Fontanella *d.part.3.n.67.& tom.1.clauf.4. gloss.18.p.1.n.53.* dicit quod in Senatu Cataloniæ solet fieri communiter taxatio ad rationem solidi pro libra, habito respectu ad quantitatem petitam, in qua actor habet præsumptionem justitiæ: & Rota Romana *d. decis.749.n.6.* cùm ibi ageretur de censu scutorum quatuor millium ex prædio considerabilis valoris, taxavit alimenta actori danda in summa scutorum duodecim singulis mensibus, durante lite. Quod verò dicit Menochius de litis impensis præstandis, ut in dies fiunt, non sine maxima difficultate, & gravi incommodo practicari posse videtur.

1061 An, & quando alimenta, & litis expensæ habita sint restituenda, latè in sequentibus videbimus.

Utrum verò alimenta, & litis expensæ, quæ per Judicem fuerunt assignata, & præstita tempore pendentis litis actori egeno præsumptionem justitiæ pro se habenti, si contra ipsum actorem posteà pronuncietur sententia, seu ipse in lite succumbat, sint restituenda; & si victor existat, & in sui favorem feratur sententia, debeat eadem alimenta, & litis expensas de bonis petitis sibi lite pendente exhibita imputare in sortem principalem, aut compensare cum fructibus eorumdem bonorum, in quibus pars adversa fuerit condemnata ultra traditionem eorumdem bonorum petitorum, jam videamus.

§. XX.

Alimenta, & litis expensæ actori pauperi lite pendente præstita, si ipse obtineat victoriam, sunt imputanda, seu compensanda cum fructibus rei in judicium deductæ.

1062 QUoad hanc posteriorem difficultatem certum est, si fuerit victor, etiamsi obtineret sententiam cum condemnatione parti adversæ ad restituendos fructus perceptos, debere alimenta, & litis expensas, quæ, vel quas percepit tempore litis, imputare, seu compensare cum fructibus pro rata eorumdem alimentorum, & expensarum; quia non debet consequi alimenta, & omnes fructus, ne plus lucretur quàm si ab initio bona ipsa obtinuisset, & bis idem exigatur, quod bona fides non patitur, *l. bona fides, ff. de reg. jur.* Ita Valascus *consult.1. num.7. fine*, Surd. *de alimentis, tit. 1. q.124. fine*, Franeus *decis. 614. fine*, Marescottus *var. lib.2. c.83. n.26.* Merenda *controv. jur. tom. 1. lib. 5. c.29. n.2.* Joan. Lupi *de illegitimis, com.2. §.3. n. 77. versic. Et quoad rationem, fin.* Rota Romana *decis. 43. num. 1. 2. & 7.* apud Manticam, & Fontanella *de pact. nupt. p.1. clauf.4.gloss.18.p.3.n.89.* & ita in judiciis observari testatur Valascus; an verò debeant imputari in sortem principalem, super qua litigatur, & per sententiam diffinitivam alimentario adjudicatur, negant ex relatis Doctoribus Surdus *d. q.124. n. 4. & 8.* Valascus *d. n.7.* Marescottus *d. n.16.* Franeus *d.decis.614. n.1. & seqq.* & præter hos Rota Romana *decisionib. infrà n.1069. relatis*, Oliverius Beltraminus *in annot. ad decis. 189. Ludov. n.7. fine*, & idem sentiunt alii Doctores, qui infrà *d.n.1069.* referuntur, & alii à Surdo allegati, idque propter textus, & rationes de quibus *n.1070. & seqq.*

§. XXI.

Alimenta, & litis sumptus filiis, & aliis descendentibus, vel patri, & aliis ascendentibus pendente lite super filiatione, vel paternitate præstita non debent restitui, si is qui accepit, succumbat.

QUoad priorem difficultatem, quæ est magis controversa, si sermo sit de alimentis, & litis sumptibus filiis, & aliis descendentibus, aut patribus, & aliis ascendentibus à patre, vel ab alio ascendente, vel filio, aut alio descendente pendente lite super filiatione, vel paternitate exhibitis ob præsumptam, & probatam summariè filiationem, aut paternitatem, juxta latè tradita suprà *num.966. & 968.* conveniunt Doctores non debere restitui, licèt is qui illa accepit vincatur, & in lite succumbat. Ita post Glossam *in c. ult. verbo Alienis, Cod. de Carbon. edicto*, Covarruvias *practicarum cap.6.num.8.fine*, Ludovicus Molin. *de primog. lib.2. cap.16. num. 41.* Menochius *de præsumpt. lib.1. præsumpt.35. num. 36. & 37.* Corduba *in l. si quis à liberis, §. si vel parens, num. 34. initio, ff. de liberis agnoscendis*, Surdus *de alimentis, tit. 1. quæst.124. num.2.* Lancellotus *de attent. cap.4. limit. 11. num. 27.* Vincentius de Franchis *decis. 336. n. 5. & decis. 614.* Joannes Lopi *de illegitimis, com.2. §.3. num.77. initio*, Fontanella *de pactis nupt. p.1. clauf. 4. gloss. 18. p. 3. n.79.* Merenda *controv. jur. tom.1. lib.5. cap.29. num.3.* Calvinus *de æquitate, lib.2. cap.72. num. 28.* Valascus, Gratianus, Molfesius, Paschalis locis infrà allegatis, & plures alii à Surdo, Vincentio de Franchis, Joanne Lupi, & Fontanella relati. Probatur hæc sententia communis primò per textum *in l.1. §. interesse, ff. si mulier ventris nomine in possess. mittatur*, ubi si mulier ventris nomine missa est in possessionem, & deinde prægnans non reperitur, fructus, & alimenta ab ea non repetuntur, nisi per calumniam asseruerit se prægnantem. Hoc texto Glossa *dicto verbo Alienis*, ab aliis probata, probat quod si filius existens in quasi possessione filiationis, agens Carboniano edicto consequutus sit alimenta pendente lite, juxta dispositionem dictæ legis ultimæ, *Cod.d.Carbon.edicto*, non tenetur restituere, etiam quod succumbat. Secundò probatur à Glossa *d.verbo Alienis*, & ab aliis per textum *in l. si instituta, §. de inofficioso, ff. de inoffic. testam.* ubi filio, & nepoti existenti in quasi possessione filiationis, inopi agenti ad hæreditatem patris, aut avi, alimenta lite pendente decernuntur absoluté, nulla adducta obligatione illa restituendi, vel dandi cautionem restituendi in casu succumbentiæ. Ad idem adducit eadem Glossa legem *heres furiosi, §. sed & si quid, ff. de petitione hæreditatis.* Adducitur etiam ab aliis textus *in l. ult. Cod. de ordine cognit.* ubi servo existenti in quasi possessione libertatis, agenti contra dominum decernuntur alimenta & litis expensæ absoluté, & non imposita obligatione restituendi, vel dandi cautionem restituendi, si succubuerit. Facit optimè textus *in l. 1. §. sed etsi incertum, ff. de ventre in possess. mittendo*, ubi decernitur alimenta de bonis mariti præstanda ei, de quo dubitatur, an existat in utero uxoris; & affertur ratio, scilicet quod æquius est, vel frustra nonnunquam impendia fieri, quàm denegare aliquando alimenta ei qui dominus bonorum aliquo casu futurus est: ubi notandum illud verbum, *frustrà*, quod idem importare videtur, quod sine spe recuperationis, etiam postea constito, quod alimentario nullum jus competeret ad bona illa, ex quibus ob præsumptionem boni juris præcedentem alimenta fuerint præstita. Denique hæc communis probatur à Merenda, quia cùm quis præstat alimenta his personis, quibus

bus alioqui jure naturæ eadem alimenta debentur, persolvit debitum ei à natura injunctum. Quod ubi contingit, fieri (inquit) non potest, ut locus sit repetitioni, cùm non stent simul, quod quis debitum solvat, & quod habeat jus repetendi id quod tradidit, *l. frater à fratre, de condictione indebiti.* Quæ tamen ratio patitur difficultatem, scilicet quod non solvat absolutè, sed sub conditione, si debet, & tenetur solvere, juxta mox dicenda ex Molina, & consequenter constito postea, & etiam per diffinitivam sententiam pronunciato, quod non debebat, videtur esse locus petitioni, tanquam solverit indebitum. Igitur fundamentum hujus communis sententiæ est, quod jura ob illam præsumptionem justitiæ, quæ resultat ex quasi possessione filiationis, sive descendentiæ, aut paternitatis, seu ascendentiæ, voluerunt filio, vel nepoti inopi, & similiter patri, & avo inopi pendente lite super filiatione, vel paternitate, vel super hæreditate, præstanda esse alimenta à patre divite filio, & à filio divite patri, & à possessore bonorum hæreditatis ad quam agitur; quod statuere jura, ut puto, ob commune bonum, ne si alimenta accepta in casu succumbentiæ forent restituenda, non obstante illa urgenti præsumptione boni juris ob timorem restitutionis, vel difficultatem præstandi cautionem de restituendo, desisterent à prosequutione sui juris, sæpéque privarentur rebus ad ipsos spectantibus, & nonnumquam fame perirent, aut miserrimam vitam ducerent.

1064 Contra hanc communem tamen sentit Molina *de justitia, tom. 3. disputat. 616. num. 15. versic. Utrum autem is*, ubi dicit quod etsi quando is qui petit alimenta quæ ei negantur, est in possessione illa percipiendi ab eo à quo petit, juxta tradita suprà *n. 965.* non teneatur præstare cautionem de illis restituendis, si in causa succubuerit; asserit tamen filios, & alios descendentes, & ascendentes, reliquosque omnes non existentes in quasi possessione percipiendi alimenta ab eo à quo petunt, licèt sint in quasi possessione quod sint filius, aut descendens, vel ascendens, aut frater ejus, à quo petunt, teneri præstare cautionem saltem juratoriam, quod alimenta lite pendente percepta restituant quando commodè potuerint, si succubuerit, & data succumbentia obligari in foro conscientiæ illa restituere. Probat, quia vel dolosè illa alimenta petiverunt; & acceperunt, scientes sibi non deberi; & tunc certum est in foro conscientiæ, & externo teneri illa restituere tanquam injustè formaliter, & materialiter accepta, & constat *ex d. l. 1. §. interesse, ff. si mulier ventris nomine, & l. 2. §. fin. ff. eod.* vel ea petiverunt, & acceperunt cum præsumptione boni juris, & existimantes sibi deberi, & hoc casu post ortam controversiam, ea lege, & conditione (inquit Molina) illa accipere debent, ut si sibi non debeantur, ea quando commodè potuerint, restituant ei à quo materialiter injustè ea acceperunt, atque adeo cavere debent de illis restituendis in eo eventu, saltem juratoria cautione, si aliam non possint præstare; quia justitia non patitur, ut ille aliàs illa omninò indebita aliter præstare cogatur, quàm sub tali conditione, & cautione. Non obstare ait Molina textum *in d. l. 1. §. sed etsi incertum, ff. de ventre in possess. mitt.* tum quia ibi solùm decernitur præstanda alimenta existenti in utero uxoris, cujus creduntur esse bona mariti defuncti: quod non tollit, fore postea reddenda illi ad quem pertinebant, si non erant debita. Tum quia illud ibi fuit dispositum favore fœtus, quod poterat in commune bonum statui, non est tamen extendendum. Addit etiam non obstare legem ultimam, *Cod. de ordine cognit.* nam ibi ille qui existens in possessione suæ libertatis, percipit à domino alimenta, & litis expensas lite pendente super libertate, ideo non jubetur præstare cautionem in casu succumbentiæ, quia quidquid post succumbentiam servus acquisiverit, ad eundem dominum spectat, ac proinde impotens omninò est futurus ad eas impensas, & alimenta solvenda. Non verò sic res se habet in similibus alimentis, quæ hominibus liberis Judicis præcepto cogeretur quis præstare. Hæc Molina.

Contra quem est, quod jura non sub conditione 1065
illa restitutionis, sed absolutè in prædictis casibus, in quibus petens alimenta existit in quasi possessione, saltem summariè probata, quod sit filius, vel nepos, aut pronepos, vel pater, aut avus ejus à quo alimenta petit, vel habet urgentem præsumptionem boni juris ad hæreditatem patris, vel filii ab alio possessam, statuunt alimenta petenti pauperi fore lite pendente præstanda, ut dictum est, & tradunt præallegati Doctores, & alii unanimiter; idque ob bonum commune constituere, ut pariter notatum est: & cùm præstantur alimenta existente urgente præsumptione boni juris pro petente, videntur debita stante ejusdem petentis inopia, & sic non solvitur omninò indebitum. De intellectu verò duorum illorum textuum *in d. §. sed etsi incertum, & in d. l. ult.* infrà videbimus.

Sequitur Summarium Capitis XVII.

An in universum actor pauper, cui ob præsumptionem boni juris decernuntur, & exhibentur alimenta, & litis expensæ pendente lite, teneatur, & cogi possit illi restituere ubi succubuerit. Affirmativa n. 1066. & duobus sequentibus. Negativa n. 1069. & tribus sequentibus. Ratio hujus negativa, n. 1070. versic. Quintò.

Uxor defuncti, quæ ventris nomine fuit in possessione, constito postea quod non erat prægnans, non tenetur restituere alimenta quæ percepit, nisi dolosè dixerit se prægnantem, n. 1063. & n. 1070.

Uxor alimenta, quæ à viro percepit lite pendente super matrimonio, non restituit, si succubuerit, num. 1069. initio.

Qui habuit justam causam litigandi, succumbens in causa, neque in foro conscientiæ, neque in exteriori tenetur restituere adversario victori expensas in lite factas, n. 1070. fine.

Quæ sint justæ causæ litigandi à condemnatione expensarum excusantes, remissivè, ibid.

Emptor in redhibitoria restituit non solùm fructus, sed etiam quod venditor eidem solvit, ratione moræ in tradendo re, n. 1066. & 1071.

Ratio generalis ampliat dictum, n. 1070.

Factum legitimè non debet retractari, n. 1073.

Tempus motæ litis attenditur, ut cognoscatur, si erat præsumptio pro actore, & justa ac legitima alimentorum provisio, non quod postea sequitur, ibid.

Alimenta quæ decernuntur, & præstantur pendente lite, ut accipiens statim illa lucretur, requiritur, & sufficit, quod tempore taxationis adsint qualitates necessariæ ad illorum provisionem decernendam, ita quod postea non subjaceat restitutioni, si recipiens in causa succubuerit, ibid.

Quando actor dolosè, & sciens se bono jure destitutum accipit alimenta, & litis expensas, non solùm in foro conscientiæ tenetur ad restitutionem, sed constito de calumnia, etiam in foro exteriori, parte petente, cogi debet, n. 1069. & 1073.

Quando actori pauperi providetur de alimentis, & litis sumptibus pendente lite, an ipse teneatur, & cogi debeat præstare cautionem fidejussoriam de restituendo in casu succumbentiæ, saltem quatenus de jure tenebitur. Affirmativa, n. 1074. Negativa, n. 1075.

Quid

Quid si judex dubitet de calumnia, & fraude petentis alimenta, an saltem tunc judex possit, & debeat petentem cogere ad dandum cautionem fidejussoriam, vel juratoriam. Affirmativa, num. 1077. Negativa, num. 1078.

Quando cautio danda est, jura de hoc mentionem faciunt, n. 1075.

Paupertas solet excusare à satisdatione, seu cautione fidejussoria, n. 1076.

Quoties requiritur cautio, si quis non possit dare cautionem fidejussoriam, nec pignoratitiam, sufficit, & admittenda est juratoria, ibid.

Fori observantia, seu stylus valet, & teneri debet in loco ubi sit inductus: extra illum non extenditur, num. 1079.

Si per actorem pauperem, cui exhibita sunt alimenta lite pendente, data fuit fidejussio vel facta promissio restituendi in casu succumbentiæ, an tunc succumbens possit cogi ad restitutionem. Affirmativa, n. 1080. Negativa, n. 1081. Et quid quoad alimenta post sententiam recepta, n. 1082.

Cautio præstita, cùm non esset præstanda, potest condici, & præstans exceptione juvari, ut n. 1081.

Cautio si præstatur per creditores, quando veniat alius privilegiatus, agitur ex illa cautione, quasi illa sit habenda loco proprietatis, n. 1080.

Quando alimenta sunt debita, & petuntur jure actionis, an tunc in eorum provisione pro tempore pendentis litis sit præstanda cautio fidejussori de illis restituendis in casu succumbentiæ. Affirmativa, n. 1083. Negativa, ibid.

§. XXII.

An in universum actor pauper, cui ob præsumptionem boni juris decernuntur, & præstantur alimenta, & litis expensæ, ex bonis ad qua agit, teneatur, & cogi possit illa restituere in casu succumbentiæ.

CONtroversia ergo est de aliis personis, quibus jure naturæ alimenta non debentur: & generaliter in omnibus aliis causis, seu casibus, in quibus actori inopi, pro quo stat urgens præsumptio justitiæ, agenti ad universitatem bonorum, vel rem particularem, juxta explicata, & probata numeris præcedentibus hujus capitis, judex illi debet decernere alimenta, & litis expensas ab adversario præstanda lite durante, an si actor qui percipit hæc alimenta, & sumptus litis, in causa succumbat, debeat, & cogi possit illa restituere.

1066 Prima sententia affirmat debere, & cogi posse restituere. Ita Covarruvias *d. cap. 6. num. 7.* Molina *d. cap. 16. num. 41. versic. Aliis verò extraneis*, alter Molina *d. cap. 616. num. 15. citato versic. Idem autem*, Corduba *d. num. 54. fine*, Merenda *d. cap. 29. num. 4. & sequentibus, & tom. 4. lib. 22. cap. 29. num. 7.* Rota Romana *decis. 43. num. 3.* apud Manticam, & juxta hanc sententiam eadem Rota *decis. 176.* apud eundem Manticam in casu, de quo ibi, assignavit actori pauperi alimenta, & litis sumptus cum obligatione de restituendo in casu succumbentiæ. Et eandem sententiam videntur tenere Pontanus *de alimentis, cap. 13. num. 8.* dum an cautio de his alimentis, & litis sumptibus restituendis danda sit, se remittit ad tradita à Covarruvias *d. num. 7.* & etiam P. Barbosa *ad l. 1. p. 1. num. 60. ff. soluto matrimonio.* Probatur primò à Covarruvias per textum *in l. cùm autem, §. cùm redhibetur mancipium*, ibi: *Quod tardiùs hominem ei restituit, ff. de ædilit. edicto*, ubi habetur emptorem debere omnino restituere venditori, si is redhibitoria egerit, non tantùm fructus, sed & si quid à venditore consequutus est propter retardatam mancipii traditionem, seu consignationem. Secundò probatur ab eodem Covarruvia, & aliis, quia alioqui si in casu succumbentiæ non deberent hujusmodi alimenta, & litis sumptus ab actore paupere pendente lite præstita restitui, invitarentur pauperes ad temerè, & incautè agendum in judicio, ut interim dum litem prosequuntur, eaque finitur, obtinerent expensas litis, & alimenta, ad quæ restituenda scirent postmodùm se non teneri in casu succumbentiæ, etiam quod constaret ipsos per calumniam litigare. Tertiò probatur à Molina Theologo ratione adducta suprà *num. 1064. versic.* vel ea petiverunt. Quartò Surdus *d. quæst. 124. n. 5.* confirmat, quia hæc litis expensa, & alimenta præstita actori pauperi, qui posteà succubuit, data fuere in causam quæ erat falsa, scilicet tanquam habenti jus ad alimenta, vel ad bona quæ petebat; cùm tamen non haberet, ut constat ex sententia diffinitiva contra ipsum lata: datum autem ex causa, restituitur causa non sequuta, *toto tit. ff. de condict. sine causa*: & ubi causa devenit ad non causam, tunc repetitio conceditur, *l. si illo, ff. de condict. sine causa*, cum aliis à Surdo ibidem adductis. Et propter prædicta Covarruvias *loco citato, fin.* dicit hanc sententiam esse veriorem opposita, quam ait se nunquam vidisse admitti, sed imò quod quoties hæc alimenta, & litis sumptus jubetur reus dives actori pauperi exhibere, non aliter id decernitur quàm data idonea cautione de eis restituendis, ubi actor in causa succubuerit: & ita usu forensi receptum esse, ut sine tali cautione, & obligatione de restituendo in casu succumbentiæ eadem alimenta, & litis sumptus non decernantur, asserunt etiam Corduba, & uterque Molina *locis citatis.*

Ad textum *in l. 1. §. inter se, ff. si mulier ventris nomine*, respondent Covarruvias, & Merenda, ibi alimenta prægnanti concedi, non favore ipsius, sed ventris, seu fœtus, qui alioquin natus esset successurus in bonis, ex quibus alimenta præstantur; satius enim est, ali non alendum, quàm fame perire alendum, qui omninò bona, & alimenta habiturus foret, si verè in ventre lateret, & nasceretur. Unde textus non suffragatur ei, cui causâ ipsius alimenta ob paupertatem decernuntur, de quo est præsens controversia. Eadem responsio datur ad textum *in l. 1. §. sed etsi incertum, ff. de ventre in possess. mittendo*, scilicet ibi tanquam speciale decerni, ut in dubio an uxor vidua sit prægnans, alimenta præstentur prægnanti in favorem fœtus, qui alioqui, si verè est conceptus, & nascatur, habiturus est bona, ex quibus alimenta præstanda decernuntur. Ad textum *in l. ult. Cod. de ordine cognitionum*, datur responsio suprà *num. 1064.* ex Molina Theologo adducta. 1067

Ad rationem suprà *num. 1063. fin.* tactam, quod si actores pauperes in casu succumbentiæ deberent restituere litis expensas, & alimenta, quæ lite pendente acceperunt ab adversario, desisterent ob timorem restituendi à prosequutione sui juris, contra æquitatem quæ non patitur aliquem cogi propter inopiam jura sua indiscussa relinquere. Respondet Merenda satisfieri æquitati illi, dum alimenta, & litis expensæ decernuntur, & præstantur, licèt eum onere restitutionis, si succubuerit; nec timor ille restitutionis, ait, potest impedire actorem inopem jus suum prosequi: nam si de jure suo dubitat, iniquè petit ab adversario alimenta, stante obscuritate sui juris; nec alimenta ei decerni debent, nisi pro eo extet urgens præsumptio boni juris, quam si habeat, potest timorem depellere. 1068

Altera, & communis sententia asserit, hujusmodi alimenta, & litis expensas, quæ lite pendente actori litiganti ob inopiam junctam cum præsumptione boni juris subministrantur, non fore restituenda in casu succumbentiæ. Ita Mansuerius *in practica, tit.* 1069

de

de possessorio, *num.* 27. Boërius *decis.* 324. *num.* 3. Afflictus *decis.* 152. *num.* 4. ibidem Ursillus *in annotat. num.* 3. qui duo loquuntur in alimentis, & litis sumptibus à marito divite præstitis uxori pauperi agenti super matrimonio, quæ dicunt non posse repeti à marito, etiamsi uxor succubuerit; quod idem tradunt Surdus *d. quæst.* 124. *num.* 3. & Joannes Lupi *de illegitimis*, *com.* 8. §. 3. *num.* 77. *versic. per quæ jura*, Menuchius, Lancellottus, Vincentius de Franchis locis suprà *num.* 1063. relatis, Surdus *d. quæst.* 124. *num.* 4. *&* 8. Matescotus *var. lib.* 2. *cap.* 83. *num.* 26. Joannes Lupi *d. num.* 77. *versic dubium modò*, Oliverius Beltraminus *in annot. ad decis.* 189. *Ludovisii*, *num.* 7. *versic. Sciendum*, Molfesius *ad consuet. Neapol. tom.* 1. *part.* 5. *quæst.* 3. *num.* 17. *& tribus sequentib.* Valascus *consult.* 1. *num.* 7. Stephanus Gratianus *discept. for. tom.* 1. *cap.* 33. *num.* 30. *& tom.* 2. *cap.* 236. *num.* 34. *& sequentibus*, Fontanella *de pactis nupt. p.* 1. *claus.* 4. *glossa* 18 *p.* 3. *num.* 79. Augustinus Barbosa *collect. ad cap. olim*, *num.* 3. *de accusationibus*, Paschalia *de patria potestate*, *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 62. Milanensis *decis.* 17. *num.* 37. *lib.* 1. & Rota Romana *in Romana bonorum de Ceulis*, 14. *Novembr.* 1603. *coram Penia*, *& in Romana Salviani*, 17. *Maji* 1613. *coram Sacrato*, ut locis citatis testantur Oliverius, & Matescotus: in quibus decisionibus propterea dicitur, quod recipiens non tenetur cavere de restituendo in casu succumbentiæ: quod & reliqui Doctores pro hac sententia relati dicunt, & hujus sententiæ sunt etiam Gozadinus *cons.* 47. *num.* 10. ubi ex Baldo tradit, nullo in casu, sive ea ex officio Judicis, sive jure actionis petita decernantur, & præstentur, eum cui præstantur, cogi sat sdationem, seu cautionem de restituendo dare: & Romanus *singulari* 139. ubi dicit, si alimenta officio Judicis petantur, & præstentur, ut quando liberis decernuntur, cautionem de restituendo non esse necessariam, si verò jure actionis, esse necessariam cautionem: in terminis enim, de quibus est præsens controversia, alimenta, & litis sumptus actori pauperi habenti præsumptionem boni juris, officio Judicis decernuntur, non jure actionis, cùm non decernantur tanquam debita ex contractu, vel ultima voluntate.

1070 Probatur hæc sententia primò ex textu *in d. l. si instituta*, §. *de inofficioso*, *ff. de inofficioso testamento*, ubi filio, vel nepoti agenti ad hæreditatem paternam, alimenta subministrari ob inopiam, & boni juris præsumptionem jubetur, nec obligatur ad illa restituenda, vel ad dandam cautionem de restituendo in casu succumbentiæ, nec interpretes ibidem talem obligationem restituendi, vel cautionis de restituendo dandæ requisiere ad illum effectum præstationis alimentorum. Secundò probatur ex textu *in d. l.* 2. §. *interesse*, *ff. si mulier ventris nomine*, suprà *num.* 1063. adducto, ubi ea causa, de qua ibi, permittit uxorem jam defuncti absque calumnia asserentem se prægnantem, ali ex bonis mariti defuncti, nec cogit restituere, si postea appareat non fuisse prægnantem, seclusa calumnia; ac proinde ubicumque subsit causa eadem, idem jus esse debet. Neque *in d.* §. *interesse*, potest considerari (quidquid Covarruvias, & Merenda secus sentiant) specialitas, quare potiùs uxor prægnans non restituat alimenta, quàm quivis alius, qui inops sub præsumptionem boni juris ad bona in judicio petita accepit hujusmodi alimenta; nam ea ratio, quod intuitu ventris, seu fœtus in ventre latentis sint præstita, quia melius sit non alendum alere, quàm fame necare eum, qui aliquo casu futurus est dominus, non concernit non restitutionem alimentorum acceptorum, sed illorum provisionem; propter eam enim rationem movetur textus ad decernendum alimenta ventri, non ad statuendum, quod non restituantur; & consequenter ad restitutionem referri nequit. Tertiò probatur hæc eadem sententia *ex d. l.* 1. §. *sed etsi incertum*, *ff. de ventre in possess. mitt.* suprà *n.* 1063. 1064. adducta, & in favorem hujus sententiæ explicata: cujus ratio ibidem assignata, scilicet quod æquius est, vel frustra nonnunquam impendia fieri, quàm denegare aliquando alimenta ei, qui dominus bonorum aliquo casu futurus est, non est specialis in ventre prægnante, sed est generalis in omnibus, qui agunt ad bona tanquam propria, cum præsumptione boni juris, & non habent aliunde, & à Doctoribus suprà *num.* 1013. *&* 1021. allegatis, & aliis trahitur ad alios casus, & meritò, quia generalis ratio ampliat dictam legem *regula*, §. *si quis jus ignorans*, ubi Bartolus, *ff. de juris*, *& facti ignorantia*, & notatum est suprà, *num.* 102. Quartò probatur ex textu *in d. l. ult. Cod. de ordine cognit.* suprà *num.* 1063. adducto, & contra responsionem Molinæ suprà, *num.* 1064. relatum est, quia mancipia multis in casibus dominium aliquarum rerum acquirere possunt, ut latè tradidi *tom.* 3. *mor. var. tit.* 3. *num.* 149. & docet idem Molina *de justitia*, *& jur. tom.* 1. *disput.* 38. ac proinde non fuisset inutile etsi textus *in d. l. ult.* jussisset mancipio existenti in quasi possessione libertatis, agenti contra dominum ad libertatem, præstari alimenta cum expressa conditione ea restituendi, vel data priùs cautione de restituendo in casu succumbentiæ; & tamen ibi alimenta, & litis sumptus decernuntur servo absolutè. Quintò probatur eadem sententia ratione suprà *num.* 1063. adducta, scilicet si actores pauperes bonum jus foventes, seu præsumptionem justitiæ pro se habentes, scirent in casu succumbentiæ se fore cogendos ad restitutionem alimentorum, & expensarum litis, quæ lite pendente ab adversario acceperint, & multò magis si cautionem de restituendo deberent præmittere, propter timorem restitutionis, & difficultatem reperiendi qui pro eis caverent, utplurimùm abstinerent à prosequendo jus suum, & sic multi sæpiùs privarentur rebus verè ad eos spectantibus; nam licèt constaret ipsis se habere urgentem præsumptionem boni juris, nihilominus cùm litis eventus sit incertus, non liberarentur illo timore restitutionis: & ob id jura absolutè constituerunt, eisdem actoribus pauperibus, pro quibus extat præsumptio justitiæ, decernenda esse alimenta, & litis sumptus ab adversario divite exhibenda, ita exigente bono communi, nec ullam imposuerunt obligationem illa restituendi, vel cavendi de restituendo, ut *d. num.* 1063. dixi. Denique probo ego hanc sententiam, quia si actor fretus urgenti præsumptione boni juris, habeosque ideo justam causam movendi litem adversario, & litigandi, si in causa succumbat (dummodo ante sententiam non agnoverit justitiam stare pro parte adversa) adversario victori expensas ab eo causâ litis motæ reficere non tenetur, neque in foro conscientiæ, neque etiam in foro externo, ut latè alios allegans tradit Burellus *in summa decis. p.* 2. *tit.* 39. *num.* 59. *ad* 65. qui pluribus sequentibus enumerat justas causas litigandi, aut ab expensis adversario victori restituendis excusantes, & præsertim *num.* 100. justam causam litigandi, & à condemnatione expensarum excusantem esse asserit (quod & latè probat Menochius *de arbitr. casu* 177. *num.* 8. *&* 9.) si litigator pro se habeat semiplenam probationem, ut contingit quando actori pauperi judex decernit esse ab adversario præstanda alimenta, & litis expensas lite pendente, juxta tradita suprà *num.* 969. *&* 1030. cùm tamen injustè materialiter fuerit causa talium expensarum faciendarum. Ergo etiam non tenebitur restituere alimenta, & litis expensas ob inopiam sibi à judice decretas, & ab adversario divite sibi lite pendente præstitas, licèt injustè materialiter illa acceperit; sufficit enim quod habuerit justam causam petendi, & accipiendi,

scilicet

scilicet præsumptionem justitiæ, concurrente paupertate.

1071 Ad primum argumentum prioris sententiæ à Covarruvia desumptum ex textu *in d. l. cùm autem*, §. *cùm redhibetur*: Respondent Menochius, Surdus, & Joannes Lupi, speciale esse in redhibitoria, quod non solùm fructus veniant, sed etiam quæ venditor emptori solverit ratione moræ, quia ea est natura redhibitionis, ut omnia reponantur in pristinum, ac si venditio facta non fuisset, ut post Cepollam *in d. §. cùm redhibetur*, *num.* 2. tradunt iidem Menochius, Surdus, & Joannes Lupi.

1072 Ad secundam probationem respondetur illud periculum dandi occasionem pauperibus temerè, & calumniosè agendi, ductis spe consequendi alimenta, & sumptus litis, cessare in præsenti materia, cùm non sit in facultate ipsius pauperis, ut illa valeat obtinere; sed Judicis, qui cum causæ cognitione, & sibi constito de urgenti præsumptione boni juris actoris pauperis, illa debet decernere; & quando timeat de calumnia, aut fraude, ea prorsus denegare, aut eo casu cogere ad præstandam cautionem de restituendo in casu succumbentiæ, saltem quatenus de jure teneatur, juxta mox tradenda: ubi autem ea à Judice perspecta præsumptione boni juris, & carentia calumniæ conceduntur, prout jura statuunt, & æquitas exigit, pauper consequitur illa ejusdem judicis decreto, & juris dispositione, & sic tali titulo ea lucratur, & facit sua; unde teneri nequit ad restitutionem, ubi succumbat. Tertium argumentum Molinæ non eget alia responsione, cùm ex traditis *num.* 1063. 1065. & 1070. maneat solutum.

1073 Ad quartum argumentum, seu quartam probationem ejusdem prioris sententiæ ex Surdo adductam, idem Surdus *d. quæst.* 129. *num.* 13. respondet litigatori pauperi agenti ad bona, quæ prætendit ad se pertinere, non priùs alimenta decerni, quàm constet apparenter, & præsumptivè de justa causa, nempe quod bona petita sint sua, & ad eum spectent: qua cognitione præmissa, judex ita decernit, quasi sibi constet ea bona pertinere ad eundem actorem; quod si posteà in progressu causæ contrarium appareat, non infertur ad restitutionem: tum quia jura, & judex eo casu concedunt absolutè, ut suprà dictum est: tum quia, ut dicit idem Surdus, quod semel est legitimè constitutum, non destruitur, licèt ad casum deveniat, à quo non potuisset incipere, *cap. factum legitimè, de reg. jur. in* 6. & *l. in ambiguis*, §. *non est novum*, *ff. eod. tit.* & in præsenti non dicitur causa devenire ad non causam, quia etsi lata sententia contra actorem cessat præsumptio illa, quæ à principio litis militabat, tamen si consideretur res in eo statu, ut tunc erat, semper fuit utilis constitutio: at is status est considerandus, ut notat idem Surdus *ex l. Sed an ultrò*, *ff. de negotiis gestis*, & Abbas *in cap. cùm pro causa*, *in fine*, *de procurat.* Stephanus Gratianus *d. cap.* 34. *num.* 29. & Fontanella *d. part.* 3. *num.* 80. Quare ad lucrandum hæc alimenmenta, & litis expensas, quæ lite pendente actori præstantur, sufficit quod concurrant qualitates necessariæ tempore taxationis, ut prædicti Doctores, & alii pro hac communi sententia relati docent: igitur solùm quando actor dolosè, & sciens se destitutum bono jure alimenta, & litis expensas accepisset, teneretur in foro conscientiæ ad illorum restitutionem; & si de calumnia constaret, etiam in foro externo cogi posset, & deberet, instante parte adversa, ad restitutionem, ut ex Molina suprà *n.* 1064. dictum est, & post Fab. de Anna *cons.* 102. *lib.* 2, *num.* 8. tradit Stephanus Gratianus *d. cap.* 33. *num.* 31.

§. XXIII.

Actor pauper, quando ei decernuntur alimenta, an teneatur, & cogi possit dare cautionem fidejussoriam, vel saltem juratoriam de illis restituendis in casu succumbentiæ.

EX traditis inferri potest resolutio difficultatis, 1074
an in casibus, in quibus actori pauperi ob præsumptionem boni juris pro eo stantis decerni, & præstari debent alimenta, & litis expensæ pendente lite, debeat, & per judicem cogendus sit, vel cogi possit dare idoneam cautionem de iisdem alimentis, & litis expensis restituendis in casu succumbentiæ? Etsi enim affirment Doctores *num.* 1066. allegati asserentes etiam ita esse usu forensi receptum, & etiam cùm filius, qui est in quasi possessione filiationis pendente lite super filiatione recipit à patre alimenta, ut indicant Corduba *loco prædicto*, *n.* 1066. *citato*, & Ludovicus Molina Jurisperitus *d. cap.* 16. *num.* 421. *versic. Sed quanvis*; tamen id non esset rationi consonum, cùm postea restituere non teneatur, juxta communem suprà *num.* 1063. traditam: qui proinde addit juri, ac rationi magis congruum esse, quod præstetur cautio, non absolutè de restituendo, sed quod si in causa idem actor, cui alimenta pæstantur, succubuerit, ea restituet, quatenus de jure teneatur, seu tenebitur. Et Merenda *d. cap.* 29. *num.* 14. asserit etiamsi pauper actor non possit satisdationem præstare per fidejussorem, quia non inveniat qui pro ipso caveat, sive fidejubeat, non sufficere, nec admitti debere cautionem juratoriam; quia si actoris causa (inquit) bona erit, & maximè sit victoriæ spes, prout necesse est adesse, ut alimenta decernantur, vix est ut non reperiatur aliquis qui fidejubeat, cùm agatur de quantitate non magna: quod Merendæ placitum confirmant tradita à Ludovico Molina *d. cap.* 6. *num.* 44. qui tamen dicit verius esse, an præstanda sit cautio fidejussoria, vel admitti dedeat juratoria, Judicis arbitrio esse committendum, addens quod si is qui se filium esse probavit, atque in quasi possessione filiationis est, petat alimenta, injustissimum esset illum propter impotentiam satisdandi lite pendente privare alimentis. Covarruvias, P. Barbosa, & Corduba solùm aiunt præstandam esse cautionem idoneam: & Mantica *d. decisione* 176. dicit solùm, quod Domini de Rota decreverunt alimenta actori, facta obligatione de restituendo, ubi succumberet. Molina Theologus admittit cautionem juratoriam.

Nihilominus asserendum est, in omnibus casibus 1075
in quibus juxta latè tradita in præcedentibus, actori pauperi habenti præsumptionem boni juris ad petita, alimenta, & litis expensæ decerni debent, & à judice decernuntur præstandæ ab adversario pendente lite, actorem, sive sit filius, vel nepos, aliùsve descendens, sive pater, avus, vel alius ascendens, sive frater, sive alia persona extranea, non teneri, nec debere cogi præstare ullam cautionem de illis restituendis in casu succumbentiæ, & quod adversarius vicerit. Ita omnes Doctores suprà *num.* 1069. allegati, Spino *in speculo testam. glossa* 16. *num.* 14. & latè Surdus etiam *d. tit.* 1. *quæst.* 125. ita practicatum in sacro Consilio Neapolitano testatur Vincentius de Franchis *d. decis.* 614. in Senatu Siciliæ refert Milanens. *d. decis.* 17. Probatur primò, quia *d. l. si instituta*, § *de inofficioso*, *ff.*

ff. de inofficioso testamento, non requirit talem cautionem, nec ejus mentionem faciunt interpretes ibi, sicut nec eandem cautionem requirunt alia jura *num.* 1020. adducta: & quando cautio danda est, jura de hoc mentionem faciunt, *l. peto, §. fratre, ff. de legat. 2. l. Imperator, ff. ad Treb. & in tit. ut legatorum seu fideicommissorum servandorum causa caveatur*; & Valascus *citata consultat.* 1. *num.* 7. Praeterea supposita sententia communi jam probata, quod iste actor non teneatur praefata alimenta, & litis expensas adversario restituere, ubi succumbat, probatur. Nam frustatoria esset nimis cautio, quae exigeretur ab eodem actore inope de restituendis iisdem alimentis, & litis sumptibus in casu succumbentiae, quia non tenetur quis facere quod factum non relevat; & excusatur, si non fecit, quando factum nil proficere valuit, *l. 1. in fine, ff. si quis in jus vocat. non ierit, l. arbiter kalendis* 45. *ff. de recept. arbit.* Ruinus post alios *consil.* 421. *num.* 8. *vol.* 1. lex etiam respuit actus frustratorios, *l. 1. in fine*, ubi Glossa *verbo Parentibus, ff. ad municip. & l. unica, Cod. de Thesauris, lib.* 10.

Et quoad cautionem per se fidejussoriam, seu sa-
1076 tisdationem de restituendo in casu succumbentiae, non fore dandam, nec esse exigendam ab actore paupere, ut litis sumptus decernantur, probatur ex eo, quod difficile est invenire fidejussorem, *l. a. § penult. ff. de judiciis*: & multò magis, quando quis nihil possidet, & est inops, qualis est actor, cui pendente lite de alimentis, vel litis sumptibus providendum est: unde si cogeretur dare talem cautionem, quod illa restituet in casu succumbentiae, cùm non posset talem cautionem dare, privaretur jure suo, quod ob defectum alimentorum, & litis expensarum non posset prosequi: quapropter etiamsi alioqui foret danda, paupertatem solere excusare à satisdatione, seu cautione fidejussoria, & juratoriam sufficere, & admittendam esse, si nec pignoratitiam queat praestare, per textum clarum *in auth. generaliter, Cod. de Episcopis, & Clericis*, tradunt communiter Doctores, ita scribentes *in dicta authentica*, Glossa *in leg. 1. ff. qui satisdare cog.* Bartolus *in leg. non facile, ff. si cui plus*, Tiraquellus *de retracta lig. §. 1. glossa* 18. *num.* 39. Clarus *§. fin. quaest.* 47. *versic. Sed quaero quomodo*, Seraphin. *de privilegiis juramenti, privileg.* 18. *n.* 1. Gayllus *observat.* 47. *num.* 8. Surdus *decisione* 141. *num.* 7. *& sequentibus*, Petrus Barbosa *in l. divortio, §. interdum, num.* 39. *ff. soluto matrimonio*, Valascus *consultat.* 1. *num.* 7. Cancerius *var. part.* 1. *cap.* 16. *num.* 22. *fine*, Fontanella *de pactis nupt. part.* 1. *clausula* 4. *glossa* 18. *part.* 3. *num.* 74. *&* 75. *cum pluribus sequentibus usque ad* 87. Augustinus Barbosa *collectaneo ad d. authenticam generaliter, num.* 7. & latius *collectaneo ad authenticam Quae supplicatio, num.* 8. *Cod. de precibus Imperatori offerendis*, Sanchez *de matrimonio, lib.* 10. *disputat.* 18. *num.* 38. & alii penè infiniti à Seraphino, Claro, Sanchez, Fontanella, & utroque Barbosa relati. Quod tamen Clarus, Sanchez, & Augustinus Barbosa aiunt procedere, si praestans juratoriam cautionem sit vir bonae famae, aliàs non esset ejus juramento fidendum.

Etsi autem pòsitam assertionem communem,
1077 quod actor pauper, cui decernuntur alimenta, & litis expensae, pendente lite non teneatur, nec cogi debeat praestare cautionem de illis in casu succumbentiae restituendis, ex Doctoribus suprà *num.* 1069. relatis, limitent post Molinam *de primog. libro* 2. *d. cap.* 16. *num* 43. Menochius *d. praesumptione* 35. *n.* 38. Stephanus Gratianus *d. cap.* 236. *num.* 35. Vincentius de Franchis *d. decis.* 336. *num.* 5. *fine, & d. decis.* 614. *num.* 6. *initio*, Paschalis *d. cap.* 3. *num.* 64. & Fontanella *d. part.* 3. *n.* 88. non procedere quando judex dubitaret de fraude, vel calumnia alimenta petentis; tunc enim aiunt judicem posse, & debere petentem cogere praestare satisdationem, seu cautionem de restituendis alimentis, & litis sumptibus decretis, & acceptis in casu succumbentiae, non quidem absolutè, sed cum illa moderatione, scilicet quatenus de jure tenebitur, seu ad id ipsum adstrictum esse compertum fuerit: & ita practicatum in Senatu Cataloniae testatur Fontanella; imò Vincentius de Franchis testatur sacrum Consilium Neapolitanum, dum decernit hujusmodi alimenta, & litis expensas litiganti pauperi, semper consuevisse decernere ea adjecta lege, & conditione, quod praestetur cautio de illis restituendis, quatenus de jure teneretur, juxta consilium Ludovici Molinae *d. cap.* 16. *num.* 43. quae tamen limitatio si admittenda sit, intelligenda est de cautione juratoria, quando actor, utpote pauper, cui alimenta decernuntur, aliam fidejussoriam, aut pignoratitiam praestare non posset, ut in terminis tradit Fontanella *d. num.* 88. *fine*, & constat ex generali, & communi doctrina tradita *num. praeced.*

Nihilominus Surdus *d. quaest.* 125. *num.* 4. & Joan- 1078
nes Lupi *de illegitimis, cora.* 2. *d. §.* 3. *num.* 78. sentiunt cautionem hujusmodi, sive fidejussoriam, sive pignoratitiam, sive juratoriam, de jure non requiri, ubi judex de calumnia, vel fraude actoris petentis timeat, eo quòd in ejus arbitrio, & facultate sit provisionem alimentorum petitam denegare, imò debeat denegare quoties suspicio est de calumnia, vel fraude petentis, sibique non constet de non levi praesumptione boni juris ejusdem; cùm non debeantur alimenta, & litis sumptus actori pauperi, nisi stante pro eo praesumptione boni juris, justaque litigandi causa, ut saepius in praecedentibus dictum est; & Judicis arbitrio committitur cognitio, an interveniat calumnia in actore paupere, per doctrinam universalem, quod committitur Judicis arbitrio quando quis habeat justam causam litigandi, & non possit dici calumniator, ut post alios tradit Surdus *de alimentis, tit.* 5. *quaest.* 155. *num.* 12. & Menochius *de arbitr. casu* 177. *num.* 2, qui in sequentibus numeris enumerat varias causas justas litigandi, de quibus Borellus loco suprà *num.* 1070. *fine allegato*.

Illud etiam quod Covarruvias, Molina, & Cor- 1079
duba à Lara locis suprà *num.* 1066. citatis dicunt de usu forensi Curiarum Hispaniae, ut scilicet quod ibi actori non exhibeantur alimenta, & litis expensae, nisi praestita cautione, quod ea restituet, si in causa succubuerit, non obstat praefatae sententiae communi, nec relevat; nam fori observantia valet, & tenenda ad summum est in loco ubi sit inducta: at extra illum locum non extenditur, ut notant Scribentes *in leg. de quibus, ff. de legibus, & in leg. extra territorium, ff. de jurisdictione omnium judicum*.

§ XXIV.

§. XXIV.

Si actor pauper recipiens alimenta, & litis expensas, quæ illi fuerint provisa, præstet cautionem de illis restituendis in casu succumbentiæ, an cogi possit ad restitutionem, si succumbat.

1080 SUpposita eadem sententia communi, quod actor pauper, cui decernuntur, & exhibentur alimenta, & litis expensæ pendente lite, non teneatur illa restituere in casu succumbentiæ, nec præstare ullam cautionem de illis restituendis, si absolutè præstiterit cautionem, seu promiserit per fidejussorem se restituturum alimenta, & litis expensas, quæ accepisset lite pendente, casu quo succumberet, an tunc tenebitur, & cogi possit ad restitutionem, si succubuerit. Pro parte, quod teneatur, & cogi possit ad restitutionem, Vinc. de Franchis *d. decis* 614. *n.* 2. *&* 3. adducit tum quod quādo per creditores præstatur cautio, quando veniret alius privilegiatus, agitur ex illa cautione, ut dixit Salycetus *in l. Pecunia, versic. Quæro nunc, Cod. de privil. fisci*: tum quia hæc cautio fidejussoria habetur loco proprietatis, ut probat Joannes Nicolaus *in repetit. l. Generaliter, n.6. Cod. de secund. nupt.* tum quia in hoc casu lex fingat super impossibili cautionem à jure positivo, juxta Crotum *in l. Si is qui pro emptore, in sexta fallentia, n.*80. *ff. de usucap.* tum demùm, quia tunc pecunia habetur ac si extaret, ut docet idem Franchus *dictis num.* 2. *&* 3. Stracca *in tract. de decoctor.* & consequenter ad illius restitutionem tenebitur alimentarius ipse, vel fidejussor.

1081 Nihilominus idem Franchus *d. decis.* 614. *num.*6. *versic. Et propterea*, asserit quod licèt dicta cautio sit per alimentarium præstita, cum tamen in casu succumbentiæ non teneri ad restitutionem, cùm nec de jure teneatur ad dictam restitutionem, nec illa cautio præstari deberet. Quare ea cautio præstita potest condici, & si est commissa stipulatio, potest alimentarius, inquit idem Franchus, exceptione uti; quia ex ea causa intercessit satisdatio, ex qua non debuit intercedere, *l.* 1. *versic. Quid deinde, ff. ut in possess. legat.* & idem quod Franchus, dixerunt Molfesius loco suprà *n.*1069. relato, & Stephan. Gratian. *tom.* 2. *d. cap.*236. *num.*38.

1082 Hanc tamen assertionem, seu doctrinam Franchus *d. decis.*614. *n.*7. *initio*, & Gratianus *d. cap.*236. *n.*39. declarant procedere quoad alimenta, & litis expensas, præstita lite pendente ante sententiam; non verò quoad alimenta post sententiam diffinitivam, & ejus vigore recepta, in cujus sententiæ exequutionem est præstita fidejussio de restituendo in casu retractationis; quia jura, inquit, *suprà* in hac materia allata non loquuntur in hoc casu, sed intelliguntur lite pendente: & *in auth. quæ supplicatio, Cod. de precibus Imperatori offerendis*, est provisum, omnia exequuta debere restitui in casu retractationis sententiæ. Verùm cùm hujusmodi alimenta, & litis sumptus litigatori pauperi actori semper debeantur, & in prima instantia, si pro eo stet præsumptio boni juris, & multò magis post primam sententiam, & potiori jure post sententiam latam in ejus favorem à Judice appellationis, etiamsi ab ea per supplicationem fuerit provocatum, ut notatum est suprà *n.*1055. 1057. *&* 1058. & consequenter non teneatur ad restitutionem, sive in casu appellationis succubuerit, sive post supplicationem fuerit retractata sententia diffinitiva, & consequenter etiam non teneatur cautionem de restituendo præstare, si fuerit cautio præstita, adhuc non tenebitur ad restitutionem, juxta tradita *num. præced.* Nec textus *in d. auth. Quæ supplicatio*, loquitur, intelligendusve est de præsenti materia alimentorum, & expensarum litis, quæ litigatori pauperi sunt præstanda à collitigatore possidente bona, super quibus lis est, vel præcessit.

§. XXV.

Quando alimenta sunt debita jure actionis, & eodem jure petuntur, an sit præstanda cautio fidejussoria de illis restituendis in casu succumbentiæ.

UTrum verò non solùm quando alimenta petuntur, & præstantur officio Judicis, non sit præstanda fidejussio, seu cautio fidejussoria de illis restituendis in casu succumbentiæ, ut in præcedentibus probatum est, & tradunt Doctores suprà *n.* 1069. relati, Surdus *d. q.*125. *& tit.*3. *q.*3. *n.*29. & Jurisperiti communiter, sed etiam quando jure actionis debentur, & præstantur, non sit necessaria eadem cautio fidejussoria de iisdem alimentis restituendis? Et quando alimenta debentur, & præstantur jure actionis, necessariam esse fidejussionem de illis restituendis in casu succumbentiæ, tradidere Roman. loco suprà *d. n.*1069. *citato*, quem ad id referunt Surdus *d. q.*3. *citato n.*29. & Valascus *d. consult.* 1. *n.*7. contrarium tamen, & nec eum cui alimenta debentur ex jure actionis, & decernuntur pro tempore litis pendentiæ, teneri dare satisdationem restituendi in casu succumbentiæ, tenent Surdus *d. q.*3. *n.*30. *&* 31. Valascus *loco citato*, Vinc. de Franch. *d. decis.* 641. *n.* 4. *fine*, Gratian. *d. cap.*33. *num.*90. & priùs ex Baldo *cons.* 39. docuit Gozadin. *cons.*47. *n.*10. prout illum referunt Valasc. & Franch. *loc. cit.* & Corduba à Lara *loco suprà num.*1066. *alleg.* Ratio est, quia sicut quando alimenta pendente lite solùm officio judicis præstantur, non repetitur lex obligans ad dandam præfatam cautionem de illis restituendis in casu succumbentiæ, ita etiam non reperitur cautum, quod eadem cautio præstetur quando alimenta petuntur jure actionis, & interim pendente lite petenti decernuntur, vel etiam post sententiam in favorem petentis latam ejus vigore eidem petenti reus cogitur præstare; grave enim onus est necessitas dandi cautionem fidejussoriam, atque adeo sine legis decreto non imponendum. Et propterea quando cavendum sit, judicis arbitrio committi, tradit Tiraq. *de retractu legali*, §. 1. *gloss.*18. *n.*46. Nulla ergo differentia quoad dandam hujusmodi cautionem fidejussoriam constituenda est inter alimenta debita officio Judicis, & ea quæ jure actionis petuntur, dum lite pendente per modum provisionis exhibentur à reo actori pauperi habenti pro se præsumptionem boni juris, vel etiam sententiam, ut dicit Surdus loco *d. q.*3. *n.*31. allegato. 1083

SUMMARIUM
Capitis XVIII.

Ei cui bona sequestrantur, & alia sibi non remanent, ex bonis sequestratis alimenta, & litis expensæ decerni debent, lite pendente, n. 1084.
Nec ad hunc effectum opus est alia præsumptione boni juris, ibid.
Bona semper præsumuntur illius, penes quē sunt reperta, ib.
Ex possessione præsumitur dominium, ibid.
Non debentur alimēta aliūde quàm ex bonis sequestratis, ib.
Mercibus mercatoris sequestratis, ex iisdem mercibus, si aliunde non habeat, præstari debent alimenta, & litis sumptus, lite pendente, etiamsi merces sint modici valoris, etsi fuerint sequestrata in loco domicilii mercatoris, n. 1085.

Accusato enĩ ob delictum bona sequestrantur, exhiberi debent alimenta, & litis pro sua defensione expensa ex bonis sequestratis, n. 1086.

Privationis bonorum judicio pendente, reus ex illis bonis debet consequi alimenta, & litis expensas, n. 1087.

Monacho accusanti, vel denuntianti Abbatem, & contra eum agenti ex justa causa, lite pendente debent à monasterio ministrari alimenta, & etiam litis sumptus, si aliunde non habeat, secus si habet proprium peculium, n. 1088.

Procedit etiamsi accusaverit, non petita licentiâ, ibid.

Quid si accusaret non ob monasterii utilitatem, sed prosequens suam causam contra Abbatem, n. 1089.

Quid si Prælatus accusatus esset ex Ordinibus Minorum, carentibus bonis in communi, n. 1090.

Monachus accusans alium monachum præter Abbatem, nisi accusaret de licentia Abbatis, & pro utilitate monasterii, non consequitur litis expensas à monasterio, n. 1089. fine.

Dicta de monacho, seu religioso accusante suum Abbatem malum, extenduntur ad Clericum Secularem accusantem, vel denunciantem Prælatum malum, cui ab Ecclesia subministrari debent litis sumptus, n. 1091.

Agenti utiliter pro Ecclesia, etiam sine mandato, conceditur repetitio expensarum pro negotiis Ecclesiæ factarum, ibid.

Abbati, seu Prælato accusato se defendenti ab objecto crimine, a monasterio debentur alimenta, & etiam litis expensa, si aliunde non habeat; secus si habeat peculium sufficiens ad se defendendum, n. 1092.

Prælato suspenso, vel deposito ab administratione, & Clerico beneficiato, vel deposito an, & quando ex bonis Monasterii, vel beneficii alimenta debeant ministrari, ibid.

Abbati, seu Prælato accusato, vel denunciato ab omnibus Religiosis subditis, dum lis pendet, parendum est in iis quæ non impediunt cursum causæ, n. 1088. fine, & n. 1092. fine.

Monacho, seu religioso accusato se defendenti monasterium tenetur exhibere alimenta, & etiam litis expensas ad se defendendum necessarias, si aliunde eas habere nequeat, n. 1093.

An hoc procedat tam quando Abbas procedit via ordinaria, quam juxta formam suæ regulæ, ibid.

Si monasterium agat ad expellendum monachum, seu religiosum existentem in quasi possessione monachatus, vel contra eum disputet de valore professionis, lite durante tenetur ei exhibere alimenta, & litis expensas, n. 1094. & 1095.

Scholari, seu collegiali contra collegium litiganti, ne à collegio expellatur, collegium tenetur præstare alimenta, & litis sumptus, n. 1096.

Idem de Canonico electo, & Clerico præbendato patiente molestiam super electione, vel præbenda; ali enim debet ex fructibus canonicatus, vel præbendæ, pendente lite, & etiam consequi debet litis expensas, si aliunde eas nequit habere, n. 1097.

Vassallo, seu subdito litiganti contra dominum, seu Principem, à quo patitur molestiam, litis expensa à Domino sunt ministranda, n. 1098.

Durante lite super divortio seu separatione tori, vel injustitia recessus à domo viri inter uxorem, & virum, sive iste, sive illa agat, maritus uxori tenetur præbere alimenta, & etiam litis expensas, si aliunde habere nequeat, n. 1099. & 1100.

Quid si adulterium uxoris fuerit notorium, n. 1099.

Quid si uxor sit indotata, ibid.

Lite pendente inter uxorem, & virum super valore matrimonii, tenetur maritus uxori præbere alimenta, & litis expensas, sive idem maritus, sive ipsa uxor agat, num. 1101. & duobus seqq.

Quid si maritus uxorem indotatam duxisset, n. 1103.

Uxori in cujus favorem à Judice Ecclesiastico lata est sententia super valore matrimonii, à qua maritus appellaverit, Judex laicus requisitus potest decernere alimenta à viro divite appellante præstanda, & non dicitur attentare, n. 1104.

Si in prædictis casibus uxor succubuerit, non tenetur restituere viro alimenta accepta, n. 1105.

Uxori agenti contra maritum pro restitutione dotis remedio legis si constante, ff. soluto matrimonio, *lite pendente exhiberi debent alimenta, & litis sumptus ex fructibus dotis, etiamsi aliunde posset vivere, n. 1106. & 1107.*

Filiæ nuptæ agenti ad dotem sibi promissam, & debitam alimenta, & litis expensæ debent subministrari à debitoribus dotis, n. 1108.

Quandonam maritus teneatur uxoris dotem suis sumptibus exigere à promissore, vel debitore; & quid facere maritus ad sui cautelam debeat, dum init contractum dotis, ut non ipse, sed debitores dotis, dum illam exigit, teneantur uxorem alere, & litis expensas exhibere, n. 1108.

Uxori dissoluto matrimonio agenti contra hæredes mariti ad restitutionem dotis, consistentis sive in rebus immobilibus, sive mobilibus, an & qua ratione iidem mariti hæredes teneantur alimenta, & litis sumptus præbere, n. 1109. & 1110.

Non est id expectandum, cujus eventus nullum omninò pariturus est effectum, n. 1109. fine.

CAPUT XVIII.

De nonnullis litigatoribus reis, vel actoribus, quibus ultra enumeratos præcedenti capite præstari debent alimenta, & litis sumptus, lite pendente.

De pluribus aliis litigatoribus, quibus lite pendente alimenta, & litis sumptus exhiberi debent, præsertim si aliunde non possint habere, tractant ferè omnes Doctores suprà præcedenti capite, *num.* 964. relati locis ibidem citatis, præsertim Lancellotus, Pontanus, Covarruvias, Corduba, Valascus, Ægidius Bossius, Simon de Pretis, Joannes Lupi, Paschalis, Farinacius, Asinius, & Surdus *d. tit. 1. q. 118. 123. 127. & duabus seqq.*

§. *Primus.*

Ei cujus bona sunt sequestrata, & alia sibi non remanent, ex quibus se alere, & litem sustinere possit, alimenta, & litis sumptus debent decerni: & an idem sequestratis bonis propter delictum.

Et in primis ei cujus bona ex aliqua causa 1084
sequestrantur, ex bonis sequestratis, & ab eo ablatis alimenta, & litis sumptus decerni debent, si non habeat aliunde, seu illi non remaneant alia bona, ex quibus se alere, & litem sustinere possit, & constat de ejus possessione, seu quasi possessio

possessione dictorum bonorum, vel aliter pro eo extet præsumptio. Ita post innumeros alios Pontanus *de alimentis, cap.*13. *num.*4. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *si vel parens*, *num.*45. & 46. Menochius *de præsumption. lib.*1. *præsumptione* 35. *num.*13. Sardus *d. quæst.* 118. Valascus *consultat.* 1. *num.*1. & Joannes Lupi *de illegitimis, com.*2. §.3. *num.*74. idque præter alia in §. præcedenti adducta probat textus in sæpè capite præcedenti allegata lege ultima, *Cod. de ordine cognitionum*, dum disponit, libertum, qui erat in quasi possessione libertatis, & cujus bona sequestrantur, si non cavit de illis restituendis domino in casu victoriæ, ali debere, eique litis sumptus subministrandos esse lite pendente ex illis bonis: & Valascus *loco citato*, ait ita servare usum forensem, probata omnimoda paupertate illius cujus bona ad sequestrum jussa sunt ire; onus enim probandi paupertatatem illi incumbit, qui illam allegat, & in ipsa fundat suam intentionem, ut suprà *num.*1032. ostensum est, & tradunt Doctores ibidem relati, & in hac specie Corduba, & Valascus *locis proximè citatis*. Cùm verò ab eo, qui ea possidebat, auferuntur bona, & ponuntur sub sequestro, ut ei decernantur alimenta & litis sumptus, cùm aliunde non habet, non est opus ut constet de alia præsumptione pro illo, ut notavit Surdus *d. quæst.*123. *num.*2. quia bona semper illius esse præsumuntur, penes quem sunt reperta, quando ex possessione præsumitur dominium, ut post Bartolum *in l. cùm res*, *in secunda lectura*, *C. de probat.* & alios, allatis etiam nonnullis exemplis, probat idem Surdus *eadem quæst.*123. *num.*3. *& sequentibus*; & quia petendo bona immobilia, vel mobilia, putà merces, illi sequestrari, videtur illum confiteri dominum, & possessorem eorundem bonorum, non deberentur alimenta aliunde, quàm ex iisdem bonis sequestratis, cùm tale debitum ulterius non porrigatur. Pontanus *d. num.*4.

1085 Hinc si mercatori merces sequestrentur, dum lis pendet alimenta, & litis sumptus ei decernentur, & præstari debebunt ex iisdem mercibus, si aliunde non habeat, ut post alios tradit Corduba *d.* §. *si vel parens*, *num.*51. & Surdus *d. quæst.*123. Nec obstaret si opponeretur bona esse futura, cùm delictum non præsumatur, *l. meritò*, *ff. pro socio*, unde ante probationem delicti, vel nisi de eo esset præsumptio, alimenta & litis sumptus ei deberentur, ut notat Surdus *ibid. num.*6. ubi addit procedere etiam quando merces, seu bona quæ sequestrantur, essent pauca, & modici valoris, si verè is à quo auferuntur, laboraret inopia, ne cogeretur bonorum dominus fame perire. Licèt enim Corduba *loco citato*, videatur velle id procedere solùm quando bona mercatoris sequestrantur in loco, in quo non habet domicilium; verius tamen est procedere etiamsi sequestrentur in loco domicilii mercatoris, si verè non habeat aliunde, nec in illo, nec alibi, unde se alere, & litem sustinere possit, ut ibidem docet Surdus.

1086 Item accusato de crimine, pro quo bona confiscantur, & descripta in inventario ponuntur apud sequestrum, & alimenta, & litis expensæ ad litem sustinendam, ac defensionem suam decerni debent de eisdem bonis exhibenda: ita per dictum textum *in d. l. ult. Cod. de ordine cognitionum*, post alios tradit Corduba *in d.* §. *si vel parens*, *num.* 52. Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *quæst.*129. *num.*1. & 7. & Valascus *consultat.* 1. *num.*2. asserens se multoties vidisse servatum in prætoriis causarum civilium. Extendit Surdus post Imolam etiam ad accusatum de crimine læsæ majestatis.

1087 Similiter quando quis promisit sub pœna amissionis bonorum omnium facere certum quid, quod postea non fecit, unde omnibus bonis veniret privandus, dum lis agitur super privatione, seu an in pœnam privationis inciderit, alimenta ei fore decernenda, argumento legis *pupillus*, & legis finalis, *ff. de privileg. creditorum*, tradunt Corduba *citato* §. *num.*53. Surdus *d. quæst.* 123. *fine*, & alii ante eos ab eisdem relati.

§. II.

Monacho, seu Religioso accusanti, vel denuntianti Abbatem, seu Prælatum suum ex justa causa, & contra eum agenti, lite pendente debent subministrari alimenta, & litis expensa necessaria.

Secundò monacho, seu Religioso ex justa causa, 1088 & pro bono monasterii, & religionis accusanti Abbatem, seu Prælatum suum, ex rebus, seu bonis monasterii debent exhiberi alimenta, & litis expensæ necessariæ, dum lis finem debitum accipiat, si proprium non habeat. Ita *cap. ex parte*, & *cap. olim*, *de accusationibus*, Scribentes *in d. cap. ex parte*, Glossa *in l. si instituta*, §. *de inofficioso*, *ff. de inofficioso testamento*, & *in l. ult. Cod. de ordine cognit.* Rota *decis.* 6. *de regular.* & *decis.* 4. *de accusat. in antiquis*, Bellamera *decis.*88. Pontanus *de alimentis*, *c.*13. *n.*3. Corduba à Lara *in d.* §. *si vel parens*, *num.* 55. Simon de Pretis *de interpr. ult. vol. lib.*5. *interp.* 2. *dub.*2. *n.*11. Menochius *d. præsumpt.* 35. *num.*21. Asinius *in praxi*, §. 32. *n.*2. *ampl.*26. & 27. Bossius *in practica*, *tit. de alimentis*, *num.*1. Surdus *de alim. tit.*1. *quæst.* 121. *num.*1. & *sequentibus*, Joannes Lupi *de illegit. com.*2. §.3. *num.*71. Farinac. *in repert. jud. quæst.* 52. *num.*3. Paschalis *de patria potestate*, *p.*2. *cap.*3. *n.*79. Sanchez *in sum. lib.*6. & communiter Canonistæ, & Jurisperiti à præallegatis Doctoribus, præsertim à Surdo allegati. Rationem affert Asinius, & post eum Surdus, quia cùm nihil habeat, lite pendente, ne fame pereat, vel cogatur mendicare in opprobrium monasterii, providendum est ei de alimentis, & litis sumptibus. Quæ ratio urget, si addatur, quod agens contra Abbatem delinquentem, opus bonum, & meritorium efficit, & tendens in utilitatem monasterii, seu Ecclesiæ, cùm intersit monasterii, seu Ecclesiæ habere bonum Prælatum, ac proinde monasterii causam agit; ideo de bonis monasterii subveniendum est ei de alimẽtis & litis sumptibus necessariis, si aliunde non habeat. Nam si haberet administrationem aliquam vel aliquod peculium unde posset se congruenter alere, & litem sustinere, ac prosequi usque ad finem, & exequutionem, monasterium non teneretur ei alimenta, & litis expensas subministrare. Rota *d. decis.*6. *de regularib. in antiquis*, Surdus *d. quæst.* 121. *initio*, & alios allegans, Sanch. *d. c.*12. *n.*21. & constat *ex d. cap. ex parte*, *fin.* ubi cur monachis accusantibus Abbatem debeant ex bonis monasterii ministrari expensæ, rationem assignat, cùm proprium non habeant: quæ ratio cessat quando monachus, vel religiosus accusator habet administrationem aliquam, vel aliquod peculium unde possit facere litis expensas necessarias; & sunt necessariæ, sine quibus causa explicari non potest, ut inquit Glossa *in d. cap. ex parte*, *verf. Expensæ*. Quæ unà cum alimentis non solùm monacho, seu Religioso accusanti, sed etiam denuntianti, proprium non habenti debentur, quia licèt textus *in d. cap. ex parte*, expresè loquatur de accusatione, eadem tamen est ratio de denunciatione, ut post alios notat Sanchez *d. num.* 20. Qui etiam cum Joanne Andrea, Innocentio, Abbate, & aliis Scriben-

Scribentibus *in d. c. ex parte*, addit quod quamvis monachus ad accusandum Abbatem non sit statim admittendus, sed præcedente summaria cognitione causæ, attamen qualitercumque admittatur, ei per Monasterium ministranda sunt alimenta, & expensæ. Pro quibus propterea dari eidem Monacho contra Abbatem actionem, tradunt post plures alios Surdus *d. quæst.* 121. *num.* 1. *fine*, & Sanchez *d. n.* 20. *fine*. Prædicta enim provisio alimentorum & expensarum litis facienda erit, tametsi monachus Abbatem accusaverit, non petita, & impetrata priùs licentia, seu venia ab ipso Abbate, vel ab alio superiore. Nam licèt aliàs Monachus agere in judicio non possit, cùm habeat proprium velle, & nolle, & pro mortuo habeatur, absque licentia superioris, ut latè probat Sanchez *d. cap.* 20. *n.* 1. nihilominus absque ulla licentia potest accusare Abbatem, seu Prælatum malum, ut post Abbatem *in d. cap. ex parte*, & alios Canonistas ibidem tradunt Surdus *d. quæst.* 121. *num.* 8. & Sanchez *d. cap.* 12. *num.* 19. *fine*: tum quia id non impedit ratio subjectionis, fidelitatis, & obedientiæ, ut dicitur *d. cap. ex parte*, & Glossa ibidem, *verbo Alia rationabilis causa*, cùm obligetur solùm in rebus honestis, & licitis: tum quia accusando Abbatem malum, monasterii utilitatem procurat, & prosequitur: tum demùm, quia plus tenetur Religioni, & monasterio, quàm Abbati, atque adeò pro utilitate monasterii absque ulla venia impetrata potest accusare Abbatem, seu Prælatum malum. Advertendum autem, quod etsi Monachus accusans Abbatem, non tenetur ipsi obedire quoad desistendum ab accusatione, in reliquis tamen certum est teneri obedire, ut tradunt Abbas, & Felinus *in d. cap. ex parte*, ibidem Augustinus Barbosa *fine*, & Sanchez *d. cap.* 12. *num.* 31. *& cap.* 2. *num.* 64. per textum *in can. nonne* 8. *quæst.* 4. & quia adhuc Abbas superioris officio non est privatus.

1089 Quid verò si monachus, vel Religiosus accusaret non ob monasterii utilitatem, sed ob prosequendam causam suam contra Abbatem, seu Prælatum, ut si diceret se graviter à Prælato injuriatum, an etiam tunc, si non habet, illi sint ministrandæ expensæ litis à monasterio? Negant Rota *d. decis.* 6. *de regularibus in antiquis*, Pontanus *d. cap.* 13. *num.* 3. Asinius *d. ampliat.* 27. & Farinacius *d. quæst.* 52. *num.* 3. & priùs tradidit Baldus *in leg. Imperatores*, *ff. de tutela*, *& rationibus distrahendis*. Affirmant verò Surdus *d. quæst.* 121. *num.* 3. & 12. *&* Sanchez *d. cap.* 12. *num.* 23. ob eam rationem, quod etiam in hoc casu Monachus dicitur prosequi utilitatem monasterii, cùm satis monasterii intersit habere bonum Prælatum. Sed data priori sententia, quod Monacho prosequenti causam propriam, & dicenti se ab Abbate, seu superiore suo graviter injuriatum, non teneatur monasterium providere de litis expensis: nihilominus Rota, & Asinius *locis citatis* addunt, quod Monachus sic injuriatus supplicet à superiore, seu Judice sibi de expensis provideri, & superior, seu Judex ei non negabit. Subdit rationem Asinius, quòd soleant superiores ultra modum in Religiosos sævire, quo fit ut appellare compellantur; & ideo interim appellatione pendente debet judex his religiosis, ut pater filiis providere. Ita Asinius, quare multò magis debebit eis per superiorem provideri de alimentis, ut expressè notat Surdus *d. quæst.* 121. *num.* 9. cùm non sit justum, quod fame pereant, vel etiam mendicent in opprobrium monasterii, quando ab Abbate, contra quem agunt, sibi denegarentur vel alimenta, vel ferò nimis de aliis provideretur, etsi monacho per abbatem providendum sit sicut filio per patrem, ut docet etiam Bellamera *decis.* 158. Si verò Monachus accusaret alium Monachum præter Abbatem, nisi accusaret de licentia Abbatis, & pro utilitate Monasterii, non consequeretur à monasterio expensas litis, ut post alios notat Surdus *d. quæst.* 120. *num.* 16. & Ratio est, quia absque illis duabus conditionibus non permittitur monacho quemquam alium præter Abbatem accusare, *d. c. ex parte*, & ibidem Scribentes: & eos & alios allegans Sanchez *d. cap.* 12. *n.* 27.

Quid etiamsi monachus, seu religiosus accusans Prælatum malum sit ex Ordinibus Minorum carentibus bonis in communi? Dicendum, adhuc monasterium teneri illi expensas litis subministrare, quidquid secus sentire videatur Henricus *in d. cap. ex parte*, *num.* 10. tum quia textus ibidem loquitur generaliter, sicut etiam loquuntur alii Scribentes *ibi*, & cæteri Doctores suprà *num.* 1088. relati: tum quia iidem fratres Minores ex eleemosynis emendicatis, ex quibus vivunt, sicut possunt, ita debent has expensas monacho, seu religioso accusanti Prælatum malum exhibere. 1090

Quod autem dictum est de Monacho, seu religioso accusante Abbatem, seu Prælatum malum, extendi etiam ad Clericum sæcularem accusantem, seu denuntiantem Prælatum malum, vel adversus eum cœptam inquisitionem prosequentem, scilicet ab Ecclesia ei esse subministrandas litis expensas, ob eandem rationem in monacho accusante Abbatem, & inquisitionem prosequente, nempe quia agit causam Ecclesiæ, cujus interest habere Prælatum bonum, post Speculatorem tradunt Corduba *d. §. si vel parens*, *num.* 56. *&* 57. Menochius *d. præsumpt.* 37. *num.* 21. Joannes Lupi *d. num.* 71. & alii relati à Surdo *d. quæst.* 121, *num.* 12. *&* 15. Quamvis ibidem fine ipse videatur contrarium tenere. Confirmat Corduba etiam post Speculatorem per textum *in cap. cùm pro causa*, *de procuratoribus*, ubi habetur generaliter, quod agens pro utilitate Ecclesiæ, expensas in Ecclesiæ utilitatem factas ab Ecclesia repetit. Quem textum Abbas ibidem *n* 1. intelligit non solùm in extraneo, sed etiam, in quolibet Ecclesiæ, quod debeat consequi expensas quas fecit pro Ecclesia. Et licet textus ibi loquatur quando mandato Ecclesiæ egit, idem tamen est, si sine mandato quis egerit, & expenderit utiliter pro Ecclesia, seu in negotiis Ecclesiæ; potuit enim eas expensas repetere. Glossa ibidem, *verb. Mandato*, & Corduba *d. §. si vel parens*, *num.* 57. proinde asserens præfatum Clericum agentem adversus Prælatum pro utilitate Ecclesiæ, debere habere expensas, etiamsi sine mandato agat. 1091

§. III.

Abbati, seu Prælato accusato, & se defendenti ob objecto crimine, lite pendente à Monasterio ministrari debent alimenta, & litis etiam sumptus si aliunde nequit habere.

Tertiò idem Abbas, seu Prælatus accusatus, dum ab objecto crimine se defendit, & expurgat, debet consequi à monasterio non solùm alimenta, quibus non potest privari, seu spoliari, cùm sit in possessione illa habendi ob solam objectionem criminis, sed etiam expensas necessarias ad litem, & suam defensionem, si aliunde eas nequeat habere. Ita Glossa *in d. cap. ex parte, verbo Alia rationabilis, de accus.* ibidem Panormit. Butr. Joan. Andr. Felin. & alii Scribentes ex allegatis *suprà n.* 1088. Corduba à Lara *in d. §. si vel parens*, *n.* 58. Surd. *d. tit.* 1. *q.* 127. Sanchez *d. c.* 12. *num.* 24. & alii ab iisdem relati. Militat enim ratio *d. num.* 1088. adducta, quia Abbas se defendens, & ostendens suam innocentiam, agit causam monasterii 1092

rii, cùm monasterii intersit constare de bonitate Prælati, & eum non removeri ab administratione, seu non deponi, si idoneus, ac probus sit: id etiam Joannes Andreas, & Butrius extendunt, quamvis ille Abbas esset ab administratione remotus, ut nihilominus sint ei alimenta à monasterio ministranda: sicut clerico beneficiato ob suam culpam suspenso, vel verbaliter tantùm deposito ministranda sunt alimenta necessaria de fructibus beneficii, si alimenta non habeat, ut post alios tradit Corduba *d. §. si vel parens*, *num.* 62. Valascus *dicta consultat.* 1. *n.* 3. & latiùs Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *q.* 82. Quam tamen extensionem Surdus, & Sanchez post Panormitanum declarant procedere de simplicis suspensionis effectu, vel quando interdicitur administratio; secus verò si esset privatus titulo, idest verè, realiter, & actu depositus, eo quòd tunc nihil habeat commune cum monasterio: quemadmodum Prælato, vel clerico beneficiato actu deposito, non esse ab Ecclesia subministranda alimenta, generaliter post alios tradit idem Surdus *d. q.* 82. *num.* 12. *&* 13. addens rationem, quod Ecclesia non curat de tali deposito, *cap. degradatio*, *de pœnis*, & Doctores ab eodem Surdo ibidem relati. Dixi verò, *Si aliunde eas habere nequeat*; quia si Abbas, seu Prælatus habeat peculium sufficiens ad se defendendum, & expurgandum, pro hujusmodi defensione monasterium non tenetur ei expensas ministrare, sicut nec monacho illum accusanti, ut suprà *num.* 188. *versic. Nam si haberet*: & in his terminis tradit Sanchez *d. num.* 24. *fine*. Hîc etiam advertendum, quod Abbati, seu Prælato accusato, vel denunciato ab omnibus Monachis ejus subditis, dum lis pendet, parendum est in his quæ non impediunt cursum causæ, cùm accusatione pendente non desinat esse Abbas, & superior, ut dictum est suprà *num.* 1088. *fine*, & per allegatum textum *in can. Nonne* 8. *quæst.*4. tradunt Panormitanus, Felinus, Sanchez locis ibidem relatis, & latiùs Surdus *d. quæst.* 127. *n.* 5. *&* 6.

§. IV.

Monacho accusato se defendenti, à monasterio ministrari debent alimenta, & litis sumptus, lite pendente.

1093 QUartò etiam Monachus, seu religiosus accusatus, & contra quem Abbas, seu superior inquirit, a monasterio debet habere alimenta, & etiam litis expensas ad se defendendum necessarias, si aliunde eas habere non possit, seu proprium non habeat, quia propter accusationem solùm non potest spoliari, seu privari jure quod habet ad alimenta, supposito quod sit in quasi possessione monachatus, & recipiendi à monasterio eadem alimenta: expensas autem litis, si aliunde non possit habere, monasterium tenetur illi exhibere, quia alioqui privaretur sua defensione, quæ nulli, nec diabolo, si esset in judicio, est deneganda, *cap. cùm inter*, *de except. & can. eorum*, 40. *q.* 3. & quia dum se defendit, ut ostendat suam innocentiam, agit causam monasterii, cujus interest bonum monachum non opprimi, nec monasterium eo privari; sicut etiam monasterii interest monachum repertum delinquentem plecti, & monasterium homine malo purgari. Ita Speculator *tit. de inquis. §. fin.* Simon de Pretis *allegat. dub.* 2. *num.* 13. Corduba à Lara *d. §. si vel parens*, Pontanus *de alim. c.* 13. *num.* 4. Menoch. *d. præsumpt.* 35. *num.* 21. Valascus *d. consult.* 1. *n.* 3. Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *q.* 128. Sanchez *in sum. lib.* 6. *d. c.* 12. *n.* 25. Rota Roman. *decis.* 1. *de accusat. in antiquis*, & alii communiter, quos iste refert Surdus: & licèt quoad expensas litis Speculator, & nonnulli alii à Surdo, & Sanchez relati, inter quos enumerant Simonem de Pretis *loco citato*, ubi tamen loquitur indistinctè, dicant esse à monasterio ministranda solùm quando Abbas in procedendo, & inquirendo contra monachum accusatum, vel denunciatum, non servat regulæ formam, sed via ordinaria, & judiciaria procedit, non verò quando procedit juxta formam suæ regulæ, eo quòd in hoc casu nulla videatur requiri impensa ad defensionem; tamen rationes adductæ probant universaliter, & indistinctè, sive contra accusatum procedatur via ordinaria, sive juxta formam regulæ; quia etiam quando proceditur juxta formam regulæ, possunt esse necessariæ expensæ, ut si monachus accusatus pro sui defensione ageret, & peteret examinari testes longè absentes. Propterea hanc limitationem rejiciunt expressè Surdus, & Sanchez locis citatis.

§. V.

Monacho existente in quasi possessione monachatus, si monasterium vellet eum expellere, vel contra eum moveret quæstionem super valore possessionis, debet idem monasterium exhibere alimenta, & litis expensas.

MOnacho etiam, seu religioso existenti in quasi possessione monachatus, si monasterium vellet 1094
eum expellere, vel eum expellat, & ipse agat contra monasterium ne expellatur, vel ut expulsus injustè restituatur, à monasterio, lite pendente ministrari debent alimenta, & litis expensæ. Ita Pontanus, Simon de Pretis, Corduba, Menochius, Valasc. *locis num. præcedenti relatis*, Surdus *d. q.* 128. *num.* 10. Joannes Lupi *de illegitimis*, *com.* 2. §. 3. *n.* 71. Lancellottus *de attent. cap.* 4. *limitt.* 1. *num.* 20. *&* 30. Asinius *in pract.* §. 32. *cap.* 2. *ampl.* 26. Farinacius *in repert. jud. q.* 52. *num.* 3. Bellamera *decis.* 88. & Rota *dicta decis.* 1. *de accus. in antiquis*. Cùm enim sit in quasi possessione monachatus, & pro eo stet præsumptio boni juris, consequenter pendente lite non potest privari alimentis sibi ex bonis monasterii debitis, ad quæ jus habet; & cùm aliunde eas non habeat, litis expensæ pro sua defensione à monasterio exhiberi debent, ne ob earum defectum indefensus maneat, & jure suo privetur; unde in hoc casu procedunt tradita capite præcedenti de filio litigante cum patre super filiatione, & quæ hoc capite tradita sunt *num.* 1084. de eo qui sequestratione spoliatur bonis quæ possidebat; & sic etiam procedunt tradita *in l. ult. Cod. de ordine cognitionum*, de liberto existente in quasi possessione libertatis, litigante cum domino: quæ latiùs ad id prosequitur Bellamera *d. decis.* 88. & per ea probat Abbatem, qui existebat in quasi possessione Prælaturæ, privatum Abbatia, agentem judicio restitutorio, debere consequi à Monasterio de bonis Abbatiæ alimenta, & litis sumptus, si aliunde nequit habere, lite pendente. Et confirmat etiam exemplo, quando maritus uxori movet quæstionem super matrimonio, vel separatione tori, quem eidem uxori pendente lite teneri alimenta, & litis expensas exhibere, asserit post alios, & tradunt Doctores communiter, saltem quando uxor dotem attulit marito, & etiam quando non attulit, si aliunde habere nequit, de qua re infrà.

Quare idem dicendum, si contra monachum, seu 1095
religiosum existentem in quasi possessione monachatus, moveatur quæstio super monachatu, seu super valore professionis; dum enim disputatur, & lis pendet, à monasterio ei provideri debet de alimentis, & etiam de expensis litis necessariis ad suam defensionem, si eas aliunde nequeat habere; & ita in his terminis Bartolus *in tract. de alim. num* 43.

Surdus *d. quæst.* 128. *num.* 11. & etiam saltem implicitè omnes Doctores numero præcedenti allegati, ut convineunt eædem rationes.

§. VI.

Collegiali contra collegium litiganti ne à collegio expellatur, collegium exhibet alimenta, & litis sumptus.

1096 Hinc etiam collegiali, qui repellitur à collegio, cum eodem collegio ad sui defensionem litiganti alimenta, & etiam litis sumptus, si aliunde non babeat, ex bonis collegii exhiberi debent lite pendente. Ita Corduba *d. §. si vel parens, num.* 60. Valascus *d. num.* 4. Menochius *d. præsumpt.* 35. *citato num.* 51. Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 129. *num.* 4. Joannes Lupi loco suprà allegato, & alii Jurisperiti à Corduba, Valasco, & Surdo relati. Ratio est eadem, scilicet quia est in possessione percipiendi alimenta ab ipso collegio. Immò Corduba addit in collegiali esse majorem rationem, quia jus alimentorum consequitur à collegii institutore eo ipso, quod sit electus, quo jure cum spoliatur, ali debet dum causa in judicio agitatur; & ne ob illorum defectum cogatur desistere à prosequendo jure suo, etiam litis expensas à collegio habere debet, si sit inops, & aliunde habere nequeat.

1097 Idem procedit in canonico electo, & clerico præbendato, qui si lis sit ob eam causam, quod dicatur non fuisse canonicè electus, vel patiatur molestiam in præbenda, ali debet ea fructibus canonicatus, vel præbendæ, dum lis pendet, & etiam consequi litis expensas, si aliunde nequeat habere, ob rationem prædictam. Ita post Albericum, Jacobum de Arenis, & Bartolum Corduba, & Surdus *locis citatis*, & etiam Pontanus *de alimentis, d. c.* 13. *n.* 3. & Menochius *d. n.* 25.

§. VII.

Vassallo, seu subdito litiganti contra Dominum, seu Principem, à quo patitur molestiam, litis expensæ à Domino sunt ministrandæ.

1098 Ob eandem rationem subdito seu vassallo litiganti contra Dominum, seu Principem, à quo patiatur molestiam, seu pulsetur, si habeat pro se præsumptionem boni juris, quæ pro eo stat quoties castat, vel extabat in possessione bonorum, vel quasi possessione juris, super quibus, vel super quo à Domino, seu Principe patitur molestiam, ut suprà *num.* 1084. notatum est, litis expensæ à Domino, seu Principe exhiberi debent, si aliunde non babet unde litem sustinere possit. Ita Boërius *decis.* 303. *num* 4. Covarruvias *practic. cap.* 6. *num.* 4. Neviasnus *lib.* 6. *Sylv. num.* 32. qui tres loquuntur quando Rea litigat cum paupere, Menochius *præsumpt. lib.* 5. *dicta præsumpt.* 35. *num.* 22. Asinius *in pract.* §. 32. *cap.* 2. *ampliat.* 28. Surdus *de alim. tit.* 1. *quæst.* 122. *num.* 2. & Joannes Lupi *de illegit. comment.* 2. §. 3. *num.* 72.

§. VIII.

Maritus debet alere uxorem, & ei litis sumptus ministrare durante lite ab ea contra eum intentata, vel ab eo contra ipsam ob causam adulterii.

Quintò si maritus accusat uxorem de adulterio, 1099
durante lite intentata ad divortium, tenetur idem maritus illi præstare alimenta, & litis expensas necessarias pro illa sustinenda, si aliunde habere nequeat. Ita Albericus *in l. ult. num.* 2. *Cod. de ordine cognit.* Lupus *in cap. per vestras, in princip.* §. 39. *num.* 5. *de donat. inter vir. & uxor.* Corduba à Lara *in d. §. si vel parens, num.* 64. P. Barbosa *in rub. p.* 2. *num.* 44. *fine, ff. soluto matr.* Surdus *de alimentis, tit.* 1. *quæst.* 18. *num.* 5. *& quæst.* 129. *num.* 6. Asinius *in pract.* §. 35. *cap.* 5. *ampliat.* 24. Cevallos *commun. contra com. quæst.* 734. *num.* 18. *& sequentib.* Pontanus *de alimentis, cap.* 13. *num.* 2. Valascus *consult.* 1. *num.* 4. Joannes Lupi *de illegitimis, com.* 5. §. 3. *num.* 70. Paschalis *de patria potest. p.* 5. *cap.* 3. *num.* 71. innumeri alii Canonistæ, & Jurisperiti à præallegatis, præsertim Cevallos, Surdo, Pontano, & Paschali relati, & Sanchez *de matr. lib.* 10. *disp.* 8. *num.* 18. Probatur quoad alimenta, quia cùm uxor ante accusationem ratione matrimonii extaret in quasi possessione recipiendi alimenta à marito, non potest spoliari ista quasi possessione ob supervenientem accusationem, & litem intentatam: & facit etiam illud, quod lite pendente nihil innovandum est. Quo verò ad litis expensas probatur, tum exemplo monachi accusati, qui pendente lite consequitur à monasterio alimenta, & etiam litis expensas, quando aliunde non habet: tum quia aliàs indefensa maneret, si aliunde litis expensas nequiret habere. Et quanvis multi, quos refert Sanchez *d. disp.* 8. *num.* 24. & alii relati à Cevallos *d. quæst.* 734. *num.* 17. id negent quando adulterium esset notorium, eo quòd tunc vir non teneatur alimenta præstare uxori adulteræ, etiam ante sententiam divortii, ut ipse tenet: nihilominus hoc solùm admitti debet quoad forum conscientiæ, in foro verò externo cogeretur vir alimenta, & litis expensas præstare uxori usque ad condemnationem, cùm pendente lite nihil sit innovandum: & ita tenet expressè Sanchez *loco citato*, & implicitè alii Doctores relati, qui loquuntur indistinctè: licèt Albericus *loco citato*, & Corduba dicant hujusmodi alimenta, & litis expensas à marito accusatore lite pendente super divortio exhibenda esse de dote; unde sentire videtur ad ea subministranda non teneri maritum, cùm uxor accusata est indotata: attamen Innocentius *in d. cap. per vestras, in fine*, Lupus *loco citato*, Asinius *d. ampliat.* 24. *fine*, & Surdus *d. quæst.* 129. *num.* 6. & Joannes Lupi *d. num.* 70. *versic. quod extenditur*, asserunt maritum accusatorem teneri ad præstanda uxori præfata alimenta, & litis expensas, etiamsi uxor de adulterio accusata sit indotata, & probant rationes suprà adductæ. Cùm enim uxor esset in quasi possessione conjugii, & etiam recipiendi alimenta à marito, qui eam licèt indotatam, non habentem aliunde, tenebatur alere, ait Guido Papæ *quæst.* 439. & alii communiter, quos refert, & sequitur Surdus *de alim. tit.* 1. *quæst.* 32. *num.* 11. non potest illam privare iisdem alimentis, non sequuta condemnatione; & ne indefensa maneat, debet etiam ei litis sumptus ministrare. Quod si eadem uxor, quam maritus duxit indotatam, aliunde haberet unde possit litem sustinere, maritus esset exemptus à tali obligatione expensarum litis, ut probat Cevallos *d. q.* 734. *n.* 24. ubi etiam videtur idem sentire, si uxor accusata dotem attulisset

lisset marito, si haberet alia bona, ex quibus possit se alere, & litem facere, maritum non teneri exhibere nec litis expensas, nec etiam alimenta; & ego quoque consentio in hoc casu, non teneri exhibere litis expensas; at alimenta teneretur, & cogendus esset lite durante præbere uxori accusatæ. Quia cùm uxor ante motam litem divortii existeret in quasi possessione recipiendi alimenta à viro, ea possessione non potest privari, nisi convincatur de adulterio, sive sit dives, habeatque alia bona præter dotem, sive non: videantur tradita suprà *num.* 965. & ita asserunt post Baldum Afflictus *decis.* 10. *num.* 3. Lancellottus *de attentatis*, *cap.* 4. *limit.* 11. *num.* 22. & Farinacius *in repert. jud. quæst.* 52. *n.* 5. ob illam rationem, quia scilicet uxori dotatæ ex fructibus dictæ dotis debentur alimenta jure actionis, & sic etiam uxori aliunde habenti.

1100 Sed quid si uxor ipsa contra virum intentat litem divortii, vel separationis thori, & habitationis ex causa adulterii, vel sævitiæ ejusdem viri, vel ex alia causa, quæ probata sit sufficiens ad separationem; an tunc etiam eidem uxori à marito debeant lite pendente ministrari alimenta, & litis expensæ, si aliunde non possit habere? Affirmant communiter Doctores, si uxor habeat pro se præsumptionem boni juris, & maritus sit dives, ne aliàs amittat jus suum, & confirmant argumento præallegati capitis *ex parte*, *de accusationibus*, & legis finalis, *Cod. de ordine cognit.* ita Guido Papæ *d. quæst.* 419. Afflictus *decis.* 10. Peguera *decis. crimin.* 20. *n.* 5. Menochius *d. præs.* 35. *n.* 18. Corduba *in d. § si vel parens*, Lupus *num.* 66. Asinius, P. Barbosa, Paschalis, Sanchez locis numero præcedenti relatis, Surd. *d. quæst.* 118. *num.* 5. *& d. q.* 129. *num.* 6. *fine*, ubi propterea cum Lupo reprobat Imolam, & Cardinalem, qui negavit uxori agenti esse subveniendum, & alii relati à P. Barbosa, & Paschali, licèt Rota Romana *decis.* 470. *n.* 6. *fine*, an quando uxor agit ad solam separationem, cùm litigatur de re non fructifera, & quæ non cadit sub æstimationem, dubitaverit an alimenta debeant ei præstari à viro: quod dubium est contra communem, nisi fortè loquatur quando uxor est indotata. Quare etiam uxori recedenti à marito ex culpa mariti, donec cognoscitur an justè, vel injustè recesserit, tenetur vir exhibere alimenta, ut in terminis tradit Afflictus *d. decis.* 10. Joannes Lupus *d.* §. 39. *num.* 5. & Surdus *d. quæst.* 118. *citato num.* 5. & latiùs *quæst.* 32. *num.* 17. & sentiunt etiam alii præallegati: & confirmat Afflictus ea ratione, quod constat de conjugio; an verò recessus fuerit justus, vel injustus, est dubium facti, & ideo eo pendente sunt ministranda alimenta: & prædicta procedunt etiam quod uxor sic agens esset indotata, si aliunde nec alimenta, nec litis expensas possit habere, ne alioqui cogatur ob defectum alimentorum, & expensarum litis amittere jus suum.

§. IX.

Lite inter uxorem, & virum pendente super valore matrimonii, tenetur maritus uxori alimenta, & litis sumptus ministrare, sive maritus, sive uxor ipsa agat.

1101 Quemadmodum verò quando vir accusat uxorem de adulterio, pendente lite divortii tenetur ei alimenta, & litis expensas ministrare: ita etiam quando ei post illud contractum movet litem super valore matrimonii, & agit ad ejus nullitatem, interim facta separatione, tenetur, & cogi debet illi præstare alimenta, & etiam litis expensas, si eas aliunde non possit habere. Ita Hostiensis *in sum. tit. de accusat.* §. 1. Abbas, & Felinus *in d. cap. Ex parte*, *de accusat.* Innocentius *in d. cap. Per vestras*, *fine*, Joan. Lupus *d.* §. 39. *n.* 5. Afflictus *decis.* 152. Cavalcanus *tom.* 2. *decis.* 18. *num.* 11. Valascus *d. consult.* 1. *num.* 4. Corduba à Lara *in d. l. si quis à liberis*, *allegato* §. *si vel parens*, *num* 66. *ff. de liberis agnosc.* Surdus *d. tit.* 1. *d. quæst.* 118. *num.* 1. & *tit.* 8. *privileg.* 10. *num.* 3. *&* 4. Sanchez plures alios allegans *de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 51. cæteri Doctores duobus numeris præcedentibus relati, & Doctores communiter, ut locis citatis testantur Abbas, & Corduba: & servari in Curia Regni Lusitani testatur Valascus, & probant tradita dubiis præcedentibus: cùm enim constet de conjugio, habet pro se uxor præsumptionem justitiæ, & jus ad alimenta, quo non potest spoliari ante condemnationem: quod etiam probat textus *in l. si neget, ff. de liber. agnosc.* ubi dicitur moventem litem de matrimonii valore, eo quòd uxor ancilla sit, teneri alere liberos donec constiterit de veritate: si etiam uxor aliunde eos non habet, ne indefensa maneat, & cogatur ob illorum defectum amittere jus suum, cogendus est maritus ei litis sumptus necessarios subministrare; & ad prædicta alimenta, & litis expensas tenetur maritus, quamvis uxor sit indotata, ut expressè docent Innocentius & Sanchez *locis citatis*, & probant tradita *n.* 1099. Et confirmatur per dictum caput *Ex parte*, *de accusat.* & superiùs tradita de monacho accusante Abbatem, & de accusato, qui cùm careat proprio, consequitur alimenta, & litis expensas ea durante de bonis monasterii.

1102 Quid verò si uxor ipsa contra maritum agat ad nullitatem matrimonii contracti ex causa consanguinitatis, vel alterius causæ; an etiam hoc casu interim facta separatione maritus teneatur, & cogi possit ei alimenta exhibere lite pendente, & etiam litis sumptus dare, si eos aliunde habere non potest. Negavit Hostiensis loco suprà allegato, ut refert Corduba *d. n.* 66. & ratio ea videtur posse assignari, quod nullo jure maritus tenetur uxorem alere, nisi propter matrimonium, ac proinde non debet uxor commodum consequi ex matrimonio quod impugnat, c. *Ex eo, de reg. juris in* 6.

1103 At affirmant Doctores communiter, si vir sit dives. Ita Abbas *in d. cap. Ex parte*, *de accusat. num.* 10. ibidem Barbatius, Ananias, Felinus, Innocentius *loco citato*, Joannes Lupus *allegato* §. 39. *n.* 4. Cavalcan. *d. decis.* 18. *num.* 51. Afflictus *decis.* 10. *& decis.* 152. Corduba *d.* §. *Si vel parens*, *num.* 65. *&* 67. Simon de Pretis *de interp. ult. volunt. lib.* 5. *interp.* 2. *dub.* 2. *n.* 17. Menochius *d. præsumpt.* 35. *num.* 18. qui addit id procedere quando extat præsumptio pro uxore dicente de nullitate; quæ tamen præsumptio sufficiens adest quoties jam constat matrimonium esse contractum; eo enim ipso fundata est intentio uxoris petentis alimenta, & litis expensas; cùm aliunde non habet. Asinius *ampliat.* 24. Surdus *d. quæst.* 118. *num.* 1. *&* 2. Paschalis *de patria potest. p.* 2. *cap.* 2. *num.* 71. Sanchez *d. num.* 51. & plures alii à Surdo, & Sanchez allegati. Ratio est, quia maritus tenetur alere uxorem, existente matrimonio valido: præsumitur autem validum donec contrarium per legitimas probationes constiterit, cùm in dubio præsumatur pro contractu. Accedit alia ratio in præcedentibus sæpiùs adducta, scilicet quia alioqui mulier cogeretur ob defectum alimentorum, & litis expensarum amittere jus. Quare non solùm maritus tenebitur præstare alimenta, & litis expensas de dote accepta ab uxore matrimonium accusante, sed etiam teneretur præstare, tametsi indotatam duxisset, juxta tradita suprà *num.* 1099. & præsertim alimenta, cùm maritus obligetur alere uxorem etiam indotatam, ut ibidem notatum est: etsi in hac specie con-

trariam

trarium sentire videatur post Innocentium, & Joannem Ananiam Asinius *d. ampliat.* 24. *fine*, quando uxor est indotata. Quanvis Sanchez *d. n.* 51. eum sequens referat Innocentium loco *num.* 1101. citato, addere, fortè teneri virum ad prædicta alimenta, licèt uxor sit indotata, per dictum caput *Ex parte*, *de accusationibus*, ubi monacho accusanti Abbatem, cùm proprio careat, decernuntur alimenta præstanda de bonis monasterii. Ex quibus ad rationem pro contraria sententia numero præcedenti adductam respondetur, præsumptionem illam, quæ stat pro matrimonio, donec contrarium fuerit definitum, sufficere, & operari, ut maritus, sive ipse, sive uxor agat ad illius nullitatem ex aliqua causa, teneatur, & cogatur uxori exhibere etiam extra domum ex justa causa degenti alimenta lite pendente, & etiam litis expensas, ubi aliunde non habet.

1104 Advertunt etiam Afflictus *d. decis.* 152. *n.* 2. & 3. Corduba *d. num.* 67. Surdus *tit.* 8. *privil.* 10. *n.* 5. 10. & 11. Menochius *d. n.* 18. & Castillus *ad l.* 10. *Tauri*, à Corduba allegatus, quod in judicio super nullitate matrimonii à viro contra uxorem intentata, si uxor à judice Ecclesiastico obtinuerit pro se sententiam, & ab ea maritus appellaverit ad judicem superiorem Ecclesiasticum, Judex laicus requisitus potest decernere eidem uxori alimenta à viro divite appellante exhibenda, neque ideò dicitur aliquid attentare. Nam sicut judex appellationis potest uxori providere de illis alimentis, *d. cap. Ex parte, de accusat.* ita per viam principalis petitionis super ipsis alimentis potest judex laicus providere, cùm hoc non sit de processu causæ, causaque alimentorum non dependeat à causa matrimonii, quæ tractatur, sed sit diversa; ac proinde nil impedit quominus laicus causam alimentorum tractet, dum Ecclesiasticus cognoscit de viribus matrimonii, & quia talis litispendentia non impedit præstationem alimentorum, stante paupertate uxoris, & divitiis viri; & quia licèt sit appellatum à sententia lata in favorem matrimonii, tamen dicta sententia continet tacitè præstationem alimentorum, & à sententia præstationis alimentorum non admittitur appellatio. Ita Afflictus, & Surdus.

1105 Advertendum etiam, quòd si uxor succubuerit in omnibus prædictis casibus, in quibus inter ipsam, & maritum lis fuit super separatione, vel nullitate matrimonii, alimenta tamen accepta non sunt restituenda, nec possunt à viro repeti. Ita in terminis Afflictus *d. decis.* 152. *n.* 4. & constat ex traditis suprà *n.* 1063. 1069. & *seqq.* & tradunt etiam Doctores iisdem numeris allegati, & idem dicendum in sequentibus casibus, ubi contigerit uxorem, cui maritus, vel ejus hæredes lite pendente præstiterint alimenta, succumbere.

§. X.

Uxori, marito ad inopiam vergente, agenti ad restitutionem dotis, sunt exhibenda alimenta, & litis sumptus ex fructibus dotis.

1106 Sextò quando uxor remedio legis *Si constante*, *ff. soluto matrimonio*, à marito bona dilapidante, seu ad inopiam vergente petit sibi dotem restitui, interim pendente lite potest consequi, & maritus cogi debet præstare alimenta, & etiam litis sumptus ex fructibus dotis. Ita argumento legis ultimæ sæpiùs allegatæ, *Cod. de ordine cognitionum*, Albericus *in l. ubi adhuc*, *Cod. de jure dotium*, ibidem Cynus *num.* 14. Socinus, & Felinus *in d. cap. Ex parte*, *num.* 4. *de accusat.* Covarruvias *practic. cap.* 6. *sub num.* 5. Corduba à Lara *d.* §. *Si vel parens*, *n.* 68. Menoch. *d. præs.* 35. *n.* 18. Valascus *d. consult.* 1. *n.* 5. Surdus *de alimentis*, *d. q.* 118. *num.* 7. Asinius *d.* §. 32. *cap.* 2. *ampl.* 24. Lancellotus *de attent. cap.* 4. *limit.* 11. *num.* 20. Farinacius *in repert. jud. quæst.* 52. *num.* 5. Joan. Lupi *de illegitimis*, *com.* 2. §. 3. *num.* 71. Paschalis *de patria potest. p.* 2. *num.* 73. & alii apud eosdem, & confirmant omnia tradita suprà hoc, & §. præcedenti: & quoad alimenta probat etiam illa ratio, quod constat de conjugio, ideòque est uxor alenda: & quoad expensas litis, marito bona dilapidante, facit alia ratio, scilicet quod uxor petens sibi dotem restitui, agit ad communem utriusque utilitatem, attento quod fructus percipiendi ex dote restituta, vel collocata in loco tuto, deservire debent oneribus matrimonii, ut in præcedentibus *n.* 589. 590. & 842. notatum est.

Non solùm autem uxori aliunde non habenti providenda esse lite pendente alimenta ex fructibus dotis, quam petit sibi restitui, sed etiamsi aliunde potest vivere, quia haberet alia bona, vel etiam pater ejus esset dives, post Baldum, Ferretum, & Menochium tradunt Afflictus *decis.* 10. *n.* 3. Lancellot. *d. limit.* 11. *num.* 22. & 24. & Farinacius *d. num.* 5. & etiam Mynsingerius loco suprà *num.* 872. *citato*, & ibidem ego ipse notavi, quia debentur jure actionis, ut ibidem probatur. 1107

§. XI.

Filiæ nuptæ agenti ad dotem sibi promissam, & debitam alimenta, & litis expensæ debent ministrari à debitoribus dotis.

Idem dicendum de filia nupta agente ad dotem sibi promissam, vel alio titulo debitam, aut marito promissam, nondúmque solutam; illi enim sunt ministranda alimenta, & litis sumptus à detentoribus, seu debitoribus dotis, nec maritus, licèt dives, tenetur ad ea alimenta uxori præstanda. Ita Marescotus *var. lib.* 2. *cap.* 83. *num.* 20. qui probat ea ratione, quod maritus alere tenetur uxorem, si indotatam non accepit, sed duxit dote sibi promissa, ut notant Boërius *decis.* 22. *num.* 1. & alii Doctores ab eodem Marescotto citati, & Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *q.* 32. sed probatur etiam ex eo, quod alimenta hujusmodi sint debita filiæ nuptæ jure actionis, atque adeò exhibenda etiamsi aliunde ea habere possit, juxta tradita in præcedentibus, *cap.* 15. Hoc tamen idem Marescotus *num.* 21. ait intelligendum, nisi maritus acceperit nomen debitoris in dotem non æstimatum, tunc enim dicit, maritum teneri uxorem alere, & sumptibus suis nomen debitoris exigere, juxta Glossam *in l.* 1. *verbo Non sint*, *ff. de impens. in reb. dot. fact.* & alios, quos ibidem refert, addens secus esse, si nomen debitoris æstimatum fuisset datum in dotem, secundùm Bartolum *in d. l.* 1. §. *Necessaria*, *num.* 6. *ff. de impens. in reb. dot. fact.* & alios à se *ibid. num.* 23. relatos. Similiter ait *num.* 24. secus esse quando impensa non esset modica, sed magna foret necessaria: tunc enim ait, quod maritus non tenetur, accepto nomine debitoris in dotem, suis sumptibus agere, & uxorem alere, juxta traditionem Baldi *in l.* 1. *num.* 13. *Cod. de bonis mater.* asserentis opinionem Glossæ suprà allegatæ procedere in impensa modica, scilicet quando maritus nullos fructus recipit, aut tales qui non sufficiunt pro faciendis sumptibus magnis: & addit quod præfatam distinctionem uti veram amplexa est Rota Romana *in Romana bonorum de Ceulis*, 14. *Decemb.* 1584. *coram Orano*: quam etiam confirmat *num.* 25. ex eo, quod juxta eandem Glossam, Salicetum, & Corneum, ideò tenetur maritus suis sumptibus exigere nomen debitoris in dotem datum, quia ita tacitè videtur actum inter partes; quæ 1108

præ

præsumptio cessat ubi impensa est magna, cùm non sit verisimile, partes cum tanto damno ipsarum voluisse hoc modo relevare debitorem bona possidentem, & cum quo intendunt litigare, ab hoc onere. Consuluit nihilominus idem Marescottus ibidem *fine*, ut pro majori cautela maritus obtineat sibi cedi ab uxore omnes actiones, & omnia jura competentia pro exactione dotis, inter quæ jura est jus petendi alimenta, & litis expensas, ea pendente, quamvis officio judicis debeantur, cùm & hoc cedi possit, ut probat Tiraquellus *de retractu lign.* §. 26. *glossa* 3. *num.* 54.

§. XII.

Uxori dissoluto matrimonio agenti contra hæredes mariti ad dotis restitutionem, an & qua ratione hæredes teneantur alimenta, & litis sumptus exhibere.

1109 DEnique uxori, mortuo marito adversus illius hæredes agenti ad restitutionem dotis, & donationis propter nuptias, tenentur iidem hæredes dotem, & donationem propter nuptias possidentes, interim donec fiat restitutio, & lis pendet, exhibere alimenta, & litis expensas, si litigare cogant. Ita post alios Covarruvias, Menochius, Lancellottus, Farinacius, Joannes Lupi, Paschalis locis suprà *n.* 1106. *citatis*, Surdus *tit.* 1. *q.* 118. *n.* 8. *& seqq.* & alii plures ab eodem relati, & asserunt saltem implicitè Corduba, & Valascus *locis eodem n.* 1106. *citatis*, & colligitur ex dictis tum hoc, & præcedenti capite, & *ex l. ult. Cod. de ordine cognit.* & ex traditis suprà *à n.* 870. *ad* 877. juxta quæ pro majori declaratione, cùm dos consistere possit in rebus immobilibus, vel in mobilibus, si consistit in bonis immobilibus, uxor statim mortuo marito, & intra annum luctus potest agere ad illius restitutionem, ut notatum est suprà *num.* 871. Quare si agat, & hæredes sint in mora, negentque rem dotalem, & res non sit omninò clara, judex præmissa summariè cognitione, per quam constat de præsumptione boni juris viduæ, debet ei decernere alimenta, & etiam litis sumptus, si aliunde non habet, ab iisdem hæredibus exhibenda, juxta præallegatos Doctores, & Rebuffum *in commentariis ad constitutiones Gallicanas, in tit. de sent. provis. art.* 3. *glossa* 1. *n.* 1. Si verò consistit dos in bonis mobilibus, non potest uxor vidua illam repetere, nisi post elapsum annum luctus, quo elapso, si ipsa illam petat, & hæredes mariti negent, & cogant litigare, cognita summariè præsumptione boni juris ejusdem viduæ petentis, tenentur, & cogendi sunt iidem hæredes ei præstare præfata alimenta, & litis expensas, juxta eosdem Doctores, & alios, quos refert Surdus *d. quæst.* 118. *n.* 10. ubi addit, quod si non haberet aliunde, non esset expectanda alia probatio quoad decernendum ei alimenta, eo quòd vidua etiam indotata sit ab hæredibus viri alenda etiam post annum luctus, ne in opprobrium viri & anteacti matrimonii mendicare cogatur, ut ipse *eod. tit. q.* 44. *num.* 44. *& quæst.* 45. *n.* 1. aliis allegatis probat, & notavi suprà *num.* 594. Quapropter data hac sententia, etiam in casu, quo non constat de dote petita, exceptio quoad alimentorum præstationem non est admittenda, cùm uxor vidua, sive habeat dotem, sive non, utroque casu sit alenda; & non est id expectandum, cujus eventus nullum omninò habiturus est effectum; & sic etiam potiori jure quando uxor vidua intra annum luctus peteret dotem in bonis immobilibus consistentem, esto non constet de dote, alimenta, rejecta quacumque objectione debent ab hæredibus mariti præstari, cùm hæredes mariti intra eum annum luctus teneantur viduam, etiamsi sit indotata, alere de bonis mariti, ut probat idem Surdus *d. q.* 44. & notavi suprà *n.* 593.

Etsi verò Afflictus, Lancellottus, & alii suprà 1110
num. 1107. relati videantur velle, etiam in hoc casu alimenta uxori viduæ debere præstari ab hæredibus viri, lite pendente, etiamsi illa haberet aliunde unde posset se alere, intelligendi tamen sunt quando constaret de dote, in qua restituenda hæredes ipsi essent in mora. Cùm enim hujusmodi alimenta viduæ debita ratione dotis non restitutæ, sint debita jure actionis, præstari debent etiam aliunde habenti unde posset se alere: de qua re latè actum est suprà *d. n.* 869. *ad* 873. ubi exactè actum est de alimentis debitis viduæ, tam intra annum luctus, quàm post, ob retardatam dotis restitutionem.

SUMMARIUM
Capitis XIX.

A sententia in causa alimentorum etiam futurorum lata admittitur appellatio quoad effectum devolutivum, num. 1111.

Appellatio in omnibus causis, tam majoribus, quàm minoribus permittitur, nisi specialiter sit prohibita, ibid.

A sententia in causa alimentorum futurorum lata in favorem alimentarii egeni, non habentis aliunde unde possit se alere, dari appellationem etiam quoad effectum suspensivum, qui dixerint, n. 1112.

Communis conclusio Doctorum est, à tali sententia non dari appellationem quoad effectum retardandi sententiæ exequutionem, n. 1113. *& etiam si tantùm pars alimentorum fuerit petita, n.* 1114.

Ubi res dilationem non recipit, non permittitur appellare, n. 1113.

Venter non patitur dilationem, ibid.

Partis quoad partem eadem est ratio, quæ totius quoad totum, n. 1114.

Etiamsi alimenta futura petantur jure actionis, si debita sint pauperi aliunde non habenti unde vivat, à sententia super iisdem alimentis præstandis lata non permittitur appellatio suspensiva exequutionis sententiæ, & declarantur contrarium docentes, n. 1115 *&* 1116.

Eadem appellatio non permittitur, sive incidenter, sive etiam principaliter sententia fuerit lata super alimentis futuris pauperi debitis, licèt secus senserint nonnulli, n. 1117. *&* 1118.

A sententia in causa alimentorum præteritorum lata permittitur appellatio quoad effectum suspensivum, n. 1119.

Limitatur si petens aliunde non haberet unde viveret, ibid.

Alimenta præterita non habent privilegia ut futura, ibid.

Illorum tamen causa celeriter debet expediri, præsertim si alimentarius contraxit æs alienum pro alimentorum subministratione, ibid.

A sententia super alimentis futuris lata pro alimentario divite, seu qui aliunde habet unde possit se alere, admittitur appellatio, etiam quoad effectum suspensivum, n. 1121.

Qua ratione constare Iudici debet, seu probari debeat paupertas alimentarii, pro quo lata est sententia alimentorum futurorum, & exequutioni mandari debeat, non obstante appellatione, sive lata sit incidenter, sive principaliter, ibid.

Quid quando tempore latæ sententiæ alimentarius non laborabat necessitate alimentorum, post verò admissam à judice appellationem supervenit necessitas, an tunc admissa appellatione non obstante, sententia executioni sit mandanda, n. 1122.

Sententia,

Sententia, & promissiones alimentorum futurorum mandantur exequutioni, non obstante supplicatione, vel restitutione in integrum, n.1123.

Necessitas non habet legem, & facit licitum quod aliàs non foret, & facit ut à regulis juris discedatur, ibid.

Exequutio trium conformium impeditur, si incontinenti offeratur probatio in contrarium, ibid. fine.

In causa alimentorum admittitur appellatio in favorem alimentarii, contra quem lata sit sententia, num. 1124.

Judicium alimentorum futurorum est suspensivum negotii principalis, ita quod appellans à sententia, vel provisione alimentorum, non auditur, nisi priùs solverit alimenta, n.1125.

Procedit etiamsi alimenta non sint liquida, ibid.

In causa alimentorum futurorum quando à paupere petuntur, summariè proceditur, omni dilatione remota, n.1126.

An, & quando id verum sit, etiam quando alimenta futura petuntur jure actionis, ibid.

Limitatur in alimentis præteritis, ibid.

In causa alimentorum futurorum non est necessarius libellus, nec litis contestatio, n.1127.

An sit necessaria qualisqualis petitio, ibid.

Requiritur libellus, si causa sit gravis, ibid.

In causis summariis levibus non requiritur libellus, nec litis contestatio, secus in gravibus, ibid.

In solutione alimentorum præcipuè judex non debet permittere reo longiores, & calumniosas dilationes, n.1128.

Causa alimentorum futurorum, ubi pauperi debentur, agitari potest tempore feriarum, & festorum, num. 1129.

Procedit etiamsi pauperi debeantur jure actionis, ibid.

Secus si debeantur diviti, vel petantur alimenta præterita, ibid.

Alimenta futura pauperi relicta, seu aliàs debita, peti possunt ab hærede, nondum elapso trimestri ei ad conficiendum inventarium bonorum hæreditatis concesso, n.1130.

Alimenta pauperi relicta peti possunt hæreditate non adita, n.1131.

In causa dotis, subsidii charitativi, pensionis pro alimentis imposita, mercedis, & alia simili pro alimentis, ubi decernuntur alimenta pauperi aliunde non habenti unde vivat, non datur appellatio quoad effectum suspensivum, secus si à divite petantur, n.1132.

Compensatio non datur in alimentis pauperi debitis, nec in pensione pro alimentis reservata, nec in charitativo subsidio, nec in stipendiis, seu alimentis scholasticorum, nec in salariis Doctorum, nec in decimis, nec in debito ex causa victuali, ibid.

CAPUT XIX.

An à sententia lata in causa alimentorum permittatur, seu detur appellatio quoad devolutionem, & suspensionem exequutionis sententiæ, etiamsi fuerit de alimentis in futurum præstandis.

§. *Primus.*

Datur appellatio quoad devolutionem causæ ad superiorem.

CErtum est, & indubitatum apud omnes, sive 1111 agatur de alimentis præteritis, sive de futuris, & sive petitis officio judicis, sive jure actionis, à sententia super alimentis dari appellationem quoad devolutionem negotii, & causæ ad superiorem, & ita quantum ad hujusmodi appellationem quoad effectum devolutivum alimenta futura non esse privilegiata. Ita in terminis Lancellottus *de attentatis, cap. 12. limit. 24. n. 7.* Surdus *de alim. tit. 8. privileg. 60. num. 17.* Fachineus *controv. juris lib. 1. cap. 77. versic. Probatur hæc sententia*: & ita sentiunt etiam Doctores infrà citati, & alii omnes negantes dari appellationem à sententia decernente alimenta futura, quia loquuntur expressè solùm de appellatione quoad suspensivum exequutionis sententiæ, non verò quoad devolutivum. Ratio deducitur ex regula generali, quod appellatio in omnibus causis, tam majoribus, quàm minoribus, permittitur, nisi specialiter sit prohibita, *l. & in majoribus, Cod. de appellat. & cap. de appellationibus, tit. de appellationibus*, & Doctores communiter, quos refert Surdus *d. privil. 60. num. 1. & seqq.* Nullibi autem prohibetur appellatio à sententia alimentorum quoad devolutivum; non enim prohibitam probat textus *in l. fin. ff. de appellationibus recip.* cùm causa quoad devolutivum recipiat dilationem, & ibi solùm non permittatur appellatio ubi res non recipit dilationem, ut in casibus in eodem textu enumeratis.

§. II.

A sententia lata in causa alimentorum futurorum in favorem alimentarii pauperis non habentis aliunde unde vivat, an detur appellatio sententiæ exequutionem suspendens.

ALiqualis controversia tantùm est, an à sententia alimentorum futurorum, seu quæ alimenta in futurum præstanda decernit, detur appellatio quoad suspensionem exequutionis sententiæ, seu impediens exequutionem sententiæ, quando is pro quo lata est sententia, non habet aliunde ut possit sibi de alimentis necessariis providere: quod regulariter contingit quando alimenta debentur, & petuntur per officium judicis, cùm tunc debeantur, & decernantur ob inopiam, & in subsidium, alimentario aliunde non habente unde possit se alere, & vitam sustentare, ut latè hoc capite in præcedentibus numeris explicatum est.

1112 Igitur Romanus *in auth. similiter, Cod. ad l. falcidiam*, & nonnulli alii à Tiraquello *de privil. causæ piæ, privilegio 153.* relati asseruerunt, à sententia in causa alimentorum futurorum lata dari appellationem etiam quoad suspensionem exequutionis sententiæ, moti regula numero præcedenti adducta, quod appellatio semper censetur permissa, nisi specialiter prohibita sit, *arg. d. l. & in majoribus, Cod. de appellat. recip.* Non reperitur autem jure cautum, quod in causa hujusmodi alimentorum prohibita sit appellatio: ergo censetur permissa.

Communis tamen Doctorum conclusio, & in 1113 praxi judiciorum recepta est, à sententia lata quâ decernuntur alimenta in futurum præstanda non habenti aliunde, non permitti appellationem quoad effectum suspensivum, sed sententiam statim exequutioni fore mandandam. Ita Bartolus *in l. Mela, ff. de*

de alim. & cib. leg. Baldus Novellus *de dotibus, part. 9. privil. 7. n. 2.* Afflictus *decis. 152.* Ursillus *ibidem, & in annot. ad decis. 261.* Lancell. *de attentatis, praeallegata limit. 24.* Pontanus *de alim. cap. 19. num. 3. & 4.* Corduba *in l. si quis à liberis, §. si vel parens, num. 26. cum seq.* Tiraquell. *d. privil. 153.* Simon de Pretis *de interpr. ultim. volunt. lib. 4. interp. 2. dub. 11. num. 98.* Menoch. *de adipisc. possess. rem. 4. n. 878.* Surdus *de alim. tit. 1. q. 120. n. 13. tit. 8. privil. 10. n. 1.* & latissimè *priv. 60. n. 5. 9. & seq.* Fachineus *d. cap. 77.* Molfesius *ad consuet. Neapol. p. 5. q. 4. n. 15. & seq.* Steph. Grat. *tom. 4. cap. 665. n. 1. & cap. 726. n. 17.* Jacob. Cancerius *var. tom. 1. cap. 16. n. 22. & tom. 3. c. 17. n. 125.* Fontanella *decis. 296. n. 1. & seq. per totam,* Merenda *controv. juris tom. 4. lib. 23. cap. 43. n. 35. & seq.* Rota Romana *decis. 24. & 98.* apud Verallum *p. 1. decis. 763. p. 1. diversorum, decis. 208.* apud Burattum, & alib. sæpè, & alii Jurisperiti antiquiores, & recentiores latè à Tiraquello, Corduba, Surdo, Cancerio, & Fontanella relati: qui omnes probant per textum *in l. finali, ff. de appellationibus*, ubi dicitur, quod si res dilationem non recipiat, non permittitur appellare. Ex quo textu Doctores communiter concludunt, in omnibus causis, quæ celeritatem exequutionis desiderant, non dari appellationem à sententia quoad effectum suspensivum. Quare ratio hujus communis conclusionis est, quia alimentorum, quæ petenti aliunde præ inopia non habenti præstari decernuntur, præstatio non recipit dilationem, sed requirit celeritatem exequutionis; venter enim non patitur dilationem alimentorum ob continuam restaurationem qua indigemus ob radicale humidum, quod per calorem amittimus; ac proinde si daretur appellatio quoad suspensivum exequutionis sententiæ, posset creditor inops, pro quo lata est sententia, dum causa appellationis cognoscitur, fame perire: unde etsi de hac re non extat lex expressa, & specialis, extat tamen dicta lex finalis generaliter loquens; & dicta ratio, quod præstentur alimenta, ne interim alimentandus fame pereat. Quare ad fundamentum Romani, & aliorum Doctorum oppositæ sententiæ, respondetur regulam illam, *& in majoribus*, non obtinere in causis, quæ celeritatem exequutionis desiderant, ut *d. l. fin. ff. de appell. recip.* causa autem alimentorum futurorum, cùm decernuntur præstanda creditori, seu petenti inopi, & aliunde non habenti, celeritatem exequutionis requirit, ut probatum est.

1114 Extenditur præfata communis conclusio, ut habeat locum etiamsi non omnia alimenta sint petita, & decreta, sed tantùm alimentorum pars, putà vestitus, habitatio, vinum, vel frumentum, ut in terminis tradit Corduba *d. §. si vel parens, n. 30.* & Surdus *d. privil. 60. n. 13.* cùm eadem sit ratio partis quoad partem, quæ est totius quoad totum, *l. quæ de tota, ff. de rei vendic.* unde etiam transactionem in causa alimentorum esse prohibitam quoad partem eorum, tradunt iidem post Castrum *in l. Cùm ii, in princ. n. 3. ff. de transact.* per eundem textum ibi: *Ejusdem prætoris notio ob transactionem erit, sive habitatio, sive vestiarium, sive de prædictis alimentum legabitur.*

1115 Etsi autem eadem conclusio declaratur, ut procedat quando alimenta petuntur officio judicis, secus verò quando petuntur jure actionis, ita ut hoc casu detur appellatio etiam quoad suspensionem exequutionis sententiæ. Ita Speculator *in tit. de appellat. §. in quibus, n. 10. 11.* Joan. Andreas *ibid. in addit.* Bartol. *in d. l. fin. ff. de appellat.* Corduba ubi suprà, *num. 28.* Pont. *d. c. 19. n. 3.* Rota Rom. *d. decis. 98.* apud Verall. *p. 1. & d. decis. 764. n. 1. p. 1. divers.* Molfesius *d. q. 4. n. 18. & 19.* & alii à Surdo *d. privil. 60. n. 22.* relati: & diversitatis rationem assignant, quod inopia petentis, & ejus pro quo alimentorum sententia lata est, efficit ut non detur appellatio suspendens exequutionem sententiæ; quando autem alimenta debentur, & petuntur solo officio judicis, debentur, & decernuntur propter inopiam, & in subsidium; quando verò debentur jure actionis, debita sunt, & decernuntur etiam diviti, & habenti aliunde unde vivat; & sic cessat ratio privilegii, & dictæ legis finalis, *ff. de appell. recip.*

Nihilominus dicendum, conclusionem procedere etiam quando alimenta jure actionis debentur, & petita sunt, & à judice per sententiam decreta, si qui petit, & pro quo lata est sententia, sit inops, & aliunde nequeat alimenta habere; nam tunc etiam militat ratio dictæ legis finalis, & privilegii, quod per appellationem non suspendatur exequutio sententiæ in causa alimentorum futurorum, cùm res non recipiat dilationem, & subsit semper celeritatis causa quoties alimentandus est inops, & paupertas, seu inopia sit ratio, & causa privilegii excludentis appellationem quoad suspensionem exequutionis; & pauperi possunt alimenta esse debita jure actionis, cùm ex testamento possint esse pauperi relicta, & ita expressè asserunt Baldus Novellus *in tract. de dote, p. 9. citato privil. 7.* Angel. *in l. pen. in fin. ff. de his qui sunt sui, vel alieni jur.* Rota *d. decis. 764. p. 1. divers.* Fachineus *d. cap. 77.* Surdus *d. privil. 60. n. 22.* & idem sentiunt Afflictus, Ursillus, Simon de Pretis, Merenda, & alii recentiores suprà *n. 1113.* relati, qui non distinguunt, an alimenta in futurum debeantur, & petantur officio judicis, vel jure actionis, sed solùm considerant inopiam petentis, & cui debentur, & per sententiam decernuntur alimenta in futurum. Quare juxta eosdem Doctores, subsistente inopia, nullum discrimen est constituendum inter actionem, & qualitatem judicii in quo petuntur alimenta. 1116

Licèt etiam eadem conclusio communis limitetur, ut procedat solùm quando alimentorum causa tractatur incidenter, non verò quando de alimentis principaliter agitur, hoc enim casu à sententia lata in causa alimentorum appellationem non permitti ei adversus quem est lata sententia, sentiunt Alberic. *in d. l. fin. ff. de appell. recip.* & nonnullos alios allegans Corduba *d. §. si vel parens, n. 33.* addens hanc opinionem jure Regio Hispano approbatam, *l. 7. tit. 19. p. 4.* 1117

Attamen hujusmodi limitationis mentionem non faciunt reliqui Doctores suprà *num. 1113.* pro eadem communi conclusione relati, sed absolutè, & indistinctè asserunt, non dari appellationem quoad effectum suspensivum à sententia, quæ decernit alimenta in futurum, quando inopi, & aliunde non habenti debentur, & præstanda esse decernuntur, & sic sentiunt eandem communem conclusionem procedere, tametsi de alimentis agatur principaliter, & expressè. Hanc limitationem uti erroneam rejicit Surd. *d. privil. 60. n. 24.* quando de alimentis tractatur principaliter, & pauperi debentur, cùm militet eadem ratio dictæ legis finalis, & ratio fundamentalis pro communi conclusione *d. n. 1113.* adducta. Addit confirmationem, scilicet quod non minùs debet esse favorabilis causa alimentorum quando principaliter de eis agitur, quàm ubi de eis tractatur incidenter, ne incidens sit favorabilius ipso principali. 1118

§. III.

A sententia super alimentis præteritis lata licet appellare quoad utrumque effectum, devolutivum, & suspensivum.

Dixi in propositione communi conclusionis, *A sententia qua decernuntur alimenta in futurum.* Nã à sententia lata super alimentis præteritis à creditore petitis, dari appellationem quoad utrumque effectum, devolutivum, & etiam suspensivum exequutionis sententiæ, tradunt communiter Doctores. Ita Speculator *d. §. in quibus, n. 11.* ibidem Joan. Andr. *in addit.* Alber. *in* 1119

in d. l. fin. n.2. de appell. recip. Corduba *d. §. si vel parens, n.32.* Lancell. *d. limit.24. n.8.* Rota *d. decis.24.* apud Verallum *p.1. d. decis.764. n.41. p.1. diverf. & d. decis.208. n.5.* apud Buratum, Surdus *d. privil.60. n.15.* Molfesius *d. q.4. num.17.* Ursillus *in annot. ad d. decis.152. Afflicti, n.1.* Pontanus *d. c.19. n.3.* ac Steph. Grat. *tom.4. c.728. n.33.* & cæteri Doctores *n.1113.* pro eadem sententia allegati, qui loquuntur solùm in causa alimentorum de futuro, & innumeri alii à Corduba, Surdo, & Rota *d. decis.764. n.5.* relati. Et ratio est, quia causa alimentorum præteritorum non requirit illam celeritatem exequutionis sententiæ, sed admittit dilationem, cùm cesset periculum, & suspicio, ne is in cujus favorem dicta est sententia, fame pereat; jam enim vixit aliunde, & alimenta præterita potiùs sunt creditum quod consequi debet alimentarius ex causa alimentorum, quàm alimenta propriè, unde illud creditum transmittitur ad hæredes, *l. uti frui, §. fin. ff. si ususfructus petatur*, & dictum est *suprà.* Quapropter alimenta præterita non habent privilegia, sicut futura, ut constat ex præallegatis Doctoribus, & ex traditis à Corduba *d. §. si vel parens, n.12.* & expressè tradunt Gigas *de pension. q.51. n.28.* Surdus *tit.8. privil.55.* Molfesius ubi suprà, *& q.10. n.2.* & alios allegans Gratian. *d. c.728. n.38.* Addunt tamen Surdus *n.16.* & Molfesius *d. n.17.* quod etiam hæc causa alimentorum præteritorum celeriter expediri debet, præsertim si alimentarius contraxit æs alienum, seu debitum pro alimentorum subministratione, cùm causa alimentorum sit semper favorabilis, etsi non tantam celeritatem exigat, quanta est necessaria quando agitur de alimentis futuris: immò si constaret de inopia petentis alimenta præterita, quod esset talis, ut aliunde non posset sibi providere de alimentis, in hoc casu videtur non fore permittendam appellationem quoad suspensionem exequutionis sententiæ, quia militaret ratio eadem, ob quam non permittitur suspensio executionis sententiæ in causa alimentorum futurorum.

1120 Quæ autem dicantur alimenta præterita, & quæ futura, jam explicatum est suprà *hoc capite, n.888.* ubi ex communi sententia tradidi, dici futura etiam illa quæ sunt decursa ante sententiam, post tamen litem motam, seu petitionem illorum, ut notat etiam Rota *d. decis.764. n.5.* & Surdus *d. privil.60. num.6.* in hac specie appellationis à sententia quoad suspensionem exequutionis illius; quamvis Merenda *d. c.43. n.39.* post Rotam apud Mareum dicat, quod etsi alimenta ex die litis contestatæ debita, quoad alios effectus possint videri futura, nihilominus ad hunc effectum, ut per appellationem non impediatur exequutio sententiæ, non posse dici futura, quia de ipsis non potest allegari, quod venter non patitur dilationem.

§. IV.

An sententiâ in causa alimentorum futurorum latâ in favorem alimentarii divitis, & habentis aliunde unde se alere possit, permittatur appellatio quoad effectum suspensivum.

1121 DIxi etiam in propositione ejusdem communis conclusionis, *Præstanda non habenti aliunde*; quia si petens alimenta, & is in cujus favorem lata est sententia super alimentis futuris illi debitis, & præstandis, non esset pauper aliunde non habens unde viveret, sed dives, qui aliunde posset se sustentare & vivere, esset locus appellationi à sententia illa, etiam quoad effectum suspensivum exequutionis illius. Ita expressè Ursillus *in annot. ad d. decis.152. Afflicti, n.1.* Corduba *in d. §. si vel parens, n.31.* Surdus *d. privil.60. n.21.* Merenda *d. c.43. n.36. & 37.* Rota Rom. *d. decis.764. p.1. diverf. & d. decis.208. apud Burattum,* Speculator loco suprà *n.1119.* citato, Bartolus *in d. l. fin. n.1. ff. de appellat. recip.* ibidem Cumanus *n.4.* Bald. Novellus loco suprà *n.1116.* allegato, & idem sentiunt cæteri Doctores *n.1113.* relati, & alii communiter: & ratio est, quia quando petens alimenta est dives, habetque aliunde unde possit sibi providere de alimentis, non potest allegari, seu dici, quod venter non patitur dilationem, & quod dum causa appellationis cognoscitur, creditor remaneat expositus periculo pereundi fame; & sic cessat causa propter quam alimenta celeritatem exequutionis requirunt. Quapropter ad hunc effectum, ut non admittatur appellatio suspendens exequutionem sententiæ alimentorum, judici constare debebit actorem, pro quo decretum, vel sententia alimentorum emanavit, esse pauperem, ita ut non habeat aliunde unde vivat, scilicet in eo versari statu, ut de illo possit dici, illius ventrem non posse expectare ultimam causæ cognitionem; nec sufficeret constare de paupertate in genere, sed deberet constare de paupertate præcisè respectu effectus, de quo agitur, juxta tradita suprà *n.1033.* & in his terminis notavit Merenda *d. c.43. n.38.* Et quidem si petantur officio judicis, sive incidenter, ut cùm petuntur pro tempore litis; sive principaliter, ut quando petuntur à filio existente in quasi possessione filiationis, tunc cùm alimenta à judice decernuntur præstanda, nisi priùs per petentem fuerit probata plenè paupertas, & quod aliunde non possit se alere, ut probatum est suprà *c.17.* præsertim *à n.1032.* & latè alios allegans Fontanella *d. decis.296. n.14.* cùm paupertas sit fundamentum petentis; pronunciato à judice decreto de alimentis præstandis, statim erit exequutioni mandandum, non obstante appellatione ab eodem decreto, absque ulla alia probatione inopiæ actoris. Si verò alimenta petantur jure actionis, cùm tunc Judex ante sententiæ probationem non debeat cognoscere de paupertate postulantis, lata sententia in ejus favorem, si ab ea reus appellat ad effectum ut Judex rejiciat appellationem quoad effectum suspensivum, opus erit ut idem postulans, qui pro se obtinuit sententiam, probet, & faciat apparere judici, se laborare tali inopia, ut non habeat unde vivat; hoc enim plenè probato, Judex non obstante appellatione sententiam exequutioni mandare debebit, juxta præfatam communem conclusionem.

§. V.

Quid si post admissam appellationem superveniat necessitas alimentarii.

SEd quid si tempore quo lata est sententia, & facta 1122
appellatio, & admissa, postulans alimenta, in cujus favorem dicta est sententia, non erat in ea necessitate, ut aliunde non haberet unde viveret, sed postea supervenit necessitas; an tunc, non obstante appellatione admissa, sententia sit exequutioni mandanda, dum super causa appellationis cognoscitur, ita ut appellatio sit tunc sustinenda solùm quoad effectum devolutivum, non verò quoad suspensivum? Rota apud Marcum relata à Merenda *d. c.43. n.40.* censuit admissa semel appellatione, causam alimentorum effici omninò appellabilem. At rectiùs contrarium sentit ibidem Merenda, eo quòd hæc res (ut ex suprà traditis constat) pendeat ex inopia alimentarii, seu necessitate illius, qui petit alimenta; & ideò non valet argumentum ab uno tempore ad aliud, si supervenerit necessitas, quæ priùs non aderat.

§. VI.

§. VI.

Sententiæ, & proviſiones alimentorum futurorum exequutioni mandari debent, non obſtante ſupplicatione ad Principem, vel Senatum, nec etiam obſtante reſtitutione in integrum conceſſa minori condemnato.

1123 CÆterùm quod ſuperiùs traditum eſt juxta Doctores communiter, nempe ſententias, & proviſiones alimentorum in futurum, quæ adjudicantur poſtulantibus, ſeu actoribus pauperibus aliunde non habentibus unde vivant, per appellationem interpoſitam non impediri, ſeu ſuſpendi quoad illorum exequutionem, & non obſtante appellatione quæ ſolùm habet effectum devolutivum, exequutioni ſtatim debere demandari, procedit etiamſi contra prædictas ſententias, ſeu proviſiones à reo fuerit interpoſita non appellatio, ſed ſupplicatio ad ſupremum ſuperiorem, putà Senatum, vel Principem, ut nempe ſupplicatio non impediat illorum exequutionem, ob illam rationem quod venter non admittit dilationem, & ne alioqui actor aliunde non habens unde vivat, fame pereat, de quo latè Fontanella *d. deciſ.* 296. idque non ſolùm ſi ſit ſupplicatum in forma, ſeu ea ſupplicationis forma, quæ regulariter juxta ſupremarum Audientiarum praxim non impediat exequutionem cujuſque proviſionis, quod eſt clarum, & certum, ut notat Fontanella *d. deciſ.* 296. *num.* 1. ſed etiamſi ſupplicatum eſſet tali ſupplicatione, quæ regulariter impediret ſententiarum, ſeu proviſionum exequutionem, ita quod de ſtylo, & regulariter haberet effectum devolutivum, & ſuſpenſivum, qualem ſtylum adeſſe in Catalonia, quando ab interloquutoriis in Senatu ſupplicatur contrario imperio, teſtatur idem Fontanella *eadem deciſ.* 296. *n.* 2. *&* 3. Nam etiam hujuſmodi ſupplicatio non impediret exequutionem proviſionis alimentorum, exiſtente alimentario in urgenti neceſſitate, nec habête aliunde unde ſe aleret, ut decidiſſe Senatum Cataloñiæ refert idem Fontanella *allegata deciſ.* 296. *n.* 11. 12. *&* 13. ob rationem, ne alimentarius tanta neceſſitate ſeu inopia laborans fame pereat; neceſſitas enim non habet legem, & facit licitum quod aliàs non foret ſine ea, *l.* 2. *Cod. de navibus non excutandis, lib.* 11. *l. cùm ad feliciſſimum*, *Cod. de quibus numer. lib.* 11. & facit ut à regulis juris diſcedatur, *l.* 1. *ff. de offic. conſult.* cum ſimilibus, & latè Iaſon *in l. Principalibus, poſt num* 2. *ff. ſi certum petatur*, & Caſtillo *de tertiis, c.* 9. *n.* 24. ubi quod neceſſitas non ſubjicitur legi, ſed ipſa facit legem, & derogat omnibus legibus, & diſpoſitioni cuicumque. Cancerius *var. p.* 3. *cap.* 16. *n.* 153. & idem Fontanella *d. deciſ.* 296. *n.* 12. Qui etiam *n.* 17. addit, quod dictum eſt de appellatione, & ſupplicatione, idem dicendum eſſe de reſtitutione minoris in integrum, ſi incidenter peteretur adverſus ſententiam alimentorum in futurum præſtandorum ad effectum impediendi exequutionem; ſcilicet non obſtante reſtitutione petita, judicem debere proviſionem alimentorum factam actori pauperi non habenti aliunde ut vivat, mandare exequutioni; idque ob regulam ſuperius traditam privilegii alimentorum pauperi debitorum, ſeu decretorum, ne impediatur exequutio eorum per appellationem, aut ſupplicationem; quia quanvis hujuſmodi reſtitutio non ſit appellatio, nec ſupplicatio, militat tamen eadem ratio celeritatis, ne interim alimentarius fame pereat; & quia etiam talis reſtitutio ſit quædam ſpecies appellationis, ut tradit Lancellotus *de attent.* 2. *p. c.* 18. *de attent. reſtitut. in integrum pendent. num.* 11. *&* 12. etiam allegatus ab eodem Fontanella, qui *num.* 22. teſtatur ita in facti contingentia judicaſſe Senatum Cataloniæ 26. Octobr. 1633. repulſa enim reſtitutione decrevit proviſionem alimentorum exequutioni mandandam antequam permitteretur parti admitti ad merita reſtitutionis: limitatur autem præcedens doctrina quando ipſe condemnatus haberet promptam probationem, putà aliquod inſtrumentum, aut aliàs, quo in promptu oſtenderet injuſtitiam proviſionis, & læſionem minoris; tunc enim non fore repellendam reſtitutionem in integrum quoad effectum impediendi exequutionem proviſionis, ſentit Fontanella *d. deciſ.* 296. *num.* 20. quemadmodum ad effectum impediendi exequutionem trium conformium, ſimilem incontinenti oblatam probationem ſuper læſione ſufficere tradunt Menochius *de arbitr. caſu* 9. *n.* 3. & Lancellotus *dicto cap.* 18. *num.* 92. Addit tamen idem Fontanella, id prudentis judicis arbitrio dijudicandum relinqui, eo quòd non ſit ita clarè in jure definitum.

§. VII.

In cauſa alimentorum ſi contra alimentarium petentem lata ſit ſententia, admittitur appellatio in favorem ejuſdem alimentarii.

DEnique in præfatæ communis concluſionis propoſitione dixi, *à ſententia, qua decernuntur alimenta præſtanda non habenti, &c.* quia etſi à ſententia alimentorum lata in favorem alimentarii, ſeu ejus cui alimenta debentur, & à quo petuntur, non admittatur appellatio quoad effectum ſuſpenſivum; tamen ſi contra eundem alimentarium petentem, ſive jure actionis, ſive officio judicis lata ſit ſententia, illi permittitur omninò appellatio, quia ceſſat cauſa propter quam appellatio à jure, & Doctoribus non permittitur, nempe ceſſat illa ratio celeritatis, eo quòd venter non admittit dilationem; quæ eſt unica ratio prohibendi appellationem à ſententia quæ decrevit alimenta in futurum petenti pauperi præſtanda, ita quod in favorem ejuſdem alimentarii petentis, ne fame periret, dum appellationis cauſa cognoſceretur à jure, & Doctoribus, non admittitur appellatio illa quoad effectum ſuſpenſivum exequutionis ſententiæ pro ipſo lata. Quare ne retorqueatur in ejus odium quod eſt introductum in ejus beneficium, eidem licebit omninò appellare à ſententia contra ipſum dicta, ut poſt Menochium *de adipiſcenda, rem.* 4. *num.* 876. Baldum Novellum *tract. de dote, p.* 9. *ſpeciali* 7. *in fine*, Angelum, Tiraquellum, & alios tradunt Surdus *tit.* 8. *allegato privilegio* 60. *n.* 25. 26. 27. *&* 28. & Molfeſius *ad conſuet. Neapol. tom.* 1. *p.* 5. *citata q.* 4. *n.* 20. 1124

Nonnulla Corollaria ex ſupradictis.

EX traditis nonnulla alia privilegia, ſeu ſpecialia cauſæ alimentorum futurorum hic ſummariè ſunt notanda, ſeu colligenda.

Primum Corollarium.

Iudicium alimentorum futurorum eſt ſuſpenſivum negotii principalis.

ET primò ſicut appellatio interpoſita in cauſa alimentorum futurorum non ſuſpendit exequutionem ſententiæ, ſed ſolùm admittitur quoad effectum devolutivum: ita etiam appellans non auditur, niſi priùs ſolvat alimenta, ita quod negotium, ſeu judicium alimentorum futurorum eſt ſuſpenſivum negotii principalis. Ita Rota Romana *deciſ.* 22. *apud Verallum part.* 1. quam ſequuti ſunt Contardus *in l. unica, in* 3. *limit. n.* 57. *Cod. ſi de moment. poſſ.* Surdus *de alim. tit.* 8. 1125

privileg. 96. Matescottus *var lib.* 2. *cap.* 83. *n.* 8. *& seqq.* & eadem Rota Romana *in Bitnntinn separationis tori, 17. Iunii 1596. coram Pamphilio.* Probat Rota *d. decis.* 22. *n.* 3. *ex doctrina Abbatis in cap. tuam, de ordine cognit.* quod causa privilegiata non admittit concursum alterius judicii, sed illud suspendit. Sed vera, & evidens ratio est, quam eadem Rota ibidem subdit, & adducit etiam Surdus, scilicet quia si esset in potestate rei appellantis denegando alimenta procedere in negotio principali, alimentorum præstatio non serviret causæ ob quam præstari debent, quæ est ut alimentarius vivere, & litem sustinere possit. Cùm ergo appellans negando alimenta subtrahat parti defensionem, non debet audiri, &c. & ad id alia exempla adducit Surdus apud ipsum videnda. Addunt Rota *d. decis.* 22. *n.* 7. & post eam Matescottus *d. c.* 83. *n.* 20. hoc idem procedere tametsi ab appellante opponatur, quod alimenta essent illiquida; tunc enim aiunt debere auferri cautionem de solvendo, vel fieri depositum pro illorum cautione, aliàs de negotio principali cognosci non posse: & ad id Rota plures Doctores *d. n.* 7. allegat, & Matescottus refert in terminis, quod ubi alimenta non sunt taxata, nec à debitore solvuntur, interim in negotio principali pro utraque parte sit supersedendum, ut in judiciis servetur æqualitas, tenuisse eandem Rotam *in d. Bituntina*, in qua ait fuisse dictum, quod renuens solvere alimenta potest cogi omni juris auxilio, cùm hoc modo idemnitati partis succurratur.

Secundum Corrollorium.

Causa alimentorum futurorum est summaria, nec in ea requiritur libellus, aut permittenda reo sunt calumniosa dilationes.

1126 SEcundò causa alimentorum futurorum ubi petuntur à paupere aliunde non habente unde se alere possit, est summariè tractanda, seu in ea proceditur summariè, omni dilatione rejecta, ut decrevit Rota Rom. *decis.* 22. *num* 4. & alios allegantes Corduba Lara *in l. si quis à liberis, §. si vel parens, n.* 1. *&* 2. Lud. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 75. *& c.* 16. *n.* 39. Spino *in speculo testam. glossa* 16. *n.* 9. & Surdus *de alimentis, tit.* 8. *privil.* 2. *n.* 1. *& seqq.* Ratio deducitur ex suprà dictis, scilicet quia hujusmodi causa non recipit dilationem, sed requirit celeritatem, ne alimentarius fame pereat, cum quotidie homo vivens egeat alimentis, victu, vestitu, & cæteris, ut vivere possit. Probant etiam præfati Doctores, & alii communiter ex textu *in d. § si vel parens*, quia etsi textus non dicat alimentorum causam, sed filiationis esse summariam; nihilominus cùm causa filiationis summariè juxta eundem textum tractanda sit ad effectum, ut decernantur alimenta; multò magis secundùm mentem Jurisconsulti *ibidem*, erit summariè tractanda causa alimentorum, juxta illud, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Quare minùs rectè Corduba *d. §. si vel parens, n.* 2. sequutus Albericum *in l. fin. ff. de appellat. recip.* dixit hoc corrollarium non probari per dictum textum. Procedit corollarium, etiamsi alimenta futura debita sint, & petantur jure actionis, putà ex contractu, vel legato non debeantur, & non solùm judicis officio, dummodo creditor petens sit pauper aliunde non habens unde vivere possit, ut expressè post Gul. Cuneum, Alexandrum tradit Surdus *de priv.* 2. *n.* 16. & & colligitur ex traditis *suprà*, *n.* 116. quia etiam quando alimenta debentur, & petuntur jure actionis, si creditor est egens, militat eadem ratio favoris alimentorum, ut *d. n.* 116. notatum est. siquidem non in eo quod jure potiùs actionis quam officio judicis petantur alimenta, consistit discrimen, aut favor alimentorum futurorum, sed in eo quod debeantur pauperi, & aliunde non habenti; quia tunc alimenta requirunt celeritatem, ita quod inopia ipsa, seu necessitas petentis est causa favoris, & ut summariè in eis procedatur; ac proinde eadem inopia, seu necessitate cessante, cessat hujusmodi favor, & etiam alii favores ut *suprà num.* 1121. dictum est. Quare Doctores qui aiunt corrollarium non procedere quando alimenta petuntur jure actionis, intelligendi sunt quando petens non est egenus, sed habet aliunde unde possit se alere. Vnde etiam corrollarium non procedit in alimentis præteritis, cum in his non militat ratio necessitatis & celeritatis, ut suprà *n.* 1119. notatum est, & ita in his terminis Surdus *d. privil.* 2. *n.* 4. post Baldum *in l.* 1. *n.* 6. *C. de fideicom. & in l. de alimentis, in* 2. *lect. Cod. de transact.* Jasonem *in d. l. de alimentis, n.* 5. Ancharanum *in Clem.* 1. *de jurepatron.* & alios: etsi videatur idem dicendum quando petens est inops, nil aliud habens unde vivat.

1127 Ex hoc autem, quod hujusmodi causa alimentorum futurorum, quando à paupere petuntur ut sibi debita, est summaria, quæ de plano, & celeriter expediri debet, infertur in ea non esse necessarium libellum, ut docent post alios communiter, quos latè referunt, Corduba *in d. § si vel parens, n.* 16. & Surd. *d. privilegio* 2. *n.* 3. eo quòd in causis summariis non est necessarius libellus. Addit tamen Corduba post Albericum, necessariam esse qualemqualem petitionem; sed Surd. dicit id requiri in aliis causis summariis, non verò esse necessarium in causa alimentorum: & subdit etiam libellum non esse necessarium quoad patrem, licèt in aliis causis summariis reperiatur quoad partem, non quoad judicem, per Baldum & Jasonem locis à se ibidem citatis: de quo videndus Alün. *in praxi, §.* 4. *c.* 3. Limitatur verò hæc illatio, ut procedat si causa alimentorũ sit levis, secus verò si fuerit gravis: ita post Bartolum *in l. ne quicquam §. de plano, n.* 1. *ff. de officio proconsul.* & plures alios Jurisperitos Corduba *d. n.* 16. & Surdus *de privileg.* 2. *n.* 3. Sicut autem non requiritur libellus, ita etiam litis contestationem non esse necessariam, post alios tradunt Corduba *d. §. si vel parens, n* 16. & Surdus *d. privil.* 2. *n.* 5. per generalem, quod in summariis non requiritur contestatio.

1128 Hinc etiam in causa alimentorum futurorum debent concedi dilationes breviores, quia cùm hæc causa alimentorum futurorum celeriorem postulet expeditionem, quia venter non admittit dilationem ut omnes Doctores suprà *n* 1113. relati, & alii communiter tradunt, quos Surdus *d. privil.* 2. *n.* 6. refert, longiores, & calumniosas dilationes in hac eadem causa alimentorum præcipuè abhorrent iura, ut expressè post Vincentium de Franchis *decis.* 65. *n.* 3. docet Molfesius *ad consuet. Neap. tom.* 1. *p.* 5. *q.* 4. *n.* 11. & etiam Surdus *d. n.* 6. per textum *in l.* 2. *ff. de judiciis*, & alii apud eundem.

CAPUT VIII.

Causa alimentorum futurorum, quæ debentur pauperi aliunde non habenti unde se alere possit, agitari potest tempore feriarum, & festorum.

QUartò eadem causa alimentorum futurorum, quando debentur pauperi aliunde non habenti unde possit se alere, ab eoque petuntur, temporibus feriatum, in quibus aliàs quis molestari in judicio non potest, & acta redduntur nulla, *cap. fin. de feriis, & l. fin. Cod. eod. tit.* potest agitari, & jus dici. Ita alios allegantes Corduba *in d. §. si vel parens, num.* 3. *ad* 7. Simon de Pretis *de interpr. ult. vol. lib.* 4. *interp.* 2. *dub.* 11. *n.* 98. Spino *d. glossa* 16. *n.* 9. Surdus *de privileg.* 2. *n.* 7. 10. *&* 11. Tiraquellus *de priv. causa pia, privileg.* 56. Cevallos *commun. contra commun. q.* 760. *à n.* 4. & August. Barb. *collect. ad c. ult. n.* 38. 1129

*num.*38. *de feriis*, & probant Doctores per textum *in l.*2. *ff.de feriis*: & ratio est, quia non patitur dilationem propter necessitatem naturæ, ne alioquin alimentarius fame pereat, vel periculo petendi expositus maneat; & cùm alimenta debeantur pauperi, censeatur causa pia, ut post alios notat Tiraquell. *citato tractatu, in præfatione, verbo Legatum alimentorum*, Surdus *d. tit.*8. *privil.*1.*num.*1. & Corduba *d.* §. *si vel parens*, *num.*7. & ego *tom.*2. *var. mor. tit.*12. *n.*253. in causa autem pia potest procedi etiam in feriatis diebus: ita latè post alios Tiraquellus *d. privil.*156. Corduba *d. num.*7. & Surdus *d. privil.*2. *num.*10.*&*12. Extenditur ut in hujusmodi causa alimentorum futurorum pauperi debitorum procedi possit, & jus dici etiam in feriis ad honorem Dei introductis, quæ non servantur ubi pietas, vel necessitas subest, *cap. fin. de feriis*; & propter necessitatem relaxatur solemnitas quoque juris divini, eo quòd necessitas habeat pietatem, & charitatem annexam; & in operibus pietatis, & misericordiæ non est habenda distractio dierum, *can. etiam, dist.*28. *can. nunquam, de consecrat. dist.*1. & ita in præsenti specie cum aliis Tiraquellus *d. privil.*156. Corduba *d.* §. *si vel parens*, *n.*6. *&* 7. Spino *d. glossa* 16. *num.*13. & Surdus *d. privil.* 2. *num.*2. *& tribus seqq.* Et confirmatur magis, quia si quis fame laboret, potest diebus feriaris in honorem Dei, etiam in die Nativitatis, vel Resurrectionis Christi Domini operari, dummodo sine scandalo aliorum, ut suæ provideat necessitati, juxta Canonistas *in cap. Licet etiam, de feriis*, Summistas, & Theologos omnes: ergo etiam in causa alimentorum, ne creditor fame laboret, & pereat, poterit in iisdem diebus jus dici. Quæ omnia procedunt etiamsi à paupere petantur alimenta in futurum jure actionis sibi debita, idque propter tradita *num.*1126. & expressè cum aliis tradit Surdus *d. privil.* 2. *num.*15. *&* 16. & Corduba *d.* §. *Vel parens*, *num.*15. & alii ab eodem relati, negantes procedere ubi alimenta debentur jure actionis, qui intelligendi sunt quando debentur diviti aliunde habenti unde vivat, non verò quando petuntur ab egeno, qui aliunde se non potest alere. Quoties enim petens alimenta est dives, & aliunde potest se alere, jam tunc cessat necessitas, & consequenter ratio privilegii, & illorum causa non potest agitari in diebus feriarum, ut post alios notant iidem Corduba *num.*14. Surdus *d. privil.*2. *num.*17. Cevall. Barbosa, & alii. Et propter eandem rationem non urgentis necessitatis in iisdem temporibus feriarum, non potest agitari causa alimentorum præteritorum: ita iidem Corduba *num.*12. Surdus *num.*14. Cevallos, & Barbosa.

§. IX.

Alimenta futura pauperi relicta, seu aliàs debita peti possunt ab hærede intra trimestre ei concessum ad conficiendum inventarium.

1130 QUintò etsi hæres intra trimestre sibi à jure concessum ad conficiendum inventarium bonorum hæreditatis, non potest à creditoribus hæreditatis, vel à legatariis conveniri, *l. fin.* §. *Donec, Cod. de jure deliberandi*, & cum aliis Surdus *de alim. tit.*8. *privil.* 11. creditor tamen alimentorum futurorum pauper non habens aliunde ut se possit alere, eo trimestri durante pro alimentis consequendis agere potest, & illa consequi debet. Ita post alios Surdus *d. privil.* 11. *num.*3. venter enim non patitur dilationem, juxta tradita in præcedentibus: & quando alimenta debentur pauperi, concernunt pietatem, ut pariter suprà dictum est, & sic gaudent favore causæ piæ: pro relictis autem ad causam piam hæres convenitur durante tempore ad conficiendum inventarium, ut tradit Tiraquell. *de privil. causa pia privil.*24. Surd. *d. priv.*11. *n.*4. & alii apud eosdem. Secus autem esset si creditor alimentorum esset dives, aliunde habens unde posset vivere, vel peteret alimenta præterita: tunc enim cessat necessitas, & ratio privilegii, & ita etiam cessare debet privilegium, ut ex supradictis constat, & in terminis tradit Surdus *loco citato*.

§. X.

Alimenta futura pauperi ex legato debita peti possunt, & solvi debent hæreditate non adita.

SExtò etsi aliàs legata peti non possint, non adita, seu repudiata hæreditate, *l. si nemo*, *ff. de testam. tutel. l.* 3. *ff. de legat.*3. *l. si quis omissa*, *ff. si quis omiss. caus. testam. l. Eam quam, Cod. de fideicom. & l. Veritas, Cod. eod.* alimenta tamen futura debita ex legato, vel alio titulo, quorum solvendorum obligatio transit in hæredem defuncti, qui ad ea solvenda astringebatur, peti possunt, & debent præstari ante aditam hæreditatem, quando legatarius, seu creditor est egenus, non habens aliunde unde se alere possit. Ita Corduba *in d. l. si quis à liberis*, §. *utrum*, *n.* 26. Surdus *de alim. d. tit.* 8. *privil.*12. *n.*2. *&* 5. alii apud eosdem, & ego ipse *tom.*2. *mor. var. tit.*12. *n.*121. Ratio deducitur ex dictis, & ex traditis *d. n.*121. scilicet quia alimenta pauperi, & necessitate alimentorum laboranti relicta, vel aliis debita, non admittunt dilationem; & quia hujusmodi causa alimentorum, quando egeno debentur, & præstanda sunt, est pia, seu concernit pietatem, & charitatem, ut suprà dictum est; favore autem causæ piæ introductum est, ut legata pietatem concernentia præstari debeant hæreditate non adita, quacumque ex causa adita non fuerit, ut docet post alios Tiraquellus *de privil. causa pia, privil.*33. & Surdus *d. privil.*12. *n.* 2. & latè probavi *d. tit.*12. *n.*115. *&* 116. 1131

§. XI. continens nonnulla alia Corollaria.

In causa dotis, subsidii charitativi, pensionis impositæ pro alimentis, & mercedis pauperi debitæ, non admittitur appellatio quoad effectum suspensivum.

SEptimò ex eadem communi conclusione superiùs *num.*1113. tradita, inferri etiam in causa dotis non dari appellationem à sententia decernente dotem esse solvendam, tradidere Bartolus *in l.* 1. *ff. solut. matrim.* Baldus Novellus *de dote*, *p.* 9. *speciali* 7. & oportet sentiant Doctores asserentes causam dotis posse agitari tempore feriarum, & festorum, quos latè referunt, & sequuntur Corduba *in l. si quis à liberis*, *d.* §. *si vel parens*, *n.*9. 10. *&* 11. *ff. de agnosc. liberis*, & Augustinus Barbosa *ad Decretales, collect. ad cap. ultimum*, *n.*89. *de feriis*. Rationem afferunt, quia dos succedit in locum alimentorum, *l. Si cùm dotem*, §. *Sin autem*, *ff. soluto matrimonio*, & sæpiùs suprà dictum est, unde valet argumentum de alimentis ad dotem; & etiam in præcedentibus hoc opere suprà est notatum. Item ex eadem conclusione inferri, in subsidio charitativo ab Episcopo imposito, cùm pro alimentis Episcopi imponatur, non dari appellationem quoad effectum suspensivum, tradit Bellencinus *de charitativo subsidio*, *q.*55. & post eum Surdus *d. priv.*60. *n.*9. Item ob eandem rationem inferri, non dari eandem appellationem in pensione quæ assignetur, vel reservetur pro alimentis, tradit Gigas *de pens. q.*95. & 1132

post eum Surdus *d. num. 9.* Item inferri in causa mercedis, seu salarii, a sententia in favorem operarii lata non dari appellationem suspensivam, resolvit Rota *allegata decis. 764. p. 1. diversorum.* Quæ tamen omnia corollaria intelliguntur quando in causa dotis, charitativi subsidii, pensionis, & mercedis, vel alia simili alimentorum, ob paupertatem illius cui debentur, non habentis aliunde ut se possit alere, non petitur dilatio, sed celeritatem requirit, ut etiam expresse tradidere Martinus de Fano, & plures alii antiquiores relati à Baldo Novello *d. speciali 7.* idem Novellus *ibidem*, Rota *d. decis. 764.* Surdus *de alim. tit. 8. privil. 60. num. 21.* & Merenda *controv. juris tom. 4. lib. 23. cap. 43. num. 58. fine*, & constat ex traditis supra *hoc capite*, præsertim *num. 1121.* Advertendum circa alimenta futura, & alia modò enumerata alimentis similia, seu quæ alimentorum rationem habent, quod sicut quando debentur pauperi aliunde non habenti unde vivat, non datur appellatio suspensiva exequutionis sententiæ, quia tunc alimenta non admittunt dilationem; ita etiam ob eandem rationem, quando in alimentorum causa dilatio non petitur, debitum alimentorum, cùm pauperi debentur, non admittit compensationem, ut habetur expresse *l. 3. Cod. de compensationibus*, & tradunt Pontanus *de alim. cap. 19. n. 2. fine*, Gigas *de pens. quæst. 92. n. 4.* Bellencinus *q. 53.* & alios latè allegantes Surdus *tit. 8. privil 53. n. 5.* Stephanus Gratianus *tom. 4. cap. 728. n. 32. ad finem*, & August. Barbosa *collect. ad d. l. 3. n. 12. Cod. de compensationibus*: & ob eandem rationem non dari compensationem in pensionibus, quæ pro alimentis sunt reservatæ, tradunt Gigas, Surdus, Gratianus, Augustinus Barbosa: nec in charitativo subsidio, tradunt iidem, & Bellencinus: item non dari compensationem in debito ex causa victuali, *l. ob negotium*, ubi Glossa & Bartolus, *ff. de compensat.* & Surdus *de privilegio 53 n. 7.* Neque dari in stipendiis, seu alimentis scholasticorum, tradit Rebuffus *d. privileg. scholast. privil. 168.* Barb. *ubi suprà*, ubi etiam post alios addit non habere locum compensationem in Doctoribus petentibus sua salaria, neque in decimis.

SUMMARIUM

Capitis XX.

Pater non potest in suo testamento prohibere ne filiis suis alimenta præstentur, n. 1133.

Neque etiam juramento potest filium egentem privare alimentis, n. 1134.

Procedunt prædicta etiam in filiis illegitimis, tam naturalibus, quàm spuriis, n. 1135. & 1136.

Statuto, vel lege Principis alimenta vitæ sustentandæ necessaria à parentibus filiis debita tolli non possunt; unde non valeret lex, seu statutum mandans patrem non teneri alere filium egentem etiam spurium, vel majorem annis decem & octo, num. 1137. 1138. & 1139.

Non potest introduci, nec valet consuetudo, quod filii egentes non alantur à parentibus, n. 1140.

Legitimam filiis de jure communi debitam in totum, etiam quatenus respicit alimenta vitæ sustentandæ necessaria, statuto tolli posse affirmarunt plures, n. 1141.

Communis sententia, non posse tolli in totum, quatenus legitima comprehendit etiam alimenta vitæ necessaria, si illa filius aliunde habere non potest, num. 1143.

Legitima potest in totum tolli statuto, quando filius aliunde, putà ex propriis bonis, vel artificio habet unde victum necessarium consequatur, n. 1144.

Potest etiam tolli statuto ex causa aliqua, ob quam filiis alimenta à Patre possunt denegari, num. 1145.

Alimenta quæ filiis egentibus à parentibus ratione sanguinis, & jure naturali debentur, tolli posse per pactum vel transactionem, videtur asseruisse Molina, num. 1146.

Communi Doctorum sententia est, præfata alimenta, neque pacto, neque transactione super illis facta, neque cessione, neque renunciatione tolli posse, num. 1147.

Procedit communis sententia etiamsi pactum, vel transactio, aut renunciatio facta per filium esset juramento confirmata; adhuc enim non valeret, nec juramentum obligaret ubi filius laboraret urgenti inopia, nec aliunde haberet unde sibi posset de alimentis vitæ necessariis providere; idque verum etiamsi filius à patre accepisset portionem pro alimentis totius vitæ, quam postea consumpsisset, n. 1148. 1149.

Iuramentum contra jus naturale dicitur contra bonos mores, n. 1148.

Pater non potest pacto renunciare alimentis sibi ad vitam sustentandam necessariis, à filio debitis, etiamsi renunciationem confirmet juramento, numero 1150.

Quomodo intelligendi Doctores dum asserunt transactionem super alimentis futuris, vel illorum renunciationem addito juramento factam, valere, num. 1151.

Alimenta quæ debentur in futurum ex testamento, vel alia ultima voluntate, non potest alimentarius cedere vel renunciare, vel super eis transigere sine judicis authoritate, causâ cognitâ, & servatis dispositis in l. cùm hi, ff. de transact. *& etiamsi alimenta sint diviti relicta, n. 1152.*

Quæ fuerit ratio dictæ dispositionis, ibidem.

Illi renunciari non potest, ibidem.

Super alimentis præteritis ex ultima voluntate debitis valet transactio, & illorum renunciatio, vel cessio sine judicis decreto facta, n. 1153.

Transactio super alimentis futuris ex ultima voluntate debitis fieri potest sine judicis auctoritate, si id testator expressè permiserit, n. 1154.

Item si per transactionem, aut cessionem fiat melior conditio alimentarii, quia cedat in ejus majorem utilitatem, 1155.

Qui tamen cum alimentario transigit, ad transactionem sustinendam tenetur probare utilitatem, ibid.

Satne sit utilitatem transactionis apparere ex postfacto, an debeat adesse de tempore contractus. ibid.

Si appareat ex postfacto, an alimentarius qui sine decreto judicis transigit, possit dicere de nullitate transactionis, & illam rescindere, ibid.

Deficiente solemnitate necessaria, actus non præsumitur utilis, secus si solemnitas intervenit, n. 1155.

In transactione super alimentis futuris facta solemnitas decreti judicis non præsumitur etiam ex lapsu longi temporis, ibidem fine.

Solemnitas extrinseca non præsumitur quando est talis, cui partes renunciare non possunt, ibid.

Transactio super dictis alimentis non valet quando gratis remittuntur alimenta, licèt interveniat judex, n. 1156.

Aliud est transigere, aliud est renunciare, ibid.

Transigere super præfatis alimentis licet sine judice, si alimenta sint minima, n. 1157.

Transactio super alimentis futuris ex ultima voluntate debitis, vel eorum renunciatio sine judicis authori

authoritate facta, etsi juramento confirmata, non valet, secundùm sententiam multorum, n. 1158.

Communior sententia affirmat, per adjectionem juramenti effici validam, n. 1160. quæ sententia limitatur in alimentis à patre relictis filio, ibidem fine.

Transactio super alimentis futuris jurata non valet, si alimentarius priùs juravit non transigere, n. 1162. Contrarium, ibid.

Renunciatio alimentorum ultima voluntate relictorum, facta ab alimentario paupere laborante urgenti inopia, juramento firmata non valet, nec juramentum obligat, n. 1163.

iuramentum, per quod quis incidit in periculum famis, sicut & per quod quis incidit in periculum mortis, est contra bones mores, nec servandum, ibid.

Renunciatio, & transactio eorundem alimentorum sine judice firmata juramento, facta ab alimentario non laborante inopia, valet; si tamen alimentario superveniat urgens inopia, seu extrema egestas, non obstante juramento, potest tunc petere alimenta vitæ sustentandæ simpliciter necessaria, n. 1164.

Ad effectum tunc petendi illa alimenta, an præmittenda juramenti relaxatio, ibid.

Iuri prohibitivo introducto principaliter ob publicam utilitatem, etiam cum juramento renunciari non potest, n. 1158. secus si principaliter ob privatam utilitatem, licèt secundariò in publicam resultet, n. 1160.

Iuramentum non validat actum de jure nullum, sed solùm addit Religionis vinculum, num. 1158. Contrarium, n. 1163.

Iuramentum additum actui de jure nulli, quatenus respicit actum super quo juratur, illum non efficit de nullo validum, quatenus verò respicit personam, seu spectat ad personam jurantis, illam obligat servare fidem, vel obtinere illius relaxationem antequam jurans contraveniat, n. 1158. fine.

Data doctrina, quod juramentum non efficiat validum actum aliàs nullum, sed solùm obliget jurantem servare fidem, sequitur quod hæres jurantis possit contravenire actui; quod secus esset si juramentum efficeret validum actum nullum, n. 1158.

Item sequitur, ut qui juravit, postquam servavit juramentum, possit postea repetere per condictionem sine causa, ibid.

Doctrina quod juramentum sortiatur naturam actus, cui adjicitur, nec augeat obligationis effectum, sed tantùm addat religionis vinculum, declaratur procedere quando actus est nullus propter defectum consensus contrahentis, n. 1159.

De efficacia juramenti actui de jure civili nulli adjecti, qui Doctores tractent, n. 1164. fine.

De intellectu legis cùm hi, ff. de transact. *qui plenè agant, num. 1165.*

Decisio dictæ legis restringitur ad transactionem super alimentis ultima voluntate debitis, n. 1166.

Super alimentis ex alia causa, quàm ex ultima voluntate debitis, putà donatis non causâ mortis, vel ex contractu inter vivos celebrato sine Iudicis interventu, potest validè transigi, & illorum renunciatio fieri. ibid.

Quæ sit diversitatis ratio, cur jus prohibuerit transactionem inconsulto Iudice super alimentis futuris ex ultima voluntate debitis, permiserit autem transactionem, & renunciationem de alimentis ex actu inter vivos debitis, ibid.

Majori diligentia conservantur quæ cum laboribus acquiruntur, quàm quæ nobis relinquuntur, ibid. fine.

Pensio super beneficio alicui Clerico reservata, citra vitium simoniæ potest gratis remitti absque Papæ authoritate, n. 1167.

Absque labe simoniæ non potest pretio, seu pecunia redimi, extingui, aut transferri, ibid.

Pensionem pro alimentis pensionarii ei assignatam, non posse per transactionem, vel gratuitam renunciationem remitti absque authoritate Superioris, dixerunt multi, n. 1168.

Hæc sententia est probabilis quoad pensionem pro alimentis motu proprio Papæ reservatam, n. 1169.

Probabilius est, omnem pensionem sine motu proprio Papæ reservatam, sive de præcedenti partium consensu, & ad eorum preces, posse gratis remitti absque authoritate Superioris, n. 1170.

Pensio aliquando æquiparatur ultimæ voluntati, nempe legato; aliquando contractui profano, & quando id contingat, n. 1169.

Mulier an sine Iudicis authoritate possit renunciare quartæ matrimoniali in casu, quo aliàs illi deberetur, juxta authenticam præterea, Cod. unde vir, & uxor, *num. 1171.*

Vxor sine Iudicis authoritate non potest renunciare alimentis sibi occasione dotium debitis, n. 1172.

CAPUT XX.

An obligatio alendi filios tolli possit. Vbi etiam quid de alimentis in futurum debitis ex ultima voluntate, vel alia causa, v. g. ex pacto, vel contractu inter vivos celebrato.

PLuribus modis tolli contingere potest, scilicet parentum voluntate, statuto, consuetudine, pacto partium, cessione, transactione, & renunciatione. Igitur sit

§. *Primus.*

Pater non potest in suo testamento prohibere, ne filiis suis etiam spuriis alimenta præstentur, nec se juramento obligare ad non præstandum.

DUbium primum, an pater suo testamento pro- 1133
hibere possit, ne filiis suis, vel alicui filio suo præstentur alimenta. Respondetur non posse, juxta Doctores communiter, ac proinde non obstante prohibitione paterna, filius illa poterit petere, si illis egeat, non habens aliunde unde vivere possit. Ita Doctores infra allegati loquentes de filiis naturalibus, & filiis spuriis, & in specie de filiis legitimis, & naturalibus, Gallus *observat. practic. lib. 2. observ. 122.* Surdus *de alimentis, tit. 1. quæst. 1. & tit. 8. privil. 56.* Marta *de successionibus, p. 1. quæst. 18. art. 2. n. 9.* Item Covarruvias *de spons. p. 2. cap. 8. §. 6. num. 5. versic. Quartò deducitur*, & uterque Molina locis suprà *n. 381.* relatis, quatenus aiunt patrem institutorem primogenii, seu majoratus, non posse privare, seu excludere secundogenitos ab alimentis, præsertim necessariis, juxta naturæ exigentiam. Ratio est, quia alimenta vitæ sustentandæ necessaria filiis quibuscumque jure naturæ stricto, & obligante in conscientia, & coram Deo debentur, ut suprà *num. 6. & seq.* probatum est, & sentiunt communiter Doctores ibidem relati: contra legem autem naturalem nemo, præsertim privata authoritate, potest disponere, nec naturalia mutare, quæ de sui natura sunt immutabilia, *§. sed naturalia, Instit. de jure naturali.* Confirmatur, quia testator non potest facere quod leges effectum non sortiantur. Juxta leges autem civiles alimenta filiis legitimis aliunde non habentibus parentes præstare tenentur, *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* & latiùs suprà *c. 3. & sequentib.* probatum est.

Hinc pater, nec etiam cum juramento potest filium 1134
privare alimentis, quibus eget, non habens aliunde

unde de illis sibi possit providere, ut tenet Surdus *d. q. 1. num.18. & d. privileg.65. num.54. fine*, & habetur *cap. cùm quidam, de jurejur.* ubi dicitur, *quod tale juramentum est illicitum*, cùm juramentum non sit vinculum iniquitatis, ut notant ibidem Glossa *verbo Ad cautelam*, Baldus *n.2.* & Felin. *n.11.* & confirmatur, quia juramentum nihil operatur in iis quæ non pendent à potestate operantis, ut si contractus reprobetur favore tertii, ut post Tiraquellum *in præfat. l.si unquam, num.92. & 164. Cod. de revoc. donat.* & alios tradit Surdus *d. quæst.1. num.19.* Quare si pater jurasset non præstare filio alimenta, adhuc teneretur præstare, imò etiamsi portionem pro alimentis sibi assignatam filius etiam dolo, & culpâ suâ consumpserit, cùm etiam tunc pater jure naturæ teneatur alimenta simpliciter vitæ necessaria filio præstare, ut suprà suo loco probatum est, & ita tradunt quoque Corduba à Lara *in l.si quis à liberis, §. parens, n.85.* & Surdus *d. privil.56.n.20.*

1135 Extenditur præfata responsio communis, ut nec filio naturali pater possit in suo testamento prohibere alimenta præstari, ut dixi suprà *num. 160.* & expressè tradunt Baldus *in l. id quod pauperibus, num.38. Cod. de Episcop.* Marsilius *singulari 358.* Marta *d. art.2. num.9.* Doctores *num. seq.* allegati, & alios allegantes Surdus *de alim. tit. 1. quæst.9. num. 2.* & August. Barbosa *collect. ad Auth. licèt, n.8. Cod. de naturalib. lib.* Probatur extensio eadem ratione, scilicet quia jure naturali proprio, & stricto hujusmodi filiis illegitimis naturalibus parentes obligantur præstare alimenta sustentationi vitæ necessaria, si aliunde non habent unde de illis sibi provideant, ut latè probatum est suprà *n. 16. & 17.* & juri naturali accessit jus civile *in d. Auth. licèt*, ut suprà *num.158.* notatum est, & tradunt Doctores ibidem relati; & testator propria authoritate non potest facere ut leges effectum non sortiantur, ut dictum est; imò etiamsi pater juraverit non alere filium naturalem, adhuc obligatus remanebit alere, ut suprà *n.1133.* dictum est de filio legitimo, & naturali, cùm in utroque militet eadem ratio obligationis juris naturæ.

1136 Extenditur præterea eadem responsio, ut neque filio spurio pater in testamento prohibere possit ministrari alimenta vitæ sustentandæ necessaria, ita quod prædicta prohibitione non obstante, poterit illa ab hæredibus petere, & consequi, si aliunde habere nequeat: ita præter alios Doctores, quos ad id allegavi suprà hoc opere, *num. 196.* Baldus, Marsilius, Marta locis *num. præced.* relatis, Covarr. *d. §. 6. n.5. fine*, Ascan. *de potest. patr. cap.5 num.36.* Surd. *de alim. tit.1. quæst.23. num.15.* & alii apud eundem. Convincit eadem ratio, scilicet quia etiam filiis spuriis quibuscumque jure naturali stricto, & obligatorio tenentur parentes subministrare alimenta vitæ necessaria, quando aliunde nequeunt habere, ut probatum est suprà *hoc opere, n.10. & 12. & n.181.* ubi etiam propterea probavi, neque etiam jure civili filiis spuriis denegari posse alimenta vitæ simpliciter necessaria, quando aliunde illi non possunt habere, & juri naturali accessit jus Canonicum *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim. quam priùs polluit per adulterium*, ubi S. Pontifex statuit, quibuscumque filiis spuriis à parentibus debere subministrari alimenta, ut suprà *n.186. & 187.* latè probatum est, contra quod jus testator non potest disponere.

§. II.

Obligatio alendi filios an possit tolli statuto, vel consuetudine, vel Principis lege, seu voluntate.

Dubium secundum, an statuto, vel Principis lege alimenta ad vitæ sustentationem à parentibus debita filiis tolli possint; Respondent negativè Doctores communiter; & si fieret tale statutum, vel lex, essent omninò injusta, & invalida. Ita Cynus *in l. sancimus, Cod. de nuptiis*, Baldus *in l. cùm lege, Cod. de Episcopis, & Clericis, & in l. 1. num.5. ff. de constit. Princip.* Joannes Andreas *ad Speculatorem, in tit. qui filii sint legitimi, num. 13.* Craveta *cons. 389. num. 3.* Covarr. *d. §.6. n.3.* Ludovicus Molina *de primog. lib. 2. c.1. num. 14. & 23.* Andreas Gayllus *practic. observat. lib. 2. observ. 122. n.14.* Cordub. *in l. si quis à liberis, §. si mater, num.55. ff. de liber. agnosc.* Surd. *de alim. tit. 1. q.1. n.5. & 10. & tit.8. privil.56. n.22.* Marta loco suprà *n.1133.* citato, Joan. Nicolaus Lucidorus *de illegit. Cler. c.15. n.7. & 8.* innumeri alii Jurisperiti à Covarruvia, Molina, Gayllo, Surdo *locis citatis*, & à me suprà *n.378. & 383.* relati, & alii infrà allegati, asserentes legitimam in totum, & etiam quatenus comprehendit alimenta pro vitæ sustentatione liberis necessaria, tolli non posse statuto, aut Principis lege: ita etiam Summistæ, & Theologi suprà hoc opere, *n.1.* relati, & alii communiter. Ratio est, quia hujusmodi alimenta sunt debitum naturale parentum, seu jure naturæ in conscientia verè, & strictè obligante, ut suprà dictum est, & latè probatum *n.6. & seqq.* & consequenter potestas humana ad tale debitum tollendum non se extendit, nisi adsit aliqua justa causa, ob quam in pœnam delicti ab eis perpetrati, seu ingratitudinis eorum alimentis privari possent; cùm jura naturalia sint immutabilia, *d. §. sed naturalia, Instit. de jure naturali, & l. 1. §. jus naturale, ff. de justit. & jure*; ideóque statutum, seu lex contra jus naturale non valet, qua ratione omnes præallegati Jurisperiti, & alii utuntur: & licèt actio producta sit à jure civili, vel prætorio, principale tamen objectum dimensurari debet à natura, à qua debitum alimentorum vitæ sustentandæ necessariorum originem sumit. 1137

Hinc responsio extenditur, ut nec filiis spuriis alimenta hujusmodi pro vitæ sustentatione necessaria statuto, vel Principis lege possint prohiberi; cùm illis eodem jure naturæ strictè obligante in conscientia debeantur, ut suprà probatum est: & ita etiam sentiunt præallegati Doctores, & expressè Covar. *d. n.3.* Marta *loco citato*, & alii suprà *n.1136.* relati, & etiam Socin. *cons. 130. num. 4. vol. 1.* & Menoch. *cons.60. n.8. vol.1.* & Summistæ, ac Theologi relati suprà *num. 16. & 181.* 1138

Hinc præterea non valere statutum mandans, seu disponens quod pater non teneatur alere filium majorem annis decem & octo, tradidere Joannes Andreas loco suprà citato, Ancharan. *in cap. 1. q.11. de constit.* Covarr. *d. §. 6. num.5. versic. Secundò refertur*, & Surdus *d. q.1. n.5. & d. privil. 56. n.22.* Nam jus illud naturæ obligat parentes erga omnes, & quoscumque filios, cujuscumque ætatis sint, si verè alimentis egeant, non habentes aliunde unde vitam possint sustentare. 1139

Hinc etiam non posse introduci, nec valere consuetudinem, quod filii egentes non alantur à parentibus, tradunt in specie Panormitanus *in c. fin. n. 22. de consuet. ibid.* Rochus de Curte *sect. 5.* Covarruvias *d. §.6. n.3.* Ludovicus Molina *d. n.24.* Surdus *d. privil. 56. num. 25.* & Rota *decis. 1. de consuetudine in novis*, & alii à Molina *d. num.14.* & à me suprà *num.378.* allegati. 1140

Sicut

Sicut enim statutum, ita & consuetudo contra jus naturale non valet, ut iidem Doctores, & alii ab iisdem, præsertim Surdo relati tradunt, cùm consuetudo juri naturali contraria sit irrationabilis, & potiùs dicenda corruptela, inquit Rota *d. decis.* 1. & per consequens nõ præscriptibilis, subdit eadem Rota, etiamsi omnes homines de mundo eam observarent per infinita tempora, *can. flagitia*, 32. *quæst.* 7. & *cap. cùm tanto*, *de consuet.*

§. III.

Qua ratione legitima filiis debita possit tolli statuto.

1141 Hinc denique, etsi Alexander, Dynus, Decius, Franciscus, Piscina, Vasquius, Tellius Fernandez, Aleiatus locis suprà *c.* 1. *n.* 5. citatis, & plures alii Jurisperiti à Ludovico Molina *de primog. lib.* 2. *dicto cap.* 1. *n.* 15. Gayllo *d. observat.* 122. *num.* 9. Crasso *de success. ab intestato*, *verbo Legitima*, *q.* 42. *num.* 2. Mangilio *de imputat. q.* 51. *num.* 37. & Merlino *de legitima*, *lib.* 3. *tit.* 1. *q.* 1. *n.* 14. relati affirment legitimam a parentibus filiis debitam statuto posse tolli, non solùm in parte, & quoad quotam, sed etiam in totum, & etiam quatenus respicit, seu comprehendit alimenta pro sustentatione vitæ filiorum necessaria: qui fundantur in eo, quod alimenta etiam vitæ sustentandæ simpliciter necessaria, à parentibus filiis non debeantur jure naturæ stricto, & obligatorio, ac necessitante, sed solùm inclinante, ratione conjunctionis, & affectionis naturalis parentum erga filios; propter quam conjunctionem, & affectionem naturalem aiunt jus civile statuisse, ut parentes cogerentur alere filios indigentes, & è contra filii parentes, & sic obligationem coactivam alendi filios ortam esse ex jure civili, persuadente naturali conjunctione & affectione constituto, hacque solùm de causa alimenta dici debita filiis de jure naturæ, scilicet quia debentur de jure civili, ita persuadente inclinatione, conjunctione, & affectione naturali statuto: cùm ergo solo jure civili sit inducta stricta obligatio parentum alendi filios, eodem jure etiam potest tolli. Quod latiùs Mangilius *d. quæst.* 51. *num.* 20. *ad* 38. & *n.* 42. & *nonnullis seqq.* & Merlinus *n.* 9. *ad* 14. prosequuntur.

1142 Nihilominus communis sententia asserit, legitimam quatenus ad alimenta vitæ sustentandæ necessaria, seu in quantum ad filiorum alimenta ad vitæ sustentationem requisita est necessaria, neque statuto, neque ulla lege positiva, neque consuetudine tolli posse, ubi filii aliunde non habent unde se alere possint, nec subsit ex parte ipsorum aliqua legitima causa, ob quam filiis alimenta denegari justè possint; cùm hujusmodi alimenta de jure naturali stricto, & coactivo à parentibus filiis debeantur, ut suprà dictum est, atque adeo tale statutum foret iniquum, & invalidum, utpote contra jus naturale. Ita alios latè allegantes Rota *d. decis.* 5. *de consuetudine in novis*, Covarruvias *de spons. p.* 2. *cap.* 8. *dicto §.* 6. *num.* 3. & 4. Ludovicus Molina *d. cap.* 1. *num.* 16. Gayllus *d. observat.* 122. Mantica *de conjecturis ultim. vol. lib.* 12. *tit.* 22. *num.* 41. Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *quæst.* 1. *n.* 5. & *tit.* 8. *privil.* 56. *num.* 22. & 23. Grassus *de q.* 42. *num.* 1. & 2. Mangilius *d. quæst.* 51. *num.* 50. 54. 59. & *pluribus sequentibus*, & Merlinus *d. q.* 1. *n.* 16. 17. & 18.

1143 Dixi, *quatenus ad alimenta vitæ sustentandæ necessaria*. Nam quoad alimenta congrua statui, & juxta dignitatem personarum, cùm sint solo jure civili introducta, juxta communem sententiam Doctorum, quos suprà *num.* 15. allegavi, asserentium parentes jure naturæ filiis sola alimenta vitæ sustentandæ similiter necessaria teneri præstare, possunt etiam statuto, & lege positiva tolli, ut expressè tradunt Molina, & Covarruvias *locis citatis*, & Surdus *d. privil.* 56. *n.* 23. *fine*, & sentiunt alii Doctores præallegati, qui loquuntur solùm de alimentis, quæ jure naturæ filiis debentur, & cæteri communiter, non solùm qui sentiunt legitimam in totum posse statuto tolli, sed etiam alii asserentes, non posse in totum tolli; qui nihilominus omnes volunt, legitimam à jure præscriptam filiis posse ex justa causa, putà conservandi agnationem, vel splendorem in familia, statuto, vel consuetudine tolli in parte, & diminui, scilicet quatenus excedit alimenta jure naturæ filiis debita. Doctores ita expressè sentientes latè referunt Gayllus, Crassus, Mangilius, & Merlinus *locis citatis*.

Dixi præterea, *ubi aliunde*, &c. nam in casibus 1144
quibus filius, vel filia ex propriis bonis quæ habeat, vel aliunde possit vivere, & necessaria subsidia sibi præstare, cùm tunc parentes jure naturæ non teneantur alere filios, ut suprà *c.* 1. probatum est, statuto validè potest tolli omninò, & in totum legitima, ut alios allegantes probant Covarruvias *d. §.* 6. *n.* 5. *versic. Ex hac secunda*, Surdus *dicto privilegio* 56. *n.* 23. & Mangilius *d. q.* 51. *n.* 59.

Demùm dixi, *nec subsit ex parte ipsorum aliqua le-* 1145
gitima causa, &c. nam illis casibus potest statutum excludere filios à legitima in totum, etiam quatenus ad alimenta vitæ sustentandæ necessaria, quibus ex legis communis dispositione, juxta notata suprà suo loco denegantur. Ita expressè Decius *in l. jura sanguinis*, *ff. de reg. jur.* & Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 1. *n.* 5. *circa finem*, nec dissentiunt alii.

§. IV.

Alimenta à parentibus debita filiis an possint tolli cessione, pacto, transactione, vel renunciatione.

Dubium tertium, an alimenta pro vitæ susten- 1146
tatione necessaria, & quæ jure naturæ, ut sæpiùs replicatum est, filiis quibuscumque legitimis, & illegitimis debentur, possint tolli pacto, transactione, vel renunciatione, quibus parentes omninò deobligentur alere filios, etsi aliunde non habeant unde vitam sustentare possint? Ludov. Molina *de justitia*, *tom.* 3. *disput.* 616. *num.* 12. junctis iis quæ tradit *tom.* 2. *disputat.* 357. *n.* 17. & 18. videtur sentire super his alimentis posse pacisci, & transigi validè, etiam sine juramento, & solùm esse invalidam transactionem alimentorum futurorum, quæ ex ultima voluntate debentur, si fiat sine decreto Judicis, nisi transactio sit firmata juramento; quia solùm favore alimentorum, quæ ex legato, aut alia ultima voluntate debentur, introductum, & statutum sit, ut super illis non valeat transactio sine Judicis decreto, *l. cùm hi*, *per totum*, *ff. de transact.* & *l. de alimentis*, *Cod. eod. tit.* factam verò sine decreto Judicis, juramento confirmatam ait valere, quia de se, & secluso jure humano illud invalidante, non esset malum: quod etiam asserunt magis communiter Doctores, quos refert Surdus *tit.* 8. *privilegio* 56. *num.* 50. de qua re fortè infrà.

Communis tamen Doctorum sententia est, alimen- 1147
ta filiis, & aliis quibuscumque jure naturæ debita, non posse tolli neque pacto, neque transactione, neque illis renunciari posse, itaut pater non teneatur filio in casu indigentiæ, & non habenti aliunde unde vivere possit, alimenta simpliciter vitæ sustentandæ necessaria exhibere, & consequenter hujusmodi pactum, vel transactionem, aut renunciationem non

vale

valere. Ita Bartolus *in l. ſi quis à liberis*, §. *parens*, *n.2. ff. de liberis agnoſcendis*, Speculator *tit. qui filii ſint legit.* §. 1. *n.* 12. Alexander *in l. quia talis*, §. *eligantur*, *n.* 12. *ff. ſoluto matrimonio*, Alciatus *in l. pacta quæ contra*, *n.*7. *Cod. de pactis*, Craveta *conſ.* 116. *n.* 2. *& conſ.*189. *n.* 3. Covarruvias *de ſponſ. p.* 2. *cap.*8. *d.* §.6. *num.* 3. *initio*, Ludovicus Molina *de primog. lib.*2. *c.*15. *n.*77. Corduba à Lara *in l. ſi quis a liberis*, *d.* §. *parens*, *num.* 81. Gomez *ad l.* 22. *Tauri*, *n.*12. Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *q.* 1. *num.* 8. *& tit.*8. *privil.*56. *n.*20. *&* 59. Mantica *de tacitis*, *& ambiguis conv. lib.* 26. *tit.*3. *n.* 13. Franciſcus Molinus *de ritu nupt. lib.*3. *quæſt.*62. *n.*19. *& q.*86. *num.* 8. Spino *in ſpeculo teſtam. gloſſa* 16. *num.* 120. Rota Romana *deciſ.* 431. *num.* 1. *part.* 4. *diverſorum*, quæ eſt deciſio 31. *p.* 1. *in recent.* Ciarlinius *controv. jur. tom.* 2. *c.*205. *n.*29. Sanchez *in ſumma*, *lib.* 7. *c.*7. *n.*5 *& in conſ. mor. lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 34. *num.* 27. Calvinus *de æquitate*, *lib.* 2. *cap.* 74. & Juriſperiti communiter, quos præallegati referunt: & ratio eſt, quia cùm hujuſmodi pactum, ſeu tranſactio, aut renunciatio ſit contra jus naturale ſtrictè, & propriè in conſcientia obligans, quo pater tenetur alere filium egentem, & non habentem aliunde unde vivere poſſit, non valet; non obſtante enim tali pacto, ſeu tranſactione, aut renunciatione, pater ſemper eſt pater, & conſequenter illud jus naturale obligans parentes alere filios egentes, & aliunde non habentes, illum adſtringit.

1148 Quare etiamſi pactum, vel tranſactio, aut renunciatio ſuper alimentis fratris facta per filium patri eſſet confirmata juramento, adhuc pactum, tranſactio, aut renunciatio non valeret, & filius egens, qui juramento renunciaverit, poterit abſque abſolutione à juramento alimenta ſibi pro vitæ ſuſtentatione neceſſaria petere. Ita omnes præallegati Doctores, & Rota iiſdem locis. Ratio eſt, quia juramentum adverſatur juri naturali, quo pater tenetur alere filium egentem, & ſic eſt contra bonos mores, dicitur enim juramentum contra bonos mores quando eſt contra jus naturale, ut in ſpecie notat Surdus *d. n.*59. Confirmatur, quia ſicut non valet juramentum, quo pater promittit, ſeu ſtatuit non alere filium egentem, ut ſuprà *n.*1134. probatum eſt, nec è contra, ſcilicet juramentum quo quis promittit non exhibere alimenta parentibus egentibus, quia pariter eſt contra jus naturale, quo filii tenentur alere parentes, ut in ſpecie Gomez *loco citato*, Corduba *d.* §. *ſi parens*, *n.*46. & Surdus *d. privil.* 56. *n.*21. ita fortiori, ut arguit Gomez *d. n.*12. non valet juramentum, quo quis jurat, ſeu promittit non petere ſibi, cùm charitas benè ordinata incipiat à ſe, *l. præſes*, *ff. de ter. & aqua.* Addit idem Gomez, quod negare alteri alimenta debita, eſt necare, *l. necare*, *ff. de liberis agnoſc.* & conſequenter ſi valeret præfatum juramentum, præſtaretur via delinquendi. Etſi verò Sanchez *d. num.*5. poſt Manuelem *tom.* 1. *ſumma*, *in* 2. *edit. c.*10. *fine*, & Covarruviam *in cap. quamvis pactum*, *p.*2. §.6. *n.*4. qui tamen non loquitur in hoc caſu renunciationis alimentorum jure naturali debitorum, ſed debitorum ex ultima voluntate, dicat neceſſariam eſſe juramenti relaxationem, id tamen non dicunt alii præallegati: nec videtur neceſſaria talis relaxatio juramenti, cùm non ſit vinculum iniquitatis, ac proinde eo caſu non obligat ullo modo.

1149 Hinc ſi filius à patre acceptam portionem pro alimentis totius vitæ cum juramento nunquam in poſterum petendi ab eo alimenta, quidquid illi evenerit, poſtea etiam dolo, vel ſua culpa conſumpſerit, & ad extremam egeſtatem ſit redactus, poterit alimenta vitæ neceſſaria petere, & pater obligatur ea illi exhibere, ut expreſsè tradit Corduba *d. num.*81. & Surdus *d. privil.*56. *n.*20. & colligitur etiam manifeſtè ex aliis Doctoribus præallegatis, & traditis, ſcilicet quia in patre ſemper eo ipſo, quod eſt pater, viget illud jus naturale cogens ad alendum filium egentem, & aliunde non habentem. Quare Juriſperiti ſuprà *cap.* 10. *num.* 667. & alii relati à Calvino *de æquitate*, *lib.* 2. *cap.*74. *num.* 16. *&* 17. negantes patrem teneri præſtare alimenta filio, qui habuit legitimam cum expreſſo pacto jurato nihil amplius petendi, ſunt intelligendi de alimentis juxta dignitatem, non verò de alimentis juxta ſolam naturæ indigentiam, ut etiam *eodem c.* 10. *n.*672. notavi ex Corduba.

1150 Sicut verò filius non poteſt ſuper alimentis ſibi à patre jure naturæ debitis paciſci, tranſigere, vel illis renunciare, nec talis tranſactio, aut renunciatio, licèt juramento confirmata, valet: ſic pater etiam non poteſt, etiam juramento addito, pacto, aut tranſactione, vel renunciatione remittere alimenta vitæ neceſſaria, quæ à filio ſibi debentur, cùm jure naturali debeantur à filio, eo quòd filius ſit, & ſic tale jus filium obligans nullo modo poſſit tolli, ſicut nec jus illud obligans patrem. Et ita expreſsè Corduba *d. n.*46. & Surdus *d. privil.* 56. *n.*21. & poſt Bartolum *in d.* §. *parens*, & Speculatorem *in d. tit. qui filii ſint legitimi*, *n.*27. tenent etiam alii ſuprà *n.* 1147. allegati, cùm univerſaliter aſſerant alimenta, quæ jure naturæ perſonis ſanguine conjunctis debentur, non poſſe tolli pacto, tranſactione, aut renunciatione etiam juratis, eo quòd hujuſmodi pactio, aut tranſactio, vel renunciatio, & juramentum additum adverſentur juri naturali, quod immutabile eſt, & ſemper afficit debitorem, dum alter alimentis ad vitam ſuſtentandam eget.

1151 Quare quando Doctores aiunt transactionem ſuper alimentis futuris, vel renunciationem futurorum alimentorum juramento confirmatam valere, non loquuntur de tranſactione, aut renunciatione alimentorum, quæ per filios, aut alias perſonas ſanguine conjunctas fiat parentibus, vel aliis, à quibus ſibi jure naturæ alimenta vitæ neceſſaria debeantur; ſed de ea tranſactione, ſeu renunciatione alimentorum, quæ fit per extraneas perſonas, quibus alimenta debeantur ſolùm ex ultima voluntate, vel ex contractu inter vivos, vel ex alio titulo quàm juris naturalis, ut notarunt Surdus *d. privil.* 56. *num.* 59. Franciſcus Mulinus, & Ciarlinius locis ſuprà *num.* 1147. *citatis*, de quibus etiam notabiliora cenſui hîc eſſe breviter explicanda, ideóque ſit

§. V.

Alimenta quæ alicui in futurum debentur ex teſtamento, aut alia ultima voluntate, vel ex pacto, ſeu contractu inter vivos, an, & qua ratione poſſint cedi, vel renunciari, & de illis tranſigi poſſit.

Dubium quartum, an valeant ceſſio, pactum, tranſactio, & renunciatio alimentorum quæ in futurum alicui debentur ex ultima voluntate, vel ex conventione, ſeu contractu, vel alio titulo quam ratione ſanguinis, & jure naturali.

1152 Certiſſima concluſio eſt, quod alimenta quæ in futurum debentur ex ultima voluntate, ſeu ex teſtamento, vel codicillis, vel donatione cauſa mortis, non poteſt alimentarius cedere, vel eis renunciare, vel ſuper illis tranſigere ſine prætoris decreto, ſeu Judicis authoritate: ita expreſsè decernitur *l. cùm hi*, *ff. de tranſactionibus*, *& l. de alimentis*, *Cod. eod. tit.* & tradunt ibidem Scribentes, Covarruvias *in cap. quamvis pactum*, *p.*2. §.6. *n.*4. Menochius *de arbitrar. caſu* 170.

170. Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. utrum, n. 4.* & *§. parens, n. 76. ff. de liber. agnosc.* Mantica *de tacitis, & ambig. convent. lib. 26. tit. 3.* Surdus *de alimentis, tit. 8. privileg. 56. n. 5. & per totum,* Fachineus *controv. juris lib. 3. c. 21.* Molfesius *ad consuet. Neap. tom. 1. p. 5. quæst. 10. num. 12.* Marta *de success. p. 19. 18. artic. 2. n. 9.* Jurisperiti qui infra allegantur, & alii à præallegatis Doctoribus, & ab Augustino Barbosa *ad lib. 1. Cod. collect. ad d. l. de alimentis, Cod. de transact.* relati, & ex Theologis Molina *de justitia, tom. 2. disputat. 557. num. 17.* & Rebellus *de obligat. justitiæ, p. 2. lib. 16. quæst. ultima de transactione, num. 2.* Qui Judex non debet decretum interponere nisi cognita causa, atque servatis aliis de quibus latè textus *in d. l. cùm hi,* Menochius *d. casu 170.* Mantica *d. tit. 3.* & Surdus *d. privil. 56.* & procedit conclusio, seu dispositio dictæ legis *cùm hi,* etiamsi alimenta fuerint relicta diviti. Ita Bartolus *in d. l. cùm hi,* & alii Doctores communiter, quos referunt, & sequuntur Corduba *d. n. 4.* & Surdus *d. privil. 56. num. 5.* qui iisdem locis confirmant, quia etsi alimentorum causa non semper est pia, sed tunc solùm quando alimenta debentur pauperi, ut latè probat Surdus *d. art. 8. privil. 1. n. 2.* & ego *tom. 2. mor. var. tit. 12.* tamen in omni casu, & semper, & quanvis alimenta sint relicta, & debita diviti, est favorabilis, ut aliis relatis notant Corduba *d. n. 4.* & Surdus *d. privil. 1. n. 9.* cujus rationem Corduba *d. n. 4.* ex Decio *in l. si certis annis, n. 10. Cod. de pactis,* & Surdus *d. privil. 56. n. 94. fine,* afferunt, quòd locuples potest depauperari, & alimentis egere. Quare Dueñas *lib. 1. disput. anniversf. c. 44.* relatus à Menochio *d. casu 170. num. 3.* præfatæ dispositioni dictæ legis *cùm hi,* rationem, quam etiam idem Menochius approbat, esse dixit, quia verisimile est testatorē voluisse alimenta particularia in menses, vel singulos annos potiùs legatario relinquere, quàm summam integram semel præstari, quòd ipsi prospicere voluerit, ne devorata ea pecunia mendicare cogatur, *arg. l. eum qui, ff. de ann. leg.* Aliam rationem, seu similem tradidit Robertus Aurelianus *lib. 4. sentent. juris, c. 19.* quam pariter refert Menochius *num. 5.* scilicet legem ita disposuisse quoad alimenta ex ultima voluntate debita, quia cùm favorabilis sit & alimentorum, & dispositionis testatoris causa, censendum testatorem noluisse ullo pacto alimenta legatario auferri, ut perpetuò haberet quo vitam tueretur, dum ita menstruum, aut annuum id ei persolveretur, *arg. l. Caio, §. Imperator, & l. pecunia, ff. de alim. & cib. leg.* quam rationem Menochius ibid. ait esse dubitabilem, quia nec vel decreto Judicis super alimentis ultima voluntate relictis transigi posset, si tam præcisa esset, ne perpetuò auferantur relicta alimenta, testatoris voluntas: verùm ideo lex statuit ne sine Judicis authoritate super iisdem alimentis transigi posset, ut Judex provideret transactionem fieri cum utilitate alimentarii, utque ei ob transactionem non deessent postea necessaria vitæ subsidia. Molina *d. num. 17.* & Corduba *d. §. parens, num. 52.* rationem ejusdem dispositionis legalis dicunt esse non solùm utilitatem privatam eorum, quibus alimenta relinquuntur, sed etiam, & principaliter utilitatem publicam, & commune bonam, cùm intersit Reipublicæ, inquit Corduba, homines habere locupletes, qui fortunis Rempublicam juvare possint, *Auth. ut Judices sine quoquo suffragio, §. considerandum, coll. 2.* & ideo dicta lege prohibita est transactio sine Prætore, ne hi quibus à testatoribus alimenta in futurum, in menses, vel singulos annos solvenda sunt relicta, allecti præsenti modica pecunia in commutationem pro alimentis futuris, eis pro illa non cederent, & sic postea ægerrimè viverent, testatorumque voluntates, & intentom fraudarentur. Quæ inconvenientia, si transactio fiat authoritate Judicis, causa cognita, & aliis *in d. l. cùm hi,* statutis, facilè possunt præcaveri; atque ideo lex meritò noluit super iisdem alimentis ultima voluntate relictis in futurum præstandis transactionem, seu conventionem ab alimentario factam sine Judicis authoritate, & non servatis *in d. l. cùm hi,* præscriptis esse validam: quod propterea procedit etiamsi transactio, aut conventio fieret cum expressa renunciatione dispositionis, seu juris dictæ legis, ut expressè docet Molina *d. n. 17. fine,* & Surdus *d. privil. 56. n. 55. & n. 112.* & Corduba à Lara *d. §. parens, n. 54.* ubi aiunt præfatæ solemnitati interventus Prætoris non posse renunciari, & idem sentiunt etiam alii Doctores præallegati, cùm absolutè asserant vigore dictæ legis *cùm hi,* non posse super alimentis relictis in futurum validè pacisci, & transigi sine decreto judicis, cujus tamen interventus non requiritur in transactione super alimentis, quæ non mortis causâ donata sunt, ut expressè dicitur *d. l. cùm hi, §. hac oratio, fine,* de quo infrà *n. 1165.*

1153 Dixi in propositione dictæ conclusionis communis, *Alimenta quæ in futurum, &c.* nam alimentorum præteritorum, etsi ex ultima voluntate debitorum cessio, pactio, & transactio fieri potest sine Judicis decreto, ut constat *ex d. l. de alimentis, Cod. de transactionibus,* ubi omnes, & tradunt etiam alii Doctores. Ita Menochius *d. casu 170. num. 33.* Mantica *d. tit. 3. n. 9.* & aliis relatis Corduba à Lara *in d. §. parens, n. 74.* Surdus *d. tit. 8. privil. 55. n. 11. & sequentibus,* ubi de cessione, *& privil. 56. num. 94.* ubi de transactione super præteritis alimentis. Molfesius *d. quæst. 10. num. 2. & quatuor sequentibus,* & Augustinus Barbosa *collect. ad d. l. de alimentis, num. 4.* Ratio est, quia in alimentis præteritis cessat illa ratio publicæ utilitatis, & ne is cui relicta sunt, incidat in periculum famis, seu pereundi fame, vel vivendi miserrimè, quia ex futuris alimentis vita hominis pendet, non ex præteritis, quæ propterea, licèt legata, non sunt favorabiliora, sicut futura, ut suprà notatum est, & latiùs tradunt Surdus, & Molfesius *locis citatis,* & etiam transmittuntur ad hæredes alimentarii legatarii, ut pariter suprà notatum est, & pluribus juribus adductis, & Doctoribus allegatis tradunt Corduba *in d. l. si quis à liberis, §. si quis ex his, n. 140. ff. de liberis agnoscendis,* & Molfesius *d. q. 10. num 3.* & quæ ad hæredes transmittuntur cedi possunt, *l. ex pluribus, ff. de administ. tut. ibid.* Bartolus, & cum aliis Surdus *d. privileg. 55. num. 13.* & Molfesius *n. 4.* Neque prædictis obstat quod numero præcedenti dictum est, scilicet prohibitam esse transactionem super alimentis ultima voluntate relictis diviti, in quo videtur cessare ratio, ne alimentarius fame pereat; nam ut ibidem dixi, ita dispositum fuit, quia potest effici pauper, & consequenter fame perire: in alimentis autem præteritis non solutis cessat omninò suspicio, ne alimentarius legatarius fame pereat, quia jam vixit eo tempore quo debebantur.

§. VI.

Nonnullæ limitationes præcedentis communis responsionis, & decisionis legalis.

1154 Porrò eadem communis conclusio, & dispositio dictæ legis *cùm hi,* limitatur primò, ut non habeat locum, si testator permiserit, seu concesserit legatario alimentorum, ut super his transigere posset; tunc enim transactio de alimentis relictis inconsulto judice valida erit. Menochius *d. casu 170. num. 32.* & Jurisperiti communiter, quos referunt & sequuntur Mantica *d. tit. 3. num. 38.* & Surdus *d. privil.*

privil. 56. num. 90. & 91. si enim testator potest alimenta non relinquere, multò magis relinquendo potest ordinare, quod super eis transigi possit, quia qui potest quod est plus, potest etiam quod est minus, *l. non quod est plus, ff. de reg. juris*, & rei suæ quilibet potest conditionem apponere quam volt, *l. traditionibus, ff. de pactis.*

1155 Limitatur secundò eadem conclusio, & dispositio, ut non procedat quando per cessionem, vel transactionem fieret melior conditio alimentarii; tunc enim etiam valeret cessio, vel transactio irrequisitio judice, ut expressè habetur *d. l. cùm hi. §. eam transactionem*, & post alios Jurisperitos tradunt communiter Menochius *d. casu* 170. *n.* 31. Mantica *d. art.* 3. *num.* 10. Surdus *d. tit.* 8. *privil.* 55. *num.* 15. *& d. privileg.* 56. *num.* 63. *cum sequentib.* & Molfesius *d. quæst.* 10. *num* 8. Quando enim cessio, vel transactio cedit in majorem utilitatem alimentarii, cessat illa ratio periculi famis, & ne testatoris voluntas, seu mens defraudetur. Quare absque interventu judicis facta ab alimentario valebit transactio, ut quod per singulos annos ei relictum est, consequatur per singulos menses, aut quod relictum est per singulos menses, consequatur per singulos dies, vel quod est relictum post annum completum, in anni initio accipiat; quia talis transactio facit meliorem conditionem alimentarii, ut dicitur *d. §. eam transactionem.* Similiter si alimentarius sit pauper, & ob ejus paupertatem, vel potentiam adversarii non posset commodè alimenta sibi relicta, & debita consequi, potest validè absque judicis decreto commoditatem percipiendi hujusmodi alimenta alteri cedere, qui interim sustineat onus alimentorum; quia talis cessio fit, & resultat in commodum, & utilitatem evidentem ipsius alimentarii cedentis, non cessionarii. Advertit autem Surdus *d. privileg.* 56. *n.* 71. cum nonnullis sequentibus, quod ubi ex causa majoris utilitatis absque judicis decreto facta sit super alimentis relictis futuris transactio, is qui cum alimentario transigit, tenebitur probare utilitatem illius contractus ad illum sustinendum, idque ob illam rationem, quia deficiente solemnitate necessaria actus non præsumitur utilis; sicut è contra si intervenerit solemnitas, præsumimur utilis, & contrarium probare tenetur qui illam impugnat sub prætextu quod sit damnosus: quæ omnia aliis allegatis probat ibidem Surdus *n.* 71. 72. *&* 73. & tradidi, atque explicavi latè *tom.* 3. *mor. var. tit.* 6. ubi de alienatione rerum Ecclesiæ facta cum, vel sine decreto commissarii per rescriptum, *Si in evidentem deputati.* Et licèt Alciatus *cons.* 267. *n.* 4. dixerit, satis esse si ex postfacto appareat transactionem esse utilem, quia ea quæ consequuntur, declarant præcedentem actum, & observantia declarat actum; nihilominus idem Surdus *d. privileg.* 56. *n.* 76. reprobat hoc dictum Alciati, asserens an contractus sit utilis, vel damnosus, inspiciendum, seu attendendum esse tempus celebrationis ipsius contractus, ut de alienatione rerum Ecclesiæ latè tradidi *d. tom.* 3. *mor. var. cit. tit.* 6. & præter Doctores à me ibidē citatos affirmant etiam alii ab eodem Surdo *d. num.* 78. relati. Addit tamen Surdus *num.* 80. quod apparente dicta utilitate ex postfacto alimentarius poterit acquiescere transactioni, & cogere eum cum quo contraxit stare contractui, si voluerit, quamvis possit etiam dicere de nullitate; è contra verò eum qui cum alimentario contraxit, non posse cogere eundem alimentarium stare contractui, neque etiam de contractus nullitate dicere, & illum rescindere, volente alimentario ei stare: idque per ea quæ ego *in dicto tom.* 3. *mor. var. allegato tit.* 6. dixi de alienatione rerum Ecclesiæ facta sine solemnitate assensus Apostolici, aliàs nulla, cui Ecclesia, si postea obtinuerit assensum Apostolicum, potest cogere eum, in quem res alienata est, stare, licèt non è contra. Verùm in hoc casu, cùm apparente utilitate alimentarii cesset ratio prohibitionis transigendi, vel cedendi absque decreto judicis, quia contractus jam initus fuit ad meliorem conditionem alimentarii, nec ullus subsit timor ne alimentarius ad inopiam redactus pereat fame, videtur transactionis cōtractus sustinendus, nec esse in facultate alimentarii illam impugnare, ut tanquam probabile admittit etiam idem Surdus *num.* 82. dicens aliud esse de contractu alienationis rerum Ecclesiæ, quia propter utilitatem de novo apparentem non desinit contractus esse nullus, deficiente assensu Apostolico, seu debita solemnitate; sed tamen favore Ecclesiæ cogitur contrahens stare contractui, adhibitis de novo solemnitatibus ex parte Ecclesiæ, de quo latiùs ego *d. tit.* 6. *tom.* 3. *mor. var.* Advertunt etiam post Vasquium *quæst. illustr. cap.* 64. *num.* 21. Corduba *in d. l. si quis à liberis, §. parens, num.* 54. & Surdus *d. privil.* 56. *num.* 111. *&* 112. in præfata transactione super alimentis futuris ex ultima voluntate relictis, & debitis, in dubio non præsumi intervenisse judicis decretum, neque etiam ex longissimi temporis lapsu, eo quòd solemnitas extrinseca, qualis est hæc, non præsumatur quando est talis, cui partes renunciare non possunt, ut Bartolus, & Ancharanus locis ab iisdem relatis tradunt; huic autem solemnitati sine interventu judicis alimentarium legatarium non posse renunciare, dictum est suprà *n.* 1152. *fine.*

Occasione quoque prædictæ limitationis è contra 1156 advertendum, quod etiam cum interventu, seu decreto judicis non valeret cessio, vel renunciatio sub colore transactionis gratis facta ab alimentario de iisdem alimentis ultima voluntate sibi debitis in futurum: ita Baldus *in d. l. cùm hi, in principio*, ibidem Jason *n.* 10. & Surdus *d. privileg.* 56. *n.* 106. & Molfesius *d. q.* 10. *n.* 14. quia lex loquitur de transactione, non de renunciatione; & aliud est super alimentis transigere, aliud verò alimentis renunciare. Qui enim transigit, aliquid recipit, *l.* 1. *ff. de transact.* qui verò renunciat, nihil retinet. Quare talis renunciatio cùm nullam contineat alimentarii utilitatem, sed solùm damnum, est contra finem dictæ legis *cùm hi*, & sic nulla, & judicis decretum, ubi in contractibus requiritur ad valorem actus, ut in contractibus minorum, mulieris, &c. non validat actum, ubi apparet evidenter esse damnosum: & præterea quoties judicis decretum debet in aliquo negotio intervenire, oportet ut ex justa causa interponatur, ex Surd. *d. privil.* 56. *n.* 13. nulla autem adest causa cùm gratis alimenta remittuntur, licèt sub quæsito colore transactionis.

Limitatur tertiò eadem communis conclusio, ut 1157 non habeat locum in alimentis minimis. Ita Corduba *in d. §. parens, num.* 79. & Surdus *d. privileg.* 56. *num.* 101. ex Tiraquello *in tract. de judicio in rebus minimis ferendo, versic. Trigesimosecundò*, & colligit Corduba etiam *ex d. l. cùm hi, §. fin. ff. de transaction.*

§. VII.

An transactio super alimentis futuris ex ultima voluntate debitis, vel illorum renunciatio sine Judicis auctoritate facta cum juramento, per additum juramentum firmetur, seu efficiatur valida.

SEd non levis controversia inter Doctores est, an 1158 transactio super alimentis futuris ultima voluntate relictis, *d. l. cùm hi*, prohibita fieri sine decreto judicis

tis, si firmetur juramento, fit, seu efficiatur valida, licèt defuerit illa solemnitas decreti judicis, sine qua lex non vult transactionem esse validam: & similiter, an renunciatio eorundem alimentorum facta cum juramento non contraveniendi, seu illa non revocandi, valeât.

Prima sententia asserit, nec renunciationem firmatam juramento, nec etiam transactionem præstito juramento illam observandi firmari, sed adhuc esse invalidam, & nullam. Ita Bald. *in l. pactum, n. 17. C. de collat.* Bartol. *in d. l. cùm hi, §. solet, ff. de transact.* Corrasius *in l. admonendi, in præludiis, num. 56.* Innocentius, Imola, Panormitanus, Barbatius *in cap. cùm contingat*, & Alciat. dicens esse communem opinionem *num. 152.* ex Corduba *in d. l. si quis à liberis, allegato §. parens, num. 116.* & Surdo *tit. 8. d. privil. 56. num. 54.* idem Corduba *eodem num. 116. & sequent.* & etiam Molfesius *ad consuet. Neapol. tom. 1. part. 5. d. quæst. 1.. num. 15.* ubi dicit, transactionem, quâ alimenta futura relicta gratis remittuntur, seu eorundem alimentorum renunciationem, etiam factam cum interventu judicis, quia ipso jure *d. l. cùm hi*, est nulla, non firmari, seu validam fieri juramento. Hæc sententia probatur primò, quia juri prohibitivo etiam cum juramento renunciari non potest, saltem quando jus illud introductum est principaliter ob utilitatem publicam, & commune Reipublicæ bonum, ut tradunt Doctores *in l. nemo potest, ff. de leg. 1.* & post alios Surdus *d. privil. 56. num. 56. & 57.* dicens id carere dubio. Qua de causa non valet alienatio rei Ecclesiæ, non servatis solemnitatibus à jure inductis, licèt sit jurata, ut latè probavi *in tom. 3. mon. var. tit. 6. num. 508.* & præter Doctores *ibidem* allegatos, tradit post alios Surdus *d. num. 57.* Dicta autem lege *cùm hi*, prohibetur super alimentis futuris ultima voluntate relictis fieri transactionem sine Prætore, principaliter ob utilitatem publicam, cùm intersit Reipublicæ habere homines divites, ut ex Molina, & Corduba alios allegante notatum est suprà *num. 1152.* Licet etiam secundariò ob privatam utilitatem, ne modico recepto alimentarius renunciet alimentis, & famis periculo exponatur. Et dato etiam quod jus illud *d. l. cùm hi*, sit introductum ob utilitatem privatam principaliter, tamen hæc utilitas privata non potest separari à publica: juri autem introducto ad privatam utilitatem inseparabilem à publica, non posse renunciari etiam juramento, tradunt Bartol. *in l. Modestinus, ff. de donat.* & Gozadinus *cons. 88.* à Surdo *d. privil. 56. num. 58.* relati. Item prohibita est eadem transactio favore ultimæ voluntatis, scilicet ne voluntates testatorum facilè defraudarentur, ut non solùm Bartol. *ubi supra*, sed etiam alii à Menochio *d. cap. 170. num. 3.* relati docent: & sic etiam ob publicam utilitatem. Secundò probatur, quia juramentum debet habere tres comites, veritatem, judicium, & justitiam, *cap. etsi Christus, de jurejur.* sed super transactione, & renunciatione alimentorum futurorum caret judicio, seu discretione, & prudentia, cùm alimentarius nihil, vel modico præsenti accepto, renunciat juri alimentorum: quam ob causam transactio super alimentis, & eorum renunciatio prohibita est, ne alimentarius fame pereat, ut naturaliter evenire potest: quæ est ratio dispositionis dictæ legis *cùm hi.* Quare sicut nemini in corpus suum concessa est potestas, *l. ita vulneratus, ff. ad l. aquil. & cap. contingit, de sent. excommun.* & consequenter nemini licet seipsum necare: ita etiam nemini licet alimentis futuris renunciare. Unde sequi potest, ut fame pereat, & sic se necet, *l. necare, ff. de liber. agnoscend.* ex quo etiam apparet, tale juramentum esse contra bonos mores, cùm per illud quis incidat in periculum famis, seu pereundi fame, & consequenter caret omni vi, nec servari debet. Tertiò quia juramentum non validat actum de jure nullum, *l. fin. C. de non numerata pecunia*, ubi Scribentes, & alii quos refert Augustinus Barbosa *collect. ad l. fin. num. 6.* Cùm enim juramentum sit actui accessorium, sortitur naturam actus cui adjicitur, nec auget effectum obligationis, sed ad summum addit solùm religionis vinculum, ut per textum *in d. l. fin.* docent Bartolus, Baldus, Salicetus, & alii Scribentes *ibi*, Tiraquellus, Gomez, & innumeri alii *locis citatis* allegati à Surdo, Barbosa, & Corduba. Qui proptereà *d. num. 116.* ait, ut actus juramento confirmetur, necessariò requiri, ut valeat, juxta legem *legitima, ff. de pactis*, hocque ait ipsam vim, & potestatem juramenti demonstrare: nam ut *ad Hebræos 6.* dicitur: *Omnis controversiæ hominum finis ad confirmationem est juramentum.* Et probatur *d. cap. etsi Christus, de jurejur.* ubi juramentum definitur, *quod sit confirmatio veritatis*: veritas autem (inquit idem Corduba) firma est, nec ullo errore vitiatur, *leg. illicitas, §. veritas, ff. de officio Præsidis.* Igitur juramentum vel consideratur respectu actus super quo juratur, vel respectu personæ jurantis. Quatenus respicit actum, si de jure est nullus, & sic carens veritate, illum reddit de inefficaci, & invalido efficacem, & validum: quatenus autem respicit personam jurantis, illam obligat servare fidem, nisi sit emissum super re de se mala, seu jure naturali, aut divino prohibita; & adimplere juramentum, vel à superiore relaxationem obtinere, cùm talis sit natura juramenti. Ita Corduba *d. §. parens, num. 117.* & colligitur etiam ex aliis Doctoribus, quos idem Corduba *d. num. 85.* Surdus *d. num. 58.* & Augustinus Barbosa *loco suprà citato* referunt, quatenus aiunt juramentum sortiri naturam actus, & addere solùm religionis vinculum. Et hoc sensu idem Corduba *d. §. parens, num. 118.* ait, rectè intelligi posse textum *in cap. quamvis pactum, de pactis in 6.* dicentem juramentum additum actui jure civili prohibito, & nullo, servandum esse, si servari potest absque animæ reatu, & æternæ salutis dispendio; scilicet eum, qui pactus est, & juravit servare pactum de jure positivo nullum, teneri servare fidem juramento promissam; non verò eo juramento firmari pactum, & de nullo effici validum, quia juramentum spectat ad personam jurantis, non ad contractum; & sic fides, seu promissio jurantis firmatur juramento, non verò pactio ipsa. Ex quo idem Corduba *num. 119.* ait sequi primò, quod cùm juramentum sit personale, *cap. veritatis, de jurejurando*, nec personam egredietur, nec obligatio transibit ad hæredes jurantis, sed ipse jurantis hæres poterit contravenire, supposito quod illo non efficiatur validus actus aliàs de jure nullus: si verò juramento confirmaretur contractus, non posset jurans contravenire per se, nec per suum successorem, quod certum est, & tradunt communiter Doctores ab eodem Corduba *eodem num. 119.* relati. Secundò idem Corduba *num. 120.* allegans Corrasium *loco citato*, & alios, ait sequi, quod qui juravit non contravenire actui de jure positivo nullo, postquam servaverit juramentum, poterit postea repetere per condictionem sine causa, *cap. debitores, de jurejur.* ubi is qui juravit solvere usuras, postquam illas solvit, potest per judicem cogere creditorem ad restitutionem. Quod si contractus initus sit dissimilis contractui usurarum, dicit idem Corduba, quod jurans, obtenta priùs à Summo Pontifice relaxatione juramenti, contravenire poterit, *cap. 1. de jurejurando.* Prædicta habet Corduba.

Non omittam tamen advertere circa illam doctrinam 1159

privil. 56. *num.* 90. & 92. si enim testator potest alimenta non relinquere, multò magis relinquendo potest ordinare, quod super eis transigi possit, quia qui potest quod est plus, potest etiam quod est minus, *l. cui quod est plus*, *ff. de reg. juris*, & rei suæ quilibet potest conditionem apponere quam vult, *l. traditionibus*, *ff. de pactis*.

1155 Limitatur secundò eadem conclusio, & dispositio, ut non procedat quando per cessionem, vel transactionem fieret melior conditio alimentarii; tunc enim etiam valeret cessio, vel transactio irrequisitio judice, ut expressè habetur *d. l. cùm hi*, §. *eam transactionem*, & post alios Jurisperitos tradunt communiter Menochius *d. casu* 170. *n.* 31. Mantica *d. art.* 3. *num.* 10. Surdus *d. tit.* 8. *privil.* 55. *num.* 15. & *d. privileg.* 56. *num.* 63. *cum sequentib.* & Molfesios *d. quæst.* 10. *num* 8. Quando enim cessio, vel transactio cedit in majorem utilitatem alimentarii, cessat illa ratio periculi famis, & ne testatoris voluntas, seu mens defraudetur. Quare absque interventu judicis facta ab alimentario valebit transactio, ut quod per singulos annos ei relictum est, consequatur per singulos menses, aut quod relictum est per singulos menses, consequatur per singulos dies, vel quod est relictum post annum completum, in anni initio accipiat; quia talis transactio facit meliorem conditionem alimentarii, ut dicitur *d. §. eam transactionem*. Similiter si alimentarius sit pauper, & ob ejus paupertatem, vel potentiam adversarii non posset commodè alimenta sibi relicta, & debita consequi, potest validè absque judicis decreto commoditatem percipiendi hujusmodi alimenta alteri cedere, qui interim sustineat onus alimentorum; quia talis cessio fit, & resultat in commodum, & utilitatem evidentem ipsius alimentarii cedentis, non cessionarii. Advertit autem Surdus *d. privileg.* 56. *n.* 71. cum nonnullis sequentibus, quod ubi ea causa majoris utilitatis absque judicis decreto facta sit super alimentis relictis futuris transactio, is qui cum alimentario transigit, tenebitur probare utilitatem illius contractus ad illum sustinendum, idque ob illam rationem, quia deficiente solemnitate necessaria actus non præsumitur utilis; sicut è contra si intervenerit solemnitas, præsumitur utilis, & contrarium probare tenetur qui illam impugnat sub prætextu quod sit damnosus: quæ omnia aliis allegatis probat ibidem Surdus *n.* 71. 72. & 73. & tradidi, atque explicavi latè *tom.* 3. *mor. var. tit.* 6. ubi de alienatione rerum Ecclesiæ facta cum, vel sine decreto commissarii per rescriptum, *Si in evidentem deputati*. Et licèt Alciatus *cons.* 267. *n.* 4. dixerit, satis esse si ex postfacto appareat transactionem esse utilem, quia ea quæ consequuntur, declarant præcedentem actum, & observantia declarat actum; nihilominus idem Surdus *d. privileg.* 56. *n.* 76. reprobat hoc dictum Alciati, asserens an contractus sit utilis, vel damnosus, inspiciendum, seu attendendum esse tempus celebrationis ipsius contractus, ut de alienatione rerum Ecclesiæ latè tradidi *d. tom.* 3. *mor. var. cit. tit.* 6. & præter Doctores à me ibidē citatos affirmant etiam alii ab eodem Surdo *d. num.* 78. relati. Addit tamen Surdus *num.* 80. quod apparente dicta utilitate ex postfacto alimentarius poterit acquiescere transactioni, & cogere eum cum quo contraxit stare contractui, si voluerit, quamvis possit etiam dicere de nullitate; è contra verò eum qui cum alimentario contraxit, non posse cogere eundem alimentarium stare contractui, neque etiam de contractus nullitate dicere, & illum rescindere, volente alimentario ei stare: idque per ea quæ ego *in dicto tom.* 3. *mor. var. allegato tit.* 6. dixi de alienatione rerum Ecclesiæ facta sine solemnitate assensus Apostolici, aliàs nulla, cui Ecclesia, si postea obtineret assensum Apostolicum, potest cogere eum, in quem res alienata est, stare, licèt non è contra. Verùm in hoc casu, cùm apparente utilitate alimentarii cesset ratio prohibitionis transigendi, vel cedendi absque decreto judicis, quia contractus jam initus fuit ad meliorem conditionem alimentarii, nec ullus subsit timor ne alimentarius ad inopiam redactus pereat fame, videtur transactionis cōtractus sustinendus, nec esse in facultate alimentarii illam impugnare, ut tanquam probabile admittit etiam idem Surdus *num.* 82. dicens aliud esse de contractu alienationis rerum Ecclesiæ, quia propter utilitatem de novo apparentem non desinit contractus esse nullus, deficiente assensu Apostolico, seu debita solemnitate; sed tamen favore Ecclesiæ cogitur contrahens stare contractui, adhibitis de novo solemnitatibus ex parte Ecclesiæ, de quo latiùs ego *d. tit.* 6. *tom.* 3. *mor. var.* Advertunt etiam post Vasquium *quæst. illustr. cap.* 64. *num.* 21. Corduba *in d. l. si quis à liberis*, §. *parens*, *num.* 54. & Surdus *d. privil.* 56. *num.* 111. & 115. in præfata transactione super alimentis futuris ex ultima voluntate relictis, & debitis, in dubio non præsumi intervenisse judicis decretum, neque etiam ex longissimi temporis lapsu, eo quòd solemnitas extrinseca, qualis est hæc, non præsumatur quando est talis, cui partes renunciare non possunt, ut Bartolus, & Ancharanus locis ab iisdem relatis tradunt: huic autem solemnitati sine interventu judicis alimentarium legatarium non posse renunciare, dictum est suprà *n.* 1152. *fine*.

Occasione quoque prædictæ limitationis è contra 1156
advertendum, quod etiam cum interventu, seu decreto judicis non valeret cessio, vel renunciatio sub colore transactionis gratis facta ab alimentario de iisdem alimentis ultima voluntate sibi debitis in futurum: ita Baldus *in d. l. cùm hi, in principio*, ibidem Jason *n.* 10. & Surdus *d. privileg.* 56. *n.* 106. & Molfesius *d. q.* 10. *n.* 14. quia lex loquitur de transactione, non de renunciatione; & aliud est super alimentis transigere, aliud verò alimentis renunciare. Qui enim transigit, aliquid recipit, *l.* 1. *ff. de transact.* qui verò renunciat, nihil retinet. Quare talis renunciatio cùm nullam contineat alimentarii utilitatem, sed solùm damnum, est contra finem dictæ legis *cùm hi*, & sic nulla, & judicis decretum, ubi in contractibus requiritur ad valorem actus, ut in contractibus minorum, mulieris, &c. non validat actum, ubi apparet evidenter esse damnosum: & præterea quoties judicis decretum debet in aliquo negotio intervenire, oportet ut ex justa causa interponatur, ex Surd. *d. privil.* 56. *n.* 13. nulla autem adest causa cùm gratis alimenta remittuntur, licèt sub quæsito colore transactionis.

Limitatur tertiò eadem communis conclusio, ut 1157
non habeat locum in alimentis minimis. Ita Corduba *in d. §. parens*, *num.* 79. & Surdus *d. privileg.* 56. *num.* 100. ex Tiraquello *in tract. de judicio in rebus minimis ferendo*, *versic. Trigesimosecundò*, & colligit Corduba etiam *ex d. l. cùm hi*, §. *fin. ff. de transaction.*

§. VII.

An transactio super alimentis futuris ex ultima voluntate debitis, vel illorum renunciatio sine judicis auctoritate facta cum juramento, per additum juramentum firmetur, seu efficiatur valida.

Sed non levis controversia inter Doctores est, an 1158
transactio super alimentis futuris ultima voluntate relictis, *d. l. cùm hi*, prohibita fieri sine decreto judicis

tis, si firmetur juramento, sit, seu efficiatur valida, licèt defuerit illa solemnitas decreti judicis, sine qua lex non vuls ttaosactionem esse validam: & similiter, an renunciatio eorundem alimentorum facta cum juramento non contraveniendi, seu illa non revocandi, valeat.

Prima sententia asserit, nec renunciationem firmatam juramento, nec etiam transactionem præstito juramento illam observandi firmari, sed adhuc esse invalidam, & nullam. Ita Bald. *in l. pactum, n. 17. C. de collat.* Bartol. *in d. l. cùm hi, §. solet, ff. de transact.* Corrasius *in l. admonendi, in præludiis, num. 56.* Innocentius, Imola, Panormitanus, Barbatius *in cap. cùm contingat*, & Alciat. dicens esse communem opinionem *num. 151.* ea Corduba *in d. l. si quis à liberis, allegato §. parens, num. 116.* & Surdo tit. 8. *d. privil. 56. num. 54.* idem Corduba *eodem num. 116. & sequent.* & etiam Molfesius *ad consuet. Neapol. tom. 1. part. 5. d. quæst. 10. num. 15.* ubi dicit, transactionem, quâ alimenta futura relicta gratis remittuntur, seu eorundem alimentorum renunciationem, etiam factam cum interventu judicis, quia ipso jure *d. l. cùm hi*, est nulla, non firmari, sed validam fieri juramento. Hæc sententia probatur primò, quia juri prohibitivo etiam cum juramento renunciari non potest, saltem quando jus illud introductum est principaliter ob utilitatem publicam, & commune Reipublicæ bonum, ut tradunt Doctores *in l. nemo potest, ff. de leg. 1.* & post alios Surdus *d. privil. 56. num. 56. & 57.* dicens id carere dubio. Qua de causa non valet alienatio rei Ecclesiæ, non servatis solemnitatibus à jure inductis, licèt sit jurata, ut latè probavi *in tom. 5. mor. var. tit. 6. num. 508.* & præter Doctores *ibidem* allegatos, tradit post alios Surdus *d. num. 57.* Dicta autem lege *cùm hi*, prohibetur super alimentis fut[ur]is ultima voluntate relictis fieri transactionem sine Prætore, principaliter ob utilitatem publicam, cùm intersit Reipublicæ habere homines divites, ut ea Molina, & Corduba alios allegante notatum est suprà *num. 1152.* Licet etiam secundariò ob privatam utilitatem, ne modico recepto alimentarius renunciet alimentis, & famis periculo exponatur. Et dato etiam quod jus illud *d. l. cùm hi*, sit introductum ob utilitatem privatam principaliter, tamen hæc utilitas privata non potest separari à publica: juri autem introducto ad privatam utilitatem inseparabilem à publica, non posse renunciari etiam juramento, tradunt Bartol. *in l. Modestinus, ff. de donat.* & Gozadinus *cons.* 88. à Surdo *d. privil. 56. num. 58.* relati. Item prohibita est eadem transactio favore ultimæ voluntatis, scilicet ne voluntates testatorum facilè defraudarentur, ut non solùm Bartol. *ubi suprà*, sed etiam alii à Menochio *d. cap. 170. num. 3.* relati docent: & sic etiam ob publicam utilitatem. Secundò probatur, quia juramentum debet habere tres comites, veritatem, judicium, & justitiam, *cap. etsi Christus, de jurejur.* sed super transactione, & renunciatione alimentorum futurorum caret judicio, seu discretione, & prudentia, cùm alimentarius nihil, vel modico præsenti accepto, renunciat juri alimentorum: quam ob causam transactio super alimentis, & eorum renunciatio prohibita est, ne alimentarius fame pereat, ut naturaliter evenire potest: quæ est ratio dispositionis dictæ legis *cùm hi.* Quare sicut nemini in corpus suum concessa est potestas, *l. ita vulneravit, ff. ad l. aquil. & cap. contingit, de sent. excommun.* & consequenter nemini licet seipsum necare: ita etiam nemini licet alimentis futuris renunciare. Unde sequi potest, ut fame pereat, & sic se necet, *l. necare, ff. de liber. agnoscend.* ex quo etiam apparet, tale juramentum esse contra bonos mores, cùm per illud quis incidat in periculum famis, seu pereundi fame, & consequenter caret omni vi, nec servari debet. Tertiò quia juramentum non validat actum de jure nullum, *l. fin. C. de non numerata pecunia*, ubi Scribentes, & alii quos refert Augustinus Barbosa *collect. ad l. fin. num. 6.* Cùm enim juramentum sit actui accessorium, sortitur naturam actus cui adjicitur, nec auget effectum obligationis, sed ad summum addit solùm religionis vinculum, ut per textum *in d. l. fin.* docent Bartolus, Baldus, Salicetus, & alii Scribentes *ibi*, Tiraquellus, Gomez, & innumeri alii *locis citatis* allegati à Surdo, Barbosa, & Corduba. Qui propterea *d. num. 116.* ait, ut actus juramento confirmetur, necessariò requiri, ut valeat, juxta legem *legitima, ff. de pactis*, hocque ait ipsam vim, & potestatem juramenti demonstrare: nam ut *ad Hebræos 6.* dicitur: *Omnis controversia hominum finis ad confirmationem est juramentum.* Et probatur *d. cap. etsi Christus, de jurejur.* ubi juramentum definitur, *quod sit confirmatio veritatis*: veritas autem (inquit idem Corduba) firma est, nec ullo errore vitiatur, *leg. illicitas, §. veritas, ff. de officio Præsidis.* Igitur juramentum vel consideratur respectu actus super quo juratur, vel respectu personæ jurantis. Quatenus respicit actum, si de jure est nullus, & sic carens veritate, illum reddit de inefficaci, & invalido efficacem, & validum: quatenus autem respicit personam jurantis, illam obligat servare fidem, nisi sit emissum super re de se mala, seu jure naturali, aut divino prohibita; & adimplere juramentum, vel à superiore relaxationem obtinere, cùm talis sit natura juramenti. Ita Corduba *d. §. parens, num. 117.* & colligitur etiam ex aliis Doctoribus, quos idem Corduba *d. num. 85.* Surdus *d. num. 58.* & Augustinus Barbosa *loco suprà citato* referunt, quatenus aiunt juramentum sortiri naturam actus, & addere solùm religionis vinculum. Et hoc sensu idem Corduba *d. §. parens, num. 118.* ait, rectè intelligi posse textum *in cap. quamvis pactum, de pactis in 6.* dicentem juramentum additum actui jure civili prohibito, & nullo, servandum esse, si servari potest absque animæ reatu, & æternæ salutis dispendio; scilicet eum, qui pactus est, & juravit servare pactum de jure positivo nullum, teneri servare fidem juramento promissam; non verò eo juramento firmari pactum, & de nullo effici validum, quia juramentum spectat ad personam jurantis, non ad contractum; & sic fides, seu promissio jurantis firmatur juramento, non verò pactio ipsa. Ex quo ideo Corduba *num. 119.* ait sequi primò, quod cùm juramentum sit personale, *cap. veritatis, de jurejurando*, nec personam egrediatur, nec obligatio transibit ad hæredes jurantis, sed ipse jurantis hæres poterit contravenire, supposito quod illo non efficiatur validus actus aliàs de jure nullus: si verò juramento confirmaretur contractus, non posset jurans contravenire per se, nec per suum successorem, quod certum est, & tradunt communiter Doctores ab eodem Corduba *eodem num. 119.* relati. Secundò idem Corduba *num. 120.* allegans Corrasium *loco citato*, & alios, ait sequi, quod qui juravit non contravenire actui de jure positivo nullo, postquam servaverit juramentum, poterit postea repetere per condictionem sine causa, *cap. debitores, de jurejur.* ubi is qui juravit solvere usuras, postquam illas solvit, potest per judicem cogere creditorem ad restitutionem. Quod si contractus initus sit dissimilis contractui usurarum, dicit idem Corduba, quod jurans, obtenta priùs à Summo Pontifice relaxatione juramenti, contravenire poterit, *cap. 1. de jurejurando.* Prædicta habet Corduba.

Non omittam tamen advertere circa illam doctri- 1159

nam

nam in præfata ratione tertia adductam, scilicet quod juramentum sortiatur naturam actus, cui adjicitur, & non augeat obligationis effectum, sed solùm addat religionis vinculum, Antonium Gomez *2. var. cap.10. num.12. & cap.14. num. 20.* & alios quos latè refert, & sequitur Augustinus Barbosa *collect. ad d.leg.fin. num.7. & 8. C. de non numerata pecunia*, declarare eandem doctrinam intelligi quando actus non habet effectum, & est nullus propter defectum voluntatis, animi, & consensus contrahentis, ita quod juramentum interpositum in aliquo actu, vel contractu habeat tacitam conditionem, ut reguletur, & intelligatur juxta naturam, & qualitatem ejus, quando deficit voluntas, & consensus jurantis.

Altera sententia nunc temporis magis communis, & præcedenti opposita affirmat, transactionem præfatam super alimentis futuris ultima voluntate relictis, sine Prætore factam, aliàs de jure nullam, si illi accedat juramentum, illo effici validam. Ita Bartolus sibi contrarius *in l.si quis pro eo, num.17. ff. de fidejussoribus*, Covarruvias *in cap. quamvis pactum, p.2. §.6. num.4.* Tiraquellus *in leg. si unquam, in præfat. num.141.* Mantica *d. tit.3. num.12.* Vasquius *de successionum creat. lib.2. §.18. requisito 29. limit.1. n.119. & lib.3. §.29. limit. 32. num. 9.* Surdus *de aliment. d. privileg. 56. num. 59.* Fachineus *controvers. juris lib.3. cap.21.* Spino *in specul. glossa 16. num. 121.* Seraphinus *de privileg. juram. privil.101.* Augustinus Barbosa *collect. ad l.de alimentis, num.3. C.de transact.* Salengerius *quæstionum civilium cap.30. num.13.* Cumanus, Alexander, Corneus, Curtius Senior, Decius, Padilla *in d. l. de alimentis*, Alciatus, Corrasius, Jason, & alii Jurisperiti relati à Covarruvia, Tiraquello, Mantica *locis citatis*, & à Corduba *d. §.parens, num.111.* & à Surdo *d.privil.56. num.50. & 51.* & ex Theologis Molina *de justitia, tom. 2. d. disp.557. num. 18.* & idem de renunciatione, seu remissione eorundem alimentorum, etiam gratis facta cum, vel sine decreto Prætoris, scilicet effici validam juramento ei addito, dicunt ferè omnes præfati Doctores, cùm promiscuè loquantur de transactione, pacto, & renunciatione: & in terminis, inconsulto Prætore, juri præfatorum alimentorum relictorum validè renunciari, si renunciatio sit firmata juramento, tradunt Bartolus ubi suprà, & cæteri Scribentes *in d.l.de alimentis*, superiùs relati, ut notavit Corduba *d.num.111.* Tiraquellus, Covarruvias, Sanlegerius *locis citatis*, & Surdus *d.privilegio 56. num.53. & d.num.59. & num.60.* Probatur à præfatis Jurisperitis primò hæc sententia ea ratione, quod prohibitio transigendi inconsulto Prætore facta *in d. leg. cùm hi*, fuit facta principaliter ob privatam utilitatem alimentarii, ne ob modicam præsentem pecuniam renunciaret alimentis futuris, ut facillimè potuisset, licèt hæc præfata utilitas secundariò etiam contineat publicam, ab eaque separari non possit. Juramento autem confirmatur actus, qui jure positivo principaliter prohibetur propter subditorum privatam utilitatem, ut iidem Doctores, & alii à Surdo *d.privil.56. num.50.* relati tenent. Secundò probatur à Fachineo, quia juramentum facit, ut juris civilis regulæ, rationes, & sanctiones cessent, cùm religio præponenda sit his regulis, ut *in d. cap. quamvis pactum, de pactis in 6. & in cap.cùm contingat, de jurejur.* & aliis textibus *eod tit.* deciditur. Qui canones proinde legibus civilibus de hujusmodi alimentorum futurorum relictorum transactione, pacto, vel renunciatione statuentibus præferendi sunt, cùm de re spirituali in hoc casu agatur. Verùm Corduba respondet, hoc argumento non probari, transactionem, vel renunciationem aliàs de jure civili nullam, effici validam juramento, sed solùm jurantem religione obligari ad servandam fidem juramento datam, cùm possit servare juramentum absque animæ dispendio, juxta *d. cap.quamvis pactum*; licèt actus ipse remaneat invalidus: sicut etiam ad aliam rationem, quæ communiter pro hac sententia adducitur, scilicet quod est servandum juramentum ubicumque id fieri potest sine interitu salutis æternæ, *d. cap. quamvis pactum, & cap.mulieres, de jurejur.* eodem modo respondet idem Corduba, ut superiùs notatum est. Tertiò probatur generali ratione, scilicet quia contractus quilibet solo jure positivo invalidus, juramento firmatur, ut probant Doctores, quos Surdus *d.privil.56. num.42.* cumulat, & alii ab Augustino Barbosa *collect. ad d.l.finalem, num.8. de non num. pecunia*, relati: unde etiam renunciationem, quam filia facit de omnibus bonis paternis, aliàs invalidam, valere firmatam juramento, colligitur *ex d. cap.quamvis pactum*, & tradunt *ibid.* Joan. Andreas, Joannes Monachus, & alii à Surdo *num.46.* & latiùs à Corduba *d.§.parens, num.114.* relati. Item alienationem fundi dotalis, & pactum de non succedendo, aliàs nullius roboris, addito juramento firmari tradunt alii, quos refert idem Surdus *num.47.& 48.* Demùm aliis omissis, de quibus Surdus *d.privil.56. num.49. ad 53.* & Corduba *d. §.parens, num.115.* probatur à Molina *d.num.18.* loquente de transactione, quia licèt rectè propter rationem *suprà num.1152. 1158.* & hoc eodem numero adductam, scilicet ne modico accepto quis alimentis in futurum præstandis renunciet, & testatorum voluntates defraudentur, irrita, & nulla effecta sit pactio, transactio, & venditio juris ad alimenta futura ex ultima voluntate relicta, sine judicis authoritate; tamen seclusa ea juris civilis dispositione, de se mala non est venditio, aut commutatio pro re alia, aut cessio ejusdem juris; sicut de se non est mala venditio, permutatio, aut cessio cujuscumque alterius rei legatæ eidem: ac proinde si juramento confirmetur, erit omninò valida, & in foro conscientiæ, & in foro exteriori. Imò, addit idem Molina, si contractus fuerit æqualis, carens fraude, & injustitia, relaxari non poterit juramentum: & si adfuerit injustitia, solùm relaxari poterit ad effectum, ut contractus ad æqualitatem reducatur. Subdit Molina, idem procedere etiamsi alimentarius transigens postea devenerit ad extremam necessitatem, ita ut nec tunc relaxato, aut non relaxato juramento, qui pactus est, non possit cogere eum cum quo transegit, ad alimenta vitæ necessaria sibi præstanda; quia postquam semel de eis sine judicis decreto validè disposuit, non plus ille, qui cum eo licitè, & validè eo modo transegit, tenetur ei in extrema necessitate ad alimenta, quàm quivis alius, aut quàm si emisset licitè aliquid aliud ab eo, & postea ille ad extremam devenerit necessitatem; atque adeò si desint ascendentes, vel descendentes, qui tunc forent cogendi ad alimentorum in tali necessitate præstationem, ea tantùm ratione cogi poterit ad alimenta vitæ necessaria, sicut quilibet alius, ut in materia de eleemosyna tradunt Doctores. Post hæc idem Molina advertit, ut emptor alimentorum in eventu extremæ necessitatis cogi possit illa reddere, non prærequiri juramenti relaxationem ad illa petenda, eo quòd venditio, aut transactio de illis juramento confirmata, intelligenda non esset superveniente extrema necessitate, & mala esset talis conventio ex parte utriusque, quia obligaret ad peccatum; & ideò juramentum esset nullum, & consequenter non indigeret relaxatione: & ita etiam imminente, inquit, necessitate ex parte alimentarii, cui alimenta debentur, si jus ad illa obligaret, contractus esset nullus, nec juramento confirmaretur, uti

uti de re illicita, & mala, nec juramenti relaxatione opus esset ad contraveniendum. Limitatur hæc sententia, ut non procedat in alimentis à patre relictis filio ad satisfaciendum obligationi illum alendi, quia cùm tunc sint debita jure naturali, nullo pacto, seu renunciatione remitti possunt, ut suprà dictum est. Et in his terminis etiam tradit Mantica *d.tit.3.* & notarunt etiam Bartol. & alii ex præallegatis suprà *n.*1147.

1161 Quid dicendum? Primò probabilem existimo primam opinionem, ut juramento non efficiatur valida transactio, vel renunciatio, etiam quoad alimenta vitæ sustentationi necessaria, & alimentario renunciatori, non superveniente extrema alimentorum necessitate: idque propter illam rationem, quòd juramentum uti accessorium sortitur naturam actus, cui adjicitur, & sic actum de jure nullum non efficit validum; sed solùm ubi absque salutis æternæ dispendio observari potest, addit vinculum religionis, & personam jurantis obligat illud servare, vel relaxationem obtinere, ut possit licitè contravenire: quæ tamen obligatio juramenti non egreditur personam ipsius jurantis, ut in explicatione ejusdem primæ sententiæ ex Corduba traditum est. Et quoties transactio continet inæqualitatem, & injustitiam, tale juramentum fore relaxandum, ut contractus ad æqualitatem reducatur, tradit Molina, ut dictum est *num. præced.*

1162 Secundò mihi videtur probabilior posterior sententia, ut tam transactio, quàm renunciatio, seu gratuita alimentorum remissio, aliàs de jure nulla, firmetur adjecto juramento quoad alimenta superflua necessitati vitæ conservandæ, & alimentario renuncianti, non superveniente extrema egestate: idque propter rationes pro ea adductas, præsertim secundam, tertiam, & ultimam: & quanvis Vasquius *d.num.*169. suprà allegato, limitet non procedere, quando primùm alimentarius jurasset non transigere, quia tunc juramentum secundum esset contra primum licitum, & concordans cum jure communi; contrarium tamen tenet Bonacosa *de æquitate canonica, in verbo Secunda conclusio*, relatus à Surdo *d.privil.*56. *num.*51. qui eum sequi videtur.

1163 Dixi, *quoad alimenta superflua*, &c. Nam si is, cui sunt relicta, esset egenus, indigens alimentis vitæ simpliciter necessariis, quæ aliunde non posset habere, & in tali necessitate, seu gravi inopia, super alimentis cum damno, & modico accepto transigeret, vel juri illorum renunciaret, sicque se exponeret periculo famis, transactio, seu renunciatio, etiam firmata juramento, non efficeretur valida, nec juramentum ullo modo obligaret, ut in terminis post Imolam, Federicum, Aleiatum, & alios tradunt Covarruvias *d. num.*4. *versic. Imò nec esset admittenda*, Mantica, *d.tit.*3. *num.*14. *& duobus sequent.* & Surdus *d. privil.*56. *num.* 60. & asserit Molina *loco citato*. Ratio est, quia juramentum, per quod quis incidit in periculum famis, videtur contra bonos mores, & propterea non servandum; sicut enim quis juramentum, per quod incidit in periculum mortis, tanquam contra bonos mores, non tenetur, nec debet servare: ita etiam non tenetur servare, quando per juramentum incideret in opprobrium, & exterminium famis, cùm ea sit mora, *l. necare, ff. de lib. agnosc. & can. pasce, dist.*86.

1164 Dixi etiam, *non superveniente extrema egestate*. Nam si post transactionem pro modica pecunia factam, vel renunciationem juratam, alimentario qui transegit, vel renunciavit, superveniat extrema egestas, in urgentemve inopiam ac necessitatem deveniat, tunc non obstante renunciatione jurata, posse alimentarium alimenta vitæ necessaria petere, post præfatos Federicum, Imolam, Aleiatum, & etiam Felinum, ac Vitalinum, tradunt locis citatis Covarruvias, & Surdus, ac Gutierrez *de juram. confir. p.*3. *cap.*3. *num.*36. & Sanchez locis suprà *num.*1147. relatis. Ratio est, quia in dubio intentio renunciantis censeri non debet extensa ad hunc casum extremæ inopiæ posteà supervenientis, in quo mutatus est rei status; quælibet enim conventio intelligitur rebus manentibus in eodem statu, *l. quod servus, ff. de condict. ob causam*, Tiraquellus *in l. si unquam, in præfat. num.*130. *C. de revoc. donat.* & post plures alios Surdus *d. privil.*56. *num.* 61. Quod si renunciator cum juramento expressè intendisset renunciare juri alimentorum, etiam pro illo casu extremæ necessitatis, seu inopiæ, eo casu juramentum nullo modo obligaret, juxta tradita in præcedentibus numeris, & dixit etiam Molina, ut *num.*1160. est notatum. Dicunt Covarruvias, & Gutierrez, alimentario qui sub juramento renunciavit, posteà ad urgentem necessitatem redacto, priùs obtenta juramenti relaxatione, eum posse petere alimenta vitæ necessaria, & ei deberi; quibus indicant esse necessariam juramenti relaxationem ad hunc effectum, ut possit petere alimenta, & illi debeantur; & idem dicit Sanchez. Sed crediderim, nulla opus esse juramenti relaxatione, cùm ex renunciantis intentione renunciatio, & juramentum non comprehendant etiam eventum extremæ egestatis supervenientis, ut dictum est; & si voluissent juramentum ad præfatum etiam eventum extendi, esset juramentum contra bonos mores, & de re illicita, & sic non servandum.

Plura de vi juramenti additi contractui de jure civili nullo, Scribentes *in d. cap. quanvis pactum, de pactis, in cap. cùm contingat, de jurejur. & in d. l. fin. C. de non numer. pecunia*, Covarruvias *var. lib.* 1. *cap.*4. *& in d. cap. quamvis pactum, p.*2. §.1. Valascus *consult.*5. *num.*18. *& sequent.* & alii, quos latè referunt Surdus *privil.*56. *num.*42. *&* 58. & August. Barbosa *collectaneis ad dicta cap. quamvis pactum, & cap. cùm contingat*, & *ad l. fin. Cod. de non num. pecunia.* 1165

Plura etiam alia spectantia ad plenum intellectum dispositionis dictæ legis *cùm hi, ff. de transf.* prohibentis transactionem fieri super alimentis futuris, nisi fiat auctore judice, videantur apud Menochium *d. casu* 170. Corduba à Lara *d.* §. *parens*, Manricam *de tacit. & ambig. convent. lib.*26. *d. tit.*3. & Surdum *d. privileg.*56.

§. VIII.

De alimentis non ex ultima voluntate, sed ex alia causa, putà ex pacto, seu contractu inter vivos debitis, sine judicis authoritate potest transigi, & eis renunciari.

Hic solùm videndum, an dispositio, seu decisio dictæ legis *cùm hi*, quod transactio super alimentis futuris nequeat fieri inconsulto judice; & si in ea non interveniat judicis decretum cum causæ cognitione, non valeat, restringatur ad alimenta, quæ in testamento, vel codicillis, aut donatione causa mortis fuerint relicta, ita quod non habeat locum in alimentis, quæ ex alio capite debentur, putà ex donatione inter vivos, aut ex pacto, aliôve contractu celebrato inter vivos; atque adeò super his alimentis, licèt futuris, sine authoritate judicis transigi validè possit. Communis responsio est, dispositionem dictæ legis *cùm hi*, restringi ad alimenta ex testamento, vel alia ultima voluntate, aut donatione causâ mortis relicta, nec habere locum in alimentis ex contractu inter vivos debitis; sed super 1166

his illum, cui debentur, sine judicis decreto posse validè transigere, vel componere, vel concordare, vel eis renunciare. Ita Glossa, & exteri Scribentes *in d.l.cùm hi*, & etiam Scribentes *in leg. de alimentis, C. de transact.* Bartolus *in tract. de aliment. num.* 35. *& sequent.* Dueñas *lib.* 1. *disputat. anniversf. cap.* 44. Menochius *de arbitr. d. casu* 170. *num.* 2. *&* 3. Corduba à Lara *in l.si quis à liberis*, *§.parens*, *num.*76. *& duobus sequent.* Mantica *de tacitis*, *& ambig. convent. lib.*26. *tit.*3. *num.*8. Surdus *de alimentis*, *tit.*8. *d.privileg.*56. *num.*84. Garzias *de benef. p.*1. *cap.*5. *num.*45. Franciscus Molinus *de ritu nupt. lib.*3. *quæst.*62. *n.*30. Ciarlinius *controverſ. juris tom.* 2. *cap.* 202. *num.* 37. & alii Jurisperiti, quos latè cumulant Corduba, Mantica, & Surdus, & ex Theologis Molina *de justitia*, *tom.*2. *citata disput.* 557. *num.* 17. & constat expressè *ex d.leg.cùm hi*, *§.hæc oratio*, ubi sic dicitur: *Planè de alimentis, quæ non mortis causâ donata sunt, licebit & sine Pratore authore transigere.* Ratio autem diversitatis, cur de alimentis ex pacto, vel contractu celebrato inter vivos sine Prætore transigi possit, non de his quæ debentur ex ultima voluntate, duplex affertur. Prima est, quod in debitis ex ultima voluntate versatur duplex favor, & alimentorum quorum causa est semper favorabilis, cùm ex ipsis vita hominis dependeat, *l.alio*, *l.servos*, *l. Mela*, *ff. de alim. & cib. leg.* & ultimæ voluntatis; & in his duobus junctis Bartolus *locis citatis* ait versari favorem publicum, nempe ut testatorum voluntas executioni mandetur, & ne homines tenues fame pereant; & versari favorem ultimæ voluntatis, scilicet ut serventur rationes decisionis præfatæ *in d.leg.cùm hi*, dixit Dueñas *loco citato.* In alimentis autem, quæ ex pacto, conventione, aut contractu inter vivos debentur, cessat favor ultimæ voluntatis, ut scilicet serventur, ideoque faciliùs de eis permissa est transactio. Hanc rationem quoad favorem ultimæ voluntatis non approbat Corduba ubi suprà *num.*78. quia, inquit, alioqui in omni alio legato locum haberet. Quare ipse tenet rationem diversitatis, & decisionis dictæ legis *cùm hi*, ne quis super alimentis ultima voluntate relictis transigere possit, fuisse solùm favorem alimentorum, in quo Reipublicæ utilitas consistit; cùm Reipublicæ intersit, homines esse divites, ut suprà notatum est, unde ipse approbat tantùm secundam rationem. Igitur altera ratio prædictæ diversitatis juxta Bartolum *locis citatis*, & alios præallegatos, quam etiam Corduba, Surdus, & Mantica referunt, est quia alimenta, quæ debentur ex contractu, fuerunt cum laboribus, & industria ipsius creditoris acquisita; & ideo sicut fuit diligens in acquirendo, ita etiam præsumitur, quod non minùs diligens erit in retinendo, & conservando; & sic temerè, aut cum damno super illis non transiget, vel illis renunciabit: at alimenta relicta non fuerunt acquisita ex aliqua sollicitudine, seu industria alimentarii, sed acquisita sunt ex providentia defuncti; experientiâ enim constat, majori cum diligentia conservari ea, quæ cum laboribus acquiruntur, quàm quæ nobis relinquuntur; & pauci, aut ferè nulli reperiuntur, qui patrimonium labore proprio partum dissipent, multi verò qui dilapidant à parentibus relicta.

§. IX.

Pensio pro alimentis super beneficio pensionario reservata, an sine superioris authoritate possit gratis remitti? Ubi an sine labe simoniæ pensio absque authoritate Papæ possit remitti, pecuniâ redimi, & extingui, vel in alium transferri.

Hinc dato, quod pensio quæ super beneficio authoritate Papæ alicui Clerico reservatur, absque vitio simoniæ gratis in totum, vel in partem à patrimonio remitti possit absque authoritate Papæ, vel alterius superioris Ecclesiastici, ut aliis relatis tradunt Garzias *de benef. p.*1. *cap.*5. *n.*38. *&* 39. Lotterius *de re benef. lib.*1. *q.*42. *n.*7. *&* 8. August. Barbosa *de universo jure Eccles. lib.*3. *cap.*11. *n.*22. *&* 23. & Ciarlin. *alleg. cap.*202. *n.*1-1. *& plur. seq.* quia pensio est debitum pecuniarium in favorem pensionarii impositum beneficiario, & unusquisque potest favori suo renunciare; & cùm sine pretio, & pecunia, sed gratis fiat renunciatio, non potest adesse labes simoniæ, sicut si pecuniâ acceptâ transigeretur super pensione, vel eadem pensio redimeretur, vel emeretur, aut transferretur, committeretur simonia, si transactio, redemptio, extinctio, vel translatio fieret sine authoritate Papæ, ut latissimè tradit Garzias *d.cap.*5. *n.*20. *ad* 36. quamvis contrarium teneant plures ab eodem Garzia *ibid. n.*24. relati, & præsertim Gigas *de pensionibus*, *q.*87. *&* 99. 1167

Illo, inquam, supposito, quamvis Romanus *consil.*388. præfatus Gigas *q.*45. *n.*9. *& q.*51. *n.*21. Surd. *de alim. d. privil.*56. *n.*9. & plures alii à Garzia *d.cap.*5. *n.*40. relati affirment absolutè, pensionem super beneficio reservatam pro alimentis, ut commodiùs pensionarius sustentari valeat, non posse validè à pensionario remitti sine authoritate superioris, & similiter sine authoritate superioris super ea transigi, dato alioqui quod authoritas superioris non requiratur ad excludendam simoniam, ut tenet idem Gigas, id probantes per textum *in d.l.cùm hi, de transact.* 1168

Alii tamen distinguunt, quod vel pensio reservata est motu proprio S.Pontificis sine consensu partium, quo casu pensionem æquiparari ultimis voluntatibus, scilicet legato, tradunt Rota apud Puteum *decis.*193. *lib.*3. Roman. *cons.*348. *n.*5. Gigas *q.*83. *&* 87. Scaccialupus *cod. tract. de pens. q.*9. *n.*12. P.Barbosa *in l. divortio*, *p.*2. *n.*43. *fin. ff. solut. matrim.* & alii ab iisdem Garzia, & Ciarlinio relati: vel reservata est à Papa de consensu partium, & ad earum preces, præcedente negotio, & conventione earumdem partium; quo casu pensionem æquiparari contractui profano, & pactis inter vivos, propter consensum dictarum partium, tradunt pariter Rota Romana, Gigas, Scaccialupus, Pontan. Garzias, Ciarlinius *loc. citat.* & alii ab iisdem Garzia, & Ciarlinio relati. Igitur quando pensio æquiparatur ultimis voluntatibus, utpote motu proprio S.Pontificis constituta, tunc aiunt non posse remitti validè sine authoritate superioris, propter decisionem dictæ legis *cùm hi*, quæ ad hunc casum extendi debet ob similitudinem rationis. Si verò pensio æquiparetur contractui, utpote reservata de consensu, & ex præcedente conventione partium, aiunt posse remitti validè sine superioris authoritate, quemadmodum & alimenta ex contractu inter vivos celebrato sine Prætore validè remittuntur, vel super eis transigitur, quia in hujusmodi pensione, tametsi pro alimentis reservata, non habet locum dispositio dictæ legis *cùm hi*, quæ loquitur tantùm de alimentis ultima voluntate relictis, nec est extendenda ad alia alimenta ex alio capite debita, ut suprà traditum est: ita quoad pensionem de consensu partium reservatam absolutè 1169

Garzias

Garzias *d. cap. 5. num. 44.* & Ciarlin. *d. cap. 202. n. 37. & 38.* quo verò etiam ad pensionem motu proprio S. Pontificis reservatam, idem videtur tenere Ciarlinius, qui aliorum sententiam esse putat, eam distinctionem esse probabilem.

1170 Denique Molina *de just. tom. 2. disp. 557. num. 18. versic. juxta hactenus dicta*, asserit absolutè remissionem pensionis, licèt pro alimentis pensionarii assignatæ, factam sine authoritate superioris esse validam, eumque sequitur Garzias *d. cap. 5. num. 45.* quia cùm pensio reservata sive motu proprio S. Pontificis, sive de consensu partium, non habeat ortum ex ultima voluntate, ut per se patet, in ea non potest habere locum decisio dictæ legis *cùm hi*, prohibentis transactionem de alimentis futuris sine Prætore authore; cùm juxta omnes loquatur lex illa tantùm de alimentis ex ultima voluntate relictis, ut suprà probatum est.

§. X.

Uxor an sine judicis decreto possit renunciare quarta matrimoniali, in casu quo illi debetur, juxta authenticam præterea, Cod. unde vir, & uxor.

1171 EX prædictis etiam Molinus *allegato lib. 3. de ritu nupt. citata q. 62. n. 30.* probat mulierem, quæ indotata, vel cum parva dote nupsit viro diviti, vel postea effecto diviti, posse renunciare quartæ legali, quæ præmoriente viro ei debetur, juxta authenticam *præterea, C. unde vir*, licèt concedatur præfata quarta pro alimentis, seu loco alimentorum: cujus contrarium aliqui ab eodem *d. q. 62. num. 1.* relati, volebant fundari *in d. l. cùm hi, ff. de transact.* probat, inquam, attenta *d. l. cùm hi*, licitum esse uxori renunciare dictam quartam, quia *ibi* prohibetur solùm pactum, transactio, vel renunciatio alimentorum ex ultima voluntate debitorum, non aliorum alimentorum, quæ ex alia causa à jure naturali non proveniente debentur, quæ remitti possunt absque interventu judicis, juxta eandem legem *cùm hi*, ut dictum est suprà, *n. 1166.* & tradunt Doctores *ibidem* citati, & alii communiter. An verò ex aliis capitibus renunciatio dictæ quartæ nequeat à muliere validè fieri, saltem sine judicis decreto, latè examinat idem Molinus *d. q. 62.* & concludit posse validè fieri, juxta regulas communes, quod possit quisque de re sua liberè disponere, & pro arbitrio suo jus suum distrahere: & latè respondet argumentis, quæ afferuntur ad probandum præfatam renunciationem non valere.

§. XI.

Mulier sine judicis authoritate an possit renunciare alimentis sibi ex dote debitis.

1172 AN verò mulier, inconsulto judice, possit validè renunciare alimentis sibi debitis occasione dotium, seu ex dote? Negant communiter Jurisperiti, quos latè referunt, & sequuntur Cord. à Lara *in l. si quis à liberis, §. si quis ex his, n. 139. & §. parens, n. 57.* Surd. *de alim. tit. 8. d. privil. 56. n. 41.* & Franc. Molin. *d. q. 62. n. 13. & 30. fin.* qui non fundantur *in d. l. cùm hi, de transact.* sed cum Glossa *in cap. literas, de restit. spoliat.* probant ex eo, quod hujusmodi alimenta sunt appendices matrimonii, cujus onera ex dote sustinentur; unde in proposito benè argumentum deducitur de alimentis ad dotem, non autem à dote ad alimenta, ut tradit Cordùba *d. n. 57.* & Surd. *d. n. 41.*

SUMMARIUM Capitis XXI.

Quando alimenta alicui relicta in domo haeredum, debentur à pluribus haeredibus, qui ad haereditatis divisionem devenerunt, qua ratione sint ab illis præstanda, remissivè, num. 1173.

Quando sunt plures haeredes debitoris, non tenentur in solidum, sed solùm pro haereditariis portionibus, n. 1174.

Procedit in haeredibus quoad legatarios, ibid.

Obligatio alimentorum an sit individua, vel dividua. ibid.

Quando uni à pluribus haeredibus debentur alimenta, nemo haeredum obligatur in solidum illa solvere, sed tantùm pro rata haereditaria, ut nec altero effectu non solvendo, ejus onus cæteris accrescat, ibid.

Si uni plures haeredes alimenta præstare teneantur, judex unum de illis cogere potest ad præstationem, vel proposita actione hypothecaria immittere legatarium in possessionem unius ex corporibus haereditatis, ut ex ipsius fructibus percipiat alimenta, compellendo omnes haeredes contribuere pro rata haereditaria, num. 1175.

Potest etiam judex statuere, ut unus haeredum præstet alimenta certo tempore, alius alio tempore, ibid.

Legatarios alimentorum discordes in modo percipiendi alimenta judex potest componere assignando unicuique alimentorum portionem seorsim præstandam, num. 1176.

Ubi uni alimenta debentur à pluribus, partim laicis, partim clericis, judex Ecclesiasticus est judex competens ad cogendum illos ad præstationem, n. 1177.

Judex Ecclesiasticus contra laicum non potest principaliter, sed tantùm incidenter cognoscere de alimentis alteri jure sanguinis debitis, juxta utrumque Molinam num. 1179.

Iuxta communem sententiam potest contra laicum judex Ecclesiasticus cognoscere de alimentis, quoties pauperi sunt debita, sive jure sanguinis, sive alio titulo, num. 1180.

Iudex Ecclesiasticus cognoscit principaliter de causa pauperum laicorum contra laicos, ibid.

Hoc certum est quando ex testamento sunt relicta pauperi, num. 1181.

Item certum est, data negligentia judicis laici in administranda justitia, num. 1182.

Causas miserabilium personarum, viduarum, & pupillorum, ac infirmorum, quando sunt pauperes, esse mixti fori, & de illis etiam non datâ negligentiâ judicis laici, posse cognoscere judicem Ecclesiasticum, affirmant Doctores communiter, etsi aliqui contra communem tenent solùm in casu negligentiæ, &c. judicem Ecclesiasticum posse cognoscere de illis contra laicum, ibid.

Viduæ, & pupilli divites non possunt trahere laicos ad Judicem Ecclesiasticum, nisi datâ negligentiâ judicis laici in administranda justitia, ibid.

Viduæ, ac pupilli divites an connumerentur inter personas miserabiles, pro utraque parte est opinio, & affirmativa est magis communis, ibid.

Filius spurius alimenta sibi à parentibus debita pro vitæ sustentatione potest petere coram judice Ecclesiastico, juxta communem Doctorum, n. 1183.

Peti non posse coram judice laico, nonnulli docuere, num. 1184.

Contrarium tenent Doctores communiter, n. 1186.

Approbatur sententia, quod judex Ecclesiasticus contra laicum possit principaliter cognoscere causam alimentorum, quando debentur pauperi aliunde non habenti unde vivat, num. 1186.

Limitatur ut procedat in alimentis vitæ sustentandæ simpliciter necessariis; secus in alimentis, quæ jure civili juxta dignitatem personarum, & patrimonii quantitatem filiis, & aliis personis conjunctis debentur, ibid.

CAPUT XXI.

Si alimenta à pluribus debeantur uni, sive debeantur officio Iudicis, sive jure actionis, quia v.g. plures hæredes teneantur solvere alicui alimenta ex testamento relicta, quomodo sint solvenda, & quid Iudex statuere debeat. Et an judex Ecclesiasticus sit competens in materia alimentorum, etiam inter laïcos.

1173 QUando alimenta relicta sunt in domo hæredum præstanda legatario, si hæredes deveniant ad divisionem hæreditatis, qua ratione ab iisdem hæredibus divisim, & seorsim habitantibus legatario alimenta præstari debeant, explicatum est supià *num.*773. & ibi tradita non sunt repetenda, sed tantùm explicandum, quando alicui alimenta simpliciter debentur, & plures sunt qui tenentur illa solvere, & præstatio difficilis est, eo quòd hæredes obligati illa præstare inter se dissidentes sint, qua ratione tunc debeant solvi, hæredesque ad solutionem per judicem sint cogendi.

§. I.

Quando alimenta uni à pluribus debentur, qua ratione debeantur, & petantur.

1174 IN hoc casu etsi quando sunt plures hæredes debitoris, quilibet ex hæredibus actione personali teneatur solùm pro rata hæreditatis, *l.pro hæreditariis, Cod.de hæreditariis actionibus*; hocque procedat etiam quando legatarii agunt pro legatis actione hypothecaria, nam hoc casu actio hypothecaria dividitur, sicut actio personalis, *l.*1. §.*fin. Cod. communia de legatis*, & post Negusantium, & Cavalcanum tradit Vincentius de Franchis *decis.*203. *num.*1. nihilominus Jason *in l.stipulationes non dividuntur, num.*10. *ff. de verb. oblig.* sentit alimentorum præstationem, seu obligationem non esse dividuam, sed ex natura sua individuam; cùm vita hominis, cujus occasione alimenta debentur, sit individua; & consequenter quando sunt plures hæredes debitores, unum eorum semper esse cogendum sustinere onus præstandi alimenta: & Jasonem sequùtus est Surdus *de aliment. tit.*9. *quæst.*14. *num.*6. *& seqq.* quando alimenta à pluribus hæredibus debentur ex causa promissionis, aut contractus inter vivos celebrati: verùm non esse individuam, sed ex natura sua dividuam, tenent contra Jasonem præter alios à Surdo *d.quæst.*14. relatos, Corduba à Lara *in l.si quis à liberis*, §.*si quis ex his*, *num.*207. *ff. de liber. agnosc.* & Vinc. de Franch. *d.decis.*203.*num.*3. quia alioqui quilibet hæredum posset cogi in solidum, juxta legem 2. §. *ex his*, *ff. de verb. obligat.* cùm tamen ex pluribus hæredibus nemo debeat in solidum alimenta ex obligatione, vel voluntate defuncti alicui debita solvere, licèt judex possit eos cogere consentire in unum, seu unum eligere, per quem alimenta præstentur, cui pro rata cæteri contribuant, ut constat ex *l.*3. *ff. de alim.& cib.leg.* Sed considerando naturam alimentorum dici potest, partim individua, partim dividua, ut notat Pontanus *de alim. cap.*18. *num.*1. individua respectu unius personæ, cui relinquuntur; dividua ratione hæredum, qui ad ea præstanda non tenentur in solidum, sed pro rata cujusque, *d.l.*3. ut præter Pontanum, Cordubam, & Vincentium de Franchis, docet Paulus de Castro *cons.*322. *lib.*1. ut nec altero effecto non solvendo, ejus onus cæteris hæredibus accrescat, ut expresse dicitur *in d.l.*3. *in fine*, & tradit etiam Surdus *d. q.*14. ubi latè tractat, an obligatio alendi sit dividua, vel individua; & licèt teneat esse individuam cùm oritur ex contractu inter vivos, tamen dicit esse dividuam quando ex legato alicui facto plures hæredes testatoris illa tenentur solvere. Quia ubi alimenta relinquuntur præstanda à pluribus hæredibus, quilibet eorum censetur pro rata portione tantùm, & non ultra gravatus; secus, inquit, quando alimenta debentur à pluribus hæredibus unius promissoris, eo quòd tunc qualitas obligationis non oritur ex persona hæredum, *d.l.*2. *citato* §. *ex his*, *ff. de verb. oblig.* & sic unus hæredum in solidum potest conveniri, ut præstet alimenta, tanquam fuerit promissum quid individuum. Ita Surd. *d.quæst.*14. *num.*15. apud quem plura de hac re.

Cæterùm quamvis nemo hæredum teneatur in solidum præstare alimenta, attamen ubi inter eosdem hæredes sint dissensiones, ac vanæ voluntates circa modum, & præstationem alimentorum, ad evitandas particulares solutiones, quæ non modica alimentario incommoda afferunt, judex poterit, si ita expedire judicaverit, unum de hæredibus eligere, & cogere ad præstationem alimentorum, & cæteros hæredes compellere conferre suas partes pro rata hæreditaria, *d. leg.*3. *ff. de aliment. & cib. leg.* & ibi Scribentes: & ita aliis relatis tradunt Mynsingerius *singul. observ. cent.*1. *observat.*63. Surdus *de aliment. tit.*3. *quæst.*6. *num.*24. & Vincentius de Franchis *d.decis.*203. *num.*3. ubi etiam addit cum Cyno *in d. leg. pro hæreditariis*, & Saliceto *ibid. in* 7. *opposit.* quod si judici non placuerit præfatus modus præstandi alimenta per unum ex hæredibus, poterit proposita actione hypothecaria immittere alimentarium legatarium in possessionem unius ex corporibus hæreditatis, ut ex fructibus ipsius percipiat alimenta, cogendo (ut dictum est) omnes hæredes contribuere pro rata hæreditaria: qui modus etiam esset juxta dictam legem 3. Etsi ergo judicem posse providere per tempora, scilicet quod unus ex hæredibus præstet alimenta certo tempore, putà per mensem, vel menses, alter verò alio tempore, tradunt Bartolus *in d. leg.*3. per textum ibi *in* 2. *responsione*, Surdus *d.quæst.*9. *num.*23. & Molfesius *d.quæst.*6. *num.*25. nihilominus quia hæ etiam solutiones per mensem, vel menses divisæ alimentario non parum incommodi afferunt, consultius faciet judex cogendo unum ad præstanda continuè omnia alimenta, cæteris contribuentibus suas partes eidem, qui ab illis poterit meliùs repetere. 1175

Ubi etiam è contra alimenta deberentur pluribus alimentariis discordibus in modo illa percipiendi, Speculator *in tit. qui filii sint legitimi*, *in fine*, *verbo Qui discordant*, & post eum, & alios Surdus *d. quæst.*9. *num.* 26. & Molfesius *d. quæst.*6. *num.*26. advertunt judicem suo officio debere eos componere, quod faciet assignando unicuique alimentorum portionem pro ejus rata, consideratis singulorum qualitate, & alimentorum quantitate omnibus debita: & addit Molfesius de hoc non posse dubitari, quia alioqui alimentorum præstatio esset species servitutis, si omnes cogerentur simul 1176

habitare

habitare continuò litigantes; & Judex debet eligere medium, ne partes deveniant ad arma, *l. aequissimum*, *ff. de usufruct.*

1177 Rursum in priori casu, quo uni à pluribus hæredibus debentur alimenta, advertendum quod si ex dictis hæredibus alii sint laici, alii clerici, contra omnes, seu ad illos omnes cogendos ad alimentorum pro rata hæreditaria præstationem, est competens Judex Ecclesiasticus, ne causa dividatur, vel debitor clericus trahatur ad forum civile. Ita Bartolus *in d.l.3. num.14. ff. de alim. & cibar. leg.* Felin. *in cap.1. num.10. de praescript.* Rebuffus *de privileg. schol. privil.103. num.11.* Paulus de Castro *cons.322. fine, lib.1.* Pontanus *d.cap.18.num.1.* & aliis relatis Marta *de jurisdict. part.4. casu* 118. *num.7.* ubi etiam *num.1. & seqq.* in universum tradit, quod quotiescumque laïcus, & clericus rei sunt debendi in solidum, uterque est conveniendus coram judice Ecclesiastico; quia ad magis dignum conveniens est minùs dignum accedere: quod etiam tradunt alii ab eodem Marta ibidem, & à Surdo *d.quaest.14.num.3.tit.9.* relati: & hac quoque ratione præstatio alimentorum potest dici individua, ut notat ibidem Pontanus; cujus rei occasione placet hîc in universum declarare, quis sit Judex competens in causa alimentorum.

§. II.

Utrum Judex Ecclesiasticus possit de causa alimentorum cognoscere contra personam laïcam illa solvere obligatam.

1178 ET difficultas est quando alimenta debentur, seu præstari debent à persona laïca, an tunc Judex Ecclesiasticus possit adiri, sitque judex competens ad compellendum debitorem, non obstante regula, quod judex Ecclesiasticus non potest causam cognoscere contra laïcum conventum, etiamsi clericus sit qui convenit, *cap. cùm sit generale, de foro comp. & l. 2. C. de jurisdict. omn. jud.* Possunt igitur alimenta peti vel à paupere, cui debeantur, aliunde non habente unde possit sibi vitæ subsidia ministrare, cujusmodi sunt quæ ratione sanguinis ab ascendentibus debentur descendentibus, & è contra; & etiam à collaterali peti possunt ab alio collaterali: quæ alimenta debentur tantùm in subsidium, scilicet quando filius, vel alius descendens, vel pater, aut mater, vel alius ascendens, vel collateralis aliunde non habet unde vivat, ut latè in præcedentibus explicatum est. Talia sunt etiam alimenta ex testamento, vel ex contractu relicta, vel promissa pauperi, qui aliunde non habet ex quo vivere possit. Vel peti possunt à divite, ut quando legatarius, cui alimenta sunt relicta, vel is cui promissa sunt, habet aliunde unde omnia vitæ necessaria sibi potest providere. Possunt etiam peti alimenta à filiis legitimis, & naturalibus, & etiam ab illegitimis, non solùm naturalibus, sed etiam spuriis, ut suprà suo loco probatum est.

1179 Itaque Ludovicus Molina *de primog. lib.2. cap.15. num.76.* ibidem Additionator *eod. num. 76.* alios allegans, alter Molina *de just. & jure, tom.3. disp.616. num.11.* & Sanchez *de matr. lib.10. disp.8. n.15. fine,* loquentes de alimentis, quæ filiis, & aliis descendentibus, aut parentibus, & aliis jure sanguinis debentur, contra communem infrà adductam asserunt, judicem Ecclesiasticum, si principaliter agatur de alimentis præstandis, nunquam esse competentem in causa alimentorum, neque de ea posse cognoscere principaliter, sed solùm incidenter, scilicet quando cognosceret principaliter de causa spirituali, & Ecclesiastica, ad quam causa alimentorum incidens sit, juxta caput *de prudentia, de donat. inter vir. & uxor.* Non afferunt tamen rationem, sed ea esse potest numero præcedenti allegata, nempe quod Judex Ecclesiasticus non possit cognoscere principaliter de re temporali contra laïcum. Addit Molina *d. num.76.* quod contraria opinio apud suprema tribunalia non admittetur.

At alii Doctores universaliter affirmant, quando alimenta à paupere, cui debentur, petuntur, judicem Ecclesiasticum esse competentem, & posse principaliter de causa alimentorum cognoscere contra laicum. Ita Bartolus *in l.3. num.13. ff. de alim. & cibar. leg.* Joannes Lupus *in cap. per vestras, 2. notab. n.15. de donat. inter vir. & uxorem*, Covarruvias *de spons. p.2. cap.8. §.6. num.6.* Pontanus *de alimentis, cap.2. num.23.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, in princ. num.39. ff. de liberis agnoscendis*, Surdus *de alimentis, tit.8. privil.9. n.2. & 5.* Stephanus Gratianus *tom.1. cap.60. num.31. & cap.124. num.11.* & alii à Surdo, & Gratiano relati. Probat Bartolus *ex cap. significantibus, de officio Jud. deleg.* ubi Judex Ecclesiasticus cognoscit principaliter de causa pauperum laicorum contra laicos. Covarruvias verò, & Surdus probant, quia causa alimentorum, cùm debentur pauperi, censetur pia, seu pietatem concernere, quæ proinde diebus feriatis tractari potest, ut suprà probatum est: pro causis autem piis, etsi de re temporali, Judex Ecclesiasticus habet jurisdictionem contra laicos, ut aliis allegatis probat Surdus *d. privil.9.* & ego latè *tom.2. mor. var. tit.12. num.338.* 1180

1181 Certum est quando pauperi alimenta ex legato illi relicto debentur, Judicem Ecclesiasticum, etiam in casu non negligentiæ judicis laici, posse adiri, illumque compellere posse hæredem gravatum ad illa præstanda: nam hujusmodi legatum alimentorum pauperi factum, dicitur propriè pium, & privilegiis causæ piæ gaudet, juxta Doctores communiter, quos allegavi *d. tit.12. num.252.* & ad exequutionem legatorum piorum non solùm Judex laicus, sed etiam Ecclesiasticus potest compellere gravatum, ut etiam latè tradidi *d.tit.12. num. 338. & sequentibus.*

1182 Certum quoque est, quoties alimenta pauperi debentur ex quocumque alio titulo, quod judex Ecclesiasticus de illis cognoscere potest in casu negligentiæ judicis laici, seu quando pauper creditor alimentorum justitiam coram judice laico consequi non valet. Generale enim est, quod de causis miserabilium personarum, inter quas connumerantur pauperes, Ecclesiasticus Judex potest principaliter cognoscere, datâ negligentiâ judicis laici, quotiescumque coram judice laico justitia obtineri nequeat, ut tradunt Scribentes *in d. cap. significantibus, & in cap. ex tenore, de foro compet.* Covarruvias *practic. cap.6. num.1.* Marta *de jurisdict. part.2. casu 21. num.12.* & alii, quos latè referunt Augustinus Barbosa *collectaneo ad d. cap. ex tenore, n.3.* & Belletus *disquis. cler. part.1. tit. de favore cleric. reali, num.37. & 39.* Quinimò causas miserabilium personarum, putà viduarum, orphanorum, pupillorum, & infirmorum, saltem quando sunt pauperes, esse mixti fori, & etiam non datâ negligentiâ judicis laici, de illis, & de re temporali posse cognoscere judicem Ecclesiasticum contra laicum, est communis opinio Canonistarum *in cap. ex parte, de foro compet.* Ita etiam Panormitanus *in d. cap. significantibus, num.6. de officio delegati*, Menochius *remed. 3. retin. num.411.* Constantius Roger. *in tract. de dote, quaest.17. num.8.* Belletus *d. §.5. num.37.* Augustinus Barbosa *ad d. cap. ex parte, num.7.* & alii, quos latè referunt *locis citatis* Belletus, Marta *d. casu 21. num.1.* & Covarruvias *d. cap. 6. allegato num.1.* Quanvis iidem Covarruvias *ibid.* & Marta *d. casu 21. num.12.* à præfata communi opinione recedentes dicant, solùm in casu negligentiæ judicis sæcularis judicem Eccle-

fiasticum posse adiri à præfatis personis miserabilibus pauperibus contra laicum: & ita servari in Regnis Hispaniæ & Galliæ, & strictiùs in Italia, testatur loco citato Covarruvias: & quando eædem personæ miserabiles, putà viduæ, pupilli, orphani, infirmi sunt divites, non posse trahere laicos ad Judicem Ecclesiasticum, nisi quando non possunt habere justitiam à judice laico, tradunt Glossa *in d. cap. significantibus, verbo Pauperem*, & *verbo Procedere*, *ibid.* Panormitanus, Felinus, Hostiensis, Belletus *d. §.5. num.39. & 40.* & alii relati ab Augustino Barbosa *ad d. cap. significantibus, num.3. & collectaneo ad d. cap. ex tenore, n.3. de foro compet.* & quod hic dicitur in casu negligentiæ, tenent etiam Covarruvias, & Marta *locis citatis.* Confirmat Glossa *verbo Pauperem*, causas viduarum, orphanorum, & pupillorum divitum spectare ad judicium sæculare, per textum *in can. ab Imperatoribus, 23. quæst.3.* & *ex can. Regum, ead. 23. quæst.5.* Quare hìc advertendum, viduas, & pupillos, etiam divites, inter miserabiles personas connumerari, ex sententia multorum Legistarum, & Canonistarum, quos referunt, & sequuntur Covarruvias *d. cap.6. pract. num.2.* Menochius *de arbitr. casu 66. num.3. post medium, & num. seqq.* Marta *d. casu 21. num.6.* & Augustinus Barbosa *collectaneo ad dictum cap. significantibus:* licèt contrarium, & non connumerari, sentiant plures alii, quos iidem Covarruvias, Menochius, & Barbosa allegant.

1183 Certum etiam videtur, alimenta filiis spuriis pauperibus à parentibus, vel eorum hæredibus debita, peti posse coram judice Ecclesiastico, cùm quod parentes cogi possint in foro externo ad præstanda filiis spuriis alimenta, sit introductum jure canonico, propter vitandum peccatum contra jus naturæ, quod committitur à parentibus, qui iisdem filiis spuriis alimenta denegant, ut habetur *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrimonium*; & tradunt communiter Doctores suprà *num.186.* relati, & latè probatum est *à num. 186. ad 194.* & ita quod alimenta spurio debita peti possint apud Judicem Ecclesiasticum, afferunt Doctores communiter, Bartolus *in d. l.3. ff. de alim. & cibar. leg.* Covarruvias *de sponf. p.2. cap.8. §.6. num. 6.* Spino *in speculo testam. glossa 16. num. 109.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. idem rescripsit, num. 78. ff. de liberis agnoscendis*, Surdus *de alimentis, tit.8. d. privil.9. num.6.* Petrus Barbosa *ad l.1. p.4. n.82. ff. soluto matrimonio*, Stephanus Gratianus *d. cap.60. n.31. & d. cap.154. num.11. & quatuor sequentibus*, & alii Jurisperiti, qui duobus numeris sequentibus allegantur, & Rebellus *de obligat. justitiæ, p.2. lib.5. quæst.2. num.14.*

1184 Imò non defuerunt plures Jurisperiti, qui dixerunt alimenta præfata spurio debita peti posse solùm coram judice Ecclesiastico. Ita Aretinus *conf.48. n.9.* Bursatus *conf.62. num.11.* Geminianus *conf. civili 35. in fine*, Cephalus *conf.48. num.9.* Decius *in cap. Ecclesia S. Mariæ, n.30. de constitut.* Joan. Bapt. Scaccialupus *in l. frater à fratre, §. quæsitum, num.87. ff. de condict. indebiti*, & Bonacosa *de æquitate canonica, in 2. conclusione*, moti ex eo, quod quando lex Ecclesiastica propter peccatum inducit novum remedium excitando ad illud Judicem Ecclesiasticum, nullum competit remedium in foro seculari.

1185 At cùm dicta decisio Juris Canonici sit servanda etiam in terris Imperii, & in foro civili, & sæculari, etiam in locis Ecclesiæ quoad jurisdictionem temporalem non subjectis, ut probatum est suprà *n.195.* & tradunt communiter Doctores *ibid.* relati; in optione, seu electione spurii positum esse recurrere ad Ecclesiasticum judicem, vel ad sæcularem, & utrumque esse judicem competentem, affirmant communiter Doctores. Ita in terminis præter Cordubam, Spinum, P. Barbosam, Surdum, Gratianum, Rebellum *locis citatis*, Lancellotus Galliaula *in rub. ff. soluto matrim.* Ripa *in rub. ff. de verb. oblig. num.28.* Menochius *conf.461. num.22.* & plures alii relati à Surdo *d. privil.9. num.6.*

Denique quoties alimenta in futurum debentur 1186
pauperi aliunde non habenti unde vivere possit, quocumque titulo, sive ratione conjunctionis sanguinis, sive alia ex causa, longè probabilius existimo alimenta vitæ sustentandæ simpliciter necessaria posse peti coram Judice Ecclesiastico, etiam non datâ negligentiâ judicis sæcularis in administranda justitia: tum quia ita sentiunt Doctores communiter, ut constat ex relatis *num. 1180.* tum cùm alimenta debentur pauperi, censentur causa pia, ut notatum est suprà *num.1129.* & tradunt Doctores *ibid.* allegati, præter relatos *d. num.1180.* In causa autem pia Judex Ecclesiasticus est competens, etiam contra laïcos, ut plenè probavi *tom.2. var. mor. tit.12. num.338. & seq.* & tradunt etiam Baldus *in l.1. C. de Episcopali audientia*, per textum *ibi*, Hostiensis, Panormitanus, & alii per textum ibi *in cap.1. de empt. & vendit.* Glossa, Panormitanus, Imola, Barbatia, & Covarruvias *in cap. relatum, 1. p. de testam.* quos, & alios ad id refert Surdus *d. privil.9. num.4.* præter alios relatos à Tiraquello *de privil. causæ piæ, privil.149.* Dixi, *alimenta vitæ sustentandæ simpliciter necessaria*; nam quoad alimenta juxta dignitatem personarum, & quantitatem patrimonii filiis, & parentibus, & aliis sanguine conjunctis debita ex sola dispositione juris civilis, potest rectè procedere sententia utriusque Molinæ *num.1179.* relata, quod contra laicum peti debeant coram judice laico.

SUMMARIUM
Capitis XXII.

Pater non tenetur filio egenti alimenta præstare, & è contra, quando alendo filium, non potest se ipsum commodè, & honestè alere, nisi filius esset in extrema necessitate, num.1187.

Pater cæteris paribus non tenetur vitam propriam corporalem postponere vitæ corporali filii, & è contra, num.1188.

In æquali necessitate corporali nostra, & proximi privati, seu cæteris paribus, homo juxta regulam charitatis potest sibi potiùs subvenire, quàm alteri, ibid.

Charitas cæteris paribus magis inclinat ad sui, quàm ad aliorum amorem, ibid.

Illud Matthæi, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, *quomodo intelligendum, ibid.*

Sententia asserens in extrema necessitate propria, & proximi, qui sit persona privata, etiamsi agatur solùm de necessitate corporali, seu de conservanda sola vita corporali proximi extremè egentis, licitum esse vitæ nostræ corporali præferre vitam corporalem, ex motivo solius charitatis, vel fortitudinis, aut gratitudinis, vel saltem ex motivo specialis conjunctionis, nempe amicitiæ, aut consanguinitatis, vel affinitatis, n.1189.1190. & 1191.

Homo cùm non sit dominus vitæ suæ, non potest se directè occidere, & vitam prodigere, n.1190.

Non tamen semper, & ubique tenetur vitam corporalem conservare, sed ob finem honestum, seu bonum veritatis potest licitè eam amittere, & mortem sibi permittere, licèt posset eandem conservare, ibid. & num.1191.

Ordo charitatis secundùm aliquos non exigit, ut præter bona spiritualia, etiam alia bona temporalia vitæ corporalis, honoris, vel facultatum nostrarum priùs nobis velimus, quam proximo, ibid. Contrarium n.1201.

Facul

filium

fiasticum posse adiri à præfatis personis miserabilibus pauperibus contra laicum: & ita servari in Regnis Hispaniæ & Galliæ, & strictiùs in Italia, testatur loco citato Covarruvias: & quando eædem personæ miserabiles, putà viduæ, pupilli, orphani, infirmi sunt divites, non posse trahere laicos ad Judicem Ecclesiasticum, nisi quando non possunt habere justitiam à judice laico, tradunt Glossa *in d. cap. significantibus, verbo Pauperem*, & *verbo Procedere, ibid.* Panormitanus, Felinus, Hostiensis, Belletus *d. §.5. num.39. & 40.* & alii relati ab Augustino Barbosa *ad d. cap. significantibus, num.3. & collectaneo ad d. cap. ex tenore, n.3. de foro compet.* & quod hic dicitur in casu negligentiæ, tenent etiam Covarruvias, & Marta *locis citatis.* Confirmat Glossa *verbo Pauperem*, causas viduarum, orphanorum, & pupillorum divitum spectare ad judicium sæculare, per textum *in can. ab Imperatoribus, 23. quæst.3.* & *ex can. Regum, ead. 23. quæst.5.* Quare hic advertendum, viduas, & pupillos, etiam divites, inter miserabiles personas connumerari, ex sententia multorum Legistarum, & Canonistarum, quos referunt, & sequuntur Covarruvias *d. cap.6. pract. num.2.* Menochius *de arbitr. casu 66. num.3. post medium, & num. seqq.* Marta *d. casu 21, num.6.* & Augustinus Barbosa *collectaneo ad dictum cap. significantibus:* licèt contrarium, & non connumerari, sentiant plures alii, quos iidem Covarruvias, Menochius, & Barbosa allegant.

1183 Certum etiam videtur, alimenta filiis spuriis pauperibus à parentibus, vel eorum hæredibus debita, peti posse coram judice Ecclesiastico, cùm quod parentes cogi possint in foro externo ad præstanda filiis spuriis alimenta, sit introductum jure canonico, propter vitandum peccatum contra jus naturæ, quod committitur à parentibus, qui iisdem filiis spuriis alimenta denegant, ut habetur *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrimonium*; & tradunt communiter Doctores suprà *num. 186.* relati, & latè probatum est *à num. 186. ad 194.* & ita quod alimenta spurio debita peti possint apud Judicem Ecclesiasticum, asserunt Doctores communiter, Bartolus *in d. l.3. ff. de alim. & cibar. leg.* Covarruvias *de sponf. p.2. cap.8. §.6. num. 6.* Spino *in speculo testam. gloss. 16. num. 109.* Corduba à Lara *in l. si quis à liberis, §. idem rescripsit, num. 78. ff. de liberis agnoscendis*, Surdus *de alimentis, tit.8. d. privil.9. num.6.* Petrus Barbosa *ad l.1. p.4. n.82. ff. soluto matrimonio*, Stephanus Gratianus *d. cap.60. n.31. & d. cap.154. num.11. & quatuor sequentibus*, & alii Jurisperiti, qui duobus numeris sequentibus allegantur, & Rebellus *de obligat. justitiæ, p.2. lib.5. quæst.2. num.14.*

1184 Imò non defuerunt plures Jurisperiti, qui dixerunt alimenta præfata spurio debita peti posse solùm coram judice Ecclesiastico. Ita Aretinus *conf.48. n.9.* Bursatus *conf.62. num.11.* Geminianus *conf. civili 35. in fine*, Cephalus *conf.48. num.9.* Decius *in cap. Ecclesia S. Mariæ, n.30. de constitut.* Joan. Bapt. Scaccialupus *in l. frater à fratre, §. quæsitum, num.87. ff. de condict. indebiti*, & Bonacosa *de æquitate canonica, in 2. conclusione*, moti ex eo, quod quando lex Ecclesiastica propter peccatum inducit novum remedium excitando ad illud Judicem Ecclesiasticum, nullum competit remedium in foro seculari.

1185 At cùm dicta decisio Juris Canonici sit servanda etiam in terris Imperii, & in foro civili, & sæculari, etiam in locis Ecclesiæ quoad jurisdictionem temporalem non subjectis, ut probatum est suprà *n.195.* & tradunt communiter Doctores *ibid.* relati; in optione, seu electione spurii positum esse recurrere ad Ecclesiasticum judicem, vel ad sæcularem, & utrumque esse judicem competentem, affirmant communiter Doctores. Ita in terminis præter Cordubam, Spinum, P. Barbosam, Surdum, Gratianum, Rebellum *locis citatis*, Lancellotus Gallisula *in rub. ff. soluto matrim.* Ripa *in rub. ff. de verb. oblig. num.28.* Menochius *conf.461. num.12.* & plures alii relati à Surdo *d. privil.9. num.6.*

Denique quoties alimenta in futurum debentur 1186
pauperi aliunde non habenti unde vivere possit, quocumque titulo, sive ratione conjunctionis sanguinis, sive alia ex causa, longè probabilius existimo alimenta vitæ sustentandæ simpliciter necessaria posse peti coram Judice Ecclesiastico, etiam non datâ negligentiâ judicis sæcularis in administranda justitia: tum quia ita sentiunt Doctores communiter, ut constat ex relatis *num.* 1180. tum cùm alimenta debentur pauperi, censentur causa pia, ut notatum est suprà *num.1129.* & tradunt Doctores *ibid.* allegati, præter relatos *d. num.1180.* In causa autem pia Judex Ecclesiasticus est competens, etiam contra laïcos, ut plenè probavi *tom.2. var. mor. tit.12. num.338. & seq.* & tradunt etiam Baldus *in l.1. C. de Episcopali audientia*, per textum *ibi*, Hostiensis, Panormitanus, & alii per textum ibi *in cap.1. de empt. & vendit.* Glossa, Panormitanus, Imola, Barbatia, & Covarruvias *in cap. relatum, 1. p. de testam.* quos, & alios ad id refert Surdus *d. privil.9. num.4.* præter alios relatos à Tiraquello *de privil. causæ piæ, privil.149.* Dixi, *alimenta vitæ sustentandæ simpliciter necessaria*; nam quoad alimenta juxta dignitatem personarum, & quantitatem patrimonii filiis, & parentibus, & aliis sanguine conjunctis debita ex sola dispositione juris civilis, potest rectè procedere sententia utriusque Molinæ *num.1179.* relata, quod contra laicum peti debeant coram judice laico.

SUMMARIUM
Capitis XXII.

Pater non tenetur filio egenti alimenta præstare, & è contra, quando alendo filium, non potest se ipsum commodè, & honestè alere, nisi filius esset in extrema necessitate, num.1187.

Pater cæteris paribus non tenetur vitam propriam corporalem postponere vitæ corporali filii, & è contra, num.1188.

In æquali necessitate corporali nostra, & proximi privati, seu cæteris paribus, homo juxta regulam charitatis potest sibi potiùs subvenire, quàm alteri, ibid.

Charitas cæteris paribus magis inclinat ad sui, quàm ad aliorum amorem, ibid.

Illud Matthæi, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, *quomodo intelligendum, ibid.*

Sententia asserens in extrema necessitate propria, & proximi, qui sit persona privata, etiamsi agatur solùm de necessitate corporali, seu de conservanda sola vita corporali proximi extremè egentis, licitum esse vitæ nostræ corporali præferre vitam corporalem, ex motivo solius charitatis, vel fortitudinis, aut gratitudinis, vel saltem ex motivo specialis conjunctionis, nempe amicitiæ, aut consanguinitatis, vel affinitatis, n.1189. 1190. & 1191.

Homo cùm non sit dominus vitæ suæ, non potest se directè occidere, & vitam prodigere, n.1190.

Non tamen semper, & ubique tenetur vitam corporalem conservare, sed ob finem honestum, seu bonum veritatis potest licitè eam amittere, & mortem sibi permittere, licèt posset eandem conservare, ibid. & num.1191.

Ordo charitatis secundùm aliquos non exigit, ut præter bona spiritualia, etiam alia bona temporalia vitæ corporalis, honoris, vel facultatum nostrarum priùs nobis velimus, quam proximo, ibid. Contrarium n.1201.

Facul

filium est similis amori sui ipsius, num. 1215.

Major est obligatio filii exhibendi alimenta patri, quàm è contra, ibid.

Beneficium à patre acceptum est omnium temporalium maximum, ibid.

Majoris impietatis peccatum est occisio & maledictio patris, quàm occisio & maledictio filii, ibid.

In homine in ordine ad filium duplex est inclinatio & dilectio, una natura, seu appetitus sensitivi communis omnibus animantibus; altera natura rationalis, & voluntatis: prior est major erga filios, altera est major erga parentes, n. 1216. & 1217.

Cùm pater, & filius concurrunt in eadem extrema necessitate, obligatio erga patrem impedit obligationem erga filium, n. 1217.

Quando dicitur patrem teneri jure natura alere filium, filium verò teneri patrem alere de jure gentium, quid nomine juris natura, & juris gentium intelligatur, ibid.

Catera animantia prater hominem non curant parentes, neque illis provident, ibid.

Obligatio alimentandi non regulatur à ratione succedendi, n. 1218.

Homo faciliùs amat filium, quàm patrem, n. 1219.

Intellectus ad tradita à D. Thoma 2. 2. q. 26. art. 9. in corpore, quo videntur probare filium in extrema necessitate magis diligendum, quàm patrem, patrique praferendum esse, ibid.

Extra extremam necessitatem paternam, si pater & filius non reperiantur in aquali necessitate gravi, certum est potiùs esse providendum filio, quàm patri, num. 1220.

In aquali necessitate gravi patris, & filii, si filius sit emancipatus, seu extra patris potestatem, pater est praferendus filio; si filius sit sub potestate, seu cura patris, filio potiùs quàm patri est providendum; si catera sint paria, n. 1221. etsi filius etiam extra extremam necessitatem in temporalibus non teneatur, etsi possit, priùs providere filiis, ibid.

Pro defensione filii mei, quem pater meus velit occidere injustè, si aliter defendi non potest, possum occidere patrem, licèt non tenear, n. 1222.

Et multò minùs teneor occidere patrem volentem occidere alterum innocentem extraneum; imò nec teneor occidere fratrem, vel amicum pariter volentem occidere extraneum innocentem, licèt is aliter salvari non possit, ibid.

In extrema necessitate parentis, & amici, aut insignis benefactoris, cateris paribus, an quis teneatur potiùs subvenire parenti, si non potest utrique; an verò possit licitè parenti praferre amicum insignem benefactorem. Sententia affirmans posse praferre amicum insignem benefactorem, n. 1223.

Contraria sententia asserens per se loquendo patrem & matrem debere praferri cuicumque privato, etsi amico & insigni benefactori, n. 1224.

Etiam filius, & uxor in extrema necessitate per se loquendo debent praferri amico & benefactori privato, num. 1225.

In nonnullis casibus, putà quando pater fuit erga filium valde crudelis, & neglexit illius curam, an illis possit praferri insignis benefactor. Negativa, num. 1226. Affirmativa communis & vera, etsi non tenetur praferre, ibid.

Sic etiam pater filio sibi ingrato, & vir uxori, qua neglexit satisfacere debita obligationi erga ipsum, potest honestè praferre benefactorem, licèt non teneatur, ibid.

Existentibus patre, & matre in aquali necessitate, patri per se loquendo, potiùs debet provideri, quàm matri, num. 1227.

Si pater fuit vitiosus, crudelis, negligens circà curam filii, & mater benevola ac benefica, potest filius licitè matrem praferre patri, etsi non tenetur, n. 1228.

In aquali necessitate corporali & spirituali avi paterni, & matris, potiùs subveniendum esse avo, senserunt aliqui, num. 1229.

Contrarium, & esse obligationem subveniendi potiùs matri, est communis & vera sententia, n. 1230.

Conjuncti conjunctione naturali, cateris paribus, sunt magis diligendi quàm conjuncti affinitate vel humana conjunctione; & inter conjunctos eadem conjunctione, illi sunt magis diligendi qui sunt conjunctiores, ibid.

Nullus unquam, cateris paribus, est magis diligendus quàm pater, & mater, ibid.

Filius infans parentum Judaeorum, mortuo patre, & vivis matre Judaa, & avo paterno fideli, & jam ad Fidem converso, an volente avo, possit invita matre baptizari, & an etiam debeat educari apud avum, ipso volente, n. 1229. & 1231.

Parentibus, & uxore extremè egentibus alimentis, filium teneri subvenire potiùs uxori, dixerunt nonnulli, n. 1232. Communis sententia ait, patrem & matrem uxori esse praferendos, n. 1233.

Intelligitur communis sententia, quando maritus ex propriis bonis tantùm possit & deberet subvenire; ex bonis verò dotalibus potiùs debet uxori subvenire, ibid. fine.

Extra extremam necessitatem parentum uxor est praferenda parentibus, n. 1234.

Si filius, & uxor existant in extrema necessitate alimentorum, & utrique pater non possit succurrere, esse succurrendum potiùs uxori, asserit una sententia, & sic etiam in extrema necessitate ab uxore virum esse praferendum filio, n. 1235.

Opposita tamen sententia, & verior, tenet filium esse praferendum uxori, & viro, n. 1236.

Intelligitur quando maritus ex propriis bonis debet providere, secus si de bonis dotalibus, n. 1233. initio.

In extrema eorum necessitate praferre matrem patri, parentibus filium, vel parentibus, & filio uxorem, esse tantùm peccatum veniale plures asserunt, n. 1237.

Sed vel nullum esse peccatum, vel mortale, declaratur, & probatur, n. 1238.

Concurrentibus in extrema necessitate filiis legitimis & naturalibus cum filiis illegitimis, vel naturalibus cum spuriis, vel legitimo, & naturali, aut illegitimo cum adoptivo, quis debeat praferri, n. 1239.

Concurrentibus in extrema necessitate alimentorum avo paterno aut materno, vel avia paterna aut materna cum fratre, cui potiùs subveniendum, num. 1240. & duobus seqq.

Extra extremam necessitatem si frater, & soror concurrant, vel sobrinus cum sobrina, soror, & sobrina debent praferri, n. 1244.

In extrema necessitate alimentorum fratris, & sororis utrimque conjunctorum, aut ex una parte tantùm, vel fratris, & patrui, cui debeamus potiùs succurrere, num. 1245.

Concurrentibus in eadem extrema necessitate duobus consanguineis transversalibus ultra secundum gradum, cui potiùs succurrendum, n. 1246.

Concurrentibus in eadem extrema necessitate consanguineis ascendentibus, vel descendentibus ultra secundum gradum, vel transversalibus in primo, aut secundo gradu, vel ultra secundum gradum, cum amico, aut benefactore, prasertim insigni, quis praferri debeat, n. 1247. & 1248.

Concurrentibus in extrema necessitate extraneis nostra cura commissis, cum consanguineis transversalibus, qui debeant, aut possint praferri, n. 1249.

Concurrentibus sanguine conjunctis cum extraneis melioribus, & sanctioribus in eadem necessitate aquali temporali, vel spirituali, cateris paribus, praferendi sunt

---

CAPUT XXII.

Quando sanguine conjunctus non potest simul alere se ipsum, & alterum egentem, vel concurrunt plures conjuncti extremè egentes, & non potest omnibus subvenire, quis ordo servandus sit in præstandis alimentis, seu cui potiùs danda sint.

Titulus hujus capitis continet plures difficultates, quæ claritatis gratiâ sunt sigillatim, & seorsim enodandæ. Sit ergo

§. I.

Quando pater non potest alere seipsum, & filium, & è contra, & frater fratrem, an teneatur potiùs alere seipsum quàm alterum.

Difficultas prima. Quando pater non potest alere seipsum, & filium, & è contra; vel frater fratrem, an quilibet horum teneatur alere seipsum potiùs quàm alterum. 1187

Suprà *num.*643. & 644. probatum est, patrem non teneri filio alimenta præstare, & è contra, quando alendò filium non potest seipsum commodè & honestè juxta conditionem sui status alere, nisi filius esset in extrema necessitate, alioqui fame periturus, si pater ei alimenta vitæ necessaria non exhiberet: quo casu dixi vitam filii esse præferendam existimationi patris. Hîc ergo difficultas procedit in casu, quo pater, & filius extremè egerent, & unus non posset alimenta alteri præstare, nisi exponendo se certæ morti ex defectu necessarii alimenti ad vitam corporalem conservandam: an pater, vel filius teneatur potiùs se ipsum alere, quàm filium, & è contra; an verò, si velit, possit alimentum, sine quo ipse fame est moriturus, tradere filio, præferendo suæ vitam filii, & è contra. De qua re Theologi tractantes de charitate, dum agunt de ordine charitatis servando inter nos, & proximum, & inter ipsosmet proximos.

Certum est, considerando vitam propriam patris, & vitam propriam filii ut bonum privatum, non teneri patrem privare se alimento necessario ad suam vitam conservandam, & exhibere filio, vitamque filii præferre vitæ suæ, & è contra; cùm sit certissima regula charitatis, quod in æquali necessitate corporali nostra, & cujuslibet privati, homo potest licitè sibi potiùs subvenire, quàm alteri privato; sicque potest sibi in extrema necessitate famis constituto ministrare potiùs quàm alteri eadem necessitate laboranti cibum qui utriusque sustentationi non sufficit. Ita S. Thom. 2.2.*q.*26.*art.*4. & 5. Suarez *de charitate, disp.*9.*sect.*3.*num.*2. Coninch *de charitate, disp.*25. *dub.*6. Filliucius *tom.*2.*tract.*28.*cap.*2.*num.*31. Layman *lib.*2.*tract.*3.*cap.*2.*n.*4. Azorius *p.*2.*lib.*12. *cap.*4. *q.*1. Gordonus *lib.*6. *quæst.*15.*cap.*1. Castrus Palaus *Theolog. Moral. tom.*1.*tract.*6.*disp.*1.*p.*8.*n.*2. Ovied. *de charitate, controvers.*8. *puncto* 3. *n.*64. Trullench *in præcept. Decalog. tom.*1.*cap.*5. *dub.*6. *n.*4. Reginald. *tom.*2. *praxis, lib.*21.*n.*4. Marchinus *de bello divino, p.*1.*cap.*10. *num.*1. & cæteri Theologi communiter, & ex Jurisperitis Pontanus *de alimentis, cap.*11. *n.*6. Surdus *de alim. tit.*1.*quæst.*91. & *quæst.*94.*n.*1. & reliqui Jurisperiti relati suprà *num.* 643. Ratio est, quia cæteris paribus, charitas magis inclinat ad sui, quàm aliorum amorem, ut tradit locis citatis S. Thomas, & post eum præallegati Theologi: & est vulgare, quod prima charitas incipit à seipso, & probat illud Matthæi, quod D. Thomas, & cæteri ad id adducunt: *Diliges proximum tuum sicut temetipsum.* Quod intelligendum est tam de bonis spiritualibus, quàm temporalibus, quæ unusquisque in æquali necessitate ex charitatis inclinatione sibi potiùs velle potest, quàm proximo, ut persona privata considerato. 1188

Quod igitur valde controversum est inter Theologos, & summistas, & etiam Jurisperitos, est an in casu

casu extremæ necessitatis propriæ, & proximi, ubi non agitur nisi de bono, vel damno privato vitæ propriæ, vel proximi, si quis non potest succurrere sibi, & proximo, ita ut necesse sit alterum eorum perire vel fame, vel naufragio, possit cedere propriæ conservationi, & vitam proximi privati præferre vitæ propriæ; an verò secundùm ordinem & obligationem charitatis teneatur conservare vitam propriam, illamque præferre vitæ ejusdem proximi extremè egentis, qui est persona privata, & de cujus vitæ tantùm damno agitur. Quam controversiam alii agitant sub illis terminis, utrum quis possit licitè se voluntariè offerre certæ morti, ut vitam alienæ personæ privatæ extrema necessitate laborantis conservet.

1189 Et multorum sententia est, licitum esse, & laudabile ob vitam proximi privati, & cæteris paribus, non se defendere, seu conservare, sed mortem permittere, & suæ certæ morti se voluntariè offerre. Ita Victoria *in relectione de homicidio, num.26. & seqq.* Durand. *in 3. dist.39.q.2.n.20.* Sotus *lib.5. de just. & jure, q.1. art.6.* Bannes *2.2.quæst.26.art.4. dub.2.* Aragon *ibid.* Greg. Valent. *tom.3.disp.3.quæst.4.puncto 3. assert.3.* Cordub. *lib.6.quæst.38.* Molina *de just. tom.3. disp.14.* Sayrus *lib.7. Clavis, cap.9.num.13.14.20. & 21.* Azorius *p.2. lib.12.cap.4. quæst.2.* Lessius *de just. lib.2. cap.9.n.29.* Toletus *in Summa, lib.5.cap.6.* Coninch *d.dub.6.n.81.* Gordonus *lib.6. quæst.15. cap.1.* Becanus *2.2.cap.19. q.2. n.18. § Tertiò,* Fagundez *in Decalog. lib.5.cap.11. n.9.& cap.12.n.18.* Granadus *tract.7.disp.2.* Villalobos *part.2.tract.3. disp.7.n.9.* Filliucius *d.cap.2.n.32.* Trullench *d.dub.4. num.5.* Bonacina *tom.2. disp.3. de charitate, quæst.4. puncto 4. num.6.* Ripalda *de charitate, disput.37. sect.8. num.79.* & nonnulli alii à Sayro & Suarez *ubi suprà*, Oviedo *d. puncto 3. num.70.* & P.Navarro *de restitut. lib.2. cap.3. num.38.* relati. Et tanquam hujus sententiæ allegatur S. Thomas *in 3. dist.29.art.5.ad 3.& lib.1.de regimine Principum,cap.10. & 2.2.quæst.26. art.4. ad 2. & art.5. ad 3.* & eandem sententiam amplexi sunt Suarez *d.sect.3.n.3. 4. & 7.* & Castrus Palaus *d.puncto 8. n.5.* Non autem eodem modo præfati Doctores omnes conveniunt in hac sententia; etenim non pauci asserunt absolutè, licere, nec esse contra ordinem, seu obligationem charitatis erga seipsum, se sponte offerre certæ morti (non quidem positivè se occidendo, seu faciendo actionem aliquam directè, & immediatè naturâ suâ tendentem in mortem; sed negativè tantùm, scilicet vel abstinendo ab aliquo opere, quo posset vitam propriam tueri; vel etiam faciendo aliquod opus, ad quod certò consequetur mors propria, licèt non directè, non ex natura & vi dicti operis, sed aliunde, seu alia de causa) pro salvanda, seu tuenda vita cujusvis alius hominis, non solùm conjuncti, putà amici, patris, vel alterius benefactoris, sed etiam omninò extranei; & considerato solùm bono vitæ propriæ, & bono vitæ proximi, seclusa quacunque alia ratione, putà amicitiæ, aut alterius conjunctionis, & meritorum, ob accepta beneficia, quæ in eo considerari & amari possint, præter bonum ipsum naturale vitæ. Ita Victoria, Corduba, Molina, Azorius, Lessius, Fagundez, Coninch, Villalobos, Gordonus, & Granado: & ita sentire videtur etiam Sotus *d.art.6.* consideratis omnibus rationibus, quæ ibidem adducuntur. Alii verò volunt, esse quidem illicitum, & contra ordinem charitatis, obligationemque propriæ vitæ conservandæ quempiam offerre se certæ morti modis supradictis pro conservatione vitæ alterius, si nulla adsit alia ratio specialis ad id movens, præter rationem generalem proximi, & conservationem vitæ illius corporalis: esse verò licitum, & laudabile, si præter bonum vitæ corporalis alienæ adsit alia ratio specialis movens, scilicet conjunctio amicitiæ, sanguinis, matrimonialis, aut alia specialis conjunctio, beneficia accepta ab eo cujus vitæ conservationem præfert quis conservationi propriæ vitæ. Ita Toletus, Sayrus, Becanus, Suarez, Castrus Paulus *locis citatis*, Oviedus *d.puncto 3. num.78. & seqq.* licèt *n.77.* teneat licitum esse negligere aliquid, quo quis in extrema necessitate constitutus posset propriam vitam conservare, ne impediat conservationem vitæ proximi cujuscunque, ut si duo naufragentur, aut extremè indigeant cibo, & occurrat tabula, vel panis, quibus uterque extremè eger, & nullus possideat; cuilibet eorum ait esse licitum alteri permittere, ut tabulam, vel panem sibi arripiat, & sic mortem evadat, etsi inde agnoscat se naufragium passurum, vel fame moriturum. Ita etiam Filliucius, & Trullench *locis allegatis*, ubi asserunt, ex charitate qua quisque magis amet vitam alterius, quàm propriam, non esse licitum mori pro altero privato, quia sic non diligeret proximum sicut se ipsum, sed plusquam seipsum, contra illud suprà adductum, *Diliges proximum sicut teipsum.* Ex charitate verò, qua quis magis amet seipsum in bono aliquo spirituali, & dignitate virtutis amicitiæ, quàm amet corpus suum, & proximum, aiunt licitum esse amico pro altero mori. Ita etiam Valentia *loco citato*, ubi dicit, non licere quidem ex charitate alicui in æquali extrema necessitate suæ vitæ præferre vitam alterius privati, seu se sponte morti certæ offerre pro conservanda vita alterius privati; licere autem si fiat non amore vitæ amici, sed amore virtutis amicitiæ.

Hæc sententia juxta Doctores primæ classis, absolutè sentientes, licitum esse sponte se offerre, seu 1190
permittere mortem propriam pro conservanda vita proximi cujuscunque privati, probatur primò, quia etsi homo non est dominus propriæ vitæ, nec potest unquam directè se occidere, & tenetur illam conservare, nec temerè prodigere; tamen non semper & ubique tenetur illam conservare, sed propter bonum virtutis, & honestum finem licitè potest eam amittere, & mortem pati, sive sibi permittere: at servare vitam proximi privati, & cujuscunque, non solùm intuitu boni corporalis illius, sed causâ excedendi opus charitatis, vel fortitudinis, vel patientiæ, est honestus finis, & actus virtutis, cedens in majus bonum, nempe spirituale, quàm cæteris paribus vitam propriam corporalem tueri, cùm sit summa exhibitio charitatis, & insigne opus fortitudinis. Ergo non erit contra ordinem charitatis, vel obligationem conservandæ vitæ propriæ. Secundò quia vel in conservatione vitæ attenditur bonum proprium, & tali bono ut sic potest unusquisque cedere; vel bonum Reipublicæ, vel Dei, cujus est vita; & in hoc etiam vita proximi privati est æquale bonum. Ergo in extrema necessitate utriusque præferendo nostræ vitam proximi corporalem, non pervertitur ordo charitatis. Tertiò ex Azorio, quia ordo charitatis requirit quidem, ut bona gratiæ, gloriæ, & virtutis priùs nobis velimus, quàm proximo, ita ut vita, & salus animæ non sit objicienda periculo certo, sive morali, pro vita spirituali proximi servanda: at verò ordo charitatis non exigit, ut cætera bona, vel vitæ corporalis, vel honoris, vel rerum nostrarum priùs nobis velimus, quàm proximo. Ita Azorius, & videntur approbare Filliucius, & Trullench, & absolutè approbat Coninch *d.disp.25. num.83.* Quare quartò probatur eadem sententia, quia etiam in aliis rebus propriis, & proximi est ordo, & nihilominus res nostras, scilicet facultates, famam, honorem non tenemur conservare in concurrentia bonorum proximi; sed periculo objicere, seu negligere licitè possumus pro fama, vel honore ejusdem proximi: ergo etiam vitam nostram corporalem exponere licitè possumus

pro

pro proximi vita tuenda. Ita idem Azorius, & Sotus. Quintò jure naturæ omnes sumus membra unius corporis moralis, nempe Reipublicæ, quæ est veluti quoddam corpus constans ex civibus tanquam membris: ergo si unum corporis membrum licitè exponitur non solùm pro conservatione totius, sed etiam pro alio membro conservando, ut invicem se custodiant: ita etiam cuilibet licitum est exponere, & dare vitam propriam pro Republica ipsa, & similiter pro proximo, qui est membrum, & pars Reipublicæ. Sextò vita proximi præstantior est bonis nostris temporalibus, fama, honore, &c. sed pro his bonis licet morti se exponere. Ergo, &c. Septimò licet perdere membrum corporis proprii, ne proximus occidatur: ergo & vitam; quia sicut non sumus domini vitæ, ita nec membrorum corporis; & quia mutilatio in membro principali quasi æquivalet morti, unde non tenetur homo illam pati, ut vitam servet. Octavò aggressus ab aliquo, etiam injustè, quem nisi occidat, certò ab illo occidetur, potest licitè permittere se occidi, ut invasorem non occidat, ut in præcedenti parte hujus tractatus, *cap.* 1. *n.* 207. *& cap.* 9. *num.* 87. dictum est, & non alia ratione, nisi quia conservatio præcisè vitæ alienæ est honestus finis, & actus virtutis charitatis, & patientiæ, ac fortitudinis, cohonestans permissionem propriæ mortis. Ergo etiam, & multò magis, licitum est permittere mortem propriam pro conservatione alterius innocentis. Nonò pro conservatione vitæ, ac etiam status, & rerum fortunæ sui domini, famulus licitè se exponit certissimis vitæ propriæ periculis, & accipit stipendium, ut sic se obliget, & licitè obligatur: ergo si id faciat ex liberalitate, & amore honestatis, utque exerceat actum charitatis, vel fortitudinis, vel alterius virtutis, erit licitum, & laudabilius. Ita Coninch. Denique affertur exemplum Christi Domini, qui vitam suam posuit pro salute nostra, non solùm spirituali, sed etiam temporali: omnis autem Christi actio est nostra instructio, *can. Deus,* 1. *q.* 1. *cap. significasti, de electione.* Ita Sotus. Hoc tamen argumentum non facit ad rem præsentem, ut latè ostendunt P. Navarrus *d. lib.* 2. *Cod. de restit. citato cap.* 3. *num.* 52. *& duobus seqq.* & Balthasar Gomezius *de potestate in seipsum, lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 8. *&* 9. Nam etsi verum est, Christum Dominum meruisse nobis immortalitatem corporum, quia sicut per Adam omnes moriuntur, etiam morte temporali, ita per Christum omnes vivificabuntur, etiam vita corporali per resurrectionem, qui fuit effectus suæ resurrectionis: nihilominus idem Christus Dominus non ob illam solam, sed ob spiritualem vitam principaliter mortuus est, & resurrexit. Deinde Christus mortuus est pro omnium hominum vita, & pro communi bono, non unius hominis, aut civitatis, aut regni. Præterea Christus non posuit vitam suam temporalem, ut nos à morte liberaret, scilicet ne nos moreremur cùm etiam post ejus mortem omnibus mori necesse sit; sed ut post primam mortem, resurrectionem nobis, & immortalem vitam corporis donaret; quod etiam cuique licere pro alio certum est, cùm præstantius, & melius sit vitam immortalem corporis proximo recuperare, quàm suam temporalem conservare. Ex quo P. Navarrus contra hanc Soti, & aliorum sententiam arguit, quod sicut vitam nostram corporalem immortalem post resurrectionem non liceret perdere pro simili vita immortali corporis alterius; ita nec licet perdere vitam nostram corporalem pro vita corporali alterius. Demùm Christus erat Deus, & author, ac dominus vitæ, & sic potuit de ea facere quidquid voluit: nos autem non possumus. Item passus est ex præcepto, & obedientia Patris, juxta illud Joan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre.* Et illud ad Philipp. 2. *Factus est obediens usque ad mortem.* Et ad Rom. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituuntur multi.* Et tradunt tum Sancti Patres, D. Augustinus *tract.* 82. *in Joannem*, Cyrillus *lib.* 10. *in Ioan. cap.* 2. D. Ambrosius *lib.* 5. *de Fide Cathol.* & alii: tum Theologi, S. Thomas 3. *part. quæst.* 47. *art.* 2. & ejus Interpretes, & alii *in tract. de Incarnatione.* Ex Dei autem jussione posse quemquam non solùm certæ morti se offerre, sed etiam positivè se occidere, non est dubium.

Hæc eadem sententia juxta alios Doctores sustinentes non teneri quemquam in æquali necessitate 191
extrema vitæ sibi potiùs subvenire quàm proximo sibi amicitia, vel sanguine, aut alio speciali vinculo conjuncto, vel à quo beneficia receperit, sed suæ vitæ posse licitè præferre vitam amici, &c. probatur primò, quia mori pro amico, esse laudabile dixere communiter Philosophi, ut referunt Sotus, Suarez, Sayrus, & alii, & Ferdinandus Vasquius *qq. illustrium cap.* 11. *num.* 26. *initio*, & præsertim Aristoteles 9. *Ethicor. cap.* 8. dixit, mori pro amico esse opus amicitiæ. *Verum est*, inquit, *quod de studioso dicitur, complura inquam ipsum age e amicorum, & patriæ gratiâ; & si opus fuerit, mortem obire.* Et infrà: *Qui pro aliis mortem obire consueverunt, eligunt quoddam magnum honestum sibi ipsis.* Etiam Sancti Patres Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Lactantius, & alii, quos referunt Sayrus *d. cap.* 9. *num.* 13. Suarez *d. sect.* 3. *num.* 3. & Balthasar Gomezius *d. tract. de potestate in seipsum, lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 27. laudant Damonem, & Pythiam, quorum unus Tyranno Dionysio Syracusano, ut scribit Valerius Maximus *lib.* 4. *cap.* 7. *exemplo* 1. se vadem pro vita alterius obtulit. Quinimò ipsum docuit Christus, dum *Ioan.* 15. commendans Discipulis dilectionem, dixit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et ibi loqui Christum non solùm pro salute spirituali amici, sed etiam pro vita, & aliis bonis temporalibus amici, ait Sotus, quia volens ibi mortalium amicitiam sibi maximè conciliare, illud pronunciatum absque ulla exceptione absolutè protulit, scilicet quod in hoc maximè charitas ostendatur, quod quis vitam ponat pro amicis. Secundò probatur ratione, quia etsi homo non est dominus propriæ vitæ corporalis, nec potest se occidere; non tamen tenetur eam semper conservare, sed potest exponere pro majori bono, nempe virtutis, & honesti; bonum enim, & honestas virtutis est quid præstantius quàm vita corporalis, & consequenter propter illud potest vita corporalis deseri, & negligi, ut omnes fatentur, & præcipuè exemplis declarat Lessius non solùm *ubi suprà*, sed etiam *lib.* 4. *cap.* 3. *dubio* 2. *num.* 12. Sed qui in extrema necessitate vitam suam corporalem postponit vitæ corporali amici, non ex solo amore vitæ corporalis amici, sed ex amore & motivo virtutis, seu honestatis, & amicitiæ vitam suam corporalem exponit pro majori bono, nempe virtutis sibi comparando: ergo licitè, & absque læsione charitatis facit. Quod confirmatur, quia sic, seu ex eo motivo exponens vitam pro amici vita tuenda, non vult majus bonum amico quàm sibi, sed præfert bonum honestum & virtutis suæ vitæ corporali: quod est licitum, quandoquidem amissio propriæ vitæ corporalis alio majori bono compensatur, scilicet bono honesto, & actu virtutis amicitiæ, benefaciendo amico. Quapropter sic exponens, vel deserens propriam vitam corporalem propter amici vitam conser-

conservandam, magis diligit seipsum quàm amicum, dum amico vult solùm conservationem corporis, sibi ipsi verò bonum honestum, & actum virtutis, ac proinde non violat præceptum charitatis. Tunc ergo solùm præcepto charitatis tenetur potiùs vitam propriam quàm aliorum servare, ubi non est alia ratio specialis boni, seu aliud bonum quàm vita corporalis: secus ubi est alia ratio specialis boni, scilicet virtus colenda; tunc enim potest licitè homo vitam propriam corporalem exponere, seu non conservare pro servanda vita amici. Confirmat Sotus, quia vita est tantùm bonum temporale, amicitia autem est pars felicitatis, quæ est finis hominis; amici enim mei bonum, ait idem Sotus, est bonum meum, ad meam etiam fœlicitatem pertinens. Cùm ergo bona utilia, inter quæ computatur vita nostra corporalis, ut est quoddam bonum temporale, ad felicitatem uti ad finem supremum ordinentur, pluris est facienda felicitas, & per consequens vita proximi amici. Ultimò, quod conjunctio inter amicos, seu bonum ipsum amicitiæ sit sufficiens, & justa causa, ut quis possit propriam mortem permittere causâ defendendi vitam amici, ostendunt illud *Ecclesi.6.* exaratum, *Amico fideli nulla est comparatio:* & illud *Prov.12.* effatum, *Qui negligit damnum propter amicum, justus est:* & illud commune dictum, *Amicus alter ego.* Ex quibus patet, quod potest quis honestè æstimare amicum sicut seipsum, & sic pro illius vita conservanda propriam offerre, seu non defendere. Quod si hoc licet pro tuenda vita amici, multò magis licebit pro defensione, & conservatione patris, cujus est maxima naturalis conjunctio, quæ esse potest, & à quo quis vitam suam corporalem accepit. Nec videtur posse negari, honestum valde esse parentibus potiùs quàm sibi opitulari: imò, subdit Suarez *d. sect.3.n.2.* vix negabit quisquam, non licere propriam mortem permittere pro tuenda patris vita. Et juxta eosdem Doctores idem dicendum de patre respectu filii, & in viro respectu uxoris, & è contra; idque propter illam rationem specialis conjunctionis, quæ videtur justa causa permittendi propriam mortem causâ defendendi vitam alterius.

1192 Ex quibus sequitur, me, & patre meo, vel amico, imò etiam juxta Doctores primæ classis, quolibet alio proximo existentibus in extrema necessitate famis, vel in naufragio, vel in bello, prævalentibus hostibus, & insequentibus, ut sit tantùm unus panis, una tabula, unus equus, me licitè posse dare, vel saltem non atripere mihi, sed permittere panem, vel tabulam, aut equum patri, amico, vel alteri proximo.

1193 Dixi, *posse dare, vel saltem non arripere mihi, sed permittere, &c.* quia etsi præfati Doctores, & omnes conveniunt in hoc, neminem unquam, neque etiam pro bono totius Reipublicæ, neque etiam pro salute spirituali proximi, posse se sponte morti offerre faciendo aliquam actionem positivam, qua cooperetur directè suæ morti, quia sic esset se ipsum verè, & propriè occidere, quod nulla ex causa præter Dei jussionem licitum est; discordant tamen in explicando quando quis censeatur propriæ morti directè cooperari. Quare circa casus præfatos extremæ necessitatis famis, & naufragii præfati Doctores variant.

§. II.

Duobus naufragantibus, existente tantùm una tabula, an unus alteri licitè relinquere possit tabulam.

1194 Et quidem quando sunt in extrema necessitate, ut in naufragio, & est tantùm una tabula, aliqui sentiunt quod si alter non arripuit tabulam, licèt posset prævenire, & sibi arripere, potest licitè relinquere alteri, sive amico, sive patri, sive cuicumque proximo, juxta Doctores primæ classis, licèt inde certò sciat se undis præfocandum: si verò jam arripuit tabulam, eamque jam possidet, eique insidet, non posse eam licitè tradere, vel relinquere alteri, si caret omni spe evadendi naufragium, seu mortem. Ita Sotus *d. art. 6. in responsione ad 1.* Suarez *d. sect.3. num.7.* Gordonus *loco suprà citato*, Ludov. Lopez *1. part. instructorii, cap.65.* & etiam Oviedus *allegata part.3. num.71. & 75.* ubi etiam expressè ait, naufrago jam habenti tabulam arreptam, licèt ei nondum insederit, non licere eam alteri in eadem necessitate constituto tradere, etiam proprio parenti; cùm tamen Sotus, & alii dicant, id non licere, si jam tabulæ insedisset, & relinquendo sciret se certò inde moriturum. Primum, quod scilicet liceat alteri ex naufragis non arripere tabulam, qua posset tueri suam vitam, sed posse alteri relinquere pro illius vita conservanda, ob unum ex honestis finibus suprà explicatis, probant quia id tantùm est nolle propriam vitam conservare, & negativè solùm se habere ad propriam mortem, scilicet non faciendo id, quo posset vitam tueri; quod est licitum, si fiat ob honestum finem, & ad virtutis exercitium. Secundum verò, quod si jam accepit tabulam, & in eam insedit, non possit tradere alteri, seu deserere ut alter accipiat, probant Sotus, Suarez, Gordonus, & Oviedus; quia sic non solùm non prospiceret sibi, & abstineret à faciendo id quo posset vitam conservare, sed cùm sit extra periculum, è tuto seipsum projiceret in mare, & in mortem præcipitaret, seu se suffocaret, atque interimeret, non secus ac ille, qui sine spe natandi in mare è navigio se projiceret, qui absque dubio sic positivè suæ morti cooperaretur, ac directè se occideret. Nam sicut hic navigium relinquit, cui insidens non submergebatur; sic ille tabulam, quæ illius submersionem impediebat. Nec obstat quod projiciens se in mare è navigio, seipsum ab eodem navigio semoveat; quia eadem remotio resultat, sive moveatur immoto navigio, sive moveatur tabula immoto homine. Præterquam quod qui tabulam alteri porrigit, seipsum movet è loco tuto ad submersionis locum; nam sine aliquo motu non potest tabulam alteri dare, vel deserere, seu relinquere: & moraliter loquendo est omninò idem constituere se in distincto loco, in quo submersio contingit, & constituere eundem locum, in quo homo erat, submersionis locum; quod efficit dum tabulam ab eo removet. Nec refert, inquit Oviedus *d. puncto 3. d. num.22. post medium*, dicere tabulam removere, esse tantùm auferre impedimentum, quo homo non submergatur; nam hoc formalissimè (subdit) & morali modo loquendi est hominem submergere; quia dum impedimenta sunt per se necessaria, ut aliquid subsistat, moraliter loquendo causæ censentur: ut qui evertit domus fundamenta, physicè loquendo tantùm removet impedimentum, quo posito tectum non corruebat; & nihilominus dicitur causa eversionis totius domus, & non solùm fundamenta, sed etiam tectum dicitur evertere. Confirmat idem Oviedus exemplo; nam posito casu (inquit) quod ego juxta meum navigium ita occupatum, ut alium hominem recipere non possem, naufragium certum viderem, in hoc casu non mihi liceret sine spe natandi fluctibus maris me committere, ut naufrago locum darem in navigio, in quo salvus fieret. Ergo nec licebit eidem tabulam dare, quæ mihi in ordine ad vitam tuendam instar navigii est, qua data, me mari committo eodem modo, ac si in illud è navigio prosilirem. Ita Oviedus.

At alii, scilicet Victoria *loco suprà allegato*, P. Aragon 1195

gon 2.2.*q*.64.*art*.5.*ad* 4. Michaël Salon *ibid.ad* 5. Toletus *loco suprà allegato*, Sayrus *d.cap*.9. *n*.20. Lessius *d.lib*. 2.*cap*.9.*n*.31. & Fagundez *d.cap*.12.*allegata n*.18. asserunt, alterum ex duobus naufragis licitè posse tabulam jam occupatam, & cui insidet, dare, seu permittere alteri naufrago, præsertim amico, vel parenti, ob prædictum finem honestum, & committere se undis maris, etsi non sit spes evadendi suffocationem, & mortem. Et etiam P.Navar. *allegata cap*.3. *n*.64.71.72. & *seq*. sentit licitum esse naufrago tabulam jam occupatam relinquere pro bono publico, putà ad salvandum Regem eodem periculo laborantem; vel ob spirituale bonum proximi eodem periculo laborantis, qui esset in peccato, vel putaretur esse in peccato mortali: cujus contrarium certè asserendum est juxta præcedentem opinionem Soti, Sanchez, & aliorum; nam sic tabulam jam occupatam in naufragio evidenti & certo dimittere, ut alter ea utens salvetur, est positivè se suffocare, ac si è litore, vel è navigio in mare se projiceret. Certè nec pro Rege, nec pro Republica, nec pro salute spirituali proximi alioqui in peccato mortali morituri liceret tabulam dare, vel dimittere, ut inquit idem P.Navarrus *d. n*.64. cùm nec pro salute animæ liceat aliquem se occidere. Quare quod Ovied. *d.p*.3. *n*.75. subdit, scilicet naufrago jam habenti tabulam, quâ solâ potest mortem effugere, etsi non liceat illam tradere personæ privatæ, etiam amico, & etiam parenti in eadem extrema necessitate constituto, licitum tamen esse illam dare Principi eadem necessitate laboranti, ex cujus vita totius Reipublicæ salus penderet, eo quòd (inquit) ex hac gravissima causa talis traditio tabulæ unicæ jam occupatæ possit cohonestari: hoc, inquam, non cohæret cum doctrina ejusdem Oviedi *num.præced*. tradita; nam si in eo casu naufragum occupantem jam tabulam, alteri tradere, est idem ac se sponte projicere in mare cum certitudine suffocationis, & consequenter se positivè occidere, ex nulla causa potest cohonestari, cùm nunquam sit licitum seipsum positivè occidere. Probat igitur Lessius, quia in eo casu tabulam jam apprehensam & occupatam alteri dimittere, non est se directè interimere, sed exponere se periculo, ut ab undis, deprimente corporis pondere, vincatur. Probat P.Navarrus, & post eum Sayrus *d.cap*.9.*n*.21. quia licèt semper illicitum sit aliquem suæ morti cooperari actione positiva, qua sibi immediatè necem inferat, ut se jugulando, venenum potando, in ignem, vel puteum, vel mare procellosum projiciendo, vel se ab alto præcipitando, vel suspendendo; tamen cooperari propriæ morti tantùm negativè, scilicet non accipiendo id quo vitam conservaret, ut qui non sumit cibum; vel faciendo id quo amittatur, sive ex tali opere per se & immediatè sequatur mors, sive non, nisi interveniente alterius actu; sive jam habeatur, sive haberi possit, hoc non est se interimere, sed tantùm mortem propriam permittere, seu non conservare propriam vitam, tametsi possit; quod non est de se malum, sed ex fine potest esse bonum, & honestum, nec homini imputatur ad peccatum, nisi quando tenetur conservare vitam: non tenetur autem, inquit idem P.Navar. secundùm rectam rationem, quando majus bonum concurrit, nempe spiritualis proximi vita, vel Reipublicæ temporalis; ac proinde jus naturale vel divinum in tali casu non obligat non dimittere tabulam, vel in extrema necessitate famis juxta alterum casum sumere cibum; & consequenter mors, quæ inde in utroque casu sequitur, non imputatur ad homicidium dimittenti tabulam, vel non sumenti cibum, nec indirectè: sicut nec imputatur nautæ, addit idem P.Navar. si ejus absentiâ navis demergatur, etiamsi possit succurrere, quando ejus absentia erat ob majus bonum, nempe ob vitam propriam tuendam, vel salutem suam spiritualem. Et ut magis explicet differentiam inter primum, & secundum modum cooperandi propriæ morti, notat idem P.Navarrus ex Joan. Medina *C.de restit.q*.9. §. *Quomodo accipiuntur*, aliud esse damnum positivè inferre, aliud illud permittere: ubi est purè permissio, reperitur alia causa per se damni illati, cui damnum, seu actio damnificans venit imputanda, quæ causa nullo modo fuit ab ipso permittente adhibita, sicut adhibetur ab eo qui positivè concurrit ad damnum, & iniquam actionem. ita P.Navarrus, cujus doctrinam juxta præfatam ejus distinctionem approbo. Neque obstant in contrarium adducta ex Suarez, Gordono, & Oviedo; nam tabulam jam occupatam dimittere, non est idem ac se positivè & directè è tuto, vel è navigio in mare projicere; qui enim sic se projicit, facit actionem positivam directè tendentem in sui necem, sicut qui se ab alto monte præcipitat; nam talis projectio, vel præcipitatio in mare procellosum directè tendit ad suffocationem: qui verò solùm relinquit, vel dimittit alteri tabulam occupatam, primò potest id facere absque ulla sua actione, seu motione, ut si permittat alterum tabulam sibi usurpare, negativè se habendo absque ulla traditione, vel præcedenti dimissione, seu recessu à tabula. Secundò licèt tabulam motione sui corporis dimittat, & alteri relinquat, seu det, tamen hæc actio non tendit directè in submersionem, seu suffocationem, neque positivè illam efficit; sed suffocatio sequitur positivè ex fluctibus, seu undis maris, & actuali corporis descensu ab illius gravitate naturali, & defectu virium naufragi ad illud supra aquas regendum, provenit. Quare dimittens tabulam, non se positivè interimit, vel suffocat, sed solùm negativè abstinendo à remedio, seu non utendo remedio, quo potuisset suffocationem, & propriam mortem evitare: quo pacto neci propriæ cooperari ob majus bonum, saltem publicum temporale, vel ob spirituale proximi, juxta omnes est licitum. Quod autem dicit Oviedus, non uti remedio, seu deserere remedium, quo homo non submergeretur, morali modo loquendi esse hominem submergere, cùm tunc illud remedium sit necessarium, ut non submergatur; si probaret, convinceret etiam, naufragum qui potest prævenire alterum naufragum, & sibi arripere & præoccupare unicam tabulam, quâ solâ potest effugere submersionem, non præveniendo seipsum interimere, seu suffocare, ut perinde sibi non liceret ullo modo non uti tali remedio suæ vitæ etiam ob majus bonum temporale, vel spirituale necessario; nam moraliter loquendo uterque, scilicet tam non præoccupans tabulam, quàm jam occupatam derelinquens, moraliter loquendo censetur causa suæ mortis, scilicet illi cooperari; quando tabula est unicum remedium evadendi submersionem; & sic in utroque casu quis graviter peccaret non utendo tali remedio vitæ propriæ conservandæ, nisi abstineret ob majus bonum quàm sit vita corporalis, ob quod tantùm licitum est propriæ morti negativè cooperari. Exemplum etiam de removente fundamenta domus non facit ad rem; nam sic removens, physicè, positivè, & directè totam domum demolitur, & destruit. Prædicta procedunt quoad primum casum duorum naufragorum, unica tantùm existente tabula, qua eorum alter salvari potest.

§. III.

Duobus extremè egentibus cibo, si sit unus tantùm panis uni tantùm eorum sufficiens ad vitam conservandam, an licitum sit alteri non arripere, vel arreptum panem alteri tradere cum certo periculo suæ vitæ.

QUo verò ad alterum casum de duobus extremè 196
egentibus cibo, & adest unus tantùm panis alterius verum tantùm sufficiens ad vitam conservandam,

& ne fame pereat, licitum esse alteri, non solùm non arripere panem sibi nondum illum habenti, licèt posset alterum prævenire, & alteri relinquere, sed etiam si jam habeat, posse cedere alteri privato extremè egenti, amico, parenti, vel cuilibet proximo, juxta Doctores primæ classis suprà *n.* 1189. relatos, tradunt non solùm Victoria, Salon, P. Arragon, Toletus, Fagundez *locis citatis*, Sayrus *d. cap.* 9. *n.* 21. & Lessius *d. cap.* 9. *n.* 89. sed etiam Suarez *d. sect.* 3. *n.* 7. *fine*, ubi ponit differentiam inter hunc & præcedentem casum, quod licèt in præcedenti casu possidens jam tabulam, alteri illam cedens censeatur se interimere, in hoc verò habens panem, & alteri porrigens, non censetur se interimere; sed tantùm abstinere, seu non uti remedio, quo vitam posset conservare: sicut naufragus abstinet à præoccupatione tabulæ, ut alter ea utatur, & salvetur. Rationem autem disparitatis ait esse, quia dum ex duobus naufragis unus jam habet tabulam cui insidet, & non alius, ille qui insidet tabulæ, jam est extra periculum, & alius in periculo existit: quando verò duo extremè famescunt, licèt alter habeat panem, uterque est in eodem periculo, quia uterque famescit, & eget susceptione cibi; & cùm periculum in fame, seu actuali indigentia susceptionis cibi consistat, data æquali fame, seu indigentia susceptionis cibi, æquale periculum in utroque datur. Sed hanc disparitatem contra Suarez impugnat Oviedus *d. puncto* 3. *n.* 73. *&* 74. dicens primò, eundem Suarez idem teneri asserere in casu naufragorum, quando alter tantùm manu tabulam arripuerat, & illi non insederat, seu pectus aut caput non applicuerat: supponit enim Oviedus, tabulam manu arripere, non sufficere ad evitandam submersionem; nam donec alter insedisset tabulæ, in periculo esset censendus æquè ac ille, qui panem habebat, & fame urgebatur; nam sicut hic fame, sic ille maris fluctibus, & proprii corporis gravitate urgebatur: & sicut unus non applicuerat panem, quo se extra periculum constitueret, sic alius non applicuerat sibi tabulam, qua extra periculum constitutus esset. Secundò contra Suarium arguit idem Oviedus, quia periculum mortis non consistit in fame, seu indigentia cibi, sed in carentia ejusdem cibi ad vitam necessarii; nam non ex eo quod quis re summè egeat ad vitam conservandam, dicitur esse in periculo mortis, si illâ non careat; & ideo qui extremè famesceret, seu indigeret cibo, & panem haberet in manu, non posset dici esse in periculo mortis: ac proinde idem Oviedus ait, eum qui sic famescens alii æquè famescenti panem daret, non solùm non fugere periculum, sed in illud se conjicere: illum verò, qui panem non arriperet, quem non possidebat, non se in periculum conjicere, sed tantùm illud non fugere, & extremæ necessitati remedium non adhibere. Demùm addit Oviedus, fame periturum cibum non sumere, quem potest, ita cooperari suæ morti, ut censeatur seipsum occidere: quod videtur D. Thom. voluisse 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2, ubi ait, quod cùm condemnatos ad mortem, non condemnetur ut ipse sibi mortem inferat, sed ut mortem patiatur, non tenetur facere aliquid ex quo mors sequatur, quale (inquit) est non fugere, seu manere in carcere unde ducetur ad mortem: sicut etiam condemnatus ut fame moriatur (subdit S. Thom.) non peccat, si cibum occultè ministratum sumat, quia non sumere cibum, esset se occidere. Et 2. 2. *q.* 32. *art.* 6. idem S. Thom. dicit, non esse licitum facere eleemosynam de simpliciter necessario ad propriæ vitæ sustentationem; quia esset, inquit, sibi vitam subtrahere. Quibus loquendi modis D. Thomas significat, fame moriturum non sumere cibum, cùm possit, esse idem ac se occidere, cùm ex non sumptione certa mors sequatur. Et idem tradit Caietan. 2. 2. *q.* 32. *art.* 6. ubi dicit, non esse licitum dare eleemosynam de necessario naturæ, quia esset sibi vitam subtrahere. Idem affirmat Vasq. 1. 2. *q.* 174. *n.* 18. *fine*, & Turrianus *de fide, spe, & charitate, disp.* 82. *dub.* 5. ab Oviedo *d. p.* 3. *n.* 74. relati. Idem absolutè asserit, & latiùs prosequitur Covarruvias *var. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 8. *&* 10. ubi dicit quidem, injustè damnatum ad mortem, etsi licitè possit, non teneri tamen fugere è carcere, ut mortem evadat; & manere in carcere, unde illi mors sequitur, non esse se occidere: at verò fame alioqui periturum, seu damnatum ad mortem, non sumentem cibum sibi oblatum, seipsum occidere, & consequenter peccare mortaliter; quia hic, inquit *d. n.* 10. utitur actu ad mortem immediato, & ex sua natura ad eam directo, & ordinato, non autem damnatus ad mortem manens in carcere, cùm fugere possit. Et ad utriusque casus differentiam declarandam *d. n.* 8. *circa fin.* præmittit aliquos esse casus directè & immediatè tendentes ad mortem, & nunquam licitos, quocunque fine, etiam causâ publici boni fierem, etiam ob bonum Religionis; eosque ait esse, non solùm gladio se jugulare, vel venenum sumere; sed etiam inediâ se conficere, seu abstinere à cibo ad vitæ corporalis sustentationem simpliciter necessario; quia hujusmodi abstinentia, inquit, quando quis extremè eget cibo, & paratum illum habet, ad mortem immediatè, & directè suâ naturâ tendit, & ordinatur, cùm naturaliter ex talibus abstinentia, seu non sumptione cibi, nullo alio interveniente actu, alterius proximè & immediatè mors sequatur: alios verò esse actus indirectè, & mediatè, & ex accidenti, non ex natura sua ad mortem tendentes, & inducentes, ac proximos; & hujusmodi ait Covarruvias esse, justè damnatum ad ultimum supplicium, non fugere e carcere, cùm possit, quod est negativum; vel ire ad locum supplicii, quod est positivum: non enim ex sola mansione in carcere, vel ex solo aditu ad mortis locum sequitur necessariò, & sufficienter mors, nisi alterius actus voluntarius intervenisset; & tales actus boni esse possunt secundùm rationem bonitatis finis, ad quem ordinantur; si enim nullo bono fine, vel non sufficienter bono fierent, quis censetur planè homicida, non directè, sed sicut nauta est causa submersionis navis suâ culpabili absentiâ: unde Martyres, qui pro honore Dei tanquam fine non fugiebant è carceribus tyrannorum, imò se offerebant in illorum manus, & in supplicii locum, non peccabant, nec erant sui homicidæ, cùm non immediatè ex illo actu sequeretur mors, sed mediatè, & ex accidenti. Ita Covarruvias. Quare præfatus Oviedus *d. p.* 3. *n.* 75. concludit, non licere homini, cui inediæ causâ mors contingret, panem necessarium ad vitam sustentandam, privatæ personæ, etiam amico, vel parenti dare in eadem necessitate panis constituto; idque propter nimiam conjunctionem, quam hæc actio, sicut & actio dandi alicui tabulam, cui naufragus jam insedit, habet cum morte sequenda; & quia valde durum, & inhumanum est hominem inedia mori, dum cibum habet quo possit vesci. Subdit tamen, posse ex gravissima causa honestari, ut si panis daretur Principi, ex cujus vita salus Reipublicæ penderet. Verùm hoc postremum non cohæret cum præcedenti ejus doctrina, quam contra Suarium tradit; nam si fame alioqui periturum, non sumere cibum necessarium, quem habet, est idem ac se conjicere positivè in periculum mortis, & seipsum proximè & immediatè interimere, & nulla causa potest cohonestari, & esse licitum, ut benè docet P. Navarr. *de rest. lib.* 2. *d. cap.* 3. *n.* 65. idem verò Ovied. *n.* 77. ut *suprà, n.* 1189. *fine*, notavi, dicit sibi valde probabile videri, alicui in certæ mortis periculo jam constituto licere propriam vitam non conservare, ne proximo impediat suam defendere; & sic subdit, duobus pariter naufragantibus, aut extremè famescentibus, & occurrentibus una tãtùm tabula, vel uno tãtùm pane, quibus uterque pro tuenda vita propria æquè indigeat, & nullo possidente, cuilibet eorum licere alteri permittere, ut tabulam,

lam, vel panem sibi arripiat; & hac ratione mortem pati, ut proximus propriam vitam conservet; quia, inquit, sic mortem permittens non se in periculum conjecit, sed illud non fugit, ad quod faciendum (subdit) honoratissima causa est, proximo non impedire defensionem propriæ vitæ: & licèt teneatur, per se loquendo, propriam vitam defendere, non videtur ad id teneri impediendo alii defensionem propriæ vitæ. Verum id est, quod est in quæstione, an cùm possit propriam vitam tueri, illi liceat eam negligere ob salvandam vitam alterius privati, ob nullum altiorem finem quàm sit corporalis vita ejusdem privati. Et præterea qui potest prævenire, & arripere sibi tabulam, vel panem, non arripiendo verè eligit periculum, seu in periculum se conjicit; nam dum potest habere remedium, quo vitam conservet, non potest dici esse in actuali periculo certæ mortis. Neque etiam urget confirmatio, quam idem Oviedus addit, scilicet quod quis actibus propriis se potest licitè conjicere in periculum mortis, purà ad pugnam accedere causâ defendendi vitam proximi, seu amici. Ergo multò magis involuntariè constitutus in mortis periculo, licitè potest illud pati ex simili causa non impediendi proximo, sive amico defensionem propriæ vitæ; cùm minus sit pati periculum, quàm positiva actione se conjicere in periculum. Negatur enim antecedens, si intelligatur quod quis se conjiciat in periculum certæ mortis sine ulla spe illam evadendi; nam id est quod controvertitur, an quis sponte se possit offerre certæ morti pro tuenda vita proximi privati: secùs si cum aliqua spe evadendi; nam jure licitum est se offerre tali periculo pro defendenda vita proximi, nisi aliud obstet, ut omnes concedunt, & dicetur infrà.

1197 Igitur vera ratio, cur aliquando, scilicet ob majus bonum quàm sit solius vitæ propriæ corporalis conservatio, in extrema necessitate famis liceat non habenti panem illum sibi non arripere, etsi possit, vel panem jam habenti porrigere alteri in eadem necessitate constituto ad ejus vitam tuendam, est illa quam suprà *n.* 1195. ex P. Navarro & Sayro adduxi, scilicet quia in hoc casu non arripere sibi panem, vel illum alteri dare, non est cooperari ad mortem propriam positivè, sed tantùm negativè, non faciendo id quo vita conservaretur, ut quando panis non arripitur, sed alteri relinquitur; vel faciendo id, ex quo sequitur postea ut vita nequeat conservari, sed mors consequatur, absque tamen actione propria, ut quando in eo casu extremæ necessitatis habens panem porrigit alteri, ex quo sequitur ut non possit sumere cibum, quo vita conservaretur, & mors sequatur ex actione naturali primarum qualitatum corporis. His enim modis cooperari propriæ neci, cùm nullo modo sit se positivè, & directè occidere, sed tantùm velle non conservare vitam propriam, & mortem pati, de se, & ex natura sua non est ita malum, ut non possit ex gravi causa, & legitimo fine honestari, & esse bonum, ita ut tunc nolle conservare vitam pro majori bono, non imputetur ad culpam, sed sit actus virtutis, & valde meritorius, ut suprà *n.* 1195. explicatum est; alioqui in prædicto casu extremæ famis duorum, occurrente tantùm uno pane, quo alterius tantùm vita conservari potest, uni eorum, si posset, non liceret non arripere, & si jam haberet panem, esset licitum dare alteri, etiam pro vita illius spirituali, quia putaretur tunc in peccato mortali, quod sit notorium, moriturus; vel etiam si ex illius vita corporali penderet bonum totius Reipublicæ, cujus contrarium communiter asseritur, & traditur etiam à S. Thom. *d. q.* 32. *art.* 6. ubi postquam dixit, dare eleemosynam de necessario naturæ non esse licitum, quia esset sibi vitam subtrahere, statim limitat subdens: *Nisi subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur, quia pro talis personæ liberatione se ipsum laudabiliter periculo mortis exponeret, cùm bonum commune sit proprio præferendum.* Et idem dicit *ibid.* Cajet. Itaque juxta S. Thom. *ibid.* & *aliis locis suprà allegatis*, cooperans propriæ morti, scilicet non utendo remedio, sine quo vita amittitur, cùm possit illo uti, tunc solùm censetur sibi vitam subtrahere, & se interimere quando id facit sine honesta causa majoris boni; tunc enim nolle conservare vitam, cùm possit, imputaretur ei ad culpam, secus verò si faciat ex causa majoris boni, aut spiritualis vitæ proximi, vel temporalis totius Reipublicæ, vel juxta Doctores *n.* 1189. relatos, ob bonum virtutis, charitatis, vel fortitudinis, vel amicitiæ, vel pietatis, aut gratitudinis; quæ exercetur dum quis omittit conservare propriam vitam pro conservanda vita proximi, amici, patris, vel insignis benefactoris. Quod explicatur rectè illo exemplo nautæ; nam si ex ejus absentia culpabili, & nulla legitima causâ illam cohonestante sequatur submersio navis, illi imputatur eadem submersio; non verò imputatur nautæ absenti submersio, etiamsi posset succurrere, quando ejus absentia erat ob majus bonum, scilicet ob vitam propriam tuendam, vel salutem suam spiritualem, aut quando aliàs non tenebatur impedire navis submersionem. Prædicta circa præfatam sententiam, quod in necessitate extrema licitũ sit homini vitã propriã corporalem postponere, ut in simili necessitate salvet vitã corporalẽ proximi, amici, aut alia ratione conjuncti, vel etiã cujuscũque, & omnino extranei.

Circa quam sententiam advertendum est, illam procedere cæteris paribus, & sola ratione obligationis charitatis erga seipsum. Nam si cætera non sint paria, purà quod quis vel teneretur se conservare obligatione alterius virtutis, ut justitiæ, vel pietatis, ut si sit paterfamilias, qui ex officio teneretur providere, & se conservare pro filiis, & familia, tenetur potiùs vitam suam conservare, quàm alterius hominis privati; quia non potest cedere juri suo: quod insinuat S. Thom. *d. q.* 32. *art.* 36. dum dicit, neminem posse licitè dare eleemosynam de necessariis suæ & filiorum vitæ sustentandæ. Et idem dicendum, si est longè utilior Reipublicæ altero privato; quia tunc ratio majoris boni Reipublicæ exigit, ut vitam propriam vitæ alterius privatæ præferat. Ita omnes Doctores pro eadem sententia suprà *num.* 1189. relati, & cæteri omnes. 1198

Advertendum etiam, quod etsi ex Doctoribus *d. n.* 1189. relatis, Suarez *d. sect.* 3. *n.* 7. Filliucius *d. n.* 32. Castrus Palaus *d. p.* 2. *n.* 6. & 7. Oviedus *d. p.* 3. *n.* 79. Trullench *d. dub.* 4. *n.* 6. affirment esse contra ordinem & obligationem charitatis erga seipsum, & illicitum, quempiam in æquali extrema necessitate, & cæteris paribus, postponere vitam suam corporalem, ut tueatur vitam corporalem alterius privati omninò extranei, scilicet ubi id fit solùm ratione conservandæ vitæ alterius, quia proximus est, & non quia amicus, parens, benefactor, aut ob aliam specialem rationem alicujus excellentioris, seu strictioris conjunctionis, præter illam generalem conjunctionem proximi; quia cùm ejusdem valoris & æstimabilitatis sit per se loquendo vita propria, & aliena, ut vitæ corporales sunt, & unusquisque magis conjunctus sit sibi ipsi (cùm sibi conjungatur per identitatem) quàm alii extraneo, & charitas inclinet potiùs ad sui, quàm ad aliorum amorem, ut suprà *n.* 1188. juxta omnes traditum est, & ex consequenti quia potiùs propriæ vitæ, quàm vitæ alterius privati extranei, seu solùm generali ratione proximi attenta, subvenire debet, & aliter facere esset actus temeritatis, & prodigalitatis propriæ vitæ contra sui ipsius charitatem. Nihilominus præfati Doctores omnes, præter Oviedum, dicunt non esse peccatum mortale, sed tantùm veniale contra charitatem, hujusmodi ordinis ejusdem charitatis inversionẽ; quia licèt charitas in æquali necessitate obliget priùs amare seipsum, quàm proximum, non tamen sub gravi obligatione hunc ordinem imponit, sed sub levi.: & univer- 1199

universaliter ordo charitatis (inquit Suarez) quando non est magnus excessus, ut in præsenti casu, cùm supponatur utramque vitam esse æqualis æstimabilitatis, potest prætermitti sine mortali, & censetur res levis. Sed contra hanc doctrinam est, quia etsi utraque vita sit æqualis æstimabilitatis in se considerata, nihilominus conservare, vel non conservare propriam vitam secundùm se, & etiam communi hominum æstimatione, est res gravis, cùm vita propria sit res maximi momenti, quæ in bonis naturalibus esse potest; atque adeo omittere illius conservationem, cùm potest conservari, & illius interitum permittere, seu illam sponte morti certæ offerre sine justa causa majoris boni, non potest non esse gravis deformitas, & malitia contra debitum charitatis ordinem, ut etiam post multa in contrarium tradita pro defensione doctrinæ Suarii & aliorum tandem fatetur Oviedus *d.part.3.n.83.* & sentiunt P.Navarrus, & cæteri Doctores sequentem sententiam sustinentes.

§. IV.

Sententia asserens, esse grave peccatum in extrema necessitate propria, & proximi privati, etiam amici, & conjunctissimi, vitam propriam postponere vita alterius.

1200 Itaque circa eandem controversiam *ante n.1189.* propositam, altera sententia asserit, non esse licitum, sed grave peccatum contra charitatem, in æquali extrema necessitate, & cæteris paribus, vitam propriam corporalem exponere certæ morti, & postponere vitæ corporali alterius hominis, seu proximi privati, etiam amici, vel alia ratione conjuncti, vel benefactoris, si præter rationem amicitiæ, vel conjunctionis, vel beneficiorum acceptorum, non adsit bonum spiritualis vitæ ejus proximi, vel temporale commune, & totius Reipublicæ ex ejusdem proximi vita dependens, ob quod alter cedat juri conservandæ propriæ vitæ pro defensione, & conservatione vitæ illius, ut scilicet non pereat ejus anima, vel bonum publicum. Ita ex antiquioribus Theologis Paludanus *in 4.dist.15.q.3.art.2.concl.3.* Gabriel *ibid.dist.16.q.4.art.2.concl.1. & ibid.* Durandus sibi contrarius *dist.16.q.6.ad 2.* dum ait, nullum debere eligere mori pro conservatione vitæ amici; & D.Bonaventura *in 3.dist.29.q.3.* Ex recentioribus ita P.Navarrus latè *lib.2.de restit.cap.3.n.41.cum pluribus sequent.* Reginald. *lib.4.n.309. & lib.21.n.42.* & Paul.Layman *d.lib.2.tract.3.cap.2.allegato n.4.versic.Hæc sententia:* & ita sentire videtur etiam Vasquez *opusc. de eleemosyna,cap.1.dub.9.n.72.* Ex Jurisperitis præter Covarruviam loco suprà, *n.1196.* allegato, ita tenent Vasq. *quæstionum illustrium cap.11.n.5.& 26.fine,* Surdus *de alim.tit.1.q.94.n.1.* & Balthazar Gomez *de potest. in seipsum,lib.2.cap.3.n.23.* & latiùs *cap.2.n.11.ad 29.* ubi etiam negat licere alicui offerre se certæ morti pro republica, illam præeligendo: quod intelligit juxta distinctionem Covarruviæ *d.n.1196.* traditam, nempe faciendo actum directè, & immediatè, ac naturâ suâ tendentem ad mortem, sine interventu actionis alterius, qualem esse vult inediâ perire, cùm quis potest habere, & sumere cibum, & abstinet pro tuenda vita alterius, à quo salus reipublicæ dependeat. Nam *eodem cap.2.n.29. & sequentibus,* asserit quem pro salute Reipublicæ posse licitè negativè pati mortem, quæ interventu operationis alterius sequatur; & sic militem licitè pati mortem, seu se occidi, potiùs quàm deserere suam stationem, & fame perire, quàm hosti tradere castrum; & captum ab hostibus Christianæ Fidei, potiùs posse pati se occidi, quàm arma sumere contra Christianos.

1201 Probatur hæc sententia, quia juxta inclinationem, & ordinem charitatis, cæteris paribus, quis tenetur amare magis vitam propriam corporalem, quàm alterius vitam pariter corporalem, ut dictum est suprà, *n.1188.* & docent alii omnes Theologi; & hic ordo charitatis diligendi magis seipsum quàm proximum, non solùm quoad vitam spiritualem, sed etiam quoad vitam corporalem, cujus ipse non est dominus, sed Deus, non est tantùm de consilio, sed de præcepto, ut expressè dicit S.Thomas *2.2.q.32.citato art.6.arg.1.& in corpore:* & sentiunt etiam expressè Doctores *n.1199.* allegati, & latiùs ostendit P. Navarrus *loco citato,* & omnes colligunt ex illo Matthæi, *Diliges proximum tuum sicut teipsum:* quod præceptum cùm absolutè loquatur, intelligitur non solùm de vita spirituali propria, sed etiam de corporali, ut sentiunt iidem Doctores *eod.n.1199.* relati: & illa particula *Sicut,* juxta omnes non significat æqualitatem, sed proportionem. Quare ea lege præcipitur homini diligere se, & proximum, etiam quoad vitam corporalem, cujus nec ipse, nec proximus est dominus, ut scilicet & suam, & proximi vitam, cùm potest, conservare teneatur; hoc tamen ordine, ut magis suam vitam corporalem, quàm vitam corporalem proximi amare debeat: sicut & ejusdem charitatis ordine & præcepto magis vitam suam spiritualem diligere debet, quàm spiritualem alienam. Unde prodiit illud Jurisperitorum, quod charitas benè ordinata debet incipere à seipso, *l.Præses, C.de servit.& aqua,* de quo suprà *n.643.* Vasquius *d.n.26.* & Surdus *tit.1.de alim.q.91.* & illud Terentii, *Proximus sum ego & mihi.* Hoc igitur supposito, quod homo ex ordine & præcepto charitatis, cæteris paribus, teneatur magis diligere vitam suam corporalem, quàm vitam corporalem proximi, sequitur manifestè, ut etiam ex ordine, & præcepto ejusdem charitatis in extrema necessitate, cæteris paribus, teneatur vitam corporalem propriam præferre vitæ corporali alterius, ut Azorius, & alii suprà *num.1190.* argumento tertio relati sentiunt. Quare diversa ratio est de bonis temporalibus fortunæ, & fama nostris, & proximi, in quibus etiam licèt sit ordo, & cæteris paribus possimus magis diligere propria, quàm aliena; tamen non tenemur conservare propria, sed licitè possumus negligere pro juvando proximo in temporalibus vitæ, fortunæ, & honoris. Et ratio diversitatis est, quia cùm homo sit dominus bonorum temporalium, fortunæ, & famæ, etsi juxta ordinem charitatis possit sua bona præferre bonis alienis; nihilominus charitatis ordo non præcipit, ut non possit de illis ex causa disponere pro juvando proximo, cùm sit illorum dominus, si nil aliud obstet. At charitas non solùm permittit homini, ut possit vitam suam corporalem præferre vitæ corporali alienæ, sed cæteris paribus, ita esse faciendum præcipit, quia non est homo dominus suæ vitæ temporalis, nec habet libertatem ponendi eam; sed ordo ei præceptus est ab authore naturæ, ut nequeat pro libito de ea disponere, nisi secundùm ordinem rationis, & charitatis, qui est (ut suprà dixi) ut sibi magis, quàm proximo, semper cæteris paribus, teneatur. Quemadmodum etiam quia homo non est dominus vitæ spiritualis, & bonorum animæ, tenetur illam præferre saluti spirituali alienæ, nec potest illam perdere propter salutem animæ proximi; quia cùm sit ordo obligationis, & ipse sibi magis proximus sit, magis tenetur suæ, quàm animæ proximi consulere, ex S.Thom. *d.q.26.art.4.* Ac proinde etiam cùm sit in præcepto conservare vitam propriam corporalem, non potest homo non conservare illam, juxta ordinem charitatis, ut salvet præcisè vitam corporalem proximi privati, ex cujus conservatione nullum aliud bonum resultat, seu dependet, quàm illud bonum vitæ corporalis ejusdem proximi: & cùm in hoc casu vita propria sit æquale bonum, imò majus mihi bonum, cùm sim mihi ipsi magis conjunctus quàm proximo, &

& ejusdem vitæ meæ non sim dominus, sed custos à Deo constitutus, semper stat obligatio juris naturalis, & ordinis charitatis de vita propria potiùs conservanda, quàm aliena; & cessat quæcumque obligatio juris divini, vel naturalis de vita aliena, seu proximi tuenda cum damno propriæ, ut quando vita aliena est necessaria saluti Reipublicæ, vel cùm interitu vitæ corporalis periret animæ proximi salus: quibus casibus permittere mortem propriam, seu negligere propriam vitam corporalem pro salute Reipublicæ, vel spirituali proximi, est licitum, quia non pro æquali, sed pro longè majori bono exponitur. Quare propriam vitam corporalem pro corporali vita proximi privati, ex cujus conservatione non dependet bonum majus temporale, scilicet bonum publicum, vel salus animæ ipsius proximi, sed tantùm bonum ipsius vitæ corporalis, exponere certæ morti, seu in extrema necessitate non conservare, cùm quis potest, non est actus virtutis, putà charitatis, vel patientiæ, aut fortitudinis, aut amicitiæ, vel gratitudinis; sed prodigalitatis contra charitatem, inquit P. Navarrus *num*. 49. etiam contra justitiam, juxta alios, ut inquit idem P. Navarrus *ibidem*, & insignis temeritas, aut dementia, aut inanis gloriæ, & jactantiæ vitium, ait Vasq. *d. n*. 26. cùm sit contra ordinatam charitatem, quæ à se ipso debet incipere. Unde nullo modo cohærere possunt, quod juxta ordinem charitatis in æquali extrema necessitate, & considerando solùm vitam corporalem, quis vitam propriam præferre debeat vitæ proximi; & nihilominus si posthabuerit vitam propriam vitæ proximi, id alio fine cohonestari possit, seu esse laudabile, & actus virtutis: & ita dum Doctores primæ sententiæ dicunt, ponere, seu negligere vitam propriam in extrema necessitate utriusque, pro salvanda vita corporali proximi privati, præsertim amici, vel alia ratione conjuncti, vel benefactoris, esse actum virtutis charitatis, vel amicitiæ, aut pietatis, vel gratitudinis, ac proinde esse licitum, quia licet pro virtute tanquam majori bono vitam corporalem negligere, petunt principium; id enim est, quod est in quæstione, an sit actus virtutis fortitudinis, honestatis, gratitudinis, aut pietatis, sive opus laude, & præmio dignum, in æquali extrema necessitate postponere, seu negligere vitam propriam corporalem, & velle mori pro tuenda vita corporali proximi privati cujuslibet, vel amici, parentis, aut benefactoris; nam cùm sit contra ordinem, & præceptum charitatis, non potest esse actus virtutis; & etiam cùm vera felicitas ex virtute esse debeat, non potest illa ex tali actu negligendi vitam propriam pro vita proximi privati amici obtineri, sed potiùs (ait contra Sotum P. Navarrus *num*. 56.) est miseria, stultitia, vitium, & inordinatio naturæ, & naturalis inclinationis; & consequenter stultus judicandus, & summa reprehensione dignus est, qui certissimæ morti se committit pro bono vitæ temporalis, rei familiaris, vel honoris alterius præcisè salvando. Ex quibus quoque Gomezius *d. cap*. 3. *num*. 24. *vers. Sed fallitur*, rejicit dictum Valentiæ loco suprà *num*. 1189. relato, scilicet in extrema necessitate non licere ex charitate non conservare vitam propriam pro tuenda vita corporali alterius, licere autem amore virtutis amicitiæ; nam si non licet ex charitate, quæ in æqualitate obligat præferre vitam propriam corporalem vitæ alterius, neque etiam stante eadem æqualitate (inquit) alia ratione erit licitum; quia quod tunc non licet, nunquam licet: & propterea majoris efficaciæ, & altioris ordinis, subdit Gomez, est virtus charitatis, quàm amicitia, obque amicitiam nihil injustum fieri potest, ex D. Ambrosio *lib*. 3. *offic. cap*. 16. Prædicta omnia confirmant præfati Doctores authoritate D. Augustini *lib. de mendacio ad Consentium, cap*. 6. dicentis: *Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere illum sicut seipsum, sed plusquam seipsum, quod sanè regulæ repugnat.* Quibus verbis D. Augustinus videtur expressè hanc sententiam approbare. Et licèt huic dicto D. Augustini Sayrus *d. cap*. 9. *num*. 14. respondeat esse intelligendum, non esse positum in præcepto, ut quis in æquali extrema necessitate vitæ propriæ corporali præferat vitam alterius privati corporalem, non tamen D. Augustinum negare id licitum esse, quando vita alio bono honesto compensetur: Coninch verò *d. disp*. 25. *num*. 84 *ad* 4. respondet D. Augustinum non dicere, illud esse contra regulam, quasi sit contra rationem; sed excedere regulam, quia nimirum talis plus diligit proximum, quàm illa regula præcipit; sicut quodlibet aliud perfectionis opus posset dici rationis regulam excedere: Azorius autem *p*. 2. *lib*. 12. *cap*. 4. *quæst*. 2. *fine*, respondet D. Augustinum ibi significasse tantùm, eum qui vitam propriam ponit pro amico, magis in hoc diligere amicum quàm seipsum; quod tamen, inquit, non est vitiosum, dummodo bonum gratiæ, gloriæ, & virtutis sibi ipsi magis velit, quàm amico: quapropter addit Azorius, quod fortassis S. Augustinus dicere voluit, contra charitatem facere qui temerè, & vanè vitam suam pro amico perdit, non qui perdit ut amicitiæ bonum tueatur, & servet. Has tamen responsiones refellit P. Navarrus *dub*. 3. *num*. 42. quia D. Augustinus præfato dicto prætendit probare, non esse licitum mendacium hoc pacto, scilicet quia dare vitam temporalem pro temporali alterius rationis, regulam excedit: ergo multò magis excedet dare æternam pro temporali alterius: si autem in antecedente non loqueretur de præcepto, sed de consilio, & de excessu tantùm perfectionis, vel voluisset significare tantùm in hoc quem diligere magis amicum, quàm seipsum, dum intuitu amicitiæ vitam pro illo ponit, nihil vitii colligeret in eo, qui vitam æternam commutaret pro temporali alterius, sed potiùs colligeret esse opus egregiæ perfectionis, esseque magis supra rationem; quod tamen manifestè falsum est, & contra intentionem ejusdem D. Augustini *in loco citato*. Ita P. Navarrus, qui *n*. 58. propter superiùs adducta ad hanc sententiam probandam, putat neque etiam pro patre in æquali necessitate esse licitum ponere vitam, seu exponere vitam corporalem certæ morti, ubi non fieret causâ salutis animæ ipsius, vel boni publici, quod ex patris vita penderet.

Etsi enim præfati Doctores tenent esse peccatum, 1202
& grave, seu lethale, propter materiæ gravitatem, ut suprà *num*. 1199. probatum est, contra charitatem ordinatam, in æquali necessitate vitæ propriæ corporali præferre vitam corporalem alterius privati, considerato tantùm bono temporali corporis; nihilominus concludunt, in tali necessitate non esse contra charitatem, sed licitum esse, & juxta ordinem charitatis negativè se exponere certæ morti, seu negligere conservationem propriæ vitæ pro salute spirituali proximi, & pro bono totius Reipublicæ. Nam præceptum naturale de propria vita conservanda admittit epikeiam, seu interpretationem, & cessat quoad obligationem, quando occurrit aliud præceptum naturale majus cum illo incompatibile, quale est præceptum de salute spirituali proximi servanda, & etiam de salute Reipublicæ conservanda: quod præceptum strictiùs obligat quàm illud de conservanda vita propria, cùm agatur de longè majori, & excellentiori bono, & quod unusquisque tenetur procurare. Recta enim ratio, & ordo charitatis præscribit, ut homo spiritualem proximi, ut latè probat S. Thomas *d. quæst*. 26. *num*. 4. & communem Reipublicæ vitæ temporali propriæ anteponat; non sic autem præscribit, sed vetat, ut homo bonum vitæ corporalis, cujus etiam non est dominus, sed custos, pro non

majori, sed æquali bono stultè perdat, imò minus bonum majori præferat: ac proinde cùm propria vita sit non solùm æquale, sed majus bonum mihi, quàm sit vita corporalis proximi, nullumque sit præceptum naturale, vel divinum obligans ad vitam corporalem proximi in casu, quo quia pro tuenda vita proximi debeat amittere propriam, semper viget obligatio juris naturalis, & ordinis charitatis de vita propria potiùs conservanda quàm aliena, quando utraque conservari nequit. Ita P. Navarrus *d. cap. 3. eodem num. 46. & num. 72. ad* 81. Layman *d. cap. 2. eodem num. 4. vers. Dixi autem*, & alii Theologi pro hac sententia relati, & ex parte etiam Covartuvias, Vasquius, & Balthazar Gomezius. Dixi *ex parte*, quia negant quemquam licitè posse etiam pro communi salute Reipublicæ exponere se certæ morti, non faciendo, vel faciendo id, si inde ex natura rei, & immediatè sequatur mors, non intercedente actu alterius, ut in naufragio non arripere, vel dimittere tabulam, qua posset servari, vel in extrema necessitate sibi non arripere panem, vel illum alteri dare: licèt secus sentiant quando mors interveniente actu alterius deberet sequi, ut suprà *num.* 1200. explicavi. Videatur Gomez *locis eod. n. citatis.*

1203 Præterea Doctores hujus sententiæ, licèt negent licitum esse aliquem exponere se certæ morti pro amici vita corporali salvanda; asserunt tamen licitum, laudabile, & magnæ perfectionis esse, pro amico, & multò magis pro patre, vel conjuncto, aut benefactore, imò pro quolibet alio, licèt aliàs non teneatur, exponere se morti cum spe evadendi; ita Vasquius *d. cap. 11. n. 26.* P. Navarr. *d. cap. 3. n. 49. 50. & 58.* & Balthazar Gomez *d. cap. 3. n. 25.* & nullus hoc negat, quia in hoc casu nullo modo volita est mors, neque est finis, neque est medium; sed si evenit, id est per accidens, & toleratur ut effectus ab invito, qui nollet mori, seu vitam amittere, non vult tamen desistere ab actu virtutis timore mortis; & propterea certa mors alterius longè majus malum est, quàm probabile periculum mortis; & consequenter majus bonum est vita alterius certò conservanda, quàm propria non certò amittenda, ut etiam notavit Filliucius *tract. 28. d. cap. 1. n. 33.* & Trullench *lib. 1. cap. 5. dicto dub. 6. n. 7.* Quare aliud est exponere se certæ morti absque ulla spe evadendi, aliud se exponere solùm periculo mortis, non exclusa spe evadendi; hoc licitum est etiam pro salvanda vita corporali proximi cujuscumque; illud nunquam, juxta præfatos Doctores: sicut etiam licitum est animæ salutem exponere periculo cum spe illam non amittendi, pro alterius spirituali lucranda, seu conservanda, ut tradit Sotus *loco sup. n. 1189. citato*, P. Navarrus *d. cap. 3. n. 50.* & est communis Theologorum sententia: non tamen est licitum vitam propriam spiritualem exponere certæ amissioni pro salvanda alterius anima, ut iidem Sotus, P. Navarrus, & omnes tenent. Hinc pro defendendo amico, vel innocente injustè invaso, licet pro illis pugnare cum aggressore, & pro illis defendendis, etiam cum periculo vitæ propriæ, dummodò certa mors non sit sequutura. Sic etiam impetentes se gladiis licet componere cum aliquo propriæ vitæ periculo, ut Sotus, & P. Navarrus *locis cit.* docent. Item tempore pestis grassantis licitum est se exponere servituti infectorum, quia id est se exponere tantùm periculo mortis, quod in eo casu est laudabile, & meritorium, & ingentis charitatis officium. Pariter pro acquirendis divitiis, & augendo statu licitum est se exponere periculis, quæ in itineribus, & peregrinationibus, & præsertim in longa navigatione per mare solent contingere. Et hoc pacto Doctores hujus sententiæ intelligendos, seu loquutos fuisse Aristotelem, & sanctos Patres, dum dixerunt laudabile esse exponere vitam, vel mori pro amico, & etiam S. Thomam *loc. d. n. 1189. alleg.* scilicet non esse loquutos de expositione certæ morti, sed periculo tantùm mortis, cum aliqua spe evadendi, probabilius videtur: quanquam D. August. *lib. de amicitia, cap. 10.* quem adducit Sot. *loco sup. n. 1189. citat.* P. Navarr. *d. cap. 3. n. 52.* dicit loquutum fuisse de salute spirituali proximi, idque colligi ex principio capitis, ubi dicit *primordia amicitiæ spiritualis.* Quapropter locum illum Evangelii Joannis 15. supra *n. 1191.* adductum, ad quem alludit August. *d. lib. de amicitia*, idem P. Navarrus *ibid.* notat non de temporali, sed de spirituali salute debere intelligi: quod idem tradit Vasq. *d. n. 26. init.* prout ait eundem D. Augustinum expressè exposuisse *cap. 6. de mendacio:* atque adeo colligitur, eundem Augustin. etiam *illo cap. 10.* fuisse loquutum de spirituali amicitia. Hoc etiam pacto Gomez *d. cap. 3. n. 25. fin.* ait intelligendos plures ex Doctoribus Theologis, & Summistis, tametsi generaliùs videantur loqui: ex quibus sequitur

§. V.

Responsio ad argumenta primæ sententiæ n. 1189. 1190. & 1191. *adducta.*

EX quibus juxta eosdem Doctores ejusdem posterioris sententiæ argumentis pro prima sententia *num.* 1190. adductis respondetur: & primò quidem dicitur, ibi supponi quod controvertitur, scilicet an sit opus virtutis charitatis, aut fortitudinis in extrema necessitate æquali corporali vitæ propriæ præferre vitam corporalem proximi privati: & non posse esse opus virtutis, neque officium fortitudinis, aut charitatis, latè ostensum est *supra, n.* 1201. Ad secundum negatur, nos posse cedere conservationi nostræ vitæ corporalis pro conservanda vita alterius privati, ut *eod. num.* 1201. probatum est. Tertium jam satisfactum est eodem *num.* 1201. ubi ostensum est, hominem ex ordine, & præcepto charitatis non solùm posse, sed etiam teneri in æquali extrema necessitate conservare vitam suam potiùs quàm proximi privati. Quartò pariter satisfactum est *eodem n.* 1201. per assignationem diversitatis inter vitam nostram corporalem, & cætera bona temporalia fortunæ, & famæ. Ad quintum respondetur, hominem posse sustinere damnum in uno corporis membro, illudque exponere pro salute totius, quod aliter non conservaretur; & sic etiam potest postponere vitam propriam corporalem pro salute totius Reipublicæ, ut *num.* 1202. notatum est: & potest etiam homo exponere unum membrum sui corporis pro tuendo alio utiliori, & excellentiori, putà brachium pro capite conservando: at verò non potest licitè exponere pro æquali membro conservando; stultum enim, ut inquit P. Navarrus *num.* 57. esset exponere unum oculum ad liberandum alterum à læsione. 1204

Ad sextum primò negatur, pro tuendo honore licitum esse vitam exponere certæ morti, ut in prima parte hujus tractatus de effectibus matrimonii, *cap. 9. num. 97.* probavi, quia esset inversio ordinis postponendo majus bonum minori bono; cùm vita sit præstantior famâ, & honore, & fundamentum aliorum bonorum temporalium; & vita pereunte cætera quoque amittuntur. Conceditur autem, posse hominem vitam exponere periculo mortis pro tuendo honore & fama, juxta tradita suprà *num.* 1203. Unde secundò admittitur, hominem pariter posse vitam exponere periculo pro defendendis suis bonis fortunæ, tam simpliciter necessariis pro naturæ sustentatione, quàm necessariis ad conservandum statum. Item conceditur, hominem posse licitè exponere se certæ morti pro acquisitione, vel defensione bonorum temporalium ad vitam sustentandam simpliciter necessariorum; cùm sic se non exponat, certò 1205

amis

amittet vitam; ac proinde etiamsi se exponendo amittat, non est prodigus vitæ, quando potiùs sit naturalis inclinatio se eo modo defendendi: verùm nullo modo licet se certæ morti exponere, seu tradere pro bonis temporalibus fortunæ superfluis statui, vel naturæ, quia esset inversio ordinis naturæ, præferendo majori bono minora bona. Quæ omnia sine vita nihil proderunt, ac proinde stultum omninò est pro hujusmodi bonis longè minoribus quàm vita, & quæ nil postea acquirenti jam mortuo proderunt, vitam ipsam perdere; imo tantùm abest, ut sit licitum perdere vitam pro bonis superfluis naturæ, vel statui, quin potiùs pro propria vita tenemur necessaria statui, & naturæ superflua dare, & hoc pacto vitam propriam redimere, ut tradunt Glossa *in principio dist.*83. Armilla *verbo Homicidium, ad finem,* & P. Navarrus *d. cap.*3. *num.*59. & patet ex se, & etiam ex eo, quod pro salvanda vita proximi, putà invasi à latrone, ne occidatur, tenetur quis eam, si possit, pecuniâ redimere, etiamsi sit necessaria statui, quia est in extrema necessitate, ut tenet idem P. Navarrus *d. num.*59. post Martinum Navarrum *in man. cap.*24. *num.*9. Armillam *loco citato*, & Sylvestrum *verbo Homicidium* 1. *q.*6. multò magis ergo tenebitur pro vita propria tuenda præfatorum bonorum jacturam facere.

1206 Ad septimum, licitè potest quis membrum exponere certo damno pro conservanda vita proximi, si ex membri læsione, seu abscissione non sit secutura certa mors, quia proximi vita est longè majus bonum; & cùm ex mutilatione non prævideretur certa mors consecutura, esset tantùm se exponere periculo mortis cum spe retinendæ vitæ, quod licet pro servanda proximi alioqui peritura vita, ut suprà *num.*1203. probatum est.

1207 Ad octavum respondetur primò, injustè invasum, licèt possit occidere invasorem, licitè permittere posse se occidi pro salute spirituali ejusdem invasoris, ne scilicet cùm constet illum esse in peccato mortali, occisus in æternum damnetur; licitum enim est vitam propriam non conservare pro vita spirituali proximi, ut suprà *num.*1202. demonstratum est. Præterea, admissa illa opinione, quod etiam possit invasus licitè permittere se occidi præcisè pro non auferenda vita invasori, de quo in præcedenti parte hujus tractatus de effectibus contractus matrimonii, *d. cap.*9. *num.*137. negatur in aliis casibus extremæ necessitatis propriæ, & proximi privati, in quibus quis potest conservare vitam propriam; nam lædendo, vel auferendo vitam alteri, esset licitum vitæ propriæ præferre vitam alterius: est enim diversa ratio, in hujusmodi enim casibus homo potest conservare vitam, nullam actionem, à qua hominis natura abhorret, erga proximum exercendo: secus in præfato casu injustæ invasionis, in quo vitam propriam salvare non potest invasus, nisi occidat invasorem; est enim occisio cujuslibet hominis ita gravis, dura, & terribilis, ut naturaliter ab ea, præsertim propriis manibus exercenda abhorreamus; ac proinde charitas erga se ipsum non videtur obligare ad tuendam propriam vitam exercendo actionem tanti horroris; sed imò videtur actus pietatis, & laudabilis abstinere à tam terribili, & horribili actione, etiamsi alioqui licita sit, & ex ejus omissione sequatur mors propria.

1208 Ad nonum respondetur, famulum pro servandis bonis temporalibus fortunæ, & multò magis pro conservanda domini vita, licitè posse se exponere periculo, ubi sit spes aliqua evadendi, & ad id stipendio accepto se obligare; non verò licitè posse se exponere certo, & indubitato mortis periculo imminenti, ut servetur vita domini, nisi ageretur de conservando bono communi, & totius Reipublicæ, quod ex vita domini penderet, vel etiam propria ipsius vita famuli penderet, scilicet quia mortuo domino periturus esset fame, eo quòd certò sciret, se aliunde non posse habere unde viveret: quod vix credo posse contingere, quia cùm non sit dominus vitæ suæ, non potest illam prodigere, neque postponere vitæ alterius privati, cùm id sit contra ordinem charitatis, & jus naturale, ac divinum de custodienda, & conservanda propria vita, ubi majus bonum commune temporale, vel spirituale animæ proximi conservandum, aut inducendum aliud non postulat. Quare vassallum, qui à Domino accipit feudum cum promissione defendendi dominum, & ejus bona, non teneri, nec posse vitæ propriæ anteponere vitam domini, exponendo se certo, & indubitato mortis periculo, ut vita ejusdem domini servetur, post plures alios Jurisperitos tradunt Surdus *de alimentis, tit.*1. *q.*91. & Ferdinand. Vasquius *quæstionum illustrium allegat. cap.* 11. *num.*5. ubi præsertim refert Ferdinandum Loazes plures alios allegantem *cons. pro Marchione de Velez, dubitatione* 1. asseruisse, quod si vassallus bellans in ipso prælio sibi mortem certam imminere videret, debet suam salutem saluti domini anteponere: quod tamen limitandum ubi è vita domini penderet bonum publicum: & plura alia addit Surdus *d. cap.*

Etsi autem jus civile jussit servum in extrema necessitate debere vitam suam negligere, & certæ morti se exponere pro salute domini, *l.*1. *§. juxta hoc autem, ff. de Senatusconsulto Syllaniano*, ibi: *Servi quoties dominis suis auxilium ferre possunt, non debent eorum saluti suam anteponere*: & in *§. tulisse, eadem l.* ibi: *Aut si corpus suum objecit, vel aliàs corpore suo auxilium tulit*: & *l. cùm dominus* 19. *eod. tit.* ibi: *Cùm dominus occiditur, auxilium ei familia ferre debet, & armis, & manu, & clamoribus, & objectu corporis: quod si cùm possit, non tulerit, meritò de ea supplicium sumitur.* Et similia verba habentur *l.*16. *tit.*8. *part.* 7. *& in l.*5. *tit.*12. *part.*4. *apud Hispanos.* id tamen trahi non potest ad alios famulos, neque ad vassallos, ut notat Vasquius *loco citato*; illud enim in servis specialiter jus civile constituit: cùm enim capti in bello possent justè occidi, & ne occiderentur, mors illorum temporalis in perpetuam servitutem (unde servi à servando dicti) fuerit misericorditer commutata, ut *Instit. de jure personarum*; & etiam olim jure gentium, & antiquiore jure civili domini in servos vitæ, necisque potestatem haberent, *Instit. de his qui sui vel alieni juris, §. in potestate*, ubi Pichardus *num.*3. & Molina *de justitia, tom.*1. *disput.*38. *initio*; quæ potestas hodie sic limitata est, ut eisdem dominis sine legitima causa in servos suos supra modum sævire non liceat, *§. sed hoc tempore, Institut. eod. l.* 1. *ff. eod. & l.*2. *C. de emendat. servorum*, & latè docet Molina *d. disp.*38. dum illorum mors commutata est in servitutem, eo pacto potuit intelligi servitus, ut in casu extremæ necessitatis vitam, quæ eis donatur, & commutatur in servitutem, deberent saluti domini postponere exponendo se etiam certæ morti pro servanda vita domini, qui cùm potuisset illos occidere, non occidit, sed servavit; ideoque legem civilem in præallegatis textibus voluisse servum teneri pro salute domini mori. Cùm verò mors sit ultimum terribilium, à qua omnes abhorrent, & sic se sponte offerre, seu exponere certæ morti, sit quid valdè durum, & repugnans naturæ hominis, lex illa civilis non obligat in conscientia, nec ullo modo peccaret servus non exponendo se certæ morti pro tuenda vita domini, ubi non ageretur de tuendo bono communi è vita ejusdem domini pendente: imò non liceret corpus suum objicere gladio vibrato in dominum, quia hoc esset seipsum occidere directè, & positivè: quin etiam alio modo sese certæ, & indubitatæ morti objicere 1209

pro

pro domini salute, servo non esse licitum, nisi agatur de conservando bono publico ex vita domini pendente, utpote contra ordinem charitatis, & jus naturale de propria vita conservanda, asserendum est juxta in præcedentibus tradita, & expresse affirmat Balthasar Gomez *de potest. in se ipsum*, *lib.2. cap.3. n.10.* addens jura civilia, ne Evangelicæ, & naturali legi adversentur, in dictis legibus, & etiam leges Hispanas præallegatas ita accipienda esse, ut servo liceat, imò debeat servus se cuicumque periculo pro domino exponere, non tamen certam, & præcognitam mortem pro salute domini sponte, & ex intentione subire.

1210 Ad primum ex argumentis suprà *num.1191.* adductis respondetur juxta tradita suprà *num.1203.* scilicet laudabile esse exponere se periculo vitæ, non tamen certo, & indubitato pro amico: & hoc pacto loquutos esse sanctos Patres, & Philosophos commendantes opus exponendi vitam propriam pro tuenda vita amici. Et quoad exemplum Damonis, & Pythiæ, qui se vadem dedit tyranno pro reditu alterius, id licitè fecit, quia mori non cogitavit, cùm de amici fide, scilicet quod rediturus esset, non dubitaret; & ideo non certæ, & prælectæ morti, sed tantùm periculo, si fortè non rediret, & tyrannus vellet innocentem occidere, se exposuit. Addidit P. Navarr. *lib.2. de restit. d.cap.3. num.51.* nos sæpè multa laudare, quæ non sine peccato imitaremur, quia non factum, sed modum, aut circumstantiam laudamus: cujus rei exempla idem P. Navarrus *ibidem*, Ferdinandus Vasquius *d.cap.11.* & Balthasar Gomezius *d.lib.2.cap.2.& 3.* adducunt. Illud etiam Christi Domini *Ioan.15.* intelligendum esse pro salute spirituali proximi, dictum est suprà *cit. num.1203.*

1211 Ad secundum patet ex traditis *num.1200.* ibi peti principium, & supponi id quod inquiritur; & *ibid.* ostensum est, exponere certæ morti vitam propriam pro tuenda vita tantùm corporali amici, personæ privatæ, vel cujuscumque alterius proximi privati, non posse esse actum virtutis, licèt fiat intuitu amicitiæ, vel gratitudinis, &c. Neque obstat illud vulgare, *Amicus est alter ego*; quo indicatur vitam amici tanquam propriam moraliter reputari. Nam etsi ob conjunctionem specialem amicus dicitur alter ego, non est tamen alter ego per identitatem, sicut ego mihi ipsi; ac proinde vita mea mihi est majus bonum vitâ amici, & cujuscumque alterius, cæteris paribus, ut *eodem num.1200.* ostensum est. Confirmatio verò ex Soto adducta, sumpta ex eo, quod amicitia sit pars felicitatis, jam rejecta est suprà *eod.n.1200.* Illud etiam *Eccles.6. eodem n.1191. fin.* adductum, intelligitur rectè de æstimatione respectu aliorum bonorum propter vitam propriam. Illud denique *Proverb.12.* ibidem adductum, solùm probat esse laudabile exponere se periculo pro amico, & etiam pati damnum in aliis temporalibus fortunæ.

1212 Prædicta pro utraque sententia tradidi fortè paulò latiùs quàm præsens tractatio postularet, sed parcat lector, id præstitum esse ob controversiæ difficultatem, & ut exactè examinarentur recentiorum placita, & dicta, præsertim tradita à Coninch, & à cæteris Theologis posteriori loco pro prima sententia adductis. Quæ quidem sententia judicanda est valdè probabilis propter tum authoritatem, tum probitatem tot Theologorum, quales sunt pro ea *n.1189.* allegati; licèt opposita consideratis authoritate Doctorum illam asserentium, & rationibus pro ea adductis, mihi videatur probabilior, & certè in praxi vix credo ullum fore illam amplexurum. Accedamus ad alia dubia.

§. VI.

In extrema necessitate constitutis patre, & filio, cùm alteri tantùm possit subveniri, an quis potiùs patri quàm filio teneatur succurrere.

DUbium secundum: habens patrem, & filium in æquali extrema necessitate constitutos, & non valens utrumque alere, si possit tamen uni eorum subministrare necessaria vitæ sustentandæ, an teneatur magis subvenire patri, quàm filio, vel è contra.

Succurrendum potiùs esse filio quàm patri, ex Jurisperitis, & Canonistis tenuerunt Joannes de Lignano *in tract. de amicitia*, §. *De subventione paterna, & filiali, num.16.* Ancharan. *in cap.cùm haberet, n.12. de eo qui duxit in matr. quam poll.* Castillus *ad l.40. Tauri*, quos refert, & sequitur Corduba à Lara *in l.si quis à liberis, in principio num.35. ff. de liber. agnoscend.* & idem tenuisse Bartolum refert Angelus *in Summa, verbo Filius*, *num.24.* Ex Theologis verò in extrema necessitate tam temporali, quàm spirituali, subveniendum potiùs esse filio, quàm patri, affirmarunt Antisiodorensis *lib.3. Sum. tract.3. cap.5.* D. Bonaventura, & Gabriel, quos refert Suarez *de charitate, disput.9. sect.4. num.5.* ubi etiam refert ita sentire Buridanum 8. *Ethic. quæst.16.* & *lib.9. quæst.3.* & ita sentit etiam Layman *lib.2. tract.3. cap.2. num.6.* & probabile putat Fagundez *in Decalogum, lib.4. cap.1. num.13.* Ducuntur præfati Jurisperiti primò, quia pater plus diligit filium quàm filius patrem, *l.fin. C. de curat. & l.isti quidem, ff. quod metus causa:* & amor descendit, non ascendit, *l.unam etsi parentibus, ff. de inoffic. testam.* & *l.scripto*, §. *fin. C. unde liberi.* Secundò, quia alimenta diverso modo debentur filiis, & parentibus; nam filiis debentur jure naturæ communi omnibus animalibus, parentibus verò jure tantùm gentium, ut Glossa, & Bartol. *in d. l.si quis à liberis*, §. *si vel parens*, & Pontan. *de alimentis, cap.9. initio*, tradunt: strictiùs autem obligat jus naturale quàm jus gentium. Tertiò quia bona patris magis debentur filio, quàm è contra, *d.l. nam etsi parentibus, in princip.* & etiam certo modo bona patris dicuntur esse filii, adhuc patre vivente, *l.in suis, ff. de liber. & posthum.* unde filius in patris successione præfertur avo, seu avum excludit, *l.1. §.1. ff. si tabulæ testamenti nullæ extabunt*, *Auth. in successione*, *C. de suis, & legit.* Per quæ Corduba *loco citato*, reprehendit Alphonsum de Castro, insignem Theologum contrariam sententiam tenentem, quòd falcem in messem alienam miserit. Quartò pro hac eadem sententia adducitur, quod si quis habet patrem, & filium divites, ipse autem sit inops, debet petere alimenta à patre, non à filio, ut probatum est suprà *num.280.* & etiam egenus habens avum, & patrem divites, licèt sit in potestate avi, ali debet, ut suprà *num.292.* ostensum est, non ab avo, sed à patre, propter naturalem stimulum, quo pater impellitur ad educandum filium. 1213

Hanc quoque sententiam probare videntur rationes adductæ à S.Thoma 2.2.q.26.art.9. quarum prima est, quia pater diligit filium, ut aliquid quod suum est, parens autem non est aliquid filii. Secunda, quia filius est magis conjunctus patri, cùm sit quasi pars patris; pater autem respectu filii habet rationem principii, non partis. Tertia, quia amor patris est antiquior, & diuturnior, cùm pater statim diligat filium natum, filius autem post longum tempus diligat patrem; amor autem quo antiquior, & diuturnior, eo fortior ac firmior. Quarta, quia parentes magis norunt 1214

runt aliquos esse suos filios, quàm è contrario, quæ rationes adducuntur in corpore. Additur quinta in primo argumento articuli posita, scilicet quod cura providendi magis convenit patri respectu filii, quàm è contra: unde illud Apostoli 2. *ad Cor.* 12. prodiit, *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis.*

1215 Contraria nihilominus sententia, & in hujusmodi extrema necessitate patri, & non filio esse subveniendum, est communissima, & longè verior, quam asserunt ex Jurisperitis Cinus *in l.* 2. *in fine, C. de patribus qui filios suos distraxerunt*, Ascanius *de patr. potestate, effectu* 17. *num.* 34. Bellamera *in cap. parsimoniam, n.* 41. Præpositus *in d. cap. cum haberet, de eo qui duxit in matrimonium*, Pontanus *d. cap.* 9. *num.* 3. & plures alii, quos referunt, & sequuntur Surdus *de alimentis, tit.* 1. *quæst.* 94. *num.* 6. *& seq.* & Paschalis *de patr. potest. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 65. Ex Theologis S. Thomas *d. quæst.* 26. *num.* 9. *ad* 3. Magister *in* 3. *dist.* 29. & *ibidem* D. Bonaventura, Ricardus, Gabriel, Marsilius, Abulensis *in Matth. cap.* 22. *quæst.* 311. Angelus *d. verbo Filius, num.* 24. Sylvest. *verbo eodem, quæst.* 2. Tabiena *eodem, num.* 13. Armilla *verbo Eleemosyna, n.* 14. Caietanus 2. 2. *quæst.* 31. *art.* 3. *ad* 4. Valentia 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 4. *p.* 5. *versic. Octavò sequitur*, Sayrus *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 16. *fine*, Azorius *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 16. & *lib.* 12. *cap.* 4. *quæst.* 1. *versic. At verò*, Sanchez *de matrimon. lib.* 9. *disp.* 4. *num.* 26. Suarez *de stat. charitate, disp.* 9. *sect.* 4. *num.* 6. Reginald. *lib.* 4. *num.* 310. Coninch *de charitate, disput.* 25. *num.* 149. Filliuccius *p.* 2. *tract.* 28. *cap.* 2. *num.* 49. Bonacina *disput.* 3. *de charitate, quæst.* 4. *puncto* 5. *p.* 2. Villalobos *p.* 1. *tract.* 22. *diffic.* 7. Trullench *in Decalogum, lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 6. *num.* 21. Gordonus *lib.* 6. *quæst.* 15. *cap.* 2. Marchinos *de tempore pestis, p.* 1. *cap.* 2. *n.* 18. Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 1. *puncto* 10. *num.* 13. Oviedus *de charitate, controvers.* 8. *puncto* 5. *n.* 167. Fagundez *locis suprà citatis*, Rocafull. *in praxi Quid agendum, tom.* 2. *p.* 3. *lib.* 1. *de præcepto honorandi parentes, cap.* 4. *num.* 15. & alii apud eosdem, & novissimè cum nonnullis aliis recentioribus P. Diana *p.* 10. *tract.* 13. *resolut.* 3. Probat S. Thomas, quia ordo dilectionis metiendus est juxta propinquitatem, & similitudinem ad Deum: at pater similior Deo est, tanquam principium filii, & sic amor ad patrem est similis amori Dei, amor verò ad filium est similis amori sui ipsius: unde in Decalogo post præcepta spectantia ad Deum ponitur præceptum circa parentes. Hinc secundò probatur, quia beneficium à patre acceptum est omnium maximum, cùm ab illo filius accipiat esse; ac proinde sicut Deus omnibus præferendus est, quia nobis contulit esse, ita suo modo pater omnibus præferri debet. Inde etiam probatur tertiò, scilicet quia debitum erga parentes est tum antiquius, tum nobilius; id enim sequitur ex eo, quod fuerunt nobis existendi causa, & principium. Ergo primò exsolvendum, ut cum aliis tradit Surdus *d. quæst.* 94. *n.* 14. Per nativitatem enim filiorum non potuit avi conditio fieri deterior, quominus conveniat filium sibi ante procreationem filiorum obligatum esse; unde regula communis, quod prior tempore est potior jure. Ex eodem capite probatur quartò, quia major est obligatio filii exhibendi alimenta patri, quàm è contra; nam obligatio patris oritur ex se ipso per regulam generationis, ut eo modo teneatur filium alere, quo natura docuit omnia animantia: at obligatio filii erga patrem oritur ab ipso patre, qui contulit inæstimabile beneficium, nimirum ipsum esse in rerum natura, in quo sine patre non fuisset; unde ad patrem referenda est filii essentia: ergo est priùs tollenda, & consequenter in alimentis pater filio est præferendus. Ex hoc etiam, quod filii essentia, seu existentia tota refertur ad patrem ut ad principium, sequitur ut pater respectu filii se habeat ut totum, utpote à quo processit; filius verò respectu patris sit pars, seu veluti pars illius. Cùm ergo major sit obligatio in parte ad consulendum toti propter quod est, quàm in toto ad consulendum parti, quæ est propter illud, ita in extrema necessitate tenemur vitam patris præferre vitæ filii, quando alteri eorum tantùm subvenire possumus. Prædictis additur ex eodem fonte, quod parentibus, à quibus esse accepimus, præ aliis omnibus reverentiam debemus: ergo etiam in extrema necessitate illos aliis omnibus debemus præferre. Præterquam quod parentes in educandis, alendis, & informandis filiis labores, & pericula sustinent, non sic filii erga parentes in extrema necessitate filiis suos præferendi. Denique alio argumento à posteriori probatur, quia majoris impietatis peccatum est occisio, vel maledictio patris, quàm occisio, & maledictio filii, ut constat *Exodi* 12. *& Levit.* 20. Ergo pro conservanda eorum vita majus, & urgentius debitum est. Ex quibus infertur, etiam filium in extrema necessitate obligari etiam subvenire potiùs matri quàm filio, ut expressè quoque tradunt ex Jurisperitis Præpositus *in d. cap. cum haberet, num.* 6. Innocentius *in cap.* 2. *de reg.* Surdus *d. cap.* 94. *fin.* & ex Theologis præallegatis Laym. Bonacina, Filliucius, Coninch, Trullench, Castrus Palaus, Gordonus, & Sanchez *locis præallegatis*.

Ut autem clariùs satisfiat argumentis pro altera 1216
sententia adductis, advertendum in homine in ordine ad filium duplicem considerari inclinationem, & dilectionem; unam naturæ omnibus animantibus communem, quæ est appetitus sensitivi; alteram naturæ rationalis, ut rationalis, quæ est voluntatis, & regulariter à jure naturali humanæ naturæ proprio, & à virtute charitatis procedit. Igitur secundùm inclinationem, & dilectionem naturæ communis omnibus animantibus, & appetitus sensitivi, homo magis inclinatur ad filium quàm ad patrem, & inde ortum illud, *Amor descendit, non ascendit.* Ex hoc tamen non infertur major obligatio hominis erga filium, quàm erga patrem, quoad amorem, & præstationem eorum quæ sunt simpliciter vitæ sustentandæ necessaria; patremque non esse præferendum in casu extremæ necessitatis patris & filii: sed hujusmodi obligatio attenditur penes inclinationem naturæ rationalis, & voluntatis, & ipsius charitatis, quæ ad patrem potiùs quàm ad filium appretiativè propendet, propter ingentia, & maxima beneficia, præsertim ipsius esse, quæ filius à patre recepit: & hujusmodi inclinatio naturæ rationalis, & charitas ipsa debet corrigere defectum naturalem appetitus sensitivi. Major autem est inclinatio naturæ, inquit Suarez *loco citato*, quia appetitus sensitivus fertur magis in id quod est sensibilius, magisque apparet sensibus præsens, & delectabile; econtrà verò inclinatio naturæ rationalis, ut rationalis, & voluntatis, semper est major ad id quod est magis honestum, & rationi conveniens: etsi ratio cur natura in parte sensitiva indiderit hominibus majorem inclinationem ad amandum, & benefaciendum filiis, quàm parentibus, sit illa, scilicet ut intensior esset, per quam tolerabiliores fierent labores ordinariè suscipiendi pro filiis, qui egent ordinariè, non sic parentes; voluntatis verò inclinatio major est ad parentes, ob quam appretiativè plus diligantur quàm filii, occurrente casu necessitatis, ut petire debeat vita patris, vel filii, si alteri eorum tantùm subveniri possit. Hinc

Ad primum ex argumentis *num.* 1213. pro altera 1217
sententia adductis, respondetur procedere tantùm de amore naturali juxta inclinationem naturæ omnibus animantibus communis; obligatio autem præferendi patrem filiis oritur ex inclinatione naturæ rationalis, & charitatis, quæ major, & potior, atque antiquior est erga parentes, à quibus accepimus

omnium

omnium beneficiorum maximum, quæ statim oritur ab initio esse recepit. Ad secundum pariter respondetur considerando naturam hominis communem omnibus animantibus, diverso modo se habere ad filium ac ad patrem: nam ad filium magis inclinatur quàm ad patrem alendum; ideoque alimenta dicuntur deberi filiis jure naturæ, scilicet ex inclinatione naturali omnibus animantibus communis: at considerando naturam hominis, ut homo est, scilicet rationalem, & jus naturale in ipsa natura rationali, & ipsa ratione hominis, & in charitate hominis propria, etsi juxta hoc jus tam filiis, quàm patri debeantur alimenta, ut initio hujus capitis probatum est, tamen hoc jus magis obligat alere patrem extremè egentem, quàm filium in concursu utriusque, propter illud maximum beneficium generationis, ob quod beneficium etiam obligatio est prior, & antiquior; unde cùm pater, & filius concurrunt in eadem extrema necessitate, obligatio erga patrem impedit effectum obligationis erga filium. Quando autem dicitur filium teneri alere patrem de jure gentium, nomine juris gentium non intelligitur jus humanum, seu ab hominibus inductum, sed ipsum jus naturale proprium hominis, ut homo est, & solùm hominibus cognitum, ut contradistinguatur ab illa inclinatione naturæ omnibus animantibus communi, quam inclinationem quoque placuit legislatoribus appellare jus naturæ omnibus animantibus communis, cùm æquè omnia animantia naturæ impulsu inclinentur ad alendos, & educandos proprios filios, non sic autem ad alendos parentes, quos cætera animantia præter hominem non curant, neque illis unquam provident.

1218 Ad tertium respondet Surdus *d. quæst 94. num.* 11. obligationem alimentandi non regulari à ratione, seu jure succedendi, ut alibi in præcedentibus ostensum est, & patet in filiis spuriis. Ad quartum respondet idem Surdus, magis facere pro patre quàm pro filio, quia sicut pater primus convenitur, licèt exiet filius; ita sibi primùm debet subveniri in egestate, quando non potest utrique, cùm cum sequantur commoda quem sequuntur incommoda, *leg. secundùm naturam, ff. de reg. jur.*

1219 Ad rationes ex S. Thoma *n.* 1214. adductas, omissis aliis responsionibus, quæ ex traditis pro posteriori sententia facilè dari possunt, respondetur illas procedere de dilectione, & inclinatione naturali, quæ est communis omnibus animantibus, & est appetitus sensitivi, secundùm quam homo faciliùs, & magis amat filium quàm patrem: unde S. Thomas, dum adducit illas quatuor rationes, considerat tantùm majorem inclinationem, & quod quis faciliùs agit, non verò quod agere tenetur juxta inclinationem naturæ rationalis, & dictamen rectæ rationis; non enim teneri aliquid agere, & agere faciliùs, semper conjunguntur, sed imò sæpe non conjunguntur. Quare idem S. Thomas absolutè concludit, filium magis debere amare patrem quàm filium in concursu utriusque existentis in eadem necessitate, quia excellentia objecti (cùm filius à patre recipiat suum esse) simpliciter est major, esto ex aliis circumstantiis, seu capitibus homo faciliùs amet filium, quàm patrem. Respondéri potest secundò, illas rationes tendere ad probandum, extra necessitatem extremam, vel gravem, hominem teneri providere filio potiùs quàm patri, præsertim si filius sit sub patris potestate: & id solùm Theologi *supra num.* 1215. relati aiunt probare illud D. Pauli in quinta ratione adductum, scilicet extra necessitatem paternam hominem debere potiùs consulere filio, præcipuè non emancipato, de quo mox.

§. VII.

Extra extremam necessitatem paternam an potiùs sit providendum filio quàm patri.

ITaque conveniunt Theologi præallegati, extra extremam necessitatem, tam quoad temporalia, quàm quoad spiritualia bona providendum esse magis, seu potiùs filio quàm patri. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 26. *d. art.* 9. & expressè ex Theologia *num.* 1215. relatis. Valentia, Suarez, Filliucius, Castrus Palaus, Trullench, & Oviedus: & sentiunt etiam alii ibidem relati, dum solùm in necessitate patrem esse filio præferendum aiunt. Probant, quia propter naturalem obligationem alendi, & educandi filios, provenientem ex conjunctione, & ex eo quod pater uti filii principium dans esse, debet etiam necessaria ad illius conservationem, & ad debitum vitæ statum ei providere, pater tenetur filiis providere ratione, seu ex obligatione officii sui, & curæ paternæ filiorum, præsertim si non sint emancipati; dum enim filii existunt sub tutela, cura, & providentia parentum, pater illis tenetur tum in temporalibus, tum in spiritualibus providere, & invigilare pro majore illorum profectu: & huc tendit locus ille D. Pauli 2. *ad Corinth.* 12. exaratus, *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis.* 1220

Difficultas esse potest, an etiam in æquali necessitate gravi patris, & filii, ut si pater, & filius non possunt habere necessaria vitæ, nisi mendicando cum dedecore status, cùm utrique non potest consulere, patri potiùs quàm filio subvenire quis debeat, ita ut solùm in extrema necessitate pater sit filio præferendus. Nam rationes adductæ *num.* 1215. videntur probare, etiam in æquali necessitate gravi potiùs patri, quàm filio esse succurrendum. Et S. Thomas *d. art.* 9. *respons. ad* 3. non loquitur expressè de necessitate extrema, sed absolutè ait, in articulo necessitatis filium esse obligatum ex beneficiis susceptis, ut parentibus maximè provideat: eodem modo loquendi utuntur Filliucius, Trullench, & Gordonus, dicentes in necessitate patris, & filii patrem debere præferri; & ita etiam Pontanus, & Surdus, & cæteri Jurisperiti *d. num.* 1215. relati. At Valentia, Sayrus, Sanchez, Fagundez, Azotius, & Regiuald. expressè loquuntur in casu extremæ necessitatis, dum dicunt patrem esse præferendum filio, & ita extra extremam necessitatem paternam sentiunt potiùs providendum filio, quàm patri: id quod expressè aiunt Valentia, & Sayrus. Et ita puto sentire alios præallegatos Theologos, & Jurisperitos, & etiam S. Thomam, scilicet nomine necessitatis intellexisse necessitatem extremam subsidii temporalis, vel spiritualis ad vitam corporalem, vel spiritualem conservandam, ita quod in hoc casu extremæ necessitatis existentibus patre, & filio, ut uni eorum tantùm subveniri possit, pater sit præferendus filio; extra verò hunc extremæ necessitatis casum, etiam in æquali necessitate gravi patris, & filii, potiùs filio quàm patri esse providendum, propter rationes *num. præced.* adductas. Verùm Sanch. *d. sect.* 4. *num* 7. Castrus Palaus *loco sup. n.* 1215. *citato*, & Ovied. *alleg. p.* 5. distinguunt inter filium emancipatum, & filium non emancipatum sub patris potestate, & cura existentem. Si igitur filius sit jam emancipatus, aiunt etiam in æquali necessitate gravi patrem esse filio præferendum, quia emancipatus jam non est sub tutela & cura patris; & pater jam quodammodo complevit munus suum thesaurizandi filio, quo ablato, in cæteris pater est superior: si verò filius non est emancipatus, sed sub tutela, aut cu- 1221

ra

ta patris, tunc dicunt extra extremam necessitatem, cæteris paribus, filio potiùs quàm patri esse subveniendum, ratione dictæ obligationis ex officio, & curæ paternæ; & juxta hanc eandem distinctionem censendum esse loquutos cæteros Theologos numero præcedenti relatos, cùm rationem præferendi filium patri extra extremam necessitatem, desumant etiam ex ratione officii paterni providendi utilitati temporali, & spirituali filiorum: quod officium cessat erga filios emancipatos, & jam sub cura patris non existentes. Addit nihilominus Castrus Palaus eodem loco suprà *num.* 1215. citato, & sumpsit ex Coninch *d. disput.* 25. *num.* 146. quod etiam extra extremam necessitatem non tenetur filius in temporalibus, etsi possit priùs suis providere quàm parenti; quia providendo parenti, providet & sibi, cùm bona parentis jure hæreditatis ad ipsum deveniant; & nemo tenetur aliis cum jactura propriorum bonorum extra necessitatem occurrere.

§. VIII.

Si pater vellet occidere injustè filium, liceret præferre filium patri, occidendo patrem in defensionem filii, etsi quis ad id non teneatur.

1222 ADvertendum autem, quod etsi in æquali extrema necessitate patri potiùs subveniendum sit quàm cuicumque alio, etiam filio; in aliquo tamen casu liceret præferre filium patri, ut si pater injustè occidere vellet filium, tunc in defensionem filii proprii innocentis posset quis patrem occidere, quia tunc pater abutitur jure suo, & non est in extrema necessitate, sed in deordinatissima voluntate. Ita Suarez *de charitate, d. disput.* 9. *sect.* 4. *num.* 13. & Oviedus *de charitate, d. controvers.* 8. *p.* 5. *num.* 108. Qui tamen addit, neminem teneri vitam innocentis filii defendere interficiendo patrem injustum aggressorem, eo quòd obligatio defendendi vitam filii non urgeat cum tanta jactura. Quare mul ò magis, si pater meus vellet injustè occidere alium innocentem, præter filium meum, si non possem aliàs defendere innocentem, quàm interficiendo patrem, non teneor defendere, ut tradunt Oviedus *d. p.* 5. *num.* 122. & Suarez *d. num.* 15. addens nec pro defensione præfati innocentis teneri quem occidere patrem, vel amicum; quia licèt liceat defendere, non tamen cum tanta jactura.

§. IX.

Utrum in extrema necessitate parentum, & amici, aut insignis benefactoris quis teneatur potiùs patri subvenire, cùm non potest utrique.

1223 UTrum verò in extrema necessitate patris, & amici benefactoris, qui insignia mihi contulerit beneficia, putà liberaverit à morte, præsertim cum periculo propriæ vitæ, si utrique non possum subvenire, tenear adhuc succurrere patri, an verò possim licitè patri præferre benefactorem, qui me à morte liberavit? Quidam Gerardus à Buridano *Ethic.* 9. *cap.* 3. relatus, opinatus est in hoc casu non solùm posse licitè, sed & debere amicum benefactorem præferri parenti, & cuicumque alii consanguineo: pro qua opinione facit, quod maximi ponderis sit charitas, & fortitudo, qua liberator vitam suam liberrimè in meam defensionem exposuit. Ita etiam Victoria *in manuscriptis ad* 2. 2. *q.* 26. ut refert Suarez *d. sect.* 4. *num.* 15. *versus finem*, censuit probabile, benefactorem qui beneficia valdè insignia, & egregia contulit, licitè præferri posse patri, maximè si pater postquam dedit vitam, vel nulla, vel pauca alia beneficia contulerit, vel malè functus est officio suo: & id etiam ipse Suarez dicit esse probabile, eam afferens rationem, quod in omnibus virtutibus, licèt una sit in suo genere major alterâ, in individuo tamen actus inferioris potest esse interdum melior quàm superioris. Idem ergo potest accidere in pietate comparata cum amicitia, vel gratitudine.

Communis Theologorum sententia est, in extrema necessitate ordinariè, & per se loquendo patrem, & matrem debere præferri cuicumque privato, etiam amico, & benefactori, quantumcunque insignia, & egregia contulerit beneficia, & etiam à morte liberaverit. Ita S. Thomas expressè 2. 2. *q.* 31. *art.* 3. *ad* 3. *& quæst.* 26. *art.* 8. *ad* 1. ubi universaliter docet, consanguineos in provisione necessariorum aliis quibuscumque privatis, etiam amicis esse præferendos: ibidem Caietanus, & Bañes, Marchinus *de tempore pestis, p.* 1. *cap.* 10. *num.* 26. *&* 27. & ex Theologis *suprà, num.* 1215. relatis, Valentia *d. puncto* 5. *versic. Quintò*, Reginaldus *d. lib.* 4. *num.* 307. Bonacina *d. p.* 5. *num.* 3. Layman *d. cap.* 3. *n.* 6. Coninch *d. disput.* 25. *num.* 153. Fragos. *de repub. tom.* 1. *in præfat.* §. 3. *num.* 36. Castrus Palaus *d. puncto* 10. *num.* 10. *&* 15. Oviedus *d. puncto* 5. *num.* 120. *&* 122. & alii ab Oviedo, & Coninch relati. Ita sensit etiam Aristoteles 8. *Ethic. cap. ult.* dum ait, quod diis, parentibusque non possint reddi æqualia. Rationem assignat S. Thomas *d. quæst.* 31. *art.* 3. *ad* 3. scilicet quia beneficium acceptum à parentibus excedit quodcumque benefactoris alterius beneficium; cùm filius ab ipsis acceperit ipsum esse absolutè: qui verò propriæ vitæ periculo alterum à morte liberat, est causa vitæ tantùm per accidens, seu removens mortem; non causa absolutè, & per se vitæ, sicut sunt parentes: & præterea liberans à morte est tantùm causa vitæ corporis, quæ est mortalis; parentes verò sunt causa vitæ immortalis animæ: nam ab illis accepimus simpliciter quod simus, seu totum nostrum esse secundùm animam, & corpus: nam etsi solus Deus creat animam, tamen parentes etiam sunt causa cur Deus eam creat; & in hoc differunt parentes ab aliis hominibus, à quibus tantùm possumus accipere vitæ corporalis conservationem, aut spiritualis restaurationem, dum nos à peccatis Deo cooperante convertunt; quod non possent facere, nisi parentes nos priùs genuissent, ad proinde etiam hoc parentibus suo modo debemus. Accedit alia ratio, quam etiam tangit S. Thomas *in d. responsione ad* 3. scilicet quod ex beneficiis acceptis, quantumvis egregiis, & magnis, ut est liberatio à morte cum proprio periculo benefactoris, consurgit tantùm debitum ex morali quadam æquitate & antidorale, scilicet tantùm obligatio retributionis ex sola gratitudine propter beneficium liberaliter collatum: ex conjunctione verò cum parentibus consurgit obligatio quasi ex justitia; non enim solùm ex charitate, & gratitudine, sed etiam ex vi quarti præcepti Decalogi, scilicet ex pietate, super qua fundatur, quartum Decalogi præceptum, quæ justitiæ rationem quandam habet, tenetur filius patri succurrere quoad vitæ necessaria, ut suprà *hoc cap. num.* 6. *&* 7. & nonnullis sequentibus probatum est; obligatio autem justitiæ prævalet obligationi ex sola gratitudine. 1224

1225 Quare non solùm patrem, & matrem, sed etiam filium, & uxorem in extrema necessitate temporali, vel spirituali esse præferendos cuilibet amico, & benefactori privato, cum S. Thoma locis citatis, tradunt omnes præallegati Theologi locis citatis; idque convincit ratio modò allata: nam ex conjunctione cum filio, & uxore oritur eadem obligatio quasi justitiæ, cùm pater filio teneatur etiam ex vi quarti præcepti, & ex pietate succurrere, & illum educare, & erudire, ut superiùs *dictis num. 6. 7. & sequentibus*, ostensum est; & similiter ratione conjunctionis, & vinculi matrimonii vir uxori non solùm ex charitate, & gratitudine, & uxor viro, sed etiam quasi ex justitia debet defensionem, & subsidium in necessitate, ut hoc capite tractatum est, & in præcedenti parte, ubi de obligatione conjugum cohabitandi; & latiùs explicabitur in quarta parte hujus tractatus, ubi de mutua obligatione conjugum sibi invicem obsequia, & alimenta præstandi. Quare cùm obligatio ex justitia præponderet obligationi ex sola gratitudine, in necessitate extrema cuicumque benefactori, etiam liberatori à morte, præferendi sunt pater, mater, & etiam filius, & uxor, quia ad hos juvandos arctior est obligatio quàm ad illum: quemadmodum etiam arctior est obligatio erga eum qui solùm commodavit, quia est obligatio ex justitia, quàm erga eum qui omninò donavit, quia tantùm est obligatio gratitudinis, & ex morali æquitate. An verò amicus, & benefactor, præsertim insignis, possit præferri cæteris consanguineis, etiam fratribus, infrà dicemus.

1226 Dixi, patrem ordinariè, & per se loquendo in extrema necessitate præferendum esse cuilibet alteri privato, &c. quia per accidens potest evenire, ut liceat patri præferre insignem aliquem amicum, & benefactorem, putà si pater malè se gessisset erga filium, & in satisfaciendo obligationi sui officii providendi filio quoad temporalia, & spiritualia; sed potiùs contrarium procurasset, ut si fuisset erga filium impius & crudelis, vitam illi injustè voluisset eripere, aut necessaria vitæ sustentandæ negasset, vel si ex malitiâ illum hæresi, malis moribus imbuisset, & alter eundem filium cum notabili impensa, magno labore, & molestia, & præsertim cum vitæ periculo defendisset, eripuissetque illis malis temporalibus, vel spiritualibus, quia in fide ac bonis moribus imbuisset, quibus valdè sibi eundem filium obligasset, tunc filius in extrema necessitate licitè posset hunc insignem amicum, & benefactorem patri præferre, cùm in hoc casu pater ob injuriam filio illatam amittat jus quod habebat, ut aliis præferretur, & ob obligationem contractam erga præfatum benefactorem, honestè illum eidem patri filius præferret: & hoc pacto admittenda est sententia Victoriæ, & Suarez suprà *num.* 1223. relata, & procedit ratio ibidem ex eodem Soario adducta: & ita in terminis docent Bañes 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 8. Valentia *d. versiculo Quintò, fine*; Coninch *d. disput.* 25. *num.* 155. Reginaldus *d. lib.* 4. *num.* 310. *fine*, Castrus Palaus *d. puncto* 10. *num.* 10. Oviedus *citato puncto* 5. *num.* 122. & alii à Coninch relati. Addunt tamen omnes, in hoc etiam casu non teneri filium patri præferre benefactorem, sed remissa injuriâ posse cum illo agere ac si nulla à patre illi injuria fuisset illata, & sic illum amico benefactori præferre. Quod autem dictum est de patre, qui obligationi suæ erga filium minimè satisfecisset, & valdè malè erga illum se gessisset, ob eandem rationem à fortiori procedere etiam in filio, & uxore, si eodem modo ille erga patrem, hæc erga maritum, neglecta obligatione sui debiti se gessissent, scilicet tunc filio, vel uxori posse licitè præferri insignem benefactorem, etsi non sit obligatio id faciendi, rectè notavit Castrus Palaus *loco citato*. Contra prædicta, & præallegatos Doctores sentiunt Benzonus *in speculo Episcop. quæst.* 9. *dubio* 8. *diffic.* 1. *conclusione* 5. & Marchinus *d. cap.* 11. *num.* 29. & 30. asserentes patrem, quantumvis erga filium crudelem, & inhumanum, vel si hæresi imbuisset, vel vitam illi eripere tentasset; ac pariter filium quantumvis erga patrem ingratum, iniquum, & inhumanum, semper in extrema necessitate esse præferendos cuilibet privato, etsi insigni benefactori; quia, inquiunt, nulla malitia vinci potest debitum naturale patris erga filium, & filii erga patrem in extrema necessitate. Verùm id est petere principium, nam quæstio est, an ob tam gravem injuriam patris in filium, & è contra, in concursu extremæ necessitatis patris, vel filii, & insignis benefactoris, qui mihi fuit loco patris, vel filii, vitamque mihi conservavit, cesset illud jus prælationis patris, & filii, & ob ingentia beneficia à benefactore accepta possim illum præferre patri, & filio. Nam licèt illud jus, seu debitum sit naturale, tamen ob grave delictum, gravemque injuriam cessare potest: unde pater filio ingrato erga ipsum, merenti mortem, non tenetur dare neque alimenta vitæ simpliciter necessaria, ut suprà suo loco probatum est.

§. X.

Pater in æquali necessitate per se loquendo præferri debet matri, si utrique non potest succurri.

Dubium tertium, an in æquali necessitate, cùm non utrique, sed uni tantùm possint subsidia vitæ necessaria ministrari, pater præferri debeat matri, vel è contra. Communis & certa sententia est, per se loquendo, patrem tam in temporalibus, quàm in spiritualibus in æquali necessitate debere præferri matri. Ita S. Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *num.* 10. ibidem Caietanus, & Bañes, Richardus *in* 3. *dist.* 29. *quæst.* 8. Azorius *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 18. Sayrus *lib.* 7. *Clavis*, *cap.* 5. *num.* 17. Reginaldus *lib.* 4. *num.* 311. Fillinccius *tract.* 28. *cap.* 2. *num.* 50. Bonacina *de charitate*, *disput.* 3. *quæst.* 4 *p.* 5. *num.* 2. Marchinus *de tempore pestis*, *parte* 1. *cap.* 11. *num.* 2. Trullench *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 21. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *n.* 6. & ex Theologis superiùs *n.* 1224. relatis, Valentia *d. parte* 5. *versic. Nonò quæritur*, Suarez *d. sect.* 4. *num.* 8. Coninch *d. disput.* 25. *num.* 149. Castrus Palaus *d. puncto* 10. *num.* 13. & Oviedus *d. puncto* 5. *num.* 109. & tradidit etiam D. Hieronymus *in Ezech. cap.* 44. ubi ait: *Natura super hoc probatur affectus, ut ordine charitatis post rerum parentem Deum, carnis quoque pater diligatur, & mater, filius, & filia, &c.* Quia etsi mater certiùs cognoscitur, & magis intensè amat filios, & plus laboris, & oneris sustinet in pariendo, & educando filio parvulo: nihilominus è contra pater est magis & præcipuum principium, & præcipua causa generationis, scilicet per modum agentis, mater verò potiùs per modum patientis, & materiæ: item ad patrem, cùm sit caput familiæ, magis spectat providentia, & cura 1227

cura filiorum, & suis laboribus alit; unde etiam major honor, & reverentia illi debetur, ac proinde omnibus consideratis, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus bonis in æquali necessitate matri est præferendus.

1228 Dixi, *per se loquendo, &c.* nam per accidens potest evenire casus, ut in æquali necessitate mater licitè præferatur patri, ut si mater sit valdè benefica erga filium in temporalibus & spiritualibus, pater verò sit valdè crudelis, vitiosus, & negligens circa curam filiorum; excessus enim bonitatis in matre, & beneficiorum ab ea acceptorum præponderat excessui excellentiæ, & dignitatis paternæ, ut proinde ordo charitatis præverti honestè & licitè possit, in æquali necessitate præferendo patri matrem. Ita Sayrus, Reginaldus, & Bonacina, & alii ab iisdem relati. Puto tamen, quod filius posset remittere injuriam patri, seu talis injuriæ nullam rationem habere, & consequenter non teneri patri præponere matrem, etsi licitè possit, juxta tradita suprà *num.* 1226.

§. XI.

In æquali necessitate corporali, & etiam spirituali avi paterni, & matris propriæ, an quis potiùs avo, quàm matri debeat subvenire.

1229 Dubium quartum, in æquali necessitate corporali, & etiam spirituali avi paterni, & propriæ matris, an quis debeat potiùs subvenire avo quàm matri, vel è contra, si uni tantùm, & non utrique possit succurrere, Benzon. *in speculo Episc. lib.* 1. *disput* 1. *quæst.* 9. *dub.* 1. & Marchinus ei adhærens, *de tempore pestis p.* 1. *cap.* 11. *num.* 5. *ad* 15. opinati sunt, avum esse præferendum matri. Probant præcipuè primò, quia etsi mater est causa proxima filii, est tamen causa imperfecta, & per modum patientis, & materiæ, ut dictum est; & avus paternus est principium activum essendi nepoti, & tanquam caput, fons, & origo totius consanguinitatis. Secundò, quia filius jure civili, *§. ult. Instit. de patria potestate*, mortuo patre remanet sub patria potestate avi, non matris: per quam juris dispositionem declaratur, inquit Marchinus *num.* 11. jus naturale, seu naturale debitum nepotis erga avum, & avi erga nepotem. Tertiò, quia quod Jure Canonico, *cap. ex literis, de conversione infid.* deciditur quod patre volente, invita matre infideli, seu Judæa, potest filius baptizari, extenditur per rationem ejusdem textus ad avum paternum, qui est pater mediatus, ut in specie tradit Ricciull. *de jure person. lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 24. & August. Barbosa *collect. ad d. cap. ex literis, num.* 2. & in casu contingenti Gregorius XIII. post longam discussionem, & pluta hinc inde adducta, tam pro avo, quàm pro matre, mortuo patre Judæo, relicta uxore pariter Judæa, & unico filio, superstite avo paterno fideli, & petente filium, seu nepotem apud se educari, & baptizari, decrevit filium apud avum paternum educandum, & baptizandum, prout fuit baptizatus, ut refert Navarr. *conf.* 4. *fin.* (ubi latissimè de hoc casu in utramque partem) *de conversione infidelium, in* 2. *editione*: ex quo, ait Marchinus, infertur etiam juxta Jus Canonicum, avum paternum in æquali necessitate præferendum esse propriæ matri. Verùm hujusmodi argumenta sunt à longè petita, nulloque modo probant intentum.

1230 Ideò asserendum, in æquali necessitate, tam temporali, seu corporali, quàm spirituali, cæteris paribus, matrem propriam esse avo paterno præferendam: & puto esse sententiam Theologorum communem, quia omnes docent, cæteris paribus, conjunctos conjunctione naturali, seu sanguinis, esse magis diligendos quam conjunctos affinitate, aut humana conjunctione; & inter personas ejusdem conjunctionis illas esse magis diligendas, & aliis præferendas, quæ amanti sunt magis conjunctæ; & sic inter conjunctos conjunctione naturali, seu sanguinis, præ omnibus aliis, tam quoad bona temporalia, quàm quoad spiritualia, magis diligendos, & præferendos esse patrem, matrem, & filios, ob arctiorem conjunctionem cum diligente. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 7. 8. *&* 9. Caietanus, Bañes, & alii *d. art.* 8. Azorius *part.* 2. *lib.* 12. *cap.* 4. Sanchez *de matrimon. lib.* 9. *disput.* 4. *num.* 26. & aliis omissis Theologi suprà *num.* 1227. relati, Valentia *d. p.* 5. *versi. Secundò sequitur*, & *versic. Quintò sequitur*, Suarius *d. sect.* 4. *num.* 5. Paulus Layman, Bonacina, Trullench *locis d. num.* 1227. *citatis*, Filliuccius *d. cap.* 2. *num.* 49. Coninch *d. disput.* 25. *num.* 139. *&* 149. Castrus Palaus *d. puncto* 10. *num.* 13. & Ovledus *num.* 106. *&* 107. Et ideo iidem Doctores locis suprà *num.* 1224. allegatis, & Fragosus *tom.* 1. *de republ. in præfat.* §. 3. *citatæ num.* 36. unanimiter asserunt, nullum unquam, cæteris paribus, & per se loquendo, esse magis diligendum quàm proprium patrem, & propriam matrem, hisque in extrema necessitate, & spirituali præ quibuscumque aliis esse subveniendum, quia arctiori vinculo naturæ sunt nobis conjuncti. Et quod cæteris paribus, conjunctiores nobis conjunctione naturali sint præ aliis minùs conjunctis magis diligendi, & præferendi, probant iidem Doctores duplici ratione, quarum una desumitur ex ipsa natura charitatis erga proximos; nam certum est, aliquem ordinem dari, seu esse in dilectione, & charitate erga proximum, ut constat ex 1. *ad Timoth.* 5. ibi: *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, est infideli deterior.* Quibus verbis Apostolus ostendit, nos obligari habere curam domesticorum magis quàm aliorum, & consequenter nos obligari eos appretiativè magis diligere, eisque præ aliis benè velle; & per domesticos Apostolus præcipuè intelligit nobis sanguine conjunctos. Unde etiam D. Augustinus 1. *de doctrina Christiana, cap.* 28. dixit: *His potissimùm consulendum, qui arctiùs sibi junguntur.* Quod propterea confirmatur, quia quo aliquis nobis conjunctior est, eo magis ad nos pertinet, & quodammodo unus nobiscum efficitur: ac proinde sicut charitas inclinat, ut post Deum nos ipsos amemus, & cæteris paribus aliis quoad bona spiritualia, & temporalia præferamus: ita etiam inclinat, ut post nos amemus nobis conjunctiores. Altera ratio depromitur ex virtute pietatis, quæ licèt respiciat omnes sanguine conjunctos, primò tamen arctiùs obligat respectu eorum, qui sunt nobis magis naturaliter conjuncti, ut sunt parentes, postea filii, &c. Itaque assertio contra Benzonum, & Marchinum probatur, quia major obligatio diligendi aliquam personam, illique in necessitate subveniendi potiùs quàm alteri personæ, consurgit, ut latè S. Thomas docet *d. q.* 26. præsertim *art.* 9. tum ex ratione boni, quod est dilectionis objectum, tum ex majori conjunctione cum diligente; sed mater naturali conjunctione est propinquior, & conjunctior filio quàm avus paternus: item in matre reperitur perfectior, & excellentior ratio boni, quàm in avo; quia mater, sicut & pater, est proximum, & immediatum, ac per se principium filii; avus autem paternus remotum, & per accidens: ergo in æquali necessitate matris, & avi paterni filius tenetur matrem præferre avo, & quando utrique non potest subvenire. Et certè si illud pri-

mum fundamentum Benzoni, & Marchini, desumptum ex ratione principii activi remoti urgeret, convinceret etiam, non solùm avum, sed proavum, abavum, tritavum, & quemlibet ulteriorem ascendentem ex linea paterna, licèt remotissimum, esse magis diligendum quàm matrem, & in æquali necessitate semper matri præferendum: quod nullus dicet. Igitur ratio principii proximi, & per se, licèt per modum patientis, & materiæ, quæ reperitur in matre, prævalet rationi principii activi remoti, & per accidens. Patria autem potestas, sicut & prælatio succedendi in bonis filii, à jure civili concessa est avo paterno, non ob majorem, & strictiorem conjunctionem, vel obligationem naturalem nepotis erga avum quàm erga matrem, sed propter agnationem, & lineæ identitatem, illiusque consecutionem.

1231 Illud verò, quod nepos ex patre, & matre Judæa natus, mortuo patre in infidelitate, debeat educari apud avum fidelem paternum, eo volente, & etiam eo volente licitè baptizari, dum adhuc est infans, matre invita, fuit valdè controversum, ut videre est apud Navarrum *d.conf.*4. ubi latè in favorem matris discurrit. S.Pontifex tamen in illo casu decrevit parvulum apud avum paternum fidelem educandum, qui postea baptizatus est, quia probabile erat, avum paternum per conversionem ad fidem non amisisse patriam potestatem in filium, & nepotem infideles, & quia avus paternus, & etiam ulteriores ascendentes comprehenduntur nomine parentum, & sic favore fidei, & religionis avo paterno fideli volente, post mortem patris rectè nepos infans invita matre potuit apud eundem avum educari, & etiam baptizari. De qua re plura videantur apud eundem Navarrum *citato consilio* 4.

§. XII.

Patre, vel matre, & uxore extremè egentibus alimentis, filius patrine, aut matri potiùs, an verò uxori debeat subvenire.

1232 DUbium quintum, utrum patre, & matre, & uxore extremè egentibus alimentis, si filius nequeat omnibus necessaria vitæ exhibere, debeat potiùs subvenire patri & matri, quàm uxori. Aliqui dixerunt potiùs uxori esse subveniendum: ita Layman *lib.*2. *tract.*3. *cap.*2. *num.*6. *initio*, & Suarez *d.sect.*4. *num.*16. ait hanc sententiam indicasse Lipomanum *Gen.* 2. dum citat Rupertum dicentem, conjunctionem uxoris esse omnium maximam, & fortissimam; & Hugonem aientem privilegium dilectionis fuisse ad uxorem translatum. Idem Suarez pro hac sententia adducit Procopium *d.loco Genesis*, hoc habentem: *Cùm secundum nuptias genus humanum consistere oporteat, rectè, & necessariò uxor antefertur parentibus*. Adducit etiam caput 4. *lib.*3. *Esdræ*, ubi dicitur: *Homo diligit uxorem suam magis quàm patrem, & matrem*. Probatur, quia vir, & uxor sunt una caro, *cap. debitum, de bigam. & cap. gaudemus, de divort.* juxta illud Genesis 2. *Et erunt duo in carne una.* Unde *ibid.* dicitur: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ.* Quod præceptum probavit Christus *Matth.*19. & D.Paul. *ad Ephes.*5. dicit, quod vir debet diligere uxorem suam sicut se ipsum: homo autem debet diligere se ipsum priùs quàm parentes, & cæteris paribus se illis præferre: ergo etiam uxorem, &c.

1233 Verùm communis, & vera sententia est, in extrema necessitate parentum, & uxoris, in qua omnibus subveniri nequeat, parentes præferendos esse uxori. Ita S. Thomas 2. 2. *quæst.*26. *art.*11. Valentia *tom.*3. *disput.*3. *quæst.*4. *p.*5. *versic. Decimò quæritur*, Sanch. *de matr. lib.*9. *disp.*4. *num.* 26. Villalobos *p.*1. *tract.* 22. *diffic.*7. *num.*11. Azorius, Bonacina, Filliuccius, Trullench, Castrus Palaus, Coninch locis suprà *n.* 1227. citatis, Suarez *d. num.*16. suprà allegatus, Reginald. *d.lib.*4. *num.*312. Marchinus *d.cap.*11. *num.*15. *&* 16. Oviedus *d.p.*3. *num.*110. & alii apud eundem; & ex Jurisperitis Fortunius *in leg. veluti, num.*37. *ff. de just. & jur.* Corduba à Lara *in leg. si quis à liberis*, §. *si quis ex his*, *num.*74. *ff. de liber. agn. osc.* & Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 95. Ratio est manifesta, tum quia ratio boni, quod est objectum dilectionis, invenitur eminentiùs in parentibus, à quibus accipimus beneficiorum maximum; nam ipsi sunt principium, & causa nostri esse absolutè, & nullum humanum beneficium comparari potest cum vita à parentibus donata: propter quod beneficium parentes sunt Deo similiores, quare ob summam obligationem, quam quisque habet ad parentes, illos appretiativè magis diligere debet, quàm quamlibet aliam personam privatam, & uxorem, & ita in extrema necessitate illos uxori præferre: tum quia intimior, & major est conjunctio filii cum parentibus; nam licèt conjuges fiant una caro, ideo est, quia fiunt unum principium prolis; filius verò habet arctiorem conjunctionem naturalem cum parentibus quoad esse absolutè, cùm ab illis uti principio per se, & proximo naturam, & existentiam acceperit, & sine quibus nunquam fuisset in rerum natura: appretiativè verò debemus magis diligere nobis conjunctiores, & in extrema necessitate illos aliis minùs conjunctis præferre: tum demùm, quia jus parentum est antiquius, quod per superveniens jus uxoris non debet tolli, sed in concursu, ubi utrique juri filius satisfacere non potest, debet prævalere, & impedit effectum juris uxoris. Neque obstat argumentum in contrarium adductum; dicuntur enim conjuges, & sunt una caro quoad actum conjugalem, & mutua obsequia conjugalia, & sic inter eos est major conjunctio, & unio quoad œconomicam rationem, habitationem, & mutuam societatem. Et ita illud Genesis 2. *Quamobrem relinquet homo patrem, &c.* approbatum à Christo *Matth.*19. intelligitur quoad dubitationem, & mutuam societatem, in ordine ad quam relinquendi sunt parentes propter uxorem, quemadmodum interpretati sunt D.Thomas *d. art.*11. *ad* 1. *& sect.* 10. *ad Ephes.*5. & Rupertus; & eodem modo intelligendus est Procopius. Liber verò 3. Esdræ non est canonicus, & ibi non dicitur quid fieri debeat, sed quid frequentiùs fiat; & intelligi etiam rectè potest de faciliori, & intensiori amore, non de appretiativo: nam etsi filius appretiativè teneatur magis diligere parentes quàm uxorem, neque illos in extrema necessitate præferre uxori; tamen potest licitè inclinari, ut tradunt S. Thomas *d.art.*11. Filliuccius, & Trullench *locis citatis*, ad diligendam teneriùs, & vehementiùs uxorem suam, quàm parentes: tum propter mutuam præsentiam, & habitationem; tum propter affectum in ordine ad matrimonium, respectu quorum sunt una, & eadem caro. Advertendum etiam, prædicta de providendo de alimentis, & vitæ necessariis potiùs parentibus, quàm uxori, cùm omnibus extremè egentibus non potest succurri, procedere quando filius de bonis, quæ sua propria sunt, deberet providere; nam si essent penes maritum bona uxoris dotalia, ex eorum fructibus essent in primis alimenta præstanda uxori, ut tradunt Surdus *d. quæst.* 95. *fin.* uxor enim habet speciale jus ad illa bona, quo non debet privari per supervenientem necessitatem parentum mariti.

Porrò

1234 Porrò diai, *In extrema necessitate.* Nam extra extremam necessitatem parentum, uxorem propter specialem curam quæ convenit marito erga uxorem, & propter specialem conjunctionem quoad habitationem, & mutuam societatem, in his quæ ad œconomicam rationem spectant, esse præferendam parentibus, tradunt S.Thomas *d.art.*11. Valentia, Sanchez, Reginald. & Oviedus *locis allegat.* & juxta hoe intelligunt illud Genesis 2. *Propter hoc*, &c.

§. XIII.

Concurrentibus in extrema necessitate alimentorum filio, & uxore, filiusne, an uxor debeat præferri.

1235 DUbium sextum, in extrema necessitate alimentorum filiorum, & uxoris, an filii sint præferendi, si maritus filiis, & uxori non possit simul succurrere? Procedit dubitatio quoad bona ipsius mariti, nam si essent bona dotalia, potius foret jus uxoris, ut *num.*1233.*fin.* notatum est. Uxorem esse filiis præferendam tradunt Layman *loco suprà*, *num.*1232. *cit.* Reginald. *lib.*4. *num.* 213. Villalobos *p.*1. *tract.* 22. *diff.* 7. *num.*1. & ex aliis Theologis *sup. n.*1227. relatis, Coninch *d.disp.*25. *num.*149. & 150. Filliucius *d.cap.*2. *num.*51. Bonac. *d.p.*5. *n.* 2. Trolleuch *d.dub.*5. *num.*21. Castrus Palaus *d.puncto* 10. *n.*13. *fin.* Oviedus *d. puncto* 5. *num.*11. & in hanc sententiam magis inclinat Soarius *d.disp.*9. *sect.*4. *n.*17. licèt addat in his tam exiguam esse inæqualitatem, ut in ordine diligendorum vix unquam sit obligatio ad mortale. Hanc sententiam refert Coninch asseri etiam à Maldero, & Lorca 2. 2. *quæst.*26. *art.* 11. & à Bañez & Caietano *d.quæst.*26 *art.*12. etsi Valent. & Sanch. locis citatis superiùs, *num.*1233. Caietanum citent pro opposita sententia, quam certè absolutè loquendo tenet, cùm in fine glossæ indicet patrem appretiativè magis diligere filium quàm uxorem, dum ait, patrem cæteris paribus majorem tristitiam concipere de morte filii quàm conjugis. Probatur hæc sententia primò, quia uxor quantum ad rationem boni, quod est objectum charitatis, magis diligitur quàm filii, quia amatur tanquam excellentius bonum, scilicet tanquam comprincipium ipsorum filiorum, seu ad ipsorum filiorum procreationem; filius verò ut effectus, excellentiorem enim rationem boni habet comprincipium quàm effectus. Hanc rationem ponit Caietan. *d.art.*12. & ex eo sumpserunt Coninch, & alii ex præallegatis. Secundò quia uxor etiam simpliciter videtur conjunctior quàm filii, propter vinculum matrimonii indissolubile, quo conjuges effecti sunt una caro; quod vinculum, ait Soar. cùm ex duobus faciat quasi unum, inducit magnam obligationem. Tertiò quia, cùm uxor se totam tradiderit viro, videtur illi à marito præcipuam curam, etiam in extrema necessitate, post parentes debitam esse: si verò dicatur, uxorem esse, & amari propter filios, & consequenter filios præ ea esse appretiativè amandos, juxta illud, *Propter quod unumquodque tale, &c.* Respondent Coninch, & Oviedus, primò negando antecedens: nam etsi uxor assumitur præcipuè propter filios, tamen non propter solos filios, sed etiam ad vitæ societatem, & solatium, ut patet in uxore sterili; ac proinde etiam non solùm propter filios, sed & propter se amatur. Secundò negant consequentiam, quia etiam arbor frugifera est, & amatur propter fructus; & tamen magis æstimatur quàm ipsi fructus, quia horum est principium. Si replicetur, arborem non magis æstimari quàm æstimarentur fructus omnes simul sumpti, quos poterit producere, etsi magis æstimetur quàm unus, aut alius fructus; hoc ad summum, respondet Oviedus, poterit convincere, quod uxor non esset præferenda omnibus filiis, qui ex ea nasci possunt; non verò non esse præferendam uni, vel alteri filio. Quod verò dictum est de viro in comparatione ad uxorem, juxta eosdem Doctores, & expressè tradunt Reginald. *d. n.*313. *fin.* ob rationis paritatem intelligendum est etiam de uxore in comparatione ad virum, nimirum hunc in extrema necessitate præferri debere filiis, licèt non parentibus.

Oppositam sententiam, filiósque uxori in extrema necessitate esse præferendos, ex Theologis suprà *n.*1233. relatis, sustinent Valent. *d.*... 5. *cit. vers. Decimò quæritur*, *fin.* Sanchez *d.num.* 26. *fin.* & Marchin. *d.cap* 11. *num.*15. & 16. ubi etiam allegat Beuxonum *in spec. Episc. quæst.*9. *dub.*5. allegat etiam Suarez, sed non rectè: hancque sententiam ego quoque probabiliorem existimo, & ita sentit etiam Cajetan. *d.art.*12. 1236
Probatur ratione quam ibi tradit Caietan. quia filius, absolutè, & simpliciter loquendo, est conjunctior patri quàm sit illi uxor, cùm filius sit aliquid substantiæ, & pars viscerum parentum. Et sic propter hujusmodi conjunctionem intimiorem arctior est obligatio in extrema necessitate subveniendi filiis, sicut & propter eandem conjunctionem intimam naturalem filii à patre magis amantur quàm uxor, non quidem majore amore quoad intensionem (nam ut suprà *num.*1233. notatum est, vir inclinatur ad teneriùs & vehementiùs amandum uxorem, etiam quàm parentes,) sed quoad appretiationem: cujus signum, ut notat Caietan. *d.art.*12.*fin.* est major tristitia de morte filii quàm conjugis; de hoc enim amore appretiativè intelligendus est Caietan. *d. art.*12. dum ait, quantum ad conjunctionem conjuges intensiùs amare filios quàm se invicem, ut ex sequentibus verbis colligitur, quibus reddit talis amoris argumentum, scilicet quia magis tristantur de morte filii, quàm conjugis. Unde Soarius *d. num.*17. contra eundem Caietanum, dicens experientiâ constare magis diligi uxorem, quàm filios, si loquatur de amore appretiativo, non dicit verum. Confirmatur hæc sententia, quia uxor est, & amatur præcipuè propter filios suscipiendos, & sic filii jam suscepti appretiativè magis amantur quàm uxor, quæ præcipuè propter filios assumitur, licèt ex eo, quod vir & uxor sunt unum filiorum principium, & una caro, in ordine ad eorumdem filiorum procreationem magis se invicem honorent: & licèt uxor etiam assumatur ad vitæ societatem, ista tamen unio non præponderat conjunctioni naturali, quâ filii uti aliquid substantiæ illorum, oriuntur parentibus. Nec etiam similitudo arboris est adæquata, cùm arboris fructus longè distent à filiis procreatis, & sic omnes fructus magis æstimantur quàm arbor. Non possumus autem similiter loqui de omnibus filiis, quod ut probetur, detur quod postquam uxor unum filium genuit, efficiatur omnino inepta ad alios procreandos, idque constet: iste unicus filius reputatur omnes fructus arboris. Ergo in extrema necessitate à viro præferri debet uxori. Sed si in hoc casu, cur non etiam quando adsunt jam plures filii, vel uxor potest alios filios generare; cùm semper sit verum, uxorem præcipuè esse propter filios? Argumenta igitur in contrarium adducta solùm conviucunt, & probant extra extremam necessitatem majorem curam habendam esse conjugis, quàm filiorum, sicut & parentum, ut suprà *num.*1234. notatum est; majoremque esse obligationem ad mutua obsequia sibi invicem præstanda, & ad se invicem honorandos, quàm sit ad similia filiis, cæteris paribus, exhibenda.

§. XIV.

In extrema necessitate parentum, & filii, vel patris, & matris, aut patris, vel matris, vel filii, & uxoris, si filius parentibus, vel mater patri, vel uxor parentibus, vel filio præferatur, an sit peccatum mortale, vel veniale tantùm.

1237 EX traditis à *num.*1213. hucusqua, patet in extrema necessitate, in qua omnibus succurri non potest, per se loquendo patrem, & matrem esse præferendos filio; patrem præferendum matri, item parentes esse præferendos uxori, imò etiam filios. An verò inter hos consanguineos ita strictè conjunctione naturali strictos, & inter eosdem & uxorem non servare, seu invertere præfatum ordinem, sit peccatum mortale, vel veniale tantùm, non caret dubio. Non esse peccatum mortale, sed tantùm veniale, tenent plures: & primò loquentes de parentibus, & filio, tenent Rodriquez *p.*1. *cap.*14. *conclus.* 9. & Sayrus *lib.* 7. *clavis*, *citato cap.*5. *num.* 17. *fine*, eo quòd, inquiunt, ob intimam conjunctionem cum parentibus, & filio non sit tanta differentia inter eas obligationes erga parentes, quæ ad mortale peccatum sufficiat. Loquentes de patre, & matre, non esse mortale præferre matrem patri, tradunt Suarez *de charitate, disp.*9. *cit. sect.*4. *num.*8. *fine*, & Oviedus *de charitate, controvers.* 8. *cit. puncto* 5. *num.*109. eo quòd videatur parvus excessus conjunctionis, & minimè sufficiens ad mortale. Loquentes de filiis, & uxore, sive verior sit sententia asserens uxorem esse præferendam, sive opposita, præferre filios uxori, vel è contra, non esse mortale tradunt Soarius *d.sect.*4. *num.*17. & Oviedus *d.puncto* 5. *num.*111. eo quia, ut aiunt, parva sit inæqualitas in ordine diligendorum, ut suprà *num.*1235. juxta eosdem dictum est. Denique loquentes de prædictis omnibus in extrema necessitate constitutis, invertere præfatum ordinem præferendo filium parentibus, matrem patri, uxorem parentibus, & filiis, & è contra, non esse mortale tradunt Joan.Malder. *in* 2. 2. *quæst.*56. *art.*9. *proposit.* 3. *ibid.* Arragon. & Marchin. *de temp. pestis, p.*1. *d.cap.*11. *fin.* Bonacina *disput.*3. *de charitate, quæst.* 4. *puncto* 5. *num.*2. Filliuccius *tract.* 28. *cap.*5. *num.*53. Trulleoch *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 6. *num.*25. Castrus Palaus *p.*1. *tract.*6. *disput.*2. *de charitate, citato puncto* 10. *num.*18. & nonnulli alii apud Marchinum: qui probant, quia inter præfatos consanguineos ita strictè conjunctos non est notabilis, & ita gravis excessus, ut videatur reddere inversionem ordinis præfati culpam mortalem; imò nec satis constet qui in conjunctione excedant, sintque opiniones utrimque probabiles, ut ex traditis hucusque apparet. Et quidem (inquiunt Filliuccius, & Trullench) primò in comparatione patris, & filii magnum est vinculum, cùm pater sit principium filii, & filius aliquid patris. Secundò in comparatione patris, & matris parum interesse videtur inter utramque obligationem; nam etsi ex una parte pater amat stabiliùs, habet curam filiorum, magis laborat pro sustentatione illorum; ex altera tamen mater plus laboravit in pariando, & tenaciùs amat filium. Denique in comparatione parentum, & filiorum, ac uxoris, ex traditis in duobus dubiis præcedentibus patet utrimque esse rationes, & stare Theologos non levis authoritatis.

1238 Verùm prædicta non ita facilè admitto. Et quidem suppositis opinionibus hinc inde probabilibus hucusque explicatis, si in extrema necessitate quis inverterit præfatum ordinem à me assignatum, innixus opinioni probabili à me non approbatæ, & sic ea fretus filium patri, vel uxorem parentibus, vel filiis prætulerit, nullum erit peccatum, nec mortale, nec veniale, quia operans juxta opinionem probabilem, tutâ conscientiâ operatur: nec in his casibus ratio damni tertii evitandi cogit sequi magis unam quàm contrariam sententiam. At verò supposito, quod attenta obligatione proveniente ex jure naturali, & pietate, atque charitate, præfatus ordo servari debeat, & patri competat jus naturale obligans filium ad illum in extrema necessitate præferendum matri, & filiis propriis & uxori, sive excessus conjunctionis sit exiguus, sive notabilis, non video cur invertere ordinem, & patre deserto, ut pereat, succurrere matri, vel filio, aut uxori, non contineat peccatum mortale, cùm versemur in materia magni momenti, cujusmodi est patrem privare jure quod habet, ut in extrema necessitate in concursu cujuscumque privatæ personæ præferri debeat, ejusque vita conservetur. Quare in hac re ad constituendam culpam mortalem, vel venialem, non est attendendum, an excessus conjunctionis sit parvus, vel notabilis, sed solùm attenditur potius jus, seu obligatio prælationis in extrema necessitate, proveniens ex majori conjunctione, esto non notabiliter excedat; nam cùm istud jus, seu obligatio sit de re gravi, utpote de conservanda vita, quæ alioqui omisso succursu in extrema necessitate periret, illius violatio non potest non esse mortalis culpa, prout etiam sentit expressè Regimaldus *lib.*4. *num.*310. *fin.* licèt non ita clarè rem declaret; & puto etiam ita sentire Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disput.* 3. *quæst.* 4. *puncto* 5. & Azorium *p.*2. *lib.* 2. *allegato quæsito* 28. Prosequamur reliqua.

§. XV.

Concurrentibus in extrema necessitate filiis legitimis, & naturalibus cum filiis illegitimis, vel naturalibus cum spuriis, vel illegitimo & naturali, aut. illegitimo cum adoptivo, quis præferri debeat.

DUbium septimum, in concursu filiorum legitimorum & naturalium, & illegitimorum tam naturalium, quàm spuriorum in extrema necessitate existentium, si pater omnibus non possit præbere alimenta necessaria, quibus potiùs debeat. Respondetur ex tradita suprà *num.*571. filios legitimos, & naturales, cæteris paribus, omnibus illegitimis præferri debere, ob rationem ibidem adductam, scilicet ob arctiorem obligationem erga filios legitimos, & naturales, orientem tum ex ipsa generatione, tum ex ipso matrimonio. Quod si filii naturales in extrema necessitate concurrant cum spuriis, & omnibus pater non possit subvenire, ei liberum erit, cæteris paribus, subvenire cui maluerit, cùm nulla appareat ratio ob quam potiùs naturalibus quàm spuriis teneatur eo casu succurrere. Nam omnes tenetur alere solùm ex vi generationis, seu ex obligatione, quæ oritur ex ipsa generatione. Item si duo filii legitimi, & naturales in extrema alimentorum necessitate sint constituti, & pater uni tantùm succurrere possit, cui voluerit poterit subvenire; nam cæteris paribus, nullam majorem obligationem habet erga unum quàm alterum filium. Filio autem legitimo & naturali, & filio adoptivo extraneo in eadem extrema alimentorum necessitate concurrentibus, cæteris paribus, pater debet legitimo, & naturali subvenire, quia arctior est conjunctio, & obligatio naturalis proveniens ex generatione, & vinculo matrimonii, quàm sit legalis conjunctio, & obligatio ex solo jure 1239

civili

civili ortum habens; & concurrentibus causa naturali, & civili, prævalet naturalis, uti potentior, *l.fin. C.de his qui veniam ætatis impetr.* & notatum est suprà *num.*145. Præterquam quod probabile valde est, obligationem alendi filium adoptivum extraneum, spectare ad patrem naturalem, non ad adoptivum, juxta latè tradita suprà *num.*146. *& tribus seqq.* Quin etiam in concursu filii illegitimi, sive naturalis, sive spurii cum filio adoptivo in extrema necessitate, si uni eorum tantùm possit subveniri, cæteris paribus, pater succurrere potiùs debet illegitimo, quàm adoptivo ob adductam rationem, quod causa naturalis in concursu cum legali prævalet. Dixi semper *in extrema necessitate concurrentibus*; nam si alter filiorum existat in extrema necessitate, alter tantùm in gravi, cùm necessitas non sit æqualis, erit succurrendum ei qui extrema necessitate laborat.

§. XVI.

Concurrentibus in extrema necessitate alimentorum avo paterno, vel materno, aut avia paterna, vel materna cum fratre utrimque, vel ex parte patris conjuncto, cui potiùs subveniendum.

1240 DUbium octavum, an in extrema necessitate alimentorum, concurrentibus avo paterno, & fratre utrinque, vel ex parte patris conjuncto, quis debeat subvenire potiùs avo, quàm fratri, si utrique non potest. Respondetur, cæteris paribus, subveniendum avo, & ita prorsus sentiunt Doctores suprà *num.*1229. relati; & ad id faciunt ibi tradita. Sed & probatur ex traditis suprà *num.*281. *&* 295. scilicet quod avus, & cæteri ascendentes per lineam rectam masculinam habentur loco parentum, & patrem ipsum repræsentant, sicut & ipsi nepotes filiorum nomine continentur; & sicut censentur, & sunt aliquid substantiæ patris, ipsum repræsentantes, ita etiam avi paterni; & sicut pater conservatur in filio, ita & avus paternus. Quapropter etiam avus paternus post patrem in subsidium ob defectum patris ante omnes alios consanguineos tenetur alere nepotes, tam jure naturali, quam civili, ut numeris suprà allegatis probatum est. Ex quibus patet, in extrema necessitate avum paternum, sicut & patrem, præferendum esse fratri: id quod etiam magis confirmatur infrà post numerum sequentem. Extra autem extremam necessitatem, si frater sit sub cura fratris, providendum erit priùs fratri; secus si non sit sub illius cura, & avus paternus, & frater sint in æquali necessitate.

1241 Quod autem dictum est de prælatione avi paterni, dicendum etiam est de avo materno concurrente in extrema necessitate alimentorum cum fratre, si cætera sint paria; quia etiam avus maternus venit appellatione matris, ut suprà *num.*338. notatum est. Et ipse in defectum matris, & patris, & aliorum ascendentium per lineam masculinam, tenetur jure naturali & civili alere nepotes inopes, ut *eodem num.*338. probatum est.

1242 Idem etiam dicendum de avia paterna, vel materna, existente in extrema necessitate alimentorum, in qua & frater reperiatur; avia enim, cæteris paribus, præferri debet, quia utraque avia venit appellatione parentis, & avia paterna succedit loco patris, & materna loco matris quoad obligationem ministrandi alimenta nepotibus egenis, deficientibus aliis ascendentibus, vel descendentibus, vel iisdem existentibus inhabilibus ad præfata alimenta exhibenda, ut constat ex traditis *dictis numeris* 281. 295. *&* 338. Confirmantur omnia prædicta de prælatione avi paterni, materni, & aviæ paternæ, & maternæ concurrentium in extrema necessitate cum fratre, quia certum est, nepotem divitem jure naturali, & civili, ob specialem sanguinis conjunctionem teneri avo, & aviæ utriusque lineæ egentibus, & aliunde non habentibus præstare alimenta, ut clarè constat *ex l.si quis à liberis, §.utrum autem, ff. de liberis agnoscendis*, & ex traditis suprà *num.*281. Non est autem ita certum, fratrem divitem, ut fratrem, & ratione solius conjunctionis sanguinis teneri alere fratrem inopem, sive utrimque, sive altero tantùm parente conjunctum, cùm aliqui id negaverint, ut constat ex traditis suprà *num.*490. 491. 494. *&* 496. Ergo major obligatio est alendi avum, vel aviam, quàm fratrem, cùm illa sit omnino certa, & indubitata, non ita hæc: ergo etiam in extrema necessitate quis tenetur potiùs alere avum, vel aviam, quàm fratrem, quia obligatio certa debet prævalere minùs certæ.

§. XVII.

Concurrentibus in extrema necessitate fratre, & sorore, vel fratre, & patruo, vel duobus consanguineis transversalibus ultra secundum gradum, cui potiùs debeamus subvenire.

DUbium nonum, cùm suprà à *num.*490. *ad* 528. probatum sit, fratrem divitem ut fratrem, & sororem ut sororem, aliis sanguine magis conjunctis deficientibus, vel ob inopiam inhabilibus, teneri alere fratres, & sorores pauperes aliunde non habentes; & *num.* 580. *& duobus sequentibus*, conclusum etiam sit, aliis consanguineis proximioribus deficientibus, vel ob paupertatem impotentibus, patruum teneri alere sobrinum, & sobrinam, seu nepotem, & neptem ex fratre pauperes, & è contra, quæritur quis ordo inter hos erit servandus, quando plures reperiuntur in eadem necessitate gravi, vel extrema alimentorum, & uni tantùm potest subveniri. 1243

Extra extremam necessitatem, si frater, & soror concurrant, & frater dives juxta facultates non possit utrique subvenire, sororem esse præferendam dictum est hoc capite suprà, *num.*511. per rationem *ibi, & num.*492. assignatam. Et sic etiam ob eandem rationem concurrentibus sobrino, & sobrina indigentibus extra extremam necessitatem, patruus debet subvenire sobrinæ potiùs quàm sobrino. 1244

In extrema necessitate fratris, aut sororis utrinque conjunctorum, & fratris, aut sororis ex una parte tantùm, præsertim tantùm ex parte matris, videtur fratres teneri potiùs subvenire fratri, vel sorori utrinque conjunctis; nam duplex vinculum debet prævalere unico vinculo. Si eodem modo sint conjuncti, & cætera sint paria, liberum erit subvenire cui maluerit, quando utrique non potest. Quid verò si in extrema necessitate concurrerent frater conjunctus solùm ex parte patris, & frater conjunctus solùm ex parte matris? Videtur potiùs subveniendum conjuncto ex parte patris, quia hoc vinculum est excellentius. 1245

Concurrentibus in extrema necessitate fratre, & patruo, si utrique non potest subveniri, & cætera sint paria, subveniendum est fratri, utpote propinquiori quoad conjunctionem sanguinis.

Et licèt consanguineos transversales ultra secundum gradum pauperes quis dives jure naturali, aut civili non teneatur obligatione speciali alere, illisve in necessitate subvenire, sed solùm generali obligatione juris naturalis, & charitatis, qua tenemur proximum diligere, & illi in necessitate, præsertim extrema, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus succurrere, si possumus: nihilominus inter eosdem 1246

consanguineos, si duo diversimodè conjuncti reperiantur in extrema necessitate, & utrique quis non possit subvenire, juxta ordinem charitatis, cæteris paribus, debet subvenire sibi conjuncto propinquiori, seu proximiori gradu conjuncto, ut est communis sententia Theologorum: & ita S.Thomas, & alii Theologi suprà *num.*1227. & 1230. allegati *locis ibidem citatis.*

§. XVIII.

Concurrentibus in extrema necessitate consanguineis ascendentibus, vel descendentibus ultra secundum gradum, vel consanguineo transversali in primo & secundo gradu, vel ultra secundum gradum cum amico, vel benefactore, quis sit præferendus.

1247 Controvertitur, si cum fratre & ulteriori consanguineo transversali in extrema necessitate existente concurrat insignis amicus, aut benefactor, & utrique non possit subveniri, an sit subveniendum fratri, vel alteri consanguineo, an verò possit fratri, & consanguineo præferri amicus, aut benefactor. Bañes *in* 2.2. *quæst.*26. *art.*8. & post eum Turrianus *ibid. disp.*8. *dub.*2. & Layman loco suprà *num.*1224. citato, postquam docuerunt, patrem, matrem, filios, & uxorem præferendos esse insigni amico, & benefactori, juxta tradita suprà *d. num.*1224. & 1225. addunt, remotiores consanguineos necessariò præferendos non esse insigni amico, aut benefactori, præsertim si consanguineus parum sit de nobis benè meritus; quia erga tales consanguineos remotiores, & non valde propinquos non sit tanta obligatio. Insuper tradunt, singularem valdè amicum, & benefactorem in æquali necessitate præferendum esse consanguineo in tertio & quarto gradu; quia erga hos non habemus specialem obligationem, saltem notabilem: insigni autem benefactori graviter obligamur. Quam doctrinam omninò puto veram quoad consanguineos transversales in tertio, & quarto gradu, quos egenos speciali obligatione juris naturalis, vel civilis non tenemur alere plusquam alios extraneos egenos, ut numero præcedenti notatum est. Quo verò ad consanguineos ascendentes, & descendentes per lineam rectam, cùm speciali obligatione juris civilis, & etiam naturalis, in quo jus civile fundatur, eos pauperes teneamur alere, ut constat *ex l. si quis à liberis, §. sin autem, ff. de liberis agnoscendis*, & ex traditis *suprà num.*281. videntur omninò præferendi amico etiam benefactori, erga quem sola obligatione mortali, sive antidorali tenemur. Tertiò idem Bañes *loco citato*, cui adhærent ex Theologis suprà *n.*1224. relatis, Reginaldus *d. lib.*4. *n.*308. Coninch *d. disp.*27. *n.*156. & Oviedus *d. puncto* 5. *n.*127. ait eum qui cum propriæ vitæ periculo à morte nos liberasset, aut gravi suo detrimento in extrema necessitate opem nobis tulisset, præferendum esse etiam fratri, quia hic benefactor sit veluti alter pater. Quod si quis à morte liberasset absque periculo, & sine gravi detrimento in necessitate opem tulisset, tunc Reginaldus ait in extrema necessitate huic liberatori fratrem eadem extrema necessitate laborantem, ob arctissimam sanguinis conjunctionem posse præferri, cùm obligatio gratitudinis, inquit, non sit de se tanta, ut non satisfacere ei censeatur mortale ex suo genere; cæteris verò consanguineis in gradu remotioribus, ait idem Reginaldus, præfatum liberatorem absque periculo propter beneficii magnitudinem videri præferendum. Quæ omnia sunt satis probabilia, quanvis supposito quod frater dives, ut frater obligatione juris naturalis stricta, & ex dispositione juris civilis in conscientia obligantis teneatur in subsidium alere fratrem pauperem, ut probatum est suprà *à num.*490. videtur in extrema necessitate præferendus cuicunque benefactori, ex eo quod obligatio naturalis vera, & juris civilis in conscientia ligans, prævaleat obligationi gratitudinis, quæ de se non obligat in conscientia, sed inducit tantùm debitum morale, & honestatis.

Denique Lorca 2.2. *q.*22. *art.*9. *n.*4. prout illum referunt Coninch *d. disp.*25. *n.*127. Oviedus *d. puncto* 5. 1248
*citato num.*123. asserit posse contingere, ut in extrema necessitate fratres absque peccato postponantur amico, & benefactori, quamvis non liberatori à morte, addens rarò peccatum mortale fore fratres amico, & benefactori postponere, juxta illud *Proverb.*18. exaratum: *Vir amabilis ad societatem magis amicus erit, quàm frater.* Et hoc idem improbabile non esse dicit Oviedus *num.*124. si sit insignis amicus, aut benefactor in extrema necessitate cum fratre concurrens. At meritò sententiam Lorcæ reprobant Coninch *d. disp.*25. *num.*157. & *duobus seqq.* & Castrus Palaus *tom.*1. *tract.*6. *disp.*1. *de charitate, puncto* 10. *num.*11. asserentes esse peccatum mortale in extrema necessitate præferre amicum & benefactorem fratri, nisi frater jura fraternitatis violasset, juxta tradita suprà *num.*1225. vel amicus esset insignissimus benefactor, idque ob rationem sæpiùs adductam, quod nobis conjunctiores sunt magis diligendi, & in æquali necessitate aliis minùs conjunctis præferendi: quæ obligatio præ cæteris amandi, & præferendi est gravis & magna, ubi singularis & magna est præ cæteris conjunctio: conjunctio autem fraternitatis est singularis, magna, & valde stricta, ac proinde illi prævalere non debet conjunctio solius amicitiæ, & consequenter in gravi, & extrema necessitate frater non potest postponi amico intuitu solius amicitiæ. Confirmant Coninch, & Palaus, quia ad exagerandam alicujus amicitiam utimur comparatione fraternæ dilectionis, affirmantes illos se amare ac si fratres essent: fratres ergo amicis per se loquendo debent necessariò præferri. Illud verò Proverbiorum non obstat; nam ibi tantùm significatur, societate, & familiari usu amico nos sæpe magis delectari, ejusque consiliis magis uti, quàm fratris, ut indicat S.Thomas *d. art.*8. *ad* 1. vel significat, interdum amicum esse nobis fideliorem, & utiliorem fratre: ex quo non sequitur, in necessitate fratri præferendum esse, ut advertit etiam S.Thomas *loco citato.*

§. XIX.

Concurrentibus in extrema necessitate consanguineis transversalibus cum extraneis nostræ curæ commissis, qui debeant, vel possint præferri; & quid si extranei sint sanctiores sanguine conjunctis.

Utrum verò in extrema necessitate alimentorum, 1249
cùm omnibus subvenire non possumus, extraneos nostræ curæ commissos possimus licitè præferre consanguineis præfatis transversalibus, Coninch *d. disp.*25. *num.*151. dicit primò, eos absolutè posse præferri consanguineis extra primum gradum nobis conjunctis, eo quòd non sit tanta obligatio, ut tradit etiam Lorca 2.2. *quæst.*26. *art.*8. *num.*4. tales consanguineos aliis præferendi, quin ob alias causas hic ordo mutari non possit. Dicit secundò, nos posse extraneis, vel etiam nobis conjunctis nostræ curæ commissis præferre nobis conjunctiores illis; quia eorum curam suscipiendo non censemur nos voluisse obligare, ut in tali casu nobis sanguine conjunctos, aut conjunctiores deseramus in extrema necessitate

cessitate, nec ipsi à nobis potuerunt exigere. De honestate verò qui sint præferendi, ait primò pendere ex variis circumstantiis: deinde addit, sanguine conjunctos in secundo gradu videri præferendos omninò extraneis nostræ curæ commissis, nisi ad horum custodiam stipendio essemus conducti. Ego, supposito quod non solùm ex generali obligatione charitatis, sed etiam ex speciali dispositione juris civilis, & æquitate naturali teneamur in subsidium alere etiam fobrinos, seu conjunctos in secundo gradu inopes, & aliunde non habentes unde vitæ necessaria sibi ministrent, ut suprà hoc opere, *num.* 580. *& seqq.* probatum est, existimo absolutè ob hanc specialem obligationem in extrema necessitate conjunctos in secundo gradu esse præferendos extraneis nostræ curæ commissis, etiam accepto stipendio pro custodia, dummodo in eadem extrema necessitate penes nos nihil reperiatur, quod sit eorumdem extraneorum, quo ali possent. Non enim est in nostra potestate eximere nos ab illa juris obligatione erga pauperes sobrinos, illos in subsidium alendi deficientibus proximioribus conjunctis, ad quos alioqui de jure onus alimenta illis pauperibus ministrandi per prius spectat.

1150 Porrò extraneis nostræ curæ minimè commissis, licèt melioribus, & sanctioribus, in æquali necessitate, præsertim extrema, non solùm in temporalibus vitæ corporali necessariis, sed etiam in spiritualibus, cæteris paribus esse præferendos sanguine conjunctos, etsi minùs sanctos, & etiam peccatores, tradunt communiter Doctores, S. Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 7. ibidem Bannes, Malderus, Turrianus, & ex Theologia suprà *num.* 1130. relatis, Valentia *d. p.* 5. *versic. Parrò ex hac doctrina*, Suarez *d. sect.* 4. *n.* 19. *& duobus seqq.* Coninch *d. disp.* 25. *n.* 140. Castrus Palaus *d. puncto* 10. *n.* 9. Oviedus *d. p.* 5. *n.* 128. *&* 129. Bonacina *d. p.* 5. *n.* 2. *fine*, Filliucius *d. cap.* 2. *n.* 44. Trullench *d. dub.* 6. *num.* 18. & alii communiter contra Gabrielem *in* 3. *dist.* 29. *art.* 1. *concl.* 7. asserentem sanctiores esse præferendos conjunctioribus personæ amanti, quia illi sunt Deo per charitatem & gratiam sanctificantem magis conjuncti: idem quod Theologi prællegati tradunt etiam Jurisperiti suprà hoc opere, *num.* 113 allegati, ut ibi etiam notavi. Ratio est, quia etsi in sanctioribus propter majorem conjunctionem cum Deo de præsenti reperiatur major diligibilitas ex parte objecti, non tamen ex illa conjunctione cum Deo oritur obligatio diligendi eos actu immediatè ad illos terminato, sed sufficit amare actu terminato expressè tantùm in Deum, quo illum & omnia bona sua universaliter amamus: ex conjunctione autem cum diligente oritur per se obligatio aliquem præ aliis diligendi actu ad ipsum terminato, ut ubi est major conjunctio, etiam major sit obligatio diligendi: ac proinde absolutè loquendo tenemur magis diligere sanguine conjunctiores, quàm sanctiores; & illis possumus juxta ordinem charitatis desiderare ut sint meliores, & sanctiores quàm alii: sicut & id curare possumus, ut etiam tradunt expressè Filliucius, Castrus Palaus, Trullench, Oviedus *locis citatis*, & Azorius *p.* 2. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæst.* 1. *versic. Quartò*: ergo etiam in extrema necessitate, non solùm corporali, sed etiam spirituali, cæteris paribus debemus illos præferre extraneis, aut minùs conjunctis, licèt sanctioribus. Confirmant igitur iidem Doctores, tum quia ex charitate tenemur sanguine conjunctis, quia nobis conjuncti sunt, succurrere (& ego addo conjunctos usque ad secundum gradum inclusivè, quia speciali obligatione juris nos illis egentibus in subsidium tenemur ministrare vitæ sustentandæ necessaria:) sanctitas autem præcisè non inducit hanc obligationem, tum quia charitas naturam perficit; natura autem inclinat amare nobis conjunctos sanguine potiùs quàm meliores, & sanctiores; & ex consequenti sunt in dilectione appretiativa saltem præferendi. Quibus non obstat ratio Gabrielis, quæ tantùm ostendit sanctiores esse objectum majoris diligibilitatis, & sic hîc & nunc ad summum magis esse amandos amore complacentiæ; non autem absolutè, & appretiativè esse magis amandos, quàm nobis sanguine conjunctiores. Dicit tamen Suarez *num.* 20. & post eum Oviedus *n.* 129 fortasse in aliquo casu posse esse excessum sanctitatis, & tantam corruptionem alterius conjuncti, ut meritò possimus præferre sanctiorem conjunctiori; & in hoc sensu dicit intelligi posse nonnullos Patres, qui oppositam sententiam insinuare videntur, præsertim D. Ambrosium *lib.* 1. *de officiis*, *cap.* 30. aientem: *Si omnibus debetur misericordia, tamen justis amplius.* Etsi meliùs addit, D. Ambrosium, & alios Patres intelligendos esse cæteris paribus; secus si cætera non sint paria, ob majorem conjunctionem minùs sancti cum nobis.

§. XX.

Concurrentibus in æquali necessitate extrema alimentorum patre hæretico, aut infideli, & alio fideli, aut sancto, pater hæreticus, & infidelis præferri debet.

Ex quibus à fortiori infertur, quod in æquali necessitate extrema necessariorum vitæ sustentandæ, in qua sint constituti pater hæreticus, aut infidelis, & alius fidelis, vel sanctus, filium, si cætera sint paria, teneri viro fideli, & sancto præferre patrem infidelem, illique alimenta suppeditare, cùm utrique non possit. Quod etiam affirmarunt Legistæ, & Canonistæ communiter, quos latè referunt, & sequuntur Corduba à Lara *in l. si quis à liberis*, §. *etsi impuberes*, *num.* 8. *ff. de liberis agnoscendis*, & Surdus *de alimentis*, *tit.* 1. *quæst.* 96. & notavi suprà *num.* 123. 134. *&* 135. ubi etiam adducuntur rationes id convincentes: & Hostiensis *in Sum. tit. de temp. & qualit. ordin.* 2. *reg.* à Surdo *d. quæst.* 96. *num.* 1. relatus dixit, nullum Doctorem juris positivi posse de hoc rationabiliter dubitare, cùm alimentorum præstatio dependeat à jure naturali primævo, quod est commune omnibus animantibus: & Præpositus loco suprà *d. num.* 134. relato, patri infideli potiùs quàm alteri fideli fore subveniendum à filio, alimentaque vitæ necessaria esse ministranda, probat quatuor rationibus reportatis à Surdo *d. quæst.* 96. quarum prima est, quod pater videtur eadem persona cum filio. Secunda, quia obligatio naturalis tantò major est, quantò naturale vinculum sit majus: in patre autem & filio majus est naturale vinculum, quàm in quocunque alio. Tertia, quia in sustentatione naturæ magis teneor ei cui magis debeo secundùm naturam, & à quo magis dependeo; & talis est pater. Quarta, quia magis teneor illi, cui magis debeo secundùm regulam misericordiæ, & justitiæ, quàm ei cui debeo solùm secundùm regulam misericordiæ: patri autem soli, & non alii tenetur filius secundùm utramque regulam. Non obstat quod pater sit infidelis, vel hæreticus, nam quantumvis infidelis, vel hæreticus, & legum transgressor, pater est, & ei semper debetur reverentia à filio; ut suprà *d. num.* 134. notatum est, & tradunt Doctores ibi, & suprà allegati. Non obstant etiam canon *non satis*, *dist* 86. ubi ex D. Ambrosio *de officiis lib.* 1. *d. cap.* 30. habetur, *quod perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur, ut primùm operetur circa domesticos fidei.* Et caput *in eos, de hæreticis*, illis verbis: *In eos, qui Catholici non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, Episcopi, vel Presbyteri* 1151

nihil.

nihil conferant. Nam hujusmodi dicta intelliguntur extra necessitatem extremam, non i s extrema necessitate, ut notavit etiam Glossa *in d. cap. in eos, initio.* Debent autem prædicta, ut post Cardinalem *in d. can. non satis*, Præpositum *loco citato*, Surdum *d. quæst. 96. fine*, notavi suprà *num. 136.* intelligi non procedere, qoando per hujusmodi alimentorum præstationem pater fieret deterior quoad Deum, & quando sustentatio patris redundaret in damnum Fidei, vel Ecclesiæ: quibus casibus pater infidelis, vel hæteticus non est alendus.

§. XXI.

Concurrentibus in extrema necessitate patre, aut matre, aut filio, aut uxore cum creditore, creditorine priùs subveniendum, aut patri, &c.

1252 SEd qoid dicendom, si pater, aut mater, vel filius, aut uxor reperiatur in extrema necessitate alimentorum, & simili necessitate extrema laboret credirot, ut si ei statim non fiat restitutio ejus quod ei debetur, sit perituru; an tunc, cæteris paribus, debitor selicto creditore possit & debeat subvenire parentibos, uxori, & filio; an verò è contra teneatur succurrere potiùs creditori, quando creditori, & parentibus, &c. non potest subvenire, sed uni eorum tantùm? De hac re tractant Theologi, & Summistæ agentes de causis excusantibus debitorem à restitutione. Ego hîc breviter noto seqnentia dumtaxat.

Primò igitor conveniunt Doctores, ut videre est apod eos, qui infrà citantur, debitorem in extrema necessitate sua, & suorum, vel alterius proximi, cui ex charitate debitor ipse, vel creditor teneatur succurrere, si creditor non egeat, vel non indigeat extremè, & non possit debitor sibi, vel alteri extremè egenti, & perituro, nisi occurratur statim, alio modo subvenire, posse rem alienam, vel alteri debitam impendeodo, vel consum[illegible]o sucurrere sibi, vel aliis in tali necessitate, & excusari à restitutione quamdiu ea necessitas durat. Ratio est, quia in eo casu omnia sunt commonia, saltem quoad usum, ita ut quivis licitè possit occupare, & ex ejus usu sibi & proximo subvenire; ac proinde irrationabiliter invitus erit creditor, si nolit ut debitor sibi, vel alteri extremè indigenti consulat ea re. Ita in specie Sayr. *lib. 10. Clavis, tract. 2. cap. 3. num. 4.* Molina *de justit. lib. 3. disp. 254. initio*, Lessios *de just. lib. 2. cap. 16. n. 2.* & Fagundez *in Decalogum, lib. 7. cap. 25. num. 10.* Imò etiam in gravi necessitate sui, vel suorum, aut proximi, si non in simili necessitate, nec majori sit constitutus creditor, excusari à restitutione durante illa necessitate, videtur communis Doctorum sententia, & testantur Lessius *d. cap. 16. num. 15.* & Layman *lib. 3. tract. 2. cap. 12. num. 1. versic. Deinde*, ubi latè refert Doctores id asserentes; nam etiam in hoc casu creditor esset irrationabiliter invitus, si nollet debitorem in tali casu rem detinere, & illa uti; cùm debitor non teneatur rem restituere alienam cum suo notabili detrimento majori, quàm sit creditoris commodum; & etiam creditor debitori existenti in gravi necessitate ex lege charitatis subvenire teneatur, juxta communem sententiam. Quapropter ob periculum gravis morbi, magnæ famis, ouditatis, casus à proprio statu justè acquisito, & similis afflictionis, aut jacturæ, quam aliter nequit avertere, nisi rem alteri debitam impendendo, potest differri restitutio. cùm hæ dicantur graves necessitates, ut Lessius, & Layman *locis citatis* docent.

1253 Conveniunt etiam Doctores, & est indubitatum, quod si creditor subtractione rei suæ, quam possidebat, constitutus est in extrema necessitate, qui substraxit etiam ad subveniendum sibi extremè egenti, debet illam reddere statim alteri pariter egenti, qui illa extremè egebat, & possidebat: verbi gratiâ Titius in extrema necessitate famis constitutus habet unum panem, si Joannes in eadem extrema necessitate positus panem è manibus Titii eripiat, ut sibi subveniat, iniquè facit, & tenetur panem reddere eidem Titio, etsi ipse sit periturus fame. Quia licèt in extrema necessitate omnia sint communia quoad usum, nihilominus in pari causa melior est conditio primò præoccupantis, & possidentis, præsertim domini; & prætetea subtrahere alicui rem qua ille extremè eget, est perinde ac occidere. Quare eripere tunc illum panem è manibus Titii non solùm est furtum, sed etiam homicidium, & ideo etiam cum jactura, seu periculo propriæ vitæ tenetur Joannes illum tradere Titio. Ita contra Tabienam *verbo Restitutio, quæst. 4.* falsò asserentem non teneri Joannem Titio reddere in hoc casu, Doctores communiter infrà citati, & alii, quos Sayrus *d. cap. 3. num. 5.* refert, & *num. 6.* sequitur: & commonem sententiam illam sequens dicit etiam Lessius *d. cap. 16. num. 12.* qui *num. 13. fine*, addit qood si eodem momento res sit occupata in extrema necessitate à duobus, tunc vel dividenda est, si potest dividi, vel sorte tribuenda.

Quod controvertitur, est an debitor, sive ratione 1254
rei justè acceptæ, v.g. contractu licito, mutuo, commodato, deposito, vel emptione; vel etiam injustè acceptæ, putà per usuras, furtum, rapinam, quando rem non surripuit existenti in extrema illius necessitate, nec per acceptionem tunc constituit dominum in extrema necessitate, qoia tunc ea non egebat, nec erat in proximo periculo egendi illa; an, inquam, si creditor deveniat ad extremam illius rei necessitatem, alioqui periturus, si id quod debetur illi eo casu non restituatur, teneatur debitor sic extremè indigens eidem creditori pariter extremè egenti rei restitutionem facere, quisquis eorum priùs, vel uterque simul in eandem extremam necessitatem inciderit. Resolutivè procedendo

Respondeo, existentibus in extrema necessitate 1255
debitore, & creditore, sive idem creditor priùs, sive posteriùs in eam necessitatem inciderit, & sive res sit justè, vel injustè accepta, seu acquisita, & sive debita in genere, seu in specie, sive non extet eodem tempore necessitatis extremæ utriusque, non teneri debitorem in hoc casu extremæ necessitatis utriusque rem restituere creditori, sed licitè sibi retinere posse ad soam vitam tuendam. Licèt quoad aliquas responsionis partes aliqui contrà sentiant, est nihilominus communis sententia. In primis ita sentire videtur S. Thomas *2. 2. q. 62. art. 5. ad 4.* ita ibidem expressè Caietanus, Bañes, & Salon, Sotus *de just. lib. 4. q. 7. art. 7. ad 4.* P. Navarrus *in man. cap. 17. n. 60. vers. Quintò infertur*, licèt non ita clarè, ac proinde citetur etiam pro opposita sententia. P. Navarrus *de restit. lib. 4. cap. 4. dub. 5. num. 28.* Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 6. puncto 7.* Sayrus *d. cap. 3. n. 5. versic. Secunda opinio*, Lessius *d. cap. 16. num. 13.* Azorius *p. 2. lib. 1. cap. 2. q. 17. & lib. 12. cap. 8. quæst. 6. §. in hac difficultate, & p. 3. lib. 4. cap. 39. diffic. 1. vers. in hac re*, Toletus *lib. 5. sum. cap. 24. num. 8.* & *lib. 9. cap. 39. n. 3.* Filliuccius *tract. 32. cap. 5. num. 144.* Bonacina *de restitut. disp. 1. quæst. ult. p. 1. n. 31.* Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 15. dub. 1. num 6.* Fagundez *in Decal. lib. 7. cap. 23. num. 14.* Layman *lib. 3. tract. 2. cap. 12. num. 2. initio*, & alii recentiores à Sayro, & Fagundez relati. Ratio juxta eosdem Doctores est, quia pro eo tempore extremæ necessitatis quoad usum cessat jus, & potestas dominii jure gentium introducti, ac proinde se res habent ac si divisæ nunquam fuissent, & reductæ ad statum

ſtatum communitatis, & naturalem, in quo omnia erant communia, & fiunt primò occupantis quoad uſum, ita quod dominium rei remaneat tantùm apud priorem quaſi in habitu, & tamen actus ejus impediatur perinde ac ſi non eſſet, maneatque res intra limites juris naturæ; fuerunt enim jure gentium à principio res diviſæ ſub ea conditione, ut pro ſtatu extremæ egentiæ ad priorem ſtatum juris naturæ quoad uſum redirent. Quo jure naturæ attento, poteſt ſibi quiſque conſulere ex re, quam primò occupat, & poſſidet, & ſic modò non obſtante rerum diviſione, qui in eo caſu extremæ neceſſitatis poſſidet rem, non tenetur eam tunc reſtituere domino. Quando igitur debitor præoccupavit rem, licèt forte iniquè, & illicitè à principio acceptionis, ratione poſſeſſionis quam habet, ſi in æquali neceſſitate extrema cum creditore conſtitutus eſt, non tenetur reſtituere, quia in tali neceſſitate melior eſt conditio poſſidentis, ut ſuprà dictum eſt: nec prior dominus poteſt eſſe rationabiliter invitus, quia ſua voluntate non poteſt repugnare pacto, ſeu conditioni illi redibilitatis, qua ab initio introducta fuit rerum diviſio, ſeu res, ſaltem quoad uſum ſpectat, diviſæ fuerunt, ut dictum eſt. Quare etſi quando creditor priùs incidit in extremam neceſſitatem, debitor non reſtituens tunc illi rem peccet, tamen poſtquam & ipſe ad eandem neceſſitatem extremam redactus eſt, adhuc creditore in eadem neceſſitate permanente, non tenetur eidem creditori reſtituere, ſed poteſt ſibi potiùs ſubvenire quàm alteri, quia pro tunc ille articulus neceſſitatis extremæ facit omnia communia, ſaltem quoad uſum, & prævalet conditio poſſidentis. Ita omnes præallegati Doctores.

1255 Ex quibus primò rejicitur ſententia, quam probabilem putavit Azorius *d. cap.39. illo verſic. in hac re*, Scoti, Richardi, Paludani, Gabrielis, Sylveſtri, Angeli, & Joan. Medinæ locis à Sayro & Fagundez ubi ſuprà, & Vaſquez *opere de eleemoſyna, cap.1. dub.9. num.69.* allegatis, aſſerentium ſi creditor priùs, vel uterque in extremam neceſſitatem incidat, debitorem, etiamſi alioqui inde periturus ſit, teneri rem creditori debitam reddere, quæcunque illa ſit, & quomodocunque acquiſita, debitam ſolùm in genere, vel in ſpecie, ſeu numero, quia ſit eadem numero accepta, & ſive uſu conſumptibilis, ſive non; quia, inquiunt, creditor habet duplex jus ad rem, unum antiquum, quo erat illi jam debita; alterum ratione neceſſitatis, & in hoc ſolo eſt æqualis cum debitore, qui hoc unum tantùm jus habet, ac proinde creditor præferri debet, cùm duplex jus vincere debeat unicum jus, & præſertim ſi creditor priùs tempore incidiſſet in extremam neceſſitatem: quo caſu etiam ex hoc capite ratione neceſſitatis habet majus jus, quia qui prior eſt tempore, potior eſt jure, maximè ſtante ex parte creditoris extremè egentis, vel jure dominii, ſi res eadem numero exiet, & nunquam fuerit in debitorem translatum dominium; vel jure proveniente ex debito vero illam extremam neceſſitatem antecedente; cui juri non debet prævalere ſola poſſeſſio debitoris, & eo magis ſi debitor ſemper injuſtè poſſediſſet rem, putà acquiſitam per uſuram, vel furtum. Sed prædictæ rationes non urgent, quia in illo caſu extremæ neceſſitatis omnia fiunt communia quoad uſum, & licèt rem tunc poſſidens antea peccaverit accipiendo, vel non reſtituendo, ſeu retinendo, tunc tamen ceſſat creditoris jus omne quoad uſum, & ideo nulla eſt neceſſitas illum præferendi, ſi debitor poſſidet ſine vi illata eidem creditori tunc exiſtenti in eadem neceſſitate.

1256 Ex iiſdem ſecundò rejicitur ex parte ſententia aliquorum ab Azorio *d. quæſt.6. verſic. Tertia opinio*, relata, affirmans ſi res debita ex contractu, ſit uſu conſumptibilis, ut pecunia per mutuum, cujus dominium tranſivit in debitorem, non teneri debitorem extremè egentem reddere creditori æquè egenti; quia cùm res per contractum facta ſit debitoris, in pari neceſſitate poteſt eam ſibi licitè retinere; ſi verò non ſit uſu conſumptibilis, ut v. g. equus commodato acceptus, cujus dominium manſit penes creditorem, teneri debitorem equum reddere creditori illo extremè egenti ad ſalvandam vitam ab hoſte vincente fugiendo, etiamſi debitor illo extremè indigeat ob eandem cauſam; quia ita retinere equum de dominio creditoris, eſt idem ac denuò illum accipere à creditore extremè egente; & res aliena in pari cauſa & neceſſitate eſt debita ſuo domino. Verùm nec hæc ratio urget; nam tunc ceſſat jus creditoris ſaltem quoad uſum, reducente extrema neceſſitate rem, quatenus ad uſum attinet, ad ſtatum naturæ, juxta quem res eſt primò occupantis, & poſſidentis.

Denique ex iiſdem ex parte rejicitur ſententia Petri Lorca 2.2. *q.38. ſect.3. n.1.* Vaſquez *citato opuſc. de eleemoſyna, cap.5. dub.1. quæſt.70. & duabus ſeqq.* & 1257
Joannis Lugo *de juſtitia diſput.21. ſect.1. num.4.* Qui primò (in quo conveniunt cum communi ſententia) aſſerunt debitorem habentem eandem rem numero alienam ex juſto contractu commodati, mutui, locati, pignoris, in extrema neceſſitate ſui, & creditoris, quivis eorum priùs, vel ſimul uterque in eam inciderit, non teneri rem illam reſtituere creditori, quia durante tempore contractus juſtè poſſidet, juſtéque illius rei uſum habet, cui in tali neceſſitate non debet præferri dominium creditoris; licèt ſecus eſſet ſi tantùm creditor extremè indigeret. Secundò ſi debitor habeat rem alienam numero eandem, cujus dominium nunquam acquiſivit, quia v.g. per uſuram, vel furtum ante ſui, & creditoris extremam neceſſitatem obtinuit, ſi debitor priùs incidit in extremam neceſſitatem, & poſteà ea perſeverante in ſimilem neceſſitatem incidit etiam creditor, aſſerunt hoc caſu debitorem non teneri rem illam creditori reſtituere, quia non obſtante priori dominio creditoris, debitor tunc ratione extremæ neceſſitatis priùs acquiſivit dominium talis rei, quod antea non habebat, cùm in extrema neceſſitate omnia efficiantur communia, ac proinde nil refert quod creditor poſtea in eandem inciderit extremam neceſſitatem: ſi verò creditor priùs, vel ſimul tempore ad extremam neceſſitatem ſimul cum debitore deveniat, affirmant in hoc caſu debitorem teneri rem creditori reſtituere, nec debitori ſuffragari, quod rem poſſideat, quia creditor duplici jure prævalet debitori, ſcilicet quia ſemper habuit dominium rei, quod continuatum ſemper fuit, & ratione neceſſitatis extremæ priùs, vel ſimul contractæ novum jus acquiſivit, & ex parte debitoris ſtat ſola injuſta poſſeſſio: dominium autem rei debet prævalere injuſtæ poſſeſſioni in pari cauſa, ſeu neceſſitate: ergo creditor uti verus dominus debitori debet præferri, nec idem debitor poteſt creditorem in tali extrema neceſſitate conſtitutum privare dominio ſuæ rei, ſicut nec poſſet ab eo auferre rem illam, ſi eam poſſideret, ut ſuprà *num.*1252. dictum eſt. Neque hoc, inquit Vaſquez, eſt inferre ſibi mortem rem illam reſtituendo, quia ob rationem præallegatam illa eſt debita creditori jure naturæ. Veruntamen nec ratio prædicta vim habet contra communem ſententiam; nam creditor in tali circumſtantia extremæ neceſſitatis utriuſque non habet duplex dominium rei ablatæ, ſed dominium pro tunc ſuſpenditur, ſeu ceſſat quoad uſum ſaltem, cùm tunc omnia fiant communia quoad præfatum uſum, ac ſi rerum diviſio nunquam facta fuiſſet, & melior ſit conditio poſſidentis, ſeu ſolùm quis habeat jus neceſſitatis præoccupandi rem, ſi poſſit. Quare cùm debitor præoccupatam

patam rem habeat, licèt ab initio occupationis injustè acceperit, prævalet ista possessio, nec potest creditor per vim illam auferre: sicut nec debitor posset illam auferre à creditore, vel ab alio æquali extremè egente, etiam possidente; quia tunc ex jure naturæ habet jus utendi, & contra justitiam peccaret qui violenter tale jus læderet, juxta tradita *n.* 1252. & per hæc sufficienter rejiciuntur quæ in favorem sententiæ Vasquii multiplicat Joannes Lugo *d. num.* 4.

1258 Prædictis suppositis, ad difficultatem initio *n.* 1252. propositam, non solùm Doctores suprà *num.* 1255. allegati, sed etiam Tabiena loco suprà *num.* 1253. citato, Martinus Ledesma 2. *p.* 4. *quæst.* 18. *art.* 5. Toletus *lib.* 5. *cap.* 24. *num.* 8. *fine*, Carbo *de restit. q.* 80. & Azorius *p.* 2. *lib.* 12. *cap.* 8. *quæst.* 6. *versic. Sed quid si creditor*, & *p.* 3. *lib.* 4. *cap.* 39. *quæsito primo*, *versic. & verò*, existimant patre, vel matre, vel filio, aut uxore debitoris existente in extrema necessitate, in qua etiam sit constitutus creditor, præferendum esse creditorem, illique rem debere restitui: quod etiam æquè ac oppositum probabile putat Sotus loco suprà *num.* 1254. relato, qui fundantur quia ex una parte pater, vel filius, aut uxor non possident rem alienam, in quo sunt æquales creditori: & ex alteræ parte creditor habet majus jus in eandem rem, quia sibi est debita ex justitia: ex quo confirmat Azorius, quia in creditore concurrunt lex justitiæ, & misericordiæ; at verò in patre, matre, vel filio tantùm lex misericordiæ, & pietatis: lex autem justitiæ inducit majorem obligationem quàm lex pietatis. Confirmant prætetea, quia tenemur parentibus, & pauperibus egentibus subvenire solùm ex nostris bonis, non ex alienis; solúmque conceditur jure naturæ usus rei alienæ ad vitam propriam conservandam, non alterius.

1259 Nihilominus alii Doctores magis communiter asserunt, creditori præferendos esse parentes, filios, & uxorem. Ita videtur sentire S. Thomas 2. 2. *quæst.* 31. *ad* 3. *& q.* 62. *art.* 5 *ad* 4. ac expressè ita sentiunt scribentes *in d. art.* 5. Salon *controvers.* 9. & Bañes *dub.* 10. *concl.* 2. Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 8. *puncto unico*, Vasquez *d. dub.* 9. Joannes Lugo *d. sect.* 1. *n.* 5. Ex Theologis suprà *n.* 1254. relatis, Sayrus *d. cap.* 3. *n.* 9. Lessius *d. cap.* 16. *n.* 14. Fagundez *d. cap.* 25. *n.* 17. & *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 30. Toletus *lib.* 7. *cap.* 39. *n.* 4. ubi revocat quod loco numero præcedenti citato dixerat; Trullench *d. dub.* 1. *n.* 7. & Filliuccius *d. num.* 144. *fine*. Ita etiam Bonacina *de charitate disp.* 3. *quæst.* 4. *p.* 5. *num.* 3. Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 1. *p.* 10. *num.* 3. & alii à Sayro, & Fagundez relati. Ratio est, quia parentes, filii, & uxor propter maximam conjunctionem quam habent cum nobis, censentur una, & eadem persona, & una caro nobiscum; & sic illorum necessitas censetur nostra propria, ac proinde sicut in nostra extrema necessitate possumus nobis potiùs quàm creditori subvenire, ita & iisdem personis ita nobis conjunctis ad subveniendum tenemur, pro quibus etiam in tali extrema necessitate possumus rapere è domo divitis necessaria ipsis, sicut & possumus nobis. Confirmatur magis, tum quia cùm in extrema necessitate omnia efficiantur communia, saltem quoad usum, tales consanguinei, & nobis conjuncti in tali necessitate constituti possunt ad sibi subveniendum usurpare rem restitutioni aliàs obnoxiam, adhuc in manu debitoris existentem: ergo & debitor potest illis licitè tradere. Tum quia debitum pietatis erga parentes ita conjunctos, quod est maximè naturale, majus, & antiquius quàm debitum ex particulari justitia proveniens ex rerum divisione, supposita in tali casu extremæ necessitatis cessatione juris gentium, & dominii, & consequenter communitate rerum, cessare facit, seu suspendit obligationem justitiæ restituendi creditori, licèt extrema necessitate laboranti, rem alioqui illi debitam. Ex quibus manet solutum fundamentum prioris sententiæ.

Imò ob dictam rationem, quod pietas erga pa- 1260
rentes, & filios in tali casu extremæ necessitatis obligat, cùm ejus obligatio sit juris naturalis, obligatio verò justitiæ particularis suspendatur, debitorem non solùm posse, sed teneri succurrere parenti, vel filio, & uxori potiùs quàm creditori, affirmant Salon, Vasquez, Sayrus, Fagundez, & alii, esto etiam quod debitor in tali necessitate existens non teneretur sibi succurrere, sed si vellet, posset licitè potiùs creditori subvenire cum periculo suo vitæ, quia posset ex charitate cedere juri suo: at verò supposito quod pro illo casu extremæ necessitatis non obliget justitiæ respectu creditoris, cùm tamen obliget pietas respectu patris, & jus paternum, & obligatio erga filios, & uxorem, cui debitor cedere non potest, teneri illis in tali casu succurrere, relicto creditore, tradunt Salon, Fagundez, & Sayrus; quamvis juxta tradita suprà *hoc capite, dub.* 5. debitor etiam sibi potiùs quàm creditori, cæteris paribus, teneatur subvenire, & vitam suam præferre vitæ creditoris: id quod expressè tradit Vasquez *d. dub.* 9.

Quin etiamsi Sotus, Lopez, Petrus Sotus, Vas- 1261
quez, & alii asserant, fratribus, & aliis consanguineis, & amicis concurrentibus in extrema necessitate cum creditore, debitorem teneri præferre creditorem, illique succurrere potiùs quàm fratribus, &c. eo quòd erga hos conjunctos, sicut erga creditorem, debitor non ita stricto vinculo obligetur; nihilominus fratres, & omnes consanguineos in primo gradu posse, & debere præferre creditori, tradunt Tolatus *d. cap.* 39. Lessius *d. cap.* 16. *num.* 14. Castrus Palaus *loco supra citato*, Bonacina pariter loco allegato, Fagundez *d. cap.* 25. *n.* 17. *&* 18. & Joan. Lugo *d. num.* 5. Fundantur eadem ratione, quia frater censetur alter ego ob intimam sanguinis conjunctionem, & quia eo casu extremæ necessitatis, cùm omnia efficiantur communia, pro tunc cessat obligatio particularis justitiæ, non autem cessat obligatio pietatis, & juris naturalis erga fratres, & alios consanguineos: unde Bonacina ait, absolutè debitorem posse creditori præferre consanguineos. Sayrus etiam, & Fagundez addunt, posse licitè debitorem, concurrentibus in extrema necessitate creditore, & amico insigni, qui vitam servaverit, præferre amicum creditori; cùm cesset in tali casu obligatio justitiæ particularis, efficiente illa necessitate omnia communia, saltem quoad usum, & obligatio gratitudinis, & moralis erga amicum sit naturalis, semper manens, & amicus sit alter ego. Quapropter Fagundez dicit, debitorem non solùm posse licitè, sed teneri fratres, & amicum præferre creditori. Demùm Joan. Lugo *d. num.* 5. extendit etiam, ut debitor cuilibet alii proximo extremè egenti possit licitè succurrere, omisso creditore, additque id quoque alios dixisse, & præsertim Bonacinam *de restitut. disput.* 1. *quæst. ult. p.* 1. *num.* 31. ubi tamen non reperi eum id dicere. Cujus tamen fundamentum est, quod tunc omnia sunt communia quoad usum, & liceat accipere etiam aliena ad subveniendum cuilibet extremè egenti, quando ex propriis bonis non possit illi subveniri. Sed Bonacina, & Lessius locis à Joanne Lugo allegatis loquuntur in casu posito suprà *num.* 1252. scilicet quando debitor, vel sui, aut alius proximus extremè egent, & creditor non laboret extrema egestate; vel debitor, vel sui, aut alius proximus laborant gravi necessitate, in qua tamen non sit constitutus creditor: tunc enim aiunt debitorem posse impendere rem alienam, ut sibi, vel suis, aut proximo in tali necessitate constitutis succurrat, quando alio modo non potest subvenire; quia si jam non retineret,

posset

posset rapere rem alienam ad eisdem subveniendum. In æquali autem necessitate extrema, vel gravi creditoris, & cujusvis alterius proximi omninò extranei innuunt creditorem esse præferendum, & est rationi consonum, cùm tunc non sit ratio specialis conjunctionis, ob quam debeat, vel recta ratio dictet, quod debitor possit alterum extremè egentem præferre creditori pariter extremè egenti; tunc enim res ejusdem creditoris videtur clamare pro ipso. Sed de hac difficultate, & de ordine servando inter proximos, quando plures sunt in extrema necessitate temporali, vel spirituali, & non possumus omnibus succurrere, quis præferri possit, vel debeat, prædicta sufficiant. Plura alia quæ ad præsentem materiam non spectant, sed potiùs ad tractatum de Charitate, videantur apud Theologos *hoc cap. dub. 2. & seq.* allegatos.

Solùm resolvam objectionem quandam, quæ fieri posset contra doctrinam in præcedentibus obiter traditam, scilicet in extrema necessitate licitum esse exponere certo periculo propriam vitam corporalem ob bonum publicum Reipublicæ, seu communitatis: quæ doctrina est communis Theologorum asserentium, quoad bona temporalia hominem privatum teneri magis diligere communitatem, quàm seipsum, ut S. Thomæ 2. 2. *quæst. 26. art. 4. ad 3.* hoc sensu interpretantis illud 1. *ad Cor.* 13. scriptum, *Charitas non quærit quæ sua sunt*; idest communia propriis anteponit. Et ratio est, tum quia bonum communitatis præstantius multùm est quàm privatum. Tum quia sicut pars corporis naturalis ex naturali inclinatione exponit se periculo pro conservatione totius, ut in præcedentibus est explicatum, ita fieri debet in communitate, quæ est quasi corpus quoddam politicum, & civile. Contra hanc doctrinam igitur objicitur, quia si hæc argumenta valent in vita corporali, & bonis temporalibus, videntur etiam valere in spiritualibus, & consequenter homo videtur teneri magis diligere communitatem quàm seipsum, etiam quoad spiritualia, si tenetur quoad temporalia. Verùm respondetur, non esse parem rationem, ut post Valent. notavit Becanus 2. 2. *cap. 19. quæst. 2. num. 13.* Nam homo privatus non pendet à communitate quoad bona spiritualia, tanquam à causa principali, sed à Deo; tametsi pendeat à ministris Ecclesiæ tanquam à causa instrumentali: at quoad temporalia pendet à communitate tanquam à causa principali, & tanquam pars à toto.

Ex quibus, & ex traditis suprà *num.* 1197. patet resolutio illius quæstionis, si Princeps, cui Reipublicæ regimen commissum est, & pater versentur in extrema necessitate corporali, & filius utrique non possit subvenire, sed uni tantùm, an potiùs Principi, quàm parenti debeat succurrere? de qua Fragosus *tom. 1. de Regimine Christ. Reip. in introductione proæmiali, §. 1. num. 36.* & Franc. Maria Pratus *in annot. ad Paschalem de viribus patr. potest. annotat. ad num. 11. vers. ab hoc autem, cap. 3. secundæ partis, §. Hinc & alterum.* Respondendum enim est, si Princeps sit talis, ut ex vita, & regimine ipsius dependeat bonum commune Reipublicæ, quod morte ejusdem principis notabile damnum pateretur, principi potiùs quàm parenti, filius succurrere teneatur, ob illam rationem quod publicum bonum præferri debet privato bono vitæ unius hominis privati, quantumvis conjunctissimi, & etiam propriæ vitæ, ubi agitur de solo bono vitæ propriæ, ut constat ex mox traditis, & ex traditis *cit. n.* 1197. & ita respondent quoque iidem Fragosus, & Pratus, addentes id procedere solùm in casu extremæ necessitatis utriusque, scilicet principis, & patris: nam si princeps non existeret absolutè in extrema necessitate, pater verò extremè egeret, huic potiùs subveniendum esset, ob regulam generalem superiùs hoc capite traditam, & repetitam, quod pater extremè egens præferri debet quibuscumque non extremè egentibus, & etiam extremè egentibus, si agatur solùm de utilitate privata personæ extremè egentis, cùm pater sit principium essendi, & vivendi filio, qui propterea majorem obligationem naturalem erga patrem habet, quàm erga quemcumque alium.

SUMMARIUM
Capitis XXIII.

Referuntur Doctores agentes, an ob necessitatem parentum, & aliorum, quos de jure alere tenetur quis, is ut subveniat necessitati, teneatur abstinere ab ingressu in religionem; & si jam ingressus sit, teneatur religione egredi, si aliud remedium subveniendi non sit, nisi ipse vivat in sæculo, n. 1262.

Triplex est necessitas temporalis, extrema, gravis, & levis, seu communis, & quæ unaquæque sit explicatur, num. 1263.

Necessitas levis parentum, vel filiorum non impedit filium, aut patrem ingredi religionem, nisi fortè probabiliter timeretur superventura extrema, vel gravis, num. 1264.

Si parentes, vel filii habeant unde vivant, quanvis tenuissimè, absque hoc quod mendicent, aut aliis serviant, vel artem aliquam cum indecentia status exerceant, filius vel pater potest licitè ingredi religionem. Item si pater, vel filius cogatur mendicare, &c. sine magna indecentia status illorum, ibid.

Filii artificum possunt liberè ingredi religionem, etiamsi parentes mendicare, aut aliis servire debeant, ibid.

Extrema necessitas parentum quando non impediat filiorum ingressum in religionem, & è contra, n. 1265.

Si filius, vel pater manens in sæculo non habeat spem probabilem, ut possit succurrere parenti, vel filio extremè, vel graviter indigenti, potest licitè transire ad religionem, n. 1266.

Parentibus in extrema necessitate constitutis, quibus filius manens in sæculo potest subvenire, & nulla alia via illis provideri potest, tenetur filius abstinere ab ingressu in religionem, ut parentibus subveniat; numero 1267.

Extenditur etiamsi filius jam vovisset ingredi religionem, n. 1267.

Item extenditur ut novitius teneatur egredi è religione, ut eisdem parentibus succurrat, n. 1269.

Item extenditur etiamsi filius tunc cùm vult ingredi religionem, necessitas extrema non existeret actu, moraliter tamen certò, sive probabiliter timeretur futura, n. 1170.

Item extenditur ad extremam necessitatem avi, & aliorum ascendentium, & nepotum, ac pronepotum, & aliorum descendentium, imò cujusvis proximi, ut scilicet à nepote, vel avo differendus sit ingressus in religionem, & similiter à quovis alio, si aliter non possit tali necessitati avi, vel nepotis, vel proximi subveniri, n. 1271. *& duob. sequentibus.*

Lege charitatis, & misericordiæ homo tenetur cuilibet proximo in extrema necessitate constituto subvenire, si absque notabili difficultate, & jactura gravi rei familiaris potest, n. 1273.

Ut extremæ necessitati alterius succurrat quis, non tenetur mendicare, nec officium aliquod exercere, quo à statu suo cadat, etsi hoc vix possit esse necessarium ob brevitatem extremæ necessitatis, & excellentiam operis pietatis, ibid.

Si sit necessitas gravis, & magna parentum; cui filius manens in sæculo potest subvenire, nullo verò modo poterit, si ingrediatur religionem, an teneatur omit-

tere ingressum durante ea necessitate, ut illis provideat. Negativa sententia, n. 1274. Affirmativa, & communis, n. 1275.

Quæ communis procedit etiam in gravi, & cæterorum ascendentium necessitate, ibid.

Filii jure naturali, & vi quarti præcepti Decalogi de honore parentum tenentur parentibus in gravi necessitate constitutis subvenire, ibid.

In quo consistat honor parentibus debitus, ibid.

Parentes, fratres, sorores, & filios tunc debemus deserere, quando nos retrahunt à bonis operibus, & ad peccatum impellunt, ibid.

Tametsi parentum necessitas non sit actu, & præsens, si tamen probabiliter timetur futura, filius debet differre ingressum in religionem, n. 1276.

Etiamsi filius votum religionis emisisset, sive ante, sive post necessitatem gravem parentum, non tenetur, nec potest ingredi religionem, si parentes ejus ope possunt juvari, & non alio modo, n. 1277.

Prædicta procedunt quando evidenter apparet de gravi necessitate parentum, n. 1278.

Si dubium sit an necessitas sit gravis, & tanta ut obliget filium ad differendum ingressum, filio nullo voto adstricto liberum erit ingredi, vel manere in sæculo, ibid.

Si utrinque sint opiniones probabiles, datur filio electio, ibid.

Si autem ante, vel post necessitatem filius emisisset votum religionis, in præfato dubio an necessitas sit gravis, teneretur votum exequi, vel dispensationem petere, ad quam impetrandam sufficit illa necessitas dubia. Si sint utrinque opiniones, datur filio electio, ibid.

Si filius extra religionem non posset parentibus graviter egentibus subvenire absque extraordinario, & proximo periculo peccandi lethaliter, ita ut aliud remedium vitandi tale periculum nullum sibi sit, nisi vivere in religione, potest, & tenetur desertis parentibus transire ad religionem, n. 1270. & n. 1280.

An, & quando detur tale periculum, ibid.

Ad subveniendum parentibus in extrema necessitate constitutis vix, & ferè impossibile est ut præfatum periculum existat, n. 1280.

In dubio talis periculi parentes non poterunt deseri: si verò utrinque sint opiniones probabiles, datur filio electio, ibid.

Si filii à parentibus in necessitate constitutis provocentur ad malum grave, an sit eis integrum illos deserere, & quando ea de causa possint licitè ingredi religionem. Explicantur plures casus, n. 1281.

Quid quando parentes provocarent directè, vel indirectè ad solum peccatum veniale?

Quibus in casibus filius ob periculum morale peccandi extra religionem, vel ob provocationem ad malum licitè potest desertis parentibus ingredi religionem, si emisisset votum ingrediendi, teneretur ad ingressum, num. 1283.

Quinam Doctores agant de controversia, an filius jam professus teneatur è religione egredi, etiam invitis suis superioribus, ut parentum necessitati extremæ, vel gravi succurrat, &c. n. 1284.

Si filius, neglecta obligatione subveniendi parentibus in extrema, vel gravi necessitate tunc existentibus, emittat professionem in religione, an valida sit professio, num. 1285.

Filius professus non tenetur, nec potest exire è religione ob necessitatem gravem, vel extremam parentum, quando non est spes probabilis, ut possit illis succurrere, num. 1286.

Nec etiam tenetur, nec potest egredi, si manens in religione, aliis viis non prohibitis eisdem parentibus graviter egentibus possit subvenire. Et explicatur n. 1287.

Filius religiosus parentibus graviter egentibus manens in religione tenetur subvenire omnibus modis quibus licitè potest, num. 1288.

Quæ filius professus absque egressu è monasterio possit, & teneatur facere, ut subveniat parentibus gravi necessitate pressis; & quod potest omnia illa, quæ fieri possunt à religioso, salva obedientia, & sui status decentia; & quæ sint hæc, latè explicatur, num. 1288.

Quæ possit facere sine licentia superioris, & eo invito. & quid in dubio, an licentia à Prælato petita sit injustè denegata, ibid.

Potest ex necessariis suo victui subtrahere, ut indigentibus parentibus subveniat, ibid.

Filius religiosus Minorum an possit accipere eleemosynam pecuniæ, ut indigentibus parentibus subveniat, ibid.

Filius professus non tenetur, nec potest licitè absque licentia Prælati egredi è monasterio ad subveniendum parentibus, nisi evidenter constet de eorum necessitate gravi, & præceptum naturale illis subveniendi obligare, n. 1289.

Nec etiam teneretur, aut posset, si extra religionem non posset vivere absque morali proximo periculo salutis animæ, n. 1290.

Neque etiam teneretur, aut posset deserere religionem, ut parentibus indigentibus subveniat, si manens in religione sit valdè utilis Reipublicæ Christianæ, vel toti Ordini, n. 1291.

Quo casu religio teneretur in se suscipere onus filii, & illius parentibus subvenire, ibid.

Ad præfatum effectum subveniendi parentibus indigentibus non potest filius professus religione egredi, nisi priùs petita licentia à suo superiore, n. 1292.

In extrema necessitate parentum, cui non possit subveniri, manente filio professo in Religione, potest & tenetur filius egredi, etiam repugnante Prælato, n. 1293.

Etiam ad subveniendum extraneo extremè egenti religiosus professus invito superiore potest, & tenetur egredi è monasterio, ibid.

Votum non solùm simplex, sed etiam solemne professionis ex natura sua includit conditionem, ut non obliget quoties præcepto alicui naturæ, & divino repugnet, ibid.

Finita extrema necessitate parentum, filius professus egressus è religione tenetur ad eam redire, ibid.

In gravi parentum necessitate, cui tantùm consuli possit per filium professum extra religionem viventem, an teneatur filius egredi, & extra monasterium vivere, ut illis succurrat, quamvis Prælatus licentiam egrediendi denegaverit? Referunt quadruplex sententia, num. 1294. & pluribus sequentibus.

Prima affirmat, si necessitas præcesserit professionem, dummodo fiat sine scandalo, & indecentia notabili status religiosi: negat si subsequuta sit, num. 1294. & 1295.

Secunda absolutè negat, num. 1195. ad 1302. Quæ procedit etiam in religiosis Societatis Jesu, qui sola biennii vota simplicia emisere, num. 1301. fine.

Tertia negat teneri, sed affirmat licitè posse egredi, licentia petita, etsi non obtenta, num. 1302.

Quarta sententia ab authore approbata affirmat absolutè filium professum teneri egredi, & vivere extra monasterium, licèt superioribus invitis, & licentiam exeundi denegantibus, num. 1306.

Obligatio pietatis subveniendi patri, vel filio extremè, vel graviter egenti, etsi non est propriè justitia, strictius tamen obligat quam obligatio justitiæ rigorosa, num. 1294.

Debitor qui donando pecuniam se reddidit impotentem ad solvendum debitum, utrùm propria authori-

tate

tate possit rem donatam iterùm arripere, & donatarius teneatur illam dare, ibid.

Clericus in sacris constitutus qua ratione possit, & teneatur subvenire parentibus gravi necessitate pressis, ibid. & num. 1297.

Filius ex vi obligationis habitualis subveniendi parentibus, si in extremam, vel gravem necessitatem aliquando inciderint, non tenetur se conservare in eo statu in quo possit eisdem parentibus subvenire, si in talem necessitatem fortè inciderint: & explicatur exemplis, num. 1295.

Maritus non tenetur, nec potest deserere uxorem, nec servus dominum, ut subveniat parentibus graviter egentibus, ibid. & n. 1311. in resp. ad 3.

Majorne sit obligatio voti professionis erga Deum, quàm obligatio pietatis erga parentes ad subveniendum illis graviter egentibus, n. 1297.

Per professionem religiosus se tradit in potestatem religionis, seu Prælati, ita ut reputetur mortuus mundo, ibid.

Differentia inter simplicem promissionem rei, votumque simplex religionis, & traditionem rei, ac votum solemne professionis quoad obligationem, ibid. num. 1298. & 1306.

Quidquid ex materia defectu impediret obligationem voti, si tempore ejus emissionis adesses, impedit similiter ejus obligationem postea superveniens, & an id procedat solùm quando ab initio impedit validè votum fieri, non quando solùm licitè, num. 1298.

Quando res præciso vitio melior est, quàm sua contradictoria, ea exequenda est post quodcumque votum, num. 1299.

Pater ratione egestatis potest vendere filium sub ejus potestate existentem, n. 1300.

Filius qui habet parentes gravi necessitate pressos ejus auxilio indigentes, ingrediens religionem, & professionem emittens peccat graviter contra pietatem paternam, n. 1294. & 1301.

Licentia petita, & irrationabiliter, & illicitè negata in materia gravi censetur, seu habetur tanquam concessa, n. 1302.

Necessitas gravis parentum, cui filius religiosus extra monasterium subvenire potest, & non intra, præbet justam causam concedendi licentiam eidem exeundi è monasterio, seu religione, & vivendi in sæculo ad subveniendum tali necessitati, n. 1303.

Eam licentiam cum habitu retento de jure communi potest etiam ad longum tempus dare Prælatus immediatus, vel provincialis, aut generalis, ibid.

Hodie ad longum tempus dat solùm Summus Pontifex, ibid.

Et in universum licèt ut religiosus etiam ad longum tempus vivat extra religionem, habitu retento, ex justa causa, Prælatus religionis de jure communi possit licentiam concedere, hodie tamen ex decreto S. Congregationis solus Summus Pontifex dat, ibid.

Licentiam morandi, seu vivendi in sæculo, dimisso habitu, etiam ad subveniendum gravi necessitati parentum, religioso absolutè Prælatus religionis concedere non potest, sed sola Sedes Apostolica, ibid. & n. 1308. fine.

Filio professo an Prælatus teneatur concedere licentiam vivendi extra religionem, quando id subventioni parentum graviter egentium necessarium est. Datur multiplex responsio, n. 1304. 1305. & 1307.

Ubi filius religiosus à Summo Pontifice obtinuit licentiam vivendi extra religionem ad subveniendum gravi necessitati parentum, Prælatus impediens injustè talis licentiæ exequutionem, graviter peccat, n. 1305. fine.

Votum tam simplex, quàm solemne de natura sua includit conditionem, dummodo res quæ est materia voti, aliquando præcepto alicui naturæ, vel divino non repugnet, n. 1293. & 1306.

Filius religiosus juxta omnes non potest deserere religionem, ut parentum necessitati gravi, etiam manifestæ, & evidenti subveniat, nisi priùs à legitimo superiore licentiam exeundi ad illum finem petierit, n. 1308.

Ea tamen negata, si constet manifestè de tali necessitate gravi, juxta sententiam authoris, & aliorum plurium, tenetur secluso scandalo, aut notabili religionis, seu religiosi status detrimento, aut animæ propriæ periculo exire è religione, ut subveniat iisdem parentibus omni alio auxilio destitutis, ibid. & num. 1310.

Regulariter filius religiosus ut licitè redeat ad sæculum, etiam habitu retento, ad subveniendum gravi parentum necessitati, tenetur petere licentiam à superioribus, & etiam debet obtinuisse, n. 1309.

Quæ diligentia, seu informationes præmittendæ à superioribus religionis antequam talem licentiam vivendi in sæculo causa subveniendi parentibus egenis, religioso concedant, ibid.

Responsio ad fundamenta Doctorum asserentium ob necessitatem gravem parentum, filium professum nunquam teneri deserere religionem, seu observantiam status religiosi, n. 1311.

Filius professus, qui ad sublevandam parentum gravem necessitatem ad sæculum cum vel absque licentia superiorum rediit, finita necessitate debet statim ad monasterium redire, & etiam reassumere habitum religiosum, si illum fuit necesse dimittere ad eum finem, & postea potest cum habitu succurrere; estò etiam à S. Pontifice habuisset facultatem dimittendi, num. 1312.

Monasterium quod successit in bona ingredientis, tenetur ex prædictis bonis subvenire parentibus indigentibus, num. 1313.

Monasterium quando bona fide, & ignorans gravem necessitatem parentum admisit filium illos deserentem ad professionem, non tenetur ex bonis monasterii illos alere, ibid.

Si mala fide, & sciens necessitatem filium ad professionem admiserit, an eosdem parentes graviter indigentes teneatur loco filii alere. Negativa, ibid. Affirmativa, ibid.

Filiis extremè egentibus pater volens religionem ingredi tenetur differre ingressum, ut illis subveniat, n. 1314.

Pater qui in sæculo potest subvenire filiis gravi necessitate pressis, non in religione, ad illis sive sub ejus potestate existentibus, sive emancipatis subveniendum tenetur differre ingressum, n. 1315.

Pater etiam extra gravem illorum necessitatem non potest ingredi religionem, desertis filiis sub ejus potestate, & jure existentibus, si careant necessariis ad sustentationem, & ad piam educationem, nisi ante ingressum sufficienter provideat, n. 1316.

Prædicta procedunt etiamsi pater emisisset votum religionis, num. 1317.

Item tradita de patre respectu filiorum procedunt etiam in cæteris ascendentibus respectu nepotum, & aliorum descendentium, n. 1318.

Filius, vel pater etiam voto castitatis, vel religionis adstrictus, qui nisi dote uxoris, quàm duceret, posset parenti, vel filio graviter egenti subvenire, tenetur tale matrimonium inire, num. 1319.

Finita necessitate, & mortua uxore, teneretur exequi votum Religionis, si tali voto erat ligatus; & si voto castitatis, teneretur ad omnimodam castitatem, & vivente uxore, ad abstinendum ab omnibus venereis actibus non permissis, ibid.

CAPUT XXIII.

Parens, filius, frater an possint licitè ingredi Religionem, si alii ab ipsis alimentandi sint in egestate, seu necessitate alimentorum, & subsidii temporalis; an verò teneantur abstinere ab ingressu, si prævideant se in Religione existentes non posse illis succurrere, possint verò manentes in sæculo.

1262 DE hac materia ex Jurisperitis agunt Navarrus *in sum. cap.*14. *n.*14. *& in com. de regularibus, q.*15. *n.*48.& 49. Corduba à Lara *in l.si quis à liberis, §.item rescriptum, n.*12. Surdus *de alim.tit.*1.*q.*29.*n.*12. August. Barbosa *collect.ad can.*1.*dist.*30. Paschalis *de patria potest.p.*2.*cap.*3. *n.*62. *& duobus seqq.* & alii apud eosdem: ex Summistis Angelus, Sylvester, Rosella, & alii *verbo Religio*, Toletus *lib.*5.*cap.*1. *n.*6. ex Theologis S.Thomas *quodlib.*10. *art.*9. & latè 2.2. *q.*101. *art.*4. *ad* 4. *& quæst.*189. *art.*6. ibidem Caietanus, & alii scribentes, & ex recentioribus Valentia 2. 2. *disp.*7.*q.*1.*p.*2. Azorius *p.*1.*lib.*12.*cap.*1.*quæst.*8.*& p.*2. *lib.*2.*cap.*3.*q.*4.*&* 5. Sayrus *lib.*2. *clavis, cap.*6. Suarez *tom.*3. *de Religione, lib.*5.*cap.*5.*&* 6. Sanchez *in summa, lib.*4.*cap.*20. Lessius *de justitia, lib.*2.*cap.*41.*dub.*3. *n.*34. Megala 2.*part. inst. confess. lib.*2. *cap.*1. *quæst.*3. Reginaldus *lib.*2. *praxis fori pœnit. num.* 11. *& duob. seqq.* Bonacina *de præcept.Decal.disp.*6.*quæst.unica, p.*5. *n.*4. Villalobos *p.*2.*tract.*35. *diffic.*7. *n.*16. *&* 4.*seqq.* Filliuccius *tract.*28.*p.*2. *cap.*1. *num.*8. *& duobus seqq.* Trullench *in Decalogum, lib.*2. *cap.*1. *dub.*23. Fagundez *in Decalogum, lib.*4. *cap.*2. *n.*15. Castrus Palaus *tom.*2.*tract.*16.*disp.*1.*puncto* 7. §.5. Paul.Layman *lib.*4. *tract.*5.*cap.*4. *n.*1.*&* 2. Gordon. *lib.*6.*q.*11.*cap.*4.*n.*11. *versic.Quæres*, & alii apud eosdem, præsertim Azor, Sayrum, Suarez, Sanchez, & Fagundez. Et nonnulli alii recentiores, qui *in sequentibus* alleguntur.

§. I.

Triplex necessitas explicatur.

NOtandum triplicem esse egestatem, seu necessitatem; extremam, gravem, & levem. Extrema 1263
est, in qua quis versatur in probabili, & moraliter certo periculo amittendi vitam corporalem, nisi statim ei subministrentur necessaria pro vitæ sustentatione, ut si quis sit fame, vel frigore moriturus (quia non habet alimenta, & vestimenta necessaria, nec idoneus est etiam mendicando illa sibi quærere) nisi ei brevi subministrentur alimenta, & vestimenta necessaria ad arcendam famem, & frigus; & idem si moriturus esset morbo ob defectum curationis ordinariæ, & facilis. Gravis quatenus ad præsentem materiam spectat, & quam multi ex præallegatis Doctoribus vocant quasi extremam, est quoties parentes, filii, vel fratres non possent sine dedecore necessaria vitæ sibi quærere, v.g. eis necessarium esset mendicare, vel servire aliis cum magno dedecore, juxta conditionem suarum personarum, vel si cogerentur nimium affligi, aut incarcerari propter debita, præsertim cum periculo perpetui carceris, vel deberent vivere in perpetua infirmitate, vel pati multa alia incommoda corporalia, ut longam ægritudinem (licèt fortè non perpetuam) famem, nuditatem, frigus, & similia. Quæ tamen omnia non absolutè tantùm, sed etiam respectivè considerata qualitate personarum pensanda sunt, ut prudens feratur judicium. Ita ferè omnes præallegati Doctores loquentes in necessitate gravi patris, Sayrus *d.cap.*6.*n.*3. Azorius *d q* 5. *initio*, Suarez *d.cap.*5.*num.*13. Navarrus, Palaus, Bonacina, Reginaldus, Layman *locis citatis*, Fagundez *d.cap.*2. *num.*14. & Sanchez *d.cap.*20.*num.*4. *fine*, ubi ex Joan. de Neapoli, D.Antonino, Sylvestro, Corduba, Manuele, & aliis dicit gravem necessitatem dici & esse necessitatem decentiæ status, scilicet si parentes, vel filii nequirent sustentari honorificè juxta statum suum, sed ad sibi prospiciendum cogerentur ad vilia descendere, & ea efficere, quæ in notabilem eorum decentiæ status jacturam cederent, ut artem mechanicam exercere, mendicare, aliis famulari cum notabili status proprii diminutione. Quæ omnia traduntur exempli gratia; nam in universum juxta eosdem Doctores, tunc dicitur, & est necessitas gravis, quando revera omnibus circumstantiis arbitrio prudentis judicatur non levis, sed magna. Necessitas levis juxta eundem Sanchez *ibidem*, post Joannem de Neapoli, D. Antoninum, & Passarellum esset, quando parentes possent vitam transigere, etsi non ita commodè, abundanter, & honorificè. Suarez *d.cap.*5.*num.*3. reputat necessitatem levem quando pater sine obsequio filii potest aliqualiter sustentari; & universaliter levem necessitatem esse eam quam Theologi agentes de eleemosyna vocant communem necessitatem, & dicunt esse eam quam communes, & frequentes patiuntur, seu quam pauperes communiter patiuntur, cuique non possumus succurrere nisi cum magna difficultate, & extraordinaria diligentia. Quam necessitatem communem Suarez *d.cap.*5.*num.*2. magis explicans ait, tunc dici, & esse, quando homini necessarium est parcè, & moderatè vivere, & non solùm superfluis, sed etiam congruis aliquando carere, & statum potiùs minuere

re quàm augere, ut possit vitam transigere; nihilominus adhibita industria & diligentia necessaria, non desunt. De qua necessitate communi videndi sunt Theologi agentes de charitate, & de eleemosyna, Valentia 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 9. *part.*4. idem Suarez *de charitate, disput.* 7. *sect.*1. *num.*4. Coninch *eodem tract. disput.*25.*dub.*8. *num.*112. Castrus Palaus *tom.*1. *tract.*6. *disput.*2. *p.*2. *num.*1. & Vasquez *opusc. de eleemosyna, cap.*1. *dub.*8.*num.*8.

Necessitas levis parentum non impedit filium ingredi Religionem, & è contra.

1264 Difficultas igitur in titulo capitis proposita procedit solùm in casu necessitatis extremæ, & gravis, de qua duplici necessitate extrema, vel gravi parentum, vel filiorum præallegati Doctores pertractant, an obliget filium, & patrem sub mortali, ita ut peccet mortaliter filius, vel pater, si relictis parentibus, vel filiis in tali extrema, vel gravi necessitate, Religionem ingrediatur: necessitatem enim levem, seu communem parentum, vel filiorum præcisè non præstare filio, vel patri impedimentum ingressui in Religionem, in terminis tradunt Sayrus *d. cap.*6. *num.*4. *initio*, Suarez *d.cap.*5. *num.*3. Trullench *d.dub.*23. *num.*1. & Castrus Palaus *d.§.*5. *n.*14. & supponunt omnes alii præallegati; & colligitur apertè ex S.Thoma *d.quæst.*101.*ad* 4. ibi: *Si verò sine eo (scilicet filio) parentes vitam transigere possent, licitum esset ei desertis parentibus Religionem intrare, quia filii non tenentur ad sustentationem parentum, nisi causa necessitatis*: & *d.quæst.*189. *art.*6. *in corp.* ibi: *Si verò non sint (scilicet parentes) in tali necessitate, ut filiorum obsequio multùm indigeant, possunt prætermisso parentum obsequio filii Religionem intrare.* Et similia habet *d.quodlib.*10. *art.*1. Probatur etiam ex Suarez *d.cap.*5. *n.*1. & 3. quia nemo tenetur diligere proximum, quantumvis sibi conjunctum in ordine ad temporalia, vel corporalia bona, plusquam se in spiritualibus, si aliter proximus potest sibi in temporalibus providere. Confirmatur ex eodem Suario, quia in hoc casu non tenetur filius emancipatus, seu habens bona propria in rigore præcepti alere patrem ex propriis bonis, maximè si id non posset facere, nisi privando se æquali commodo, vel honore; & idem est de patre respectu filii necessitatem tantùm communem patientis: ergo uterque multò minùs ad hoc tenetur cum tanto spirituali incommodo. Breviter ergo cùm præceptum alendi filium, sive patrem, sit affirmativum, & obligans solùm ex causa necessitatis, ut *suprà hoc opere, cap.*1. probatum est, hæc necessitas communis, sive patris, sive filii quid leve reputatur in comparatione tanti incommodi, quale est privatio boni perfectionis status Religiosi, seu ut propter illam filius, vel pater sit privandus tanto fructu, qui Religionis ingressu obtineri potest. Dixi, *præcisè, &c.* Nam etsi necessitas de præsenti & actualis sit levis, si tamen provideatur, seu moraliter timeatur, ne pater, vel filius de necessitate levi brevi, seu in proximo sit lapsurus in necessitatem extremam, vel gravem, an etiam tunc differendus sit ingressus in Religionem, ut filius patri, vel filio pater possit prospicere, si sit spes succurrendi, examinatur infra. Quare si parentes habeant unde vivant, quanvis tenuissimè, absque hoc quod mendicent, aut aliis serviant, vel artem aliquam cum dedecore, illorum statu attento, exerceant, etiamsi non ita honorabiliter, & amplè vivere possint sicut vellent, & sicut vivunt alii æqualis conditionis, integrum erit filio Religionem ingredi, cùm talis parentum indigentia censeatur parva, ut dixi, & aiunt Doctores hoc, & præcedenti numero relati. Additque Sayrus id locum habere, etiamsi parentes sint nobilissimi, & alio-

qui fuerint divites: & idem etiam de patre respectu filii, qui eodem modo posset vivere; non enim ob id pater impeditur assumere statum Religiosum. Subdit idem Sayrus, quod etiamsi parentes sublato filio cogerentur mendicare, aut aliis famulari, si hoc non sit cum magna indecentia status eorum, adhuc potest filius liberè ingredi Religionem, & magnam indecentiam ait fore, quando alioqui parentes essent viri honorati, & nobiles, & ob alias conditiones honore digni. Unde concludit, filios artificum posse liberè ingredi Religionem, etiamsi parentes mendicare, aut aliis servire deberent. Quod est valde notandum adversùs quosdam filios rusticorum, vel artificum manualium, qui post assumptum statum religiosum prætendunt se teneri subvenire parentibus pauperibus, etiamsi ipsi parentes mendicando, vel aliis serviendo possint victum sibi sufficientem quærere; & si infirmentur, non desint hospitalia ubi recipiantur, & curentur.

Extrema parentum necessitas quando non impedias filiorum ingressum in Religionem, & è contra.

Stante etiam extrema, vel gravi necessitate parentum, vel filiorum, si adsint alii præter filium, aut patrem, qui possint & velint illis succurrere, vel filius, aut pater ingrediendo Religionem adhuc possit parentibus, & filiis ingredientibus providere, aut cessione bonorum, aut amicorum auxilio, aut donatione, aut quia monasterium sit paratum necessaria pro filio vel patre ingresso parentibus, & filiis egentibus ministrare, vel permissurum ut exercitio alicujus artis, aut facultatis quam calleat, vel aliter filius, aut pater jam factus Religiosus eisdem subveniat, poterit licitè filius, aut pater ingredi Religionem; tunc enim cessat ratio differendi ingressum, cùm ex ingressu non impediatur subventio parentum, vel filiorum: & ita tradunt Doctores præallegati, Sayrus *d.cap.*6. *num.*5. & 6. Sanchez *d.cap.*20. *num.*3. & 10. Suarez *d.cap.*5. *num.*5. August.Barbosa *d. collectaneo, num.* 4. Gordunus *loco citato*, Castrus Palaus *d. §.*5. *num.* 2. & alii recentiores *num.* 1262. relati, & alii Theologi, & Summistæ, quos latè refert loco citato Sayrus. 1265

Si quoque filius, vel pater manens in sæculo subvenire non possit, seù non habeat spem probabilem ut possit extremæ, vel gravi necessitati parentum, vel filiorum subvenire, neuter eorum impeditur Religionem ingredi; frustra enim maneret in sæculo. Ita iidem Doctores, Sayrus, Sanchez, Suarius, August. Barbosa, Castrus Palaus, Gordonus *locis citatis*; & præter cæteros suprà allegatus alii, quos latè refert Sayrus *d. cap.*6. *num.*5. & 6. & Sanchez *d.cap.*10. *num.*3. 1266

Difficultas ergo procedit quando si filius, vel pater ingrediens Religionem non potest ullo modo parentibus, vel filiis egentibus subvenire, nec sit alius qui possit, & velit in tali extrema, vel gravi parentum, aut filiorum necessitate subvenire, ipse verò filius, aut pater manens in sæculo est idoneus, & subvenire potest; an tunc talis necessitas parentum, vel filiorum sub mortali obliget omittere, seu differre Religionis ingressum pro toto tempore quo durat. Et ut res clarè, & distinctè declaretur, priùs explicabitur obligatio filiorum erga parentes, postea obligatio parentum erga filios, deinde obligatio erga fratres, & sobrinos. Sit igitur

§. II.

Explicantur ſpectantia ad caſum neceſſitatis extremæ, & gravis parentum.

PRimum dubium, an ſi pater, aut mater exiſtat in extrema, vel gravi neceſſitate corporali, cui filius manens in ſæculo poteſt ſubvenire, & ſi Religionem ingrediatur, non poterit, neque per ſe, neque per alium, nullusque alius adſit qui in tali neceſſitate poſſit, aut velit illi ſubvenire, teneatur filius ab ingreſſu in Religionem abſtinere, & manere in ſæculo durante tali patris, vel matris neceſſitate, ut illi provideat.

Neceſſitas extrema qua ratione impediat filiorum ingreſſum in Religionem.

1167 CErtum eſt, quod ſi parentes exiſtant in extrema neceſſitate, perituri niſi filius illis ſubveniat, tenetur filius omittere Religionis ingreſſum, ut illis neceſſaria ſuſtentationi vitæ ſubminiſtret tali neceſſitate durante. Ita omnes Juriſperiti, Summiſtæ, & Theologi ſuprà *num.* 1166. relati. Ratio eſt, quia filius non ſolùm ex communi obligatione charitatis adſtringente omnes ad ſubveniendum proximo in extrema neceſſitate conſtituto, cùm id præſtare poſſumus, ſed etiam ex ſpeciali jure naturali, & virtutis pietatis tenetur parentibus quoad corporalia extremè egentibus neceſſaria vitæ ſuſtentandæ ſubminiſtrare, quando poteſt ſibi, & illis miniſtrare; jure enim naturali, & obligatione pietatis, & ex vi quarti præcepti Decalogi de honorando parentes tenetur filius parentibus egentibus, & aliunde non habentibus unde ſuſtentari poſſint, alimenta, & alia vitæ ſuſtentationi neceſſaria miniſtrare, ut ſuprà hoc capite, *num.*6. *& ſeqq.* probatum eſt: quæ obligatio ſpecialis certè maximè in extrema neceſſitate locum habere debet. Cùm ergo ingreſſus in Religionem ſit opus conſilii, debet omitti, ſeu differri, ut ſatisfiat operi de præcepto juris naturalis, & in hoc caſu, etiam quilibet tenetur abſtinere ab ingreſſu Religionis, ut proximo in extrema neceſſitate exiſtenti ſubveniat, quando alius non adeſſet qui poſſet, aut vellet ſubvenire, & alio modo illi ſuccurri nequiret; quia præceptum charitatis tunc obligat, ac proinde ut illi ſatisfiat, opus conſilii omittendum eſt, ſeu differendum: quod infrà *num.* 1172. magis confirmatur. Quare omninò rejicitur ſententia Alexandri de Ales *in* 3. *part. quæſt.* 33. *in* 4. *quæſt.* 1. aſſerentis filio in hoc etiam caſu licere Religionem amplecti, parentum à ſe relictorum cura tota divinæ providentiæ commiſſa, cui eſt cura de omnibus: quam ſententiam expreſsè reprobat S. Thomas 2. 2. *d. quæſt.* 26. *art.*4. *ad* 4. dicens quod qui id faceret, Deum tentaret, curam parentum quæ ipſi eſt de jure naturali demandata, in Deum conjiciens, ab eoque petens ut parentes aleret, quos ipſe alioqui ſuſtentare poſſet, & debet.

1168 Idem dicendum eſt, ſi filius voviſſet jam ingreſſum in Religionem; nam obligatio naturalis providendi parentibus extremè egentibus, antiquior, & fortior eſt obligatione voti, nec voto tolli poteſt; & ſicut votum non valeret, ſeu non obligaret pro tempore indigentiæ, ſi fieret de ingreſſu in Religionem, ſtantibus parentibus in extrema neceſſitate obſequii filii: ita talis neceſſitas voto ſuperveniens ſuſpendit ejuſdem voti obligationem, ſtante tanta rerum mutatione, quæ à principio tempore voti contingens impediret ejus obligationem; unde redditur illicitus ille ingreſſus, qui eſt voti materia. Ita omnes præallegati Doctores, & alii communiter, quos præſertim refert Sanchez *d. cap.*10. *num.*8.

1169 Hinc etiam ſi filius jam eſſet ingreſſus Religionem, & tempore novitiatus parenti ſuperveniret talis extrema neceſſitas obſequii ejoſdem filii, teneretur filius egredi ad illi ſubveniendum; cùm licitè egredi poſſit, & perſeverantia ſit ſolius conſilii, cui præferri debet præceptum naturale ſubveniendi parentibus: ita Navarrus locis ſuprà *d. n.*1162. relatis, Sanchez *d. cap.*10. *num.*7. & cæteri præallegati, & alii quos Sanchez refert. Et tradita tribus præcedentibus numeris magis confirmantur ex traditis infra de obligatione filii omittendi ingreſſum Religionis, ut parentibus gravi neceſſitate laborantibus provideat, qui alioqui remanerent omninò deſtituti. Et prædicta omnia habent locum, etiamſi parentes ſuâ culpâ in talem incidiſſent neceſſitatem, ut in terminis tenet Reginaldus *d. lib.*30. *num.*11. quia non obſtante culpa illa, filius eſt filius, & ſemper jus naturæ illum obligat alere parentem egentem.

1170 Licèt etiam pater non ſit actu conſtitutus in extrema neceſſitate, tunc quando filius vult ingredi in Religionem, vel jam ingreſſus vult profiteri; ſi tamen probabiliter, ſeu moraliter timeretur fore, ut in eam poſtea deveniat, tenebitur adhuc filius abſtinere ab ingreſſu, & profeſſione, ſi ipſo Religionem ingreſſo, vel profeſſo, pater in tali neceſſitate ſit remanſurus deſtitutus; æquiparantur enim neceſſitas præſens, & quæ moraliter timetur, ſeu probabiliter creditur, quatenus ſpectat ad obligationem juris naturalis ſubveniendi parentibus in neceſſitate, ut per Abulenſem *in cap.*8. *Matthæi*, *q.*67. tradunt Suarez *d. cap.*5. *num.*3. Sanchez *d. cap.*20. *num.*5. & Trullench *d. dub.*13. *num.*2. & magis confirmatur ex traditis infrà de obligatione filii abſtinendi ab ingreſſu in Religionem ut ſubveniat neceſſitati gravi parentis, non ſolùm præſenti, ſed & probabiliter, ſeu moraliter certò futuræ: quidquid ſecus Sayrus *d. cap.*6. *num.*2. cum Alenſe, & Rodriguez *in ſum. tom.* 1. *cap.*6. *num.*4. ſentiant, aſſerentes ſolam neceſſitatem præſentem parentum impedire filii ingreſſum in Religionem.

1171 Quamvis etiam Suarez, nullum tamen allegans Doctorem, *d. cap.* 5. *num.* 8. *&* 9. quem ſequitur Trullench *d. dub.* 23. teneat hanc obligationem omittendi, ſeu differendi ingreſſum in Religionem, ut ſubveniatur extremæ alterius neceſſitati, non extendi ad avum, & alios aſcendentes, neque etiam nepotes, vel pronepotes, neque ad fratres, alioſve conſanguineos, præter parentes, ſcilicet patrem, & matrem, & filios, & multò minùs ad proximum extraneum. Ad quod aſſerendum motus fuit primò *d. num.* 8. quia Doctores ſingulariter de parentibus reſpectu filii, & de filio reſpectu parentum loquuntur ex ſpeciali titulo, ſeu obligatione, qua in urgenti neceſſitate tenentur ſuas actiones in ſui adjutorium expendere; non videntur autem obligari reſpectu aliorum conſanguineorum. Secundò *eodem num.*8. & etiam 9. quia probabile ſit ad ſubveniendum proximo etiam conſanguineo in extrema neceſſitate conſtituto, quando bona ultra neceſſaria ad conſervationem vitæ non habet, neminem obligari bona quærere, & procurare, præcipuè ſi ſtudio & diligentia non mediocri quærenda ſunt, ut tradunt plures Theologi agentes de obligatione faciendi eleemoſynam, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.*6. *diſput.* 2. *p.*2. ergo neque etiam eſt obligandus ille quærere, & procurare cum detrimento ſuæ ſpiritualis ſalutis, quale in differendo religionis ſtatu per longum tempus reperitur. Ita Suarez, limitans tamen, & rectè hanc ſuam doctrinam, ut non procedat quando brevi ſpatio, &

per

per brevem & facilem actionem, & occupationem subveniri proximo extremè indigenti potest; hoc enim casu charitas, quæ obligat ad succurrendum non solùm consanguineo, sed etiam cuilibet extraneo extremè egenti, obligat etiam ad differendum pro brevi illo tempore ingressum in religionem, secus verò ad differendum per multum tempus; & ita etiam Trulleneh *d. num. 3. fine.*

1272 Nihilominus ob extremam, imò etiam tantùm gravem necessitatem avi, & aliorum ascendentium omittendum esse Religionis ingressum, in terminis tradunt Sanchez *d. cap. 20. num. 28.* & August. Barbosa *ad decretal. d. collect. ad can. 1. num. 3. fin. dist. 30.* quia avus, & cæteri ascendentes per lineam rectam habentur uti parentes, ut suprà *hoc cap. num. 281. & 295.* notatum est, & repertum *num. 1240.* & sicut jure naturali tenemur patrem, & matrem egentes alere, ita etiam avum, & proavum, & cæteros ascendentes, ut *d. num. 281. & 295.* probatum est, & constat *ex l. si quis à liberis, §. utrum, ff. de liber. agnosc.* & eodem jure naturali etiam tenemur nepotes, & alios ascendentes per lineam rectam egentes alere in subsidium, ut etiam suprà probatum est, & constat *ex d. §. utrum:* & iidem nepotes, & pronepotes reputantur ut filii. Unde etiam ascendentes sunt hæredes necessarii descendentium, & descendentes ipsorum.

1273 Ob extremam quoque necessitatem cujuslibet proximi, cui aliter non possit subveniri, differendum esse ingressum, & etiam post ingressum esse egrediendum, tradunt communiter *num. 1262.* relati, S. Thom. *d. quæst. 101. art. 4.* & ibi Caietan. Navarr. Layman, Lessius *loc. d. num. 1262. citatis*, Valent. *d. p. 2. versic. Secundò certum est*, Sanchez *d. cap. 20. num. 14. init.* Castrus Palaus *d. §. 5. num. 4.* & alii quos Sanchez *loc. cit.* & Sayrus *d. cap. 6. num. 13. versic. cæterùm*, referunt. Ratio est, quia lege charitatis, & misericordiæ, ut suprà *num. 1267.* dictum est, homo tenetur cuilibet proximo in extrema nessitate constituto subvenire, si absque gravi jactura rei familiaris sibi necessariæ, vel absque gravi alia, & notabili difficultate id præstare potest: sed cùm necessitas extrema longo tempore non duret, aliàs proximus non esset in extrema necessitate, seu in proximo vitæ periculo, & consequenter non egeat ad sui remedium diuturna religionis dilatione, sed tantùm brevi, quam omnes Doctores, & ipse Suarez admittunt, constat quod differendo ingressum religionis tantùm ad extremæ necessitati subveniendum, quis absque gravi jactura, & detrimento potest succurrere. Et licèt eo brevi tempore omittatur religionis status, illius fructus compensatur necessitatis extremæ succursu, & tantæ charitatis actu. Igitur necessariò ingressus religionis differendus erit, si commodè, & absque notabili difficultate extremæ necessitati potest subveniri. Nam si ad succurrendum extremæ necessitati proximi necesse esset non solùm differre religionis ingressum, sed & mendicare, vel officium aliquod exercere, quo homo à suo statu caderet, tunc non obligaretur, ut notat Castrus Palaus; rectè tamen addens id nunquam esse necessarium, cùm necessitas extrema citò transeat, & brevi aliquo succursu finiatur, qui licèt fiat humili, & abjecta actione, non detrahit hominis conditioni, nec humiliat operantem, sed potiùs eum exaltat, & commendat, ut sæpè vidimus, eo quòd ob finem ita pium, & Christianum ab omnibus laudabilem assumitur, & exercetur.

§. III.

An, & quando necessitas gravis parentum impediat filios ingredi religionem, ut manentes in sæculo possint illis subvenire.

Controversia igitur tantùm est, an gravis parentum necessitas, prout suprà *num. 1263.* explicata est, obliget sub mortali filium omittere ingressum in religionem, si manens in sæculo potest, seu probabiliter sperat posse illis subvenire; ingrediens verò non poterit, nec alius adsit qui possit, aut velit illis succurrere. Et nonnulli negarunt, filium ob solam parentum necessitatem gravem teneri omittere, vel differre ingressum in religionem. Ita Alensis loco suprà citato, Abulensis *in cap. 8. Matth. quæst. 67.* D. Antoninus *3. part. tit. 13. cap. 2. §. 1. versic. in primo casu.* Pro hac eadem sententia Sayrus *d. cap. 6. num. 3.* allegat Joannem Majorem, Navarrum, & Philiarchum; qui tamen duo posteriores potiùs tenent oppositum. Hanc videtur tenuisse S. Thomas *2. 2. quæst. 26. d. art. 4. ad 3. & 4. d. quodlib. 10. citato art. 9.* cùm iisdem locis dicat, tunc solùm ob parentum necessitatem impediri filium ingredi religionem, quando sine eo, seu ejus obsequio ipsi parentes sustentari non possunt, seu vivere non possunt, vel vitam transigere; secus si possunt aliqualiter sustentari, licèt non honorificè: qui modi loquendi videntur denotare solam necessitatem extremam. Ad hanc sententiam probandam adducuntur dicta S. Scripturæ, & Sanctorum Patrum, de quibus *num. seq.* Item adducitur primò ea ratio, quod extra extremam necessitatem proximi extranei nemo tenetur eidem indigenti non extremè, licèt graviter, succurrere ex necessariis ad decentiam sui status: ergo nec filius parentibus non extremè egentibus succurrere cum detrimento, seu omissione status religiosi, & perfectionis Christianæ, quæ longè superat diminutionem status temporalis, seu politici. Secundò adducitur alia ratio, quod bonum proprium spirituale sit præferendum bono parentum corporali. 1274

Verùm communis sententia est, etiam quando parentes solùm gravi necessitate premuntur, non esse filio licitum ingredi religionem, sed teneri differre ingressum, vel si jam ingressus est, differre professionem, & egredi, ut parentibus subveniat, si illis alio modo succurri nequeat. Ita ex Doctoribus suprà *num. 1262.* relatis Navarrus, Toletus, Lessius, Azorius, Reginaldus, Layman, Villalobos, Bonacina, Filliuccius, Gordonus *locis ibi lem citatis*, Valentia *d. part. 2. versic. Dico secundò*, Suarez *d. cap. 5. num. 11.* Sanchez *d. cap. 20. num. 3. & 4.* Sayrus *d. cap. 6. num. 3. versic. cæterùm*, Megala *d. q. 3. num. 10.* Fagundez *d. cap. 2. num. 15.* Castrus Palaus *d. §. 5. num. 5.* & præter hos Caietanus *2. 2. quæst. 189. num. 6.* Rodriguez *tom. 3. qq. regul. quæst. 13. art. 5.* & *in Summa tom. 2. cap. 6. num. 4.* & cæteri Summistæ, & Theologi, quos Sanchez, Sayrus, Fagundez, & Castrus Palaus referunt, & idem sentiunt Corduba à Lara, Surdus, & Paschalis locis suprà *d. num. 1262.* citatis, quatenus absolutè asserunt, peccare mortaliter filium, qui deserto patre inope, & ejus ope, & alimonia indigente, monasterium ingreditur. Qui etiam ad id adducunt S. Thom. *2. 2. quæst. 86. art. 3. in corp.* ibi: *Ut si filius aliquis offerat Deo id unde habet patrem nutrire, Quod Dominus improbat Matthæi 5.* Et ita sentit expressè idem D. Thomas tum *2. 2. quæst. 189. art. 6. corp.* ubi ait, non licere filio ingredi Religionem, si parentes sint in tali necessitate, ut filiorum obsequio multùm indigeant, nec 1275

commodè per alium, quàm per obsequium filiorum illi subveniri potest. Ubi notandum illud adverbium *Multùm*, quo utitur S. Thomas, & non dicit *Extremè*; qui autem est in gravi necessitate, multùm indiget, nec potest commodè sine filii obsequio sustentari: tum *quodlib*, 3. *art*. 16. ubi ait filium, qui nondum intravit religionem, si videat patrem suum in magna necessitate, cui per alium subveniri non possit, non debere intrare religionem, sed teneri ministrare parentibus; necessitas enim gravis dicitur, & est necessitas magna. Quare quod S. Thomas dixit *d. quodlib*. 10. numero præcedenti in contrarium allegato, scilicet filium non obligari abstinere ab ingressu in religionem, si pater possit sustentari, licèt non honorificè, vel ab ipso locis modò allegatis retractatum est, vel intelligendum de honore excedente statum, ad quem per filios, in quorum educationem magnam partem suarum facultatum expenderunt, cuperent promoveri, ut notat Suarez *d. cap*. 5. *num*. 14. Favet etiam huic sententiæ Canon Concilii Gangrensis relatus *can*. 1. *dist*. 20. anathematizans filios deserentes parentes necessitate oppressos, occasione divini cultus: *Si qui filii* (inquit Canon) *maximè fideles parentes destruerint occasione Dei cultus, hoc justum esse judicantes, & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur, quod fideles sunt, anathema sint*. Favet etiam manifestè textus ille *Matthæi* 15. ubi Christus Dominus acriter reprehendit Pharisæos, quòd contra honorem illis debitum suaderent eroganda parentibus egenis converti in divinum cultum; eadem enim est malitia, si filiorum obsequium parentibus debitum eo indigentibus, religioni impendatur. Ratio autem, qua præter præfatas authoritates præfati Doctores nituntur, est quia in eorum etiam gravi necessitate parentibus filii jure naturæ, & ex speciali obligatione pietatis, & præcepti quarti Decalogi de exhibendo parentibus honorem debitum, tenentur succurrere, & obsequi, scilicet subvenire tum re familiari, tum labore manuum suarum, & industria, & etiam personali servitio; hæc enim omnia comprehendit honor parentibus debitus ob summum beneficium ab eis acceptum, cùm ab ipsis habeamus quod simus in rerum natura. Ad honorem enim parentibus naturaliter debitum spectat eos non contemnere, aut negligere, & consequenter non deserere illos non solùm in extrema, sed nec in gravi necessitate, in qua non nisi miserrimè, & cum maxima afflictione animi, & corporis, nec sine magno detrimento, neque sine humano dedecore sustentari, & vivere possunt; hæc enim omnia ipso naturali lumine cuique innotescunt. Hoc ergo jus, & præceptum naturale impedit executionem operis de consilio, quale est ingressus in religionem, vel assumptio status religiosi per professionem; non enim licitum est propter opera consilii omittere ea quæ sunt de præcepto, præsertim naturali, & divino, sed imò eo ipso quod opera consilii impediunt executionem præcepti, seu obligationis, non consilium, sed peccatum sunt: stante igitur necessitate gravi parentum, non potest filius ingredi religionem, extra quam etiam succurrendo parentibus potest filius opera consilii, & perfectionis exercere, etsi non ita facilè ut in religione; & lucrum spirituale, quod in religione obtinetur, potest compensari exercitio aliarum virtutum, & executioni tanti præcepti. Confirmatur quod filius etiam in gravi eorum necessitate obligetur sub mortali subvenire parentibus, retorquendo primam rationem pro contraria sententia adductam; quia multorum sententia, quam Suarez *d. cap*. 5. *n*. 12. *fine*, appellat valdè piam, & probabilem, etsi contrarium sentiunt magis communiter Doctores, quorum plures suprà *hoc cap. num*. 1175. versus finem allegavi, est teneri unumquemque ex misericordia ad subveniendum in gravi necessitate proximo suo extraneo ex necessariis ad proprium statum, dummodo non cogatur in simili necessitate se constituere: ergo multò magis, & strictiori vinculo tenetur filius, per se loquendo, ad subveniendum parentibus in gravi necessitate constitutis, non solùm ex necessariis ad statum suum, sed etiam laborando, si necesse sit, & honestè quærendo unde illis subveniat. Altera autem ratio pro eadem contraria sententia adducta nil probat, quia non quodcumque bonum spirituale est præponendum corporali alterius, sed quando cætera sunt paria; si enim illud sit sub solo consilio, hoc verò sub præcepto, hoc præferendum est: præterquam quod & manens in sæculo ad subveniendum parentibus in tali necessitate constitutis, potest etiam opera perfectionis, licèt aliquantò difficiliùs, exercere, & exercitio obsequii erga parentes, & aliarum virtutum potest compensari illud detrimentum spirituale, quod filius patitur differendo ingressum in religionem. Neque etiam huic sententiæ obstat illud Christi Domini *Luc*. 14. & *Matth*. 10. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*. Neque illud, quod in Jacobo, & Joanne *Matth*. 5. commendatur, *Relictis retibus, & patre secuti sunt eum*. Neque illud *Matth*. 8. *& Luc*. 9. à Christo Domino dictum adolescenti patrem sepelire volenti, scilicet ut patre deserto eum sequeretur. Neque etiam illud *Deut*. 33. exscriptum: *Qui dixit patri suo, & fratri suo, Nescio vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum*. Non, inquam, obstant præallegata; nam Jacobus, & Joannes non reliquerunt patrem, & matrem in necessitatibus, erant enim satis divites; & etiam adolescens ille non relinquebat patrem in necessitate. Patres autem, sorores, & fratres, & filios, si nos retrahunt à bonis actionibus, & ad peccandum impellunt, quoad hoc tantùm deserere, & odio habere debemus, ut explicat D. Thomas 2. 2. *citata quæst*. 101. *art*. 4. *ad* 1. Prædicta autem de necessitate parentum procedunt etiam in gravi necessitate cæterorum ascendentium, ut notant Sanchez & Barbosa *loco sup. num*. 1272. *citato*, & probant *ibidem* tradita.

Limitant Sayrus, & Rodrig. locis suprà *n*. 1272. 1276
citatis, hanc sententiam ad solam necessitatem præsentem, scilicet quando parentes eam actu patiuntur dum filius vult ingredi religionem, vel jam ingressus vult profiteri; secus quando tantùm probabiliter, seu moraliter timetur fore, ut in eam postea deveniant, moti ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *d. q*. 101. *art*. 2. *ad* 2. ubi hanc differentiam assignat inter obligationem parentum erga filios, & filiorum erga parentes, quod cùm parentes habeant rationem principii, ipsorum est subvenire filiis, non solùm ad horam, sed per totum vitæ curriculum: at filii solùm tenentur ratione instantis necessitatis subvenire parentibus, non autem in longinquum. Verùm rejicienda est hæc limitatio, & extendenda hujusmodi sententia communis etiam ad necessitatem, licèt non actualem, tamen quæ probabiliter, & moraliter timetur fore, ut nec in hoc casu filius licitè possit ingredi religionem, & ingressus teneatur egredi, ut expressè tradunt Suar. Sanch. & Trullench locis suprà præallegato numero 1270. allegatis. Nam etsi filii non teneantur thesaurizare parentibus, quo totam vitam transigant, tenentur tamen illis in extrema, vel gravi, & magna necessitate subvenire, ut probatum est; & talis absque dubio censetur non solùm quæ actu est magna, & gravis, sed etiam quæ probabiliter, seu moraliter certò creditur talis futura; ac proinde obligat filium, ne per ingres-

sum

sum in religionem, vel possessionem se reddat impotentem ad illis succurrendum, quando parentes ad eam devenerint.

1277 Extenditur etiam eadem sententia, ut procedat etiamsi filius votum de ingredienda religione emisisset, adhuc enim ad subveniendum parentibus gravi, & magna necessitate laborantibus teneretur omittere, seu differre ingressum, & si jam esset novitius, teneretur egredi è religione, & manere in sæculo pro eo tempore quo duraret necessitas, & semper manere, si semper duret eadem necessitas, eo voto non obstante, idque sive votum ante necessitatem, sive pòst fuerit emissum. Ita Joan. de Neap. D. Antoninus, Sylvester, Angel. Tabiena, Corduba, Palacios, Pallatellus, Rodrig. à Sanchez *ibid.* Suarez *d. cap. 5. n. 15. & 16.* relati, Azorius, Lessius, Laym. Villalobos *loco alleg.* Fagundez *d. cap. 2. n. 19.* Castr. Palaus *d. §. 5. n. 6.* & alii communiter. Votum enim non potest obligare ad actum præcepto naturali contrarium: quare si votum fuit emissum post gravem parentum necessitatem, non potuit obligare, utpote factum contra præceptum naturale de subveniendo parentibus, & circa rem pro eo tempore illicitam, & iniquam; illicitus enim erat ingressus in religionem durante ea parentum necessitate, ut probatum est, & ideo suspenditur obligatio voti usque ad tempus habile, quo scilicet cesset ea necessitas parentum. Quod si ante eam necessitatem votum fuerat emissum, ingens mutatio ex parte materiæ supervenit, scilicet tanta quanta si datetur ante votum, impediret ejus obligationem, ut constat. Quoties autem in materia voti tanta mutatio facta est quanta si à principio emissionis illius daretur, non obligaret votum ante eam mutationem factam, ea superveniente non obligat, ut est communis sententia in materia voti, & latè probat Sanchez *lib. 4. Sum. cap. 2. n. 23.* de qua re etiam ego *tom. 1. moral. var. tit. 1. §. 45. n. 1661.*

1278 Et prædicta quando certò, & evidenter constat de magna, & gravi necessitate parentum; nam si dubitatur an necessitas sit tanta, ut filium obliget ad illis subveniendum, omisso, vel dilato religionis ingressu, tunc filius qui votum ingressus non emiserit, liber erit ad ingrediendum, si voluerit, cùm in dubio præcepti præceptum non obliget, ut latè explicavi, & probavi *d. tom. 1. mor. var. tit. 1. §. 39.* Ita Sanchez *d. cap. 20. n. 6.* ego ipse *d. tit. 1. § 41. n. 1738. & 1739.* Trullench *d. dub. 23. n. 3.* Fagund. & Castrus Palaus *loco inf. à citato.* Addit Sanch & post eum Trullench, pariter esse filio integrum ingredi religionem quando utrinque sunt rationes ita probabiles, ut meritò possit dici utraque pars opinabilis; tunc enim poterit filius sequi utramvis opinionem, etiam minùs probabilem, ut in aliis rebus opinabilibus evenit, de qua re latè egi *d. tom. 1. mor. var. p. 1.* quamvis quoad praxim in hoc casu consulendum sit filio, ut differat ingressum, vel professionem, ne se exponat periculo transgrediendi præceptum honorandi parentes, & ne patrem, aut matrem egentem in afflictionem & gravem angustiam conjiciat. Si verò ante, vel post necessitatem parentum filius emiserit votum religionis, tunc stante præfato dubio, an necessitas sit tanta, ut licitum ingressum impediret, tunc votum obligare, & teneri filium ingredi religionem, vel petere dispensationem, cùm in tali dubio licitus sit ingressus, ut suprà dictum est, & votum sit certum, & possideat, & obligatio certa non tollatur, vel impediatur obligatione, seu excusatione dubia, tradunt Sanchez *d. cap. 20. n. 9.* Suarez *d. cap. 5. n. 15. & duobus sequent.* Fagund. *d. cap. 1. num. 19.* Trullench *d. dub. 23. num. 5.* & Castrus Palaus *d. §. 5. num. 6.* Præfata tamen dubia necessitas est sufficiens causa ad obtinendam dispensationem voti, vel dilationem exequutionis voti, ut iidem Sanchez, Suarez, Castrus Palaus, & Trullench aiunt. Quod si utrinque fuerit probabilis opinio, an tanta sit necessitas, ut impediat voti exequutionem, dabitur filio electio juxta suprà dicta hoc eodem numero, ut etiam tradunt Sanchez & Trullench, & etiam in hoc casu consulendum est ut eligat partem parentibus favorabiliorem.

§. IV.

Existentibus parentibus in gravi necessitate, si filius extra religionem manere non posset absque extraordinario, & proximo periculo peccandi lethaliter, ita quod religio esset ei unicum remedium evadendi tale peccatum, an tunc illis desertis possit, & teneatur ingredi religionem.

Sed quid si existantibus parentibus in hujusmodi gravi necessitate, filius non posset manere in sæculo absque extraordinario, & proximo periculo salutis animæ, seu peccandi lethaliter, cui non posset occurrere, nisi ingrediendo religionem, non verò aliis modis, an tunc desertis parentibus possit licitè filius ingredi religionem? Joannes Major à Sayro *cit. cap. 6. num. 7.* relatus negavit filium posse licitè ingredi, putans non posse dari hujusmodi casum, quod filius aliis modis manens in sæculo nequeat abstinere à peccato mortali: & etiam Suarez *d. cap. 5. n. 32.* & Castrus Palaus *d. §. 5. n. 7. fine*, aiunt vix esse moraliter possibile, ut solo medio religionis ingressu quis vitare possit peccatum mortale, ut proinde obligetur ad talem ingressum, tanquam ad unicum remedium suæ salutis. 1279

Communis tamen, & vera sententia est, si filius extra religionem non potest vivere absque extraordinario, & proximo periculo peccandi mortaliter, ita quod religio existimetur unicum medium vitandi tale periculum, integrum esse filio desertis parentibus in gravi necessitate, transire ad religionem. Ita S. Thomas 2. 2. *quæst. 101. citato art. 4. in corpore, & ad 3. quodlib. 3. art. 6. & quodlib. 10. art. 9.* Alensis, D. Antoninus, Angelus, Sylvester, Tabiena, Corduba, Passatellus à Sayro, & Sanchez *locis inf. à citatis* relati: ex Doctoribus suprà *num. 1262.* relatis, Sayrus *d. cap. 6. num. 7.* Sanchez *d. cap. 20. num. 11.* Suarez *d. num. 32.* Castrus Palaus *d. num. 7.* Megala *d. quæst. 2. num. 12.* Fagundez *d. cap. 2. n. 21.* Trullench *d. dub. 23. num. 8.* Toletus *d. cap. 1. num. 9.* Lessius, Reginaldus, Villalobos locis *d. num. 1262.* citatis, & alii recentiores. Ratio est evidens, quia ordo charitatis posuit salutem propriam spiritualem anteferri temporali bono cujuscumque, etiam parentum, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæst. 26. & ibi* Scribentes, & dictum est *in præcedentibus*, & tradunt omnes Doctores suprà *num. 1188. & 1189.* relati. Et confirmat illud, *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Utrum verò casus iste, ut moraliter impossibile sit filium posse abstinere à peccatis mortalibus, seu periculum proximum peccandi mortaliter non possit vitare extra religionem, sit possibilis, & in praxi contingere possit, Sayrus *d. num. 7. versic. Secundum*, ait illud dictum Joannis Majoris, quod sit casus impossibilis, esse valdè absurdum, & addit certum esse, posse aliquando ex multis circumstantiis loci, temporis, personæ, & complexionis, propinquorum, occasionis, malorum habituum esse alicui moraliter impossibile vivere in sæculo sine peccato mortali, aut saltem valde difficile. Quod subdit etiam constare experientia ipsa, quia videmus multos in sæculo ferè incorrigibiles, qui tamen in religione facilè corrigun- 1280

tur

tur. Et Megala *d. num.*12. ponit exemplum fœminæ, quæ ex meretricio lucro parentibus diu subvenerat, & adeo erat sensualibus voluptatibus, & illicitis amoribus implicata, ut absque probabili periculo recidivæ probabiliter extra monasterium vitam ducere non posset, cui mulieri propterea idem Megala, cùm sibi casus contigisset, dicit se consilium dedisse, quod non solùm posset, sed deberet parentibus derelictis ad monasterium Convertitarum confugere, alioquin eam absolutionis incapacem existimans. In extrema autem parentum necessitate Sanchez *d. num.*11. ait impossibile esse contingere casum, quo filius non possit subvenire parentibus absque periculo salutis, cùm hujusmodi necessitas brevi duret, ut suprà *num.*1273. est dictum, atque ideo non posse filium deserere parentes in ea constitutos. Quod si verè etiam in extrema necessitate parentum filius non posset ad illis succurrendum manere in sæculo absque illo periculo peccandi mortaliter, certè posset desertis parentibus ad religionem se conferre, ut convincit ratio adducta, & expresè etiam tradit Fagundez *d. num.*21. In dubio quidém an adsit tale periculum, ut ejus fuga sit præcepto subveniendi parentibus egentibus anteferenda, parentes non poterunt deseri, quia certi præcepti, & possidentis obligatio non impeditur excusatione dubia, ut suprà dictum est, & notat etiam Sanchez *loco citato*, addens si utrinque sint rationes, dari filio electionem, juxta pariter suprà dicta.

§. V.

Si parentes gravi necessitate laborantes provocarent, & inducerent ad peccatum grave filios sibi obsequium præstantes, an illis desertis filii possent transire ad religionem; & quid si unus tantùm parens provocaret; & quid si provocarent tantùm ad veniale.

1281 QUid verò si ipsi parentes gravi necessitate pressi provocarent filios ad peccatum, an tunc filii eximerentur ab obligatione illis subveniendi, & eis liceret transitus ad religionem, vel tenerentur transire, si votum religionis emisissent? Respondetur, si parentes ita provocarent filios ad peccatum, ut probabiliter illorum lapsus timeretur, nec sine magna difficultate possent tentationem superare, & peccatum vitare, possent filii, imò tenerentur eos deserere, seu fugere, si nollent à tali provocatione, & inductione desistere. Ita S.Thomas *d.quæst.*101.*art.*4. *ad* 1. *&* 3. *& ibidem* Caietanus, Suarez *d.cap.*5. *n.*20. *& seq.* Sanchez *d.cap.*20. *num.*12. Fagundez *d.cap.*2. *citato num.* 21. Trullench *d. dub.*23. *num.*6. Castrus Palaus *d.*§.5.*num.*8. & alii communiter. Debet enim filius obsequio parentum præferre salutem animæ. Advertunt autem iidem Doctores, quod si filius separatus à parente illum ad malum inducente, manens in sæculo posset illi per mediam personam subvenire absque periculo animæ, non posset ingredi religionem, nisi fortè etiam in religione hoc facere posset; tunc enim cùm cesset periculum lapsus, non cessat obligatio subveniendi parenti. Quod si non obstante provocatione parentis ad malum, filius careret periculo lapsus, quia expertus sit, se non consentire, tunc ait Sanchez, quod licèt filius non teneatur illud fugere, & deserere, potest tamen licitè, si velit, nisi ab illa provocatione, seu inductione desistat; non potest tamen transire ad religionem, si separatus per mediam personam potest subvenire, ut dictum est. Quod si uterque parens gravi necessitate laboret, & alter tantùm provocet filium ad malum, filius si absque periculo peccandi, quia expertus sit se non consentire, potest innocenti obsequi, & succurrere, tenetur facere, ut tradunt Sanchez, & Trullench *locis citatis*, & Palaus *d.*§.5.*num.*9. Nam etsi inductio præstet sufficientem occasionem deserendi parentem inductorem ob ipsius culpam, & quia grave onus est, & speciali Dei auxilio opus sit, ut semper resistatur inductioni; innocens tamen caret culpa, ac proinde cessante periculo lapsus respectu ejusdem innocentis, non cessat obligatio filii. Si verò absque periculo morali peccandi eidem innocenti obsequi, & subvenire non possit filius, utrumque parentem potest, & debet deserere eo modo, quo jam dictum est, posse deserere unicum parentem in necessitate constitutum inductorem ad malum. Non enim tenetur filius cum gravi periculo salutis animæ parenti, etsi innocenti, obsequi, & favere. Ita Sanchez, Trullench, & Paulaus *locis citatis*.

Quod si parentis inductio, sive provocatio esset ad solum peccatum veniale, & esset directa, ut si pater directè inducat filium ad mentiendum, & similia, si eam aliter filius non potest vitare, & abstinere à peccato, tunc etiam filium posse, & debere patrem deserere sub reatu culpæ venialis, tradunt Suarez *d.cap.*5. *num.*28. & Trullench *d. dub.*23. *n.*7. Addentes si inductio ad veniale non est directa, sed ex accidenti, v. g. quia pater egens actionibus suis provocat filium ad impatientiam venialem, vel exemplo ad ludum, & similia, non esse sufficientem causam illum deserendi: in quo aiunt constitui differentiam inter peccata mortalia, & venialia; nam si peccatum est mortale, quacumque ratione pater ad illud provocet, seu inducat, sive exemplo, sive verbo, sive directè, sive indirectè, si de facto est illis moralis occasio peccandi, justa ratione potest, & debet à filio deseri, juxta tradita *num.præced.* 1282

Circa verò tradita suprà *num.* 1280. *&* 1281. advertendum, quod si filius votum religionis, sive ante, sive post necessitatem parentum emisisset, non obinde exemptus esset ab obligatione subveniendi parentibus, nisi eo casu, quo secluso voto posset licitè ingredi religionem, juxta notata iisdem numeris; & in quibus casibus ingressus est licitus, votum illud religionis obligat filium ad illius executionem, ut tradunt Sanchez *d.cap.*20.*num.*13. Suarez *d.cap.*5. *num.*27. & Castrus Palaus *d.*§.5. *n.*10. 1283

Et hucusque de obligatione filii omittendi, seu differendi ingressum in religionem, ut parentum necessitati extremæ, vel gravi subveniat, quando aliter nequit, & manendo in sæculo potest. Sed gravior controversia est, an filius jam professus teneatur è religione egredi etiam invitis suis superioribus, ut eidem parentum necessitati extremæ, aut gravi succurrat: nomine autem extremæ necessitatis, & gravis intelligitur in præsenti ea quæ suprà *num.*1263. explicata est. Et de hac controversia præter alios Summistas, & Theologos suprà *n.*1262. relatos, agunt ex recentioribus ibidem relatis Soarius *d.tom.*3. *de relig. lib.* 6. *cap.*9. Trullench *d. cap.*2. *dub.* 4. Castrus Palaus *d.tom.*2. *tract.* 16. *disput.*2. *p.*2. §.6. & Lauretus de Franchis *de controvers. inter Episcopos, & Regulares, quæst.*105. 1284

Præmittuntur nonnulla certa, & ab omnibus approbata.

PRo hujus controversiæ resolutione primò præmittuntur nonnulla certa, & ab omnibus admissa; deinde examinabo controversa.

Igitur primò certum est, non obstante extrema, vel gravi necessitate, cui filius aliter subvenire non potest nisi manendo in sæculo, si idem filius desertis paren- 1285

parentibus in religionem ingrediatur, & professionem emittat, licèt graviter peccet profitendo, ut constat ex traditis in præcedentibus, quia ponit impedimentum obligationi juris naturalis, & divini erga parentes exequendæ, & tradunt omnes Doctores *num.* 1262. relati, & qui non citantur; professionem nihilominus esse validam. Ita Navarr. *lib.* 3. *consl. tit. de regul. consl.* 16, *n.* 1. *& consl.* 3. *in* 2. *edit.* Suarez *d. cap.* 9. *num.* 1. Castrus Palaus *d.* §. 6. *num.* 1. Trullench *d. n.* 1. & ex relatis *d. num.* 1162. Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 10. Lessius *d. cap.* 41. *num.* 34. *versic. si filius*, Villalobos *d. diffic.* 7. *n.* 9. & supponunt alii *d. num.* 1262. relati, & qui infra allegantur, agentes de proposita controversia. Nam etsi ad licitè faciendam professionem in religione requiratur illa conditio, ut parentes in extrema, vel gravi necessitate ope filiorum egentes non deserantur, tamen ea conditio non est necessaria ad valorem professionis, cùm nullus reperiatur in jure Ecclesiastico textus, quo hæc professio irrita reddatur, sed nec jure naturali ita redditur, etiam deserto in extrema necessitate parente. Quia cùm filius ad eligendum statum religiosum non subjiciatur potestati, & obedientiæ paternæ, si nullum aliud impedimentum obstet, non est incapax obligationis, quæ per professionem religiosam suscipitur, & status religiosi; & sic licèt peccet profitendo, facta tamen professione, per quam se religioni tradit, firma manet essentia religionis, seu obligatio servandi castitatem, paupertatem, & obedientiam, & adimplendi alias obligationes religionis; quamvis fortasse filius sic professus nequeat illas statim exequi, ut parentis necessitati succurrat. Quare licèt ingressus cum tali circumstantia necessitatis parentis sit malus, & etiam votum de ingressu religionis durante illa extrema, vel gravi necessitate parentis sit de re illicita, quia ponitur illud impedimentum obligationi erga parentes exequendæ, ac proinde nullum; & sic etiam sit illicita professio, facta tamen sui ipsius traditio religioni per solemnia vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, cùm fiat à persona libera, & non impedita, valet, & firma manet, & multa prohibentur quæ facta tenent; unde perseverare in religione post professionem nullam non est malum sed in præcepto, cùm per professionem sit mutatus status rei, & solùm potest satisfiendi obligatio manendi in religione sub obedientia totali superioris, durante necessitate extrema, vel gravi parentis, cui aliter subveniri non possit, nisi per filium manentem extra monasterium.

1286 Secundò certum est, sive necessitas parentum extrema, vel gravis præcesserit, sive subsequuta sit, non teneri, nec posse filium professum egredi è religione, etiam habitu retento, si non sit probabilis spes, ut post egressum queat illis subvenire, quia frustra egrederetur. Ita Navarr. locis *d. num.* 1261. citatis, Valentia *d. p.* 2. *vers.* Quartò omnes, ubi dicit omnes ita asserere, & constat etiam ex notatis suprà *num.* 1268.

1287 Tertiò certum est, filium professum non teneri, nec posse egredi è monasterio ad subveniendum parentibus extremè, vel graviter egentibus, si manens in religione viis quibuscumque non prohibitis, illis succurrere possit, vel probabile est, ut aliunde illis provideatur, seu alii vellent eis subvenire; ac proinde si alius se offerat ad providendum parentibus de necessariis in utraque necessitate extrema, vel gravi, aut monasterium, sive religio velit subire obligationem filii professi, vel illi permittere aliquem modum necessaria eisdem parentibus lucrandi in monasterio, seu in religione, sive concionando, sive confessiones audiendo, aut aliàs procurando eleemosynas, aut aliquam artem mechanicam, vel liberalem, quam idem filius professus calleat, exercendo, nullo modo egredi poterit è monasterio, seu religione, cùm tunc cesset ratio exeundi. Ita Valentia *d. p.* 2. *vers. Puto omnes*, Suarez *d. cap.* 9. *num.* 10. Sayrus *d. cap.* 6. *num.* 18. Castrus Palaus *d.* §. 6. *num.* 2. & alii communiter, ut ait Valentia *loco citato*, & colligitur ex traditis suprà *num.* 1265.

Quæ verò non sint prohibita filio in religione professo, quibus parenti extremè, vel graviter egenti succurrere absque egressu è religione potest, & tenetur (dico *& tenetur*, quia estò juxta tradita multi sentiant filium non teneri egredi e monasterio, seu religione ad succurrendum parentibus in gravi necessitate constitutis, præsertim quando necessitas professionem subsequuta est, omnes tamen sentiunt filium professum manentem in religione obligatum esse parenti in gravi necessitate constituto succurrere quantùm licitè, & honesto modo mox explicando potest, cùm ob statum religiosum non desinat esse filius, & consequenter non est exemptus ab obligatione subveniendi parenti graviter egenti, saltem quantum, & eo modo quo status religiosus assumptus patitur, ut latè probat Soarius *d. cap.* 9. *num.* 16. *ad* 30. Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 17. *&* 18. Trullench *d. dub.* 24. *num.* 5. Lessius *d. num.* 34. Castrus Palaus *d.* §. 6. *n.* 9. & alii communiter;) Doctores dicunt esse illa quæ fieri possunt à religioso, salva obedientia, & sui status decentia. Ita S. Thomas 2. 2. *quæst.* 101. *n.* 4. *ad* 4. *& quodlib.* 10. *art.* 9. Lessius, Trullench, Castrus Palaus *locis modò citatis*, Soarius *d. cap.* 9. *num.* 26. *& seq.* & cum aliis Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 18. Quare filius professus tenetur petere à suo Prælato licentiam subveniendi parenti extremè, vel graviter egenti; quæ tamen si à Prælato injustè negetur, vel antequam petatur, moraliter certò credatur injustè neganda, non ideo illicitum erit filio subvenire parenti, sed poterit occultè, absque scandalo & violentia, & servatis substantialibus Ordinis, parentibus subvenire, & ad hunc effectum exercere omnes actiones, quæ non sunt absolutè prohibitæ à regula, sed prohibitæ fieri sine licentia, quæque statum religiosum arbitrio prudentum non dedecent, quamvis repugnet Prælatus, idque sub pœna excommunicationis interdicat, quia in tali eventu iniquè agit Prælatus licentiam subveniendi parentibus modis suum statum decentibus denegans, quam concedere tenetur. Quare cùm eleemosynas pro parentibus ab extraneis petere, vendere à se artefacta, & pretium illorum parentibus dare, donata sibi illis tribuere, pecuniam apud se retinere eisdem distribuendam, si non sit religiosus Minorita, non dedeceant statum religiosum, cùm sæpe ex licentia Prælatorum in favorem monasterii, vel aliorum exerceantur absque ulla nota, & scandalo, prædictas omnes actiones filius professus, petita priùs licentia à suo Prælato, si præsumitur concedenda, vel ea omissa, si præsumitur neganda, exercere poterit, & debebit, ut parenti non solùm extremè, sed etiam solùm graviter egenti succurrat, ut præfati Theologi omnes cum aliis tradunt. Imò etiamsi filius sit professus Ordinis Minorum, licèt Sanchez *d. num.* 14. post Cordubam dicat non posse petere ab extraneis pecunias apud se retinendas, sed solùm apud tertiam personam deponendas, quia regula minorum absolutè prohibet pecuniam manu propria recipi à minorita, & penès eum retineri, sed tantùm apud aliam personam; nihilominus Suarez *d. cap.* 9. *n.* 29. & post eum Trullench aiunt, quod si non sit opportunitas adeundi Prælatum, ne omittatur occasio talis eleemosynæ in favorem parentis graviter egentis, potest talis religiosus eam pecuniæ eleemosynam accipere; quia cùm non accipiat in usum proprium, nec animo retinendi, non videtur agere contra regulam. Addit Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 19. *&* 20. filium professum posse, & teneri, licentia petita, & non

non concessa à Prælato, tempore quo in rebus religionis non occupatur, aliquo opere religiosis honesto, ut scribendo, pingendo, etiamsi artem, seu facultatem illam in religione didicerit, aliquid lucri comparare, quo parentibus egentibus subveniat; quia cùm jam possit illis modo conformi statui suo subvenire, ad id tenetur. Multò autem magis filius professus potest ex necessariis suo victui, quæ religio sibi impendit, & quæ ipse consumpturus esset, aliqua sibi subtrahere, & dare parentibus egentibus, cum nihil religioni auferat. Ita Sanchez *d. num.* 19. & Trulleneh *d.num.*5. Porrò in dubio etiam an licentia à Prælato petita, injustè denegata sit, ea tanquam concessa poterit religiosus uti ad subveniendum parenti extremè, vel graviter egenti, ut notavit Sanchez *d.n.*19.*fin.* quia etsi in dubio regulariter obediendum sit superiori possidenti jus in voluntate subditi, id tamen fallit quando est in grave damnum tertii, ut *tom.*1.*moral. tit.*1. ubi de conscientia dubia, latè explicavi, prout in præsenti casu evenit, cùm ea licentia denegata redundet in grave damnum parentum egentium, quorum necessitati gravi, vel extremæ nequit aliter filius consulere.

1289 Quartò conveniunt Doctores, filium professum sine licentia obtenta à superiore ad subveniendum parentibus non teneri, nec posse egredi è monasterio, & redire ad sæculum, nisi quando clarè, & evidenter constat de necessitate gravi parentum, & præceptum naturale subveniendi parenti obligare; secus in dubio an necessitas sit gravis, & talis, ut præceptum naturale subveniendi filium adstringat. Ita Valentia *d.part.*2. *verf.Sextò illud*, Sayrus *d.cap.*6. *num.*17. *verf. Secunda*, Suarez *d.cap.*9. *n.*27. Castrus Palaus *d.* §.6. *num.*10. & alii, nam dubia necessitas non potest eximere religiosum à certa obligatione observantiæ regularis, & obediendi Prælato possidenti jus certum in voluntatem subditi. Confirmatur ex traditis suprà *num.*1278. & Doctoribus ibidem relatis, asserentibus in dubio an necessitas obliget filium ad subveniendum parenti, non impediri filium ingredi religionem, & si habeat votum ingrediendi, teneri ad voti exequutionem: ergo à fortiori in tali dubio filius jam professus non eximetur ab obligatione obediendi superiori, & observandi religionem per professionem, seu vota solemnia. Quare in tali casu nisi superioris dispensatio intercedat, non poterit filius professus redire ad sæculum, ut parenti subveniat.

1290 Quintò certum est, religiosum ad subveniendum parentibus egentibus non teneri, nec posse egredi è religione, si non possit, seu probabiliter credatur non posse vivere extra religionem absque morali, & proximo periculo salutis spiritualis. Ita Sayrus *d.cap.*6. *num.*17. & probant tradita *num.* 1280. Quod periculum vix potest timeri in egressu ad subveniendum parentibus extremè egentibus, cùm extrema necessitas citò transeat, ut *d.num.*1280. notatum est.

1291 Sextò certum etiam videtur, religiosum non teneri, nec posse egredi è religione, ut parentibus subveniat, si ille in religione manens adeo utilis sit vel Reipublicæ Christianæ, vel toti Religioni, & Ordini, ut prudentum judicio jure divino potiùs teneatur, neglecto parente manere in religione, ut ea ratione Dei, Ecclesiæ, & religionis causam agat. Ita Sayrus *loco citato*, Valentia *d.p.*2.*verf. Accedit*, & Suarez *d.cap.*9. *num.*10. ubi tamen dicit, vix moraliter posse contingere hunc casum. Et certè quando ageretur solùm de egressu ad subveniendum in extrema necessitate, ita dicendum est. Addit idem Suarez quod religio, supposito quod ille filius religiosus alioqui, nisi obstaret illud grave detrimentum religionis, posset, & teneretur egredi è religione ad subveniendum parenti, cui aliter non posset esse provisum, teneretur in se suscipere onus filii, quia non debet religio cum præjudicio tertii damnum suum vitare, & sic teneretur religio vel ex facultatibus propriis, vel ex eleemosynis à devotis personis quæsitis parenti graviter egenti subvenire.

Certum septimò est, non posse filium professum egredi è religione, nisi priùs petita licentia à suo superiore. De qua licentia infrà *n.*1303. *& duod. seqq.* *&* 1308. *&* 1309. 1292

Prædicta igitur omnia sunt certa. Controversia ergo solùm est, quando constat evidenter de extrema, vel gravi necessitate parentum, & obligatione juris naturalis illis subveniendi, & alio modo, seu remedio filius professus non potest parenti sic extremè, vel graviter egenti succurrere, nisi redeat ad sæculum, seu egrediatur è religione, an teneatur religionem deserere, ut parentum necessitati subveniat, petita, & non obtenta licentia à Prælato, & secluso periculo morali suæ salutis spiritualis.

§. VI.

In extrema parentum necessitate, cui aliter non possit subveniri, nisi filius professus è religione egrediatur, tenetur egredi, etiamsi Prælatus denegaverit licentiam egrediendi.

Etsi necessitas parentum sit extrema, licèt S.Thomas 2.2.*q.*101. *d.art.*4. *quodlib.*3. *art.*16. *& quodlib.*10.*art.*9. & nonnulli alii à Sayro *lib.*7. *clavis*, *citato cap.*6. *num.*13. relati doctrinam S.Thomæ referentes, & sequentes videantur sentire ob dictam parentum extremam necessitatem corporalem filium professum non teneri, neque absque licentia à superiore obtenta posse egredi ad subveniendum iisdem parentibus, etsi aliter illis nequeat provideri; nihilominus communis, & vera sententia est, sive necessitas parentum extrema præcesserit, sive subsequuta sit filii professionem, filium religiosum posse licitè, & teneri etiam repugnantibus superioribus egredi è religione ad subveniendum parentibus sic extremè evidenter egentibus, & qui alioqui essent fame, vel alia necessitate corporali perituri, idque etiam relinquendo habitum, si opus sit, nec aliter parentibus succurri queat. Ita Caietanus 2.2.*quæst.*101. *d.art.*4. & præter plures alios à Sanchez *d.cap.*20.*num.*14. allegatos, ex Doctoribus suprà *num.*1262.1285. *&* 1288. relatis, Navarrus *d. cap.*14. *num.*14. *& d.comment.*3. *n.*48. Valentia *d.parte* 2. *versic. Secundò certum*, Azorius *d.parte* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *quæst. quinta*, *versic. Quare*, Lessius *d.cap.*41. *num.*34. Sanchez *d. num.*14. Soarius *d. cap.* 9. *num.*4. Reginaldus *d.cap.*20. *num.*12. Sayrus *d.cap.*6. *citato num.*13. *initio*, *& num.*16. *fine*, Gordonus *d. num.* 1262. *relato*, Fagundez *d. cap.*2. *num.* 22. Villalobos *d.diffic.* 7. *num.* 9. Trullench *d. dub.*24. *num.*2. Castrus Palaus *d.* §.6. *num.*4. Paulus Layman *d.cap.*4. *num.*2. *versic. Quæstio* 2. & Megala *d. quæst.*3. *num.*17. Ratio est, quia præceptum, seu obligatio juris naturalis, ac divini de subveniendo parentibus in extrema necessitate constitutis, intrinseca, & adhærens personæ filii, nullo voto, etiam solemni, & ratione status perfectionis assumpti potest tolli, & status perfectionis censetur assumptus salva hac obligatione; cùm enim illud præceptum naturale, & divinum honorandi parentes, & illos alendi sit prius, & absolutius, ac magis personæ intrinsecum obligatione orta ex voto professionis, ex natura sua, ut Valentia *d.parte* 2. & Fagundez *d.n.*22. expressè notarunt, includit hanc conditionem, scilicet: *Voveo professionem, & me nunquam habitum, & claustrum, seu monasterium dimissurum, nisi hoc meum votum aliquando præcepto alicui naturæ, & divino repugnet.* Cùm ergo repugnet existentibus paren 1293

parentibus in extrema necessitate, impletio voti professionis præcepto naturali alendi parentes ad extremam necessitatem reductos, non obligat; imò quanvis ex speciali intentione, ut in terminis notat Fagundez, se quisquam voluisset obligare ad professionem, stante eadem extrema necessitate parentum, prædictum votum non obligaret, quia nunquam eam intrinsecam voti conditionem, ut non sit de re illicita, ab eo poterit eximere. Confirmant citati Doctores eandem communem, quia etiam ad subveniendum extraneo in extrema necessitate constituto religiosus potest, & tenetur, etiam invito superiore, monasterio egredi, si aliter non possit subvenire, ut si extraneus in puteum incidisset, cui solus religiosus opem ferre posset, vel si domus vicini incendio magno combureretur, & nullus alius adsit, qui æquè benè ut religiosus possit succurrere, & domum ab eo incendio liberare: multò ergo magis id licebit ad liberandum ab extrema necessitate parentem, cùm præceptum juris naturalis magis obliget erga parentem quàm erga extraneos. Nec contrarium *locis citatis* sensisse D. Thomam putant Caietanus, & Sanchez, scilicet non fuisse loquutum de necessitate extrema, quæ obligat religiosum etiam ad succurrendum extraneo, sed de necessitate alia quacumque patris, quantumvis magna, & gravi, in qua licèt alioqui filius ex præcepto pietatis teneatur patri subvenire, tamen si jam professus sit, vult D. Thomas eum non teneri, nec posse absque licentia Prælati egredi è Religione, ut illi succurrat. Porrò finita extrema parentum necessitate tenetur Religiosus ad Religionem, seu monasterium redire, eo quòd causa egressus jam cessaverit: non enim votum professionis tollitur, sed suspenditur quoad hoc dum ea necessitas durat. Ita Navarrus, Valentia, Sanchez, Trullench, Fagundez, & alii communiter. Excipiuntur ab hac obligatione redeundi Religiosi societatis, qui emiserunt solum votum simplex biennii, quando ob eam causam ab eadem societate liberi, & exsoluti à votis dimittuntur, ut tradunt Valentia *d. p. 2. versic. Quintò*, Sanchez *d. cap. 20. num. 16* Fagundez *d. cap. 2. n. 23.* Castrus Palaus *d. §. 6. num. 14.* quia cùm in perpetuum, inquiunt, per dimissionem votorum obligatione liberentur, non tenentur amplius ad eam redire.

§. VII.

In gravi parentum necessitate, cui subveniendi nullum aliud remedium adsit præter egressum filii professi è religione, an idem filius professus possit, & teneatur egredi, & vivere in sæculo, etiam invita Religione, seu Prælato licentiam denegante.

SI verò parentum necessitas non sit extrema, sed solùm magna, & gravis, modo suprà *num. 1263.* posito, scilicet ut pater non possit vivere nisi mendicando, &c. ut *eodem met num. 1263.* explicatum est, & evidenter constet esse talem, & sic etiam manifestè appareat præceptum naturale, & divinum obligare filium ad eis subveniendum quantum potest, & ad abstinendum ab ingressu in Religionem, de qua necessitate videtur esse tota controversia inter Theologos, & Summistas, quando eidem necessitati succurri non potest, nisi filius professus extra Religionem vivens parentibus provideat de necessariis; plures sunt sententiæ.

Prima sententia affirmans, teneri solùm si necessitas professionem præcessit.

PRima sententia, quæ videtur nunc temporis magis communis, distinguens dicit, quod si ea necessitas gravis præcessit professionem, & eam novit filius ante professionem, tenetur idem filius professus, etiam repugnante superiore, egredi è monasterio, sive religione, ut parentibus subveniat; si verò subsequuta sit professionem, non tenetur, nec potest invito Prælato egredi. Ita Angelus, Sylvester, M. Antonius Cuchius, Lopez, Manuel Sà, Sanchez *d. cap. 20. num. 16.* relati; & ex Theologis suprà *num. 1262. & 1285.* relatis, Navarrus, Toletus, Lessius, Villalobos *locis d. num. 1263. citatis*, Reginaldus *d. lib. 20. num. 12.* Suarez *d. cap. 9. num. 8. & nonnullis seqq.* Filliucelus *d. cap. 1. num. 9.* & Trullench *d. dub. 24. n. 4. & 5.* Prima pars hujus sententiæ probatur, quia quando necessitas parentum præcessit professionem, & filius eam necessitatem probabiliter novit, filius tunc profitendo, quia jam erat obligatus illis subvenire, intulit specialem injuriam parentibus: ergo manet semper obnoxius eidem obligationi, cùm rationi & justitiæ repugnet, ut per actionem injuriosam liberetur ab obligatione naturalis juris, & divini, qua astringebatur. Et facit, quod injuriarum, & actionum ex delicto consurgentium obligationes caput ipsum sequuntur, *l. tutelas, §. injuriarum, ff. de cap. diminut.* Præterea, quia in hoc casu filius tempore professionis erat actu obligatus adjuvare parentes, & consequenter se tradidit Religioni cum eo onere, & obligatione, cùm res cum suo onere transeat in possessorem, *cap. ex literis, de pignoribus*: ergo non obstante traditione in superioris potestatem per professionem, manet semper illa obligatio, nec acquiritur jus Religioni, seu Prælato ad impediendam ejus exequutionem; nam obligatio superveniens in prioris detrimentum induci non potest: unde conjux absque alterius licentia professus in Religione potest revocari ab altero, quia habet jus in illum, quo non potuit per professionem indebitè factam privari: & etiam servus, qui invito domino votum professionis in Religione emisit, ab eodem domino repeti potest, ut sibi serviat, non obstante professione, qua juri domini in servum antiquiori non potuit præjudicari. Neque obstat si in his duobus exemplis dicatur, conjugem, & servum ex obligatione justitiæ esse adstrictos obsequio alterius conjugis, & domini. Nam & filius parentibus extremè, vel graviter egentibus subvenire tenetur, non ex solius charitatis obligatione, sed ex obligatione pietatis, contra quam peccat profitendo, dum parentes sunt in gravi necessitate constituti, egentes omnino ope illius: obligatio autem pietatis etsi in respectu ad alterum deficit à formalitate justitiæ, in rigore tamen, & excellentia obligationis superat illam, illaque strictiùs obligat, ut aiunt Soarius *d. cap. 9. num. 24.* & Palaus *d. §. 6. num. 3.* Et ideo sicut aliæ obligationes justitiæ anteferendæ sunt obligationi Religionis, nec tolluntur per subsequentem obligationem, & obligant ad reparandum damnum illatum: ita hæc obligatio filii adjuvandi parentem graviter egentem præcedens professionem, & antiquior obligatione Religionis, quæ per votum solemne supervenit, eidem obligationi Religionis debet anteponi, & sic filius ad satisfaciendum debito hujus obligationis, quasi ex justitia, & excellentiori aliis obligationibus justitiæ, tenetur egredi è religione, quando nullo alio modo eidem obligationi satisfacere potest, dum in religione

gione manet. Non obstat etiam, si dicatur debitorem, qui eo tempore in quo debitum solvere tenebatur, donavit pecuniam, quo factus est impotens solvere debitum, licèt peccaverit, non tamen posse propria authoritate pecuniam donatam iterum arripere, sicut nec donatarius tenetur illam dare: ergo idem dicendum est in præsenti. Respondet enim Suarez *num.* 14. primò acceptantem talem pecuniam, cùm faciat per se loquendo injuriam creditori cooperando ad damnum illius, teneri restituere. Secundò respondet negando similitudinem, quia in debito reali non res ipsa, sed tantùm persona ipsa est obnoxia tali obligationi; & ideò quanvis res detur, non transit cum illa obligatione: at verò obligatio alendi parentes egenos, illisque subveniendi, intrinseca & inhærens est personæ; & ideo quando persona se tradit religioni, cum eadem persona transit illa obligatio. Non obstat item si dicatur filium, qui desertis parentibus in gravi necessitate ejus ope indigentibus suscepit Ordines sacros, licèt graviter peccaverit, non teneri tamen clericatum deserere, & militiam, vel artem medicam exercere, ut parentibus subveniat, quanvis in clericatu non possit; sed solùm teneri juxta statum suum efficere quod potuerit, ut illis succurrat. Similiter ergo in præsenti. Respondet namque Soarius *num.* 25. Clericum illum teneri ad subveniendum parentibus ex bonis, quæ titulo & ministerio clericali acquirere potuerit; & si hæc non sufficiant, teneri etiam propriis manibus laborare exercendo artem, seu actum non repugnantem, neque indecentem statui clericali: ad actiones verò repugnantes, vel non decentes statui, non teneri, quia etiam filius nobilis non cogitur mendicare, ut subveniat parenti, cùm unusquisque possit consulere decentiæ sui status. Clericus autem, & etiam religiosus (inquit idem Suarez) non solùm potest, sed etiam debet, cùm per hoc non consulatur principaliter personali honori ejus, sed totius clericatus, totiusque Ordinis, seu Religionis. Quare idem Soarius *num.* 12. huic sententiæ quoad hanc primam partem, quod quando aliud remedium subveniendi parentibus non superest, possit & debeat filius religiosus subvenire eisdem parentibus, etiam sine licentia Prælatorum petita, & non obtenta, & relicta religione, si medium necessarium sit, addit duas circumstantias: una est ut non sequatur scandalum verum & grave, prudentis arbitrio aliter inevitabile, cùm hoc semper præferatur aliis obligationibus particularibus. Altera est, quod fiat sine notabili indecentia religiosi status, eo quia hoc ex suo genere majus malum sit quàm detrimentum temporale parentum, magisque spectet ad Dei honorem illud vitare, & religiosus vi sui status speciali obligatione teneatur illud cavere, etiamsi suâ culpâ, & cum injuria parentum assumpserit illum statum; quia illa culpa non debet redundare in grave damnum & detrimentum religiosi status, seu totius religionis, præsertim si illius injuriæ particeps non fuerit.

1295 Secunda pars ejusdem sententiæ probatur primò, quia quando parentes non sunt in necessitate tempore professionis, tunc filius non est actualiter obligatus ad eorum obsequium, ut ob eam causam teneatur non profiteri, cùm illud præceptum sit affirmativum, & non obliget pro semper; & ita tunc filius profitendo nullam facit injuriam parentibus, ex qua nasci possit specialis obligatio: nec filius tenetur parentum necessitati futuræ moraliter non imminenti perinde providere ac præsenti, ut tradit S. Thomas *d. quæst.* 101. *art.* 1. *ad* 2. cùm filii non teneantur thesaurisare parentibus, sed parentes filiis, ut ait D. Paulus 2. *ad Cor.* 12. Et quanvis in filio semper, & etiam quando parentes in necessitate non existunt, insit habitualis obligatio subveniendi cùm in necessitatem inciderint; nihilominus ex vi hujus habitualis obligationis filius solùm in præparatione animi præparatus esse debet ad subveniendum parentibus, si indiguerint, prout ipse poterit: non tamen ex vi ejusdem obligationis tenetur se conservare in eo statu, in quo possit parentibus subvenire, si fortè in necessitatem inciderint; quia hoc est nimis durum, & magnum gravamen nulla ratione fundatum, alioqui non posset omnes divitias contemnere, nec in longissimas regiones discedere, nec in deserto abscondi, ubi nihil sciret de parentibus omninò ejus obsequio indigentibus, nec probabiliter ejusdem obsequii necessitatem habituris: quæ & absurda sunt, & contra usum communem. Parentibus igitur non egentibus, nec imminente probabili periculo ut egeant filii obsequio, potest filius se absolutè tradere religioni, & in potestatem Prælati, & sic se efficere impotentem ad subveniendum parentibus agendo aliquid contra statum, vel religionem, & voluntatem superiorum: quare licèt postea superveniat parentum necessitas, cùm jam inveniat filium impotentem, non faciet filius contra præceptum subveniendi, si hoc omittat, quia ei ob novum statum assumptum non permittitur; & præceptum affirmativum non obligat nisi eum qui potest, & eo modo quo potest; ac proinde filius jam religiosus tenetur parentibus egentibus subvenire, servato suo statu, & substantiali ordine religionis; non tamen potest ob eam causam mutare statum sine legitima facultate suorum Prælatorum, vel Summi Pontificis. Quemadmodum etiam filius conjugatus, aut servus non tenetur parentibus egenis subvenire, nisi juxta statum suum, & sic non tenetur eis succurrere, quando non potest sine præjudicio obligationis conjugii, vel servitutis. Secundò probatur hæc pars iisdem argumentis, quibus nititur sequens sententia. Quod si adversùs hæc dicatur, etiam per professionem factam jam existente gravi parentum necessitate, mutari statum: Respondetur ex Suarez *d. cap.* 9. *num.* 24. & Trullench *d. dub.* 24. *num.* 5. *circa medium*, mutari quidem; sed tamen quia mutatur cum injuria parentum, & filius sic profitendo peccat & contra charitatem, & contra pietatem; hinc fit, ut talis mutatio non redundet in gravamen parentum, & teneatur filius ad amplius quàm quando necessitas sequitur professionem.

Secunda sententia, absolutè negans teneri egredi, nec posse absque legitima Prælati licentia.

SEcunda sententia absolutè, & sive necessitas parentum professionem præcesserit, sive subsequuta sit, negat filium professum teneri, vel posse licitè ad eis subveniendum egredi è religione, sive monasterio absque Prælati, vel Summi Pontificis licentia; aitque solùm obligari ad illis subveniendum, servata obedientia, & professione, ac disciplina religiosa, juxta tradita suprà *num.* 1287. *&* 1288. Ita 1296
S. Thomas locis suprà *n.* 1293. *citatis*, Caietanus 2. 2. *q.* 101. *art.* 4. Alensis, Abulensis, Cordubâ, Manuel, Conradus, Rosella, Armilla, Tabiena, D. Antoninus, Angles, Passarellus, Turrecremata, Henricus, Cosmas Philiarcus,

Philurus, Barth. Medina, & Sà à Sanchez *d.cap.*10. *num.*17. & etiam Sayro *d.cap.*6. *num.*13. initio relati: idem Sayrus *num.*18. *versic. Quarta est*, idem Sanchez etiam *d.num.*17. & ex aliis suprà *num.*1293. relatis, Layman *d.cap.*4.*num.*2.*dicto* 2. Megala *d.quæst.*3. *num.*14.*& nonnullis sequentibus*, Castrus Palaus *d* §.6. *num.*11. & Laurentius de Franchia *d.quæst.*105. Secunda pars hujus sententiæ, scilicet filium religiosum obligari, &c. jam probata, & declarata est suprà *dictis n.*1257.*&* 1258.

1297 Prima verò pars probatur primò ratione S. Thomæ, scilicet quia professus in religione est mortuus mundo, jam non habens propriam voluntatem, neque est sui juris, sed in potestate Religionis, seu Prælati. Ergo non debet, nec potest occasione parentum ad sæculum redire, saltem invita religione, seu absque legitima Prælati facultate: expeditque ut hæc janua claudatur, alioqui etiam moniales exire vellent colore subveniendi parentibus. Secundò probatur, quia per professionem validam major obligatio inducitur, quia est ad Deum, quàm sit illa quæ est ad parentes. Unde illa spectat ad primum præceptum primæ tabulæ, hæc ad præceptum primum secundæ tabulæ. Tertiò (& est ratio Abulensis, & Caietani) quia licèt præceptum de honore parentum, & illis in necessitate subveniendi sit prius, & antiquius quàm votum professionis, & ex jure naturæ obliget, nec sit abrogabile per superveniens votum, etiam solemne professionis; cùm tamen sit præceptum affirmativum, non eodem modo obligat filium in quocunque statu, sed obligat pro tempore unumquemque, prout tunc illum invenit, & sic ut subveniat parentibus eo modo, quem status filii permittit; & consequenter eidem præcepto fit satis eo modo, quo quis potest, considerata suæ personæ, & status conditione, & aliis circumstantiis. Ideoque filius religiosus satis illud præceptum implet, si quantum commodè potest secundùm statum suum conetur parentibus providere; neque tenetur eadem ratione hoc procurare, qua deberet, si religiosus non esset. Quod confirmatur exemplis filii conjugati, & servi suprà *num.*1295. adductis, qui non tenentur parentibus egentibus subvenire, nisi quantum patitur conditio sui status; unde filius conjugatus non obligatur ad relinquendam uxorem, & ad habitandum cum parentibus egenis causâ eis succurrendi, eo quòd status matrimonii id non patiatur, dicente Scriptura Genesis 5. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Et sic etiam servus non potest deserere dominum, ut succurrat parentibus. Confirmatur etiam exemplo filii clerici suprà *num.*1294. adducto, qui non tenetur clericatum deserere, & militiam exercere, ut parentibus in gravi necessitate constitutis subveniat, quanvis eo solo modo eis subvenire queat, eo quòd status id non patiatur. Ita ergo nec filius religiosus tenetur parentibus egentibus succurrere, nisi salvo statu religioso, quem in perpetuum amplexus est: status autem religiosus postulat, ut sine Prælati licentia è religione egredi non liceat, præsertim cùm exinde magnum spirituale detrimentum tam ipsi egredienti, quàm toti communitati regulari provenire possit; siquidem multi, qui parentes inopes habent, anxietatibus vexarentur, an non obligatio ipsis incumbat è religione discedendi, nisi ad hoc Prælati licentia necessaria esset: huic autem majori bono conservandæ quietis in religione privatum commodum ipsorum parentum posthaberi debet. Ita Layman. Id tamen, quod dicit de anxietatibus, non potest habere locum in præsenti controversia, quæ procedit solùm quando necessitas gravis evidenter constat, & Prælato probari potest. Quartò probat Sanchez, quia per professionem religiosus traditur Prælato, & in ejus potestatem transit, ita ut reputetur mortuus mundo: res autem uni tradita non potest ab eo auferri, ut parentibus non extremè egentibus subveniatur: at si quis solùm promisit Ecclesiæ centum aureos, superveniente gravi parentum necessitate non tenetur dare, si sic illis non potest subvenire; at si tradidit Ecclesiæ ante eam necessitatem, ea superveniente non potest eos iterum ab ea auferre, ut parentibus subveniat, nisi de illius licentia. Sic ergo etsi quando post votum filii ingrediendi Religionem supervenit necessitas gravis parentum, cui filius aliter non valet providere nisi manendo in sæculo, non tenetur, nec potest licitè exequi votum illud, quia est simplex promissio ingressus, aut se tradendi religioni. At verò cùm per solemnem professionem religiosus se tradat religioni, efficiaturque verus illius religiosus, licèt fortè peccaverit dum se tradidit, non potest ab ea exire ut parentibus succurrat, nisi de Prælati sui licentia: & contrarium agendo, inquit Suarez *d.cap.*9.*num.*20. censeretur retrocedere, & apostatare statum religiosum, & occupare iterum quod Deo absolutè tradiderat, quod est veluti furari ad subveniendum existenti in gravi tantùm necessitate; quod nec propter parentes licet, & maximè furto sacrilego, quale est illud quod committitur usurpando rem semel Deo dicatam, juxta regulam juris in 6. *Semel Deo dicatum non est ad usus humanos iterum transferendum.* Ex quibus quintò Castrus Palaus contra Doctores antecedentis sententiæ probat, filium jam professum, etiam dum parentes jam in gravi necessitate essent constituti, non teneri è religione egredi, nec posse invito superiore, ut eisdem parentibus subveniat. Nam communior sententia, inquit, asserit filium religiosum non esse obligatum ob gravem parentum necessitatem professioni supervenientem egredi è religione, & habitum dimittere: ergo neque quando præcessit. Probat consequens eo quòd eadem ratio procedit cùm necessitas antecedit; quia obligatio exeundi è religione, & dimittendi habitum, ut filius religiosus parentibus subveniat, non oritur ex peccato ab eo commisso in ingressu, & professione, sed ex necessitate parentum. Si ergo posita eadem necessitate professioni superveniente filius religiosus non obligatur, neque obligatur ob necessitatem antecedentem.

Huic autem sententiæ præfati Doctores aiunt non 1298
obstare primò, quod si ea necessitas parentum ante ingressum, & professionem impediret exequutionem voti religionis emissi, ut suprà dictum est, & etiam professionis obligantia, ob defectum materiæ licitæ, quia quidquid ex materiæ defectu impediret obligationem voti, si tempore ejus emissionis adesset, impedit similiter ejus obligationem posteà superveniens, ut dictum est suprà *num.*1277. & latè probat Sanchez *lib.*4.*Sum.cap.*2.*num.*23. ergo eadem necessitas superveniens professioni impedit ejus obligationem, quatenus obstat subventioni parentum. Confirmatur, quia tam votum, quàm juramentum ex natura sua includit hanc conditionem: *Voveo, dummodo hoc Dei præcepto, aut vinculo juris naturalis non repugnet.* Respondent enim necessitatem antecedentem impedire exequutionem voti ingrediendi religionem, quia est simplex promissio; non autem obligationem professionis, per quam filius se tradit religioni, & verus religiosus efficitur, ut *num. præced.* explicatum est: unde probationem antecedentis aiunt habere locum solùm in votis simplicibus, & solam promissionem continentibus, non in iis per quæ vo-

vens traditor religioni: item aiunt procedere quando defectus ex parte materiæ impediret votum validè fieri, nun quando impedit tantùm fieri licitè. Professio autem existentibus jam parentibus in gravi necessitate validè & licitè absque peccato non fiet, ut suprà *num.* 1285. probatum est. Ad confirmationem respondet Fagundez *d.lib.4.cap.2.num.25.* votum esse conditionatum, ut in extrema necessitate filius teneatur egredi ad subveniendum parentibus: at in gravi non teneri, sed tantùm posse, petita etiam, & non obtenta licentia, juxta sententiam ipsius, quæ post hanc sententiam explicatur. Hæc tamen responsio non subsistit, quia si votum est conditionatum, non obligat etiam in gravi necessitate, & sic sicut in extrema, tenetur filius egredi, ut juvet parentes.

1299 Non obstare secundò dicunt, quod quando aliqua res præciso voto melior est, quàm sua contradictoria, ea exequenda est post quodcunque votum, etiam professionis. Præciso autem voto professionis, melius est parentibus graviter egentibus subvenire, quàm manere in religione: ergo idem dicendum professione sequuta. Respondent enim majorem esse veram quando res in eodem statu permanet, ita ut mutatio status non faciat illam rem jam esse meliorem suâ contradictoriâ, ut contingit in religioso professu, in quo status religionis assumptus efficit, ut melius illi sit non recedere à monasterio contra sui Superioris voluntatem, cui per professionem est traditus, quàm recedere ad parentum subsidium.

1300 Non obstare tertiò asserunt, quod filius professus respectu parentum egentium sit magis obligandus, quàm respectu extranei, cui extraneo in extrema necessitate religiosus tenetur subvenire, etiam repugnante superiore. Respondent namque, filium magis esse obligandum in æquali necessitate parentum, & extranei, non in dispari: item filium magis obligari, salvo statu religioso, juxta tradita suprà *num.* 1288.

Non obstare denique affirmant, quod pater ratione egestatis possit vendere filium, *l.3. C.de parentibus qui filios distraxerunt*; ac proinde à fortiori debet posse filium è religione eadem de causa extrahere. Nam respondent, illud procedere solùm dum filius est in potestate patris, quæ cessat post professionem, per quam filius se tradit religioni.

1301 Ad argumenta *num.* 1294. adducta ad probandam primam partem primæ sententiæ, respondent filium professum non liberari ab illa obligatione subveniendi parentibus per professionem, sed durare eo vivente, at modo consono statui. Quare etsi stante necessitate parentum filius iniquè, & injustè se tradidit religioni, non inde tamen infertur, posse religionem, seu religiosum statum dimittere, ut parentibus succurrat; quia sicut non potest filius professus à se excutere obligationem religiosi status, ita nec potest, nec debet subvenire parentibus cum illius jactura, & præjudicio; & licèt iniquè professionem fecerit, non tamen peccavit contra justitiam particularem, & commutativam, sed tantùm contra charitatem, & pietatem paternam, ac proinde non tenetur egredi è religione. Unde ad exempla conjugis, & servi in religione profitentium absque licentia alterius conjugis, & domini, qui à religione revocari possunt, respondeot non obstare, quia obligatio eorum erga alterum conjugem, & erga dominum est de justitia perfecta, & commutativa, ex qua resultat obligatio restitutionis: obligatio verò filii ad subveniendum parentibus egentibus, qua filius adstrictus erat ante professionem, est tantùm justitiæ lato modo sumptæ, fundata potiùs super charitate. Huic tamen responsioni obstant tradita suprà *d. num.* 1294. *versic. Neque obstat.* Prædicta quoad secundam sententiam.

Et hanc secundam sententiam Sanchez *d.cap.20. num.25.* ait procedere etiam in religiosis Societatis Jesu, qui simplicia biennii vota emiserunt, quia per illa vota sunt propriè religiosi, ac professi, & per illa vota traditi religioni, & effecti jam non sui juris instar professorum, ut definit Gregor. XIII. in sua Constitutione, *Ascendente.*

Tertia sententia negans filium professum teneri egredi, posse tamen licitè post petitam licentiam, licèt non obtentam.

Tertia sententia dicit primò, non teneri filium 1302
validè professum egredi è monasterio, petita, & non obtenta facultate ad subveniendum parentibus in gravi necessitate constitutis, sive ea præcesserit, sive subsequuta sit, in quo dicto convenit cum præcedenti sententia, & etiam cum prima quoad secundam illius partem. Secundò dicit, nibilominus filium validè professum posse licitè ad subveniendum eisdem parentibus egredi è religione, seu monasterio, si velit, prædicta facultate à Prælato petita, & non obtenta, in quo discrepat à præcedenti sententia, & à prima quoad secundam partem. Ita Fagundez *in Decalog. lib.4. d.cap.2. num.27.* Primum dictum probat Fagundez argumentis adductis suprà *num.* 1297. ad probandam secundam sententiam. Alterum dictum probat idem Fagundez, quia (inquit) quando parentes religiosi sunt in gravi necessitate constituti, & eis potest subveniri per filium extra monasterium manentem, non autem viventem in monasterio, nec alio modo eisdem succurri potest, tunc Prælatus habet justam causam concedendi filio religioso licentiam exeundi è monasterio, ut parentibus possit succurrere, ut post alios Sanchez *d.cap.20. num.12.* tradit, & infrà dicitur, quam proinde si negaverit, irrationabiliter, & illicitè negat: ergo justam causam habebit filius exeundi, & licentia petita, & non obtenta licitè exire poterit, attenta qualitate materiæ, seu ratione gravitatis, & necessitatis materiæ, quia obligatio filii parentibus sic egentibus succurrendi est de jure naturæ. Dicit, *ratione gravitatis materiæ*, quia si religioso, inquit, negetur à superiore facultas exeundi foras, non sequitur, posse illam sumere licitè in quacunque materia. At talis, subdit, potest esse materia, ut ea petita, & non obtenta licitè possit exire; & talem dicit esse istam præsentem, & talem etiam fore si domus proximi incenderetur, & non esset qui ei succurreret, aut non tam commodè succurreret ac ipse religiosus. Ita loco citato Fagundez.

§. VIII.

Necessitas gravis parentum, cui subveniri aliter non possit quàm per filium professum viventem extra claustra Religionis, est justa causa concedendi illi licentiam exeundi è Religione; & quis superior possit concedere facultatem exeundi dimisso habitu, & vivendi extra monasterium Ordinis ad longum tempus, retento habitu.

Verùm quia præfata sententia Fagundez quoad secundum dictum fundatur in eo, quod Prælatus

Prælatus teneatur eam licentiam exeundi concedere, hîc explicandum est, an stante supposita secunda sententia, & etiam prima quoad secundam partem, scilicet quod filius professus non teneatur egredi è Religione, ut parentibus graviter egentibus succurrat, etiamsi intra Religionem non possit illis succurrere, extra verò monasterium posset; explicandum inquam est, an Prælatus filio Religioso in tali casu petenti licentiam exeundi è Religione ad subveniendum parentibus, quibus aliter non potest esse provisum, teneatur illam concedere.

1303 Conveniunt omnes, talem necessitatem parentum, cui filius Religiosus extra monasterium subvenire poterit, & intra minimè, esse justam causam concedendi talem licentiam. Ita Navarrus *in d.comm.3. de regularibus, num. 48 & 49. & lib.3. consil. tit. de regul. cons.8. num.2. in 1. edit. & cons.72. num.2. in 2. edit.* Rodriguez *in Summa, tom.2. cap.6. num.4.* & ex Doctoribus suprà *n.1293.* relatis, Valentia *d.part.2. versic. Tertiò*, Lessius *d.cap.41. num. 34. versic. Dixi suprà*, Sanchez *d. cap.20. num.21.* Soarius *d.cap.9. num 19.* Trullench *d.dub. 24. num.6.* Villalobos *d. diffi .7. num.9.* Castrus Palaus *d §.6. num.12.* & Lauretus de Franchis *d.quæst.105.* & constat experientiâ, cùm videamus sæpe Religiosis professis à superioribus concedi licentiam manendi extra monasteria Ordinis causâ subveniendi propriis parentibus egentibus. Hujusmodi autem licentiam vivendi extra Religionem, seu monasterium ad subveniendum parentum gravi necessitati, illa durante, retento habitu, suo subdito Religioso posse dare Prælatum Religionis immediatum, aut Provincialem, vel Generalem, tradunt Navarrus, Valentia, Lessius, Sanchez, Trullench, Villalobos, Lauretus de Franchis, Castrus Palaus *locis citatis*, & Suarius *d.cap.9. n.11.* licentiam autem vivendi extra Religionem, dimisso habitu, quando habito retento filius Religiosus non posset absolutè, vel saltem commodè parentum necessitati subvenire, etsi Navarrus *d. num.49. versic. Quintò facit*, videatur innuere, posse non solùm à Papa, sed etiam à Prælato Religionis ordinario concedi; nihilominus solum Papam talem licentiam concedere posse tradunt idem Navarrus *lib.3. cons. tit. de reg. cons. 54. num. 2. in prima edit. & cons.72. num.2. in secunda*, Rodriguez, Sanchez, Trullench, Villalobos, Lauretus, & Castrus Palaus *locis citatis*, eo quòd sit res gravissima, & adeo à statu religioso aliena, ut professus etiam factus Episcopus habitum Religionis nequeat dimittere. Quinimò hodie, neque retento habitu ullus Prælatus Religionis ob necessitatem parentum sublevandam potest religioso subdito facultatem manendi longo tempore extra monasterium, seu Religionem concedere; sed ubi ad eum effectum succurrendi parentum necessitati gravi Religiosus deberet ad longum tempus vivere extra claustra Ordinis, licentia diu manendi extra Religionem à Summo Pontifice petenda est, ut etiam in terminis notavit Lezana *quæstionum reg. part. 1. cap.16. num.2.* Nam etsi jure communi inspecto Prælati Religionum possunt hujusmodi licentiam, seu facultatem vivendi extra monasteria Ordinis, retento habitu, ex justa causa Religioso subdito concedere, ut supponunt omnes præallegati Doctores, & tradunt etiam Navarrus *comment. 2. de regul. num. 16. & 40. & comment. 14. num. 14.* Suarez *tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 3. cap.7.* Lezana *d.cap.16. num. 23.* & Pellizarius *de regul. tom 1. tract.5. sect.1. num.24.* & *tom.2. tract.9. cap.3. num.174.* quia Religiosum extra monasterium vivere ex justa causa de Prælati licentia non est intrinsecè malum, nec derogat votis professionis, cùm etiam extra monasterium possint observari obedientia, paupertas, & castitas; nec jure communi reperiatur prohibitum Prælatis Religionum talem licentiam concedere. Nihilominus hodie ex decretis Clementis VIII. pro reformatione Regularium editis, & innovatis à Sacra Congregatione jussu Vrbani VIII. quæ referuntur *tom. 4. Bullarii, in Constitutione 26. ejusdem Pontificis, pag.270. & 271.* non possunt iidem Prælati regulares talem licentiam vivendi extra claustra Ordinis ad longum tempus concedere, nisi ex gravissima causa à Sede Apostolica approbata; & sic necessaria est licentia ejusdem Sedis Apostolicæ talem causam approbantis. Verba decreti Sacræ Congregationis, quæ habentur *num.32. eorundem Decretorum*, sunt: *Ineatur ratio, qua sublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuscunque concessis degendi extra claustra, ad ea quamprimùm revocentur, nec de cætero, nisi ex gravissima causa à Sede Apostolica hujusmodi facultates concedi possint.* Et juxta præfatum decretum idem notarunt Lezana, & Pellizarius *locis citatis*, & longum tempus in proposito ex declaratione S.Congregationis intelligitur, quod excedit duos menses. Ultra quos Prælatus regularis non poterit subdito concedere licentiam vivendi extra claustra.

§. IX.

Admissâ tam primâ, quàm secundâ sententiâ in præcedentibus explicatâ, an Prælatus, seu Religio teneatur filio professo licentiam exeundi è Religione concedere ad subveniendum parentibus graviter egentibus.

Difficultas ergo solùm est, an filio professo teneatur Prælatus concedere præfatam licentiam 1304 vivendi extra Religionem, quando id subventioni parentum necessarium est, supposita secunda sententia, & prima quoad secundam partem. Nam admissa prima parte ejusdem primæ sententiæ, quod necessitas parentum nota filio, vel etiam Religioni, ejus professionem præcesserit, Navarrus *d.comment.3. de regul. citato num.49. initio*, & ex Doctoribus suprà *num. 1294.* allatis eandem primam sententiam sustinentibus, Soarius *d.cap.9. num. 10.* & Trullench *d.dub.24. num.4.* loquentes consequentes aiunt, Prælatum Religionis, si Religio ipsa non vult, aut non potest subvenire eisdem parentibus, teneri filio professo concedere talem licentiam exeundi è monasterio, & vivendi extra Religionem, quia Religio injuriam fecit recipiendo filium tali obligationi obnoxium, sicque non potuit acquirere jus in ipsum filium contra ipsum patrem, seu jus patris. Ac proinde eadem Religio propter proprium servitium, propriámque utilitatem eundem filium professum impedire non potest quominus parenti, si de ejus gravi necessitate eidem Religioni nota manifestè constet, succurrat: tenetur ergo facultatem exeundi è monasterio ad subveniendum concedere, & etiamsi eadem Religio ignorans tempore professionis talem necessitatem, bona fide filium ad professionem admiserit; nam hoc, inquiunt Soarius, & Trullench, est accidentarium; re enim ipsa, & materialiter facta est injuria, licèt operans per ignorantiam excusatus fuerit à culpa; ideoque semper tenetur ratione rei traditæ, & acceptæ, tametsi excusetur ratione acceptionis.

Igitur si necessitas parentum subsequuta sit filii 1305 professionem, quo casu filius professus non tenetur, nec potest sine legitima licentia superiorum egredi è monasterio ad illis succurrendum, etiam juxta pri-

mam sententiam quoad secundam partem, Navarr. *loco num. præced. citato* ait absolutè religionem, seu Prælatum non teneri concedere filio professo facultatem vivendi extra claustra, ut parentibus graviter indigentibus subvenire possit, licèt intra claustra non possit; quo casu filius omittens succurrere parentibus non peccabit contra quartum præceptum Decalogi, quia est sine sua culpa impotens ad illis subveniendum; & præceptum, utpote affirmativum, solùm obligat pro capacitate status, ejusque possibilitate, in quo filius invenitur eo tempore quo occurrit parentum necessitas, juxta tradita suprà *n.* 1195. & 1297. in tertia probatione. Sanchez quoque *d. cap.* 20. *num.* 25. retenta secunda sententia, quod sive necessitas parentum præcesserit, sive subsequuta sit filii professionem, non teneatur filius professus egredi ad illis subveniendum, dicit absolutè, neutro casu teneri superiorem eam licentiam egrediendi concedere, cùm filius religiosus teneatur manens in monasterio modis suo statui aptis necessitati parentum consulere, juxta tradita suprà *d. num.* 1297. & si Prælatus teneretur eam licentiam concedere, integrum esset eidem filio professo egredi, eodem Prælato iniquè denegante, juxta tradita suprà *num.* 1303. ex Fagundez. Confirmatur ex aliquorum doctrina, quam Suarez *d. cap.* 9. *num.* 18. adducit, scilicet quia cùm religio per professionem acquisiverit jus absolutum in filium sine ullo onere, vel debito justitiæ, sed cum sola obligatione illa filii subveniendi modo statui religioso congruo; & facta jam mutatione status pater jus in filium non habeat, eadem religio ex justitia non tenetur eam egrediendi licentiam concedere; sed neque ex charitate, quia jam illa subventio non est religioni superflua, sed est veluti abscissio membri corporis ad subveniendum alteri, vel est ex actionibus necessariis, seu valde commodis suo monasterio. Ad obligandum enim ex charitate, inquit Suarez *d. cap.* 9. *num.* 19. in præsenti materia oportet, ut sine incommodo religionis, & quasi ex superfluo possit illa subventio fieri: quod moraliter (ait) dici non potest quando necessarium est è religione egredi, sive habitu retento, sive dimisso; quia in utroque solet esse magnum dispendium religionis, & ideo non tenetur religio talem licentiam concedere. Quare idem Suarez *eodem num.* 19. quem sequitur Trullench *d. dub.* 24. *num.* 5. rejecta opinione nonnullorum, quos ipse tacitis nominibus *num.* 18. allegat, asserentium Prælatum teneri ad dandam hujusmodi licentiam, si intra claustra vivens filius parentibus egenis non potest prospicere, dummodo aliud detrimentum religioni non sequatur, nisi carere ad tempus utilitate talis personæ; distinguendo dicit, si ex egressu religioni resultat notabilis incommoditas, Prælatum non teneri concedere talem licentiam; at verò si commoditas religionis tantùm esset privari aliqua utilitate temporali, v. g. eleemosynis religiosi, vel aliquibus operibus artis, quæ ab ipso fieri possent, si monasterium sit dives, vel habeat copiosas eleemosynas unde alatur, ad talem licentiam concedendam teneri Prælatum ex charitate ob generalem ejus rationem, applicatam tamen specialiter in hoc casu propter specialem conjunctionem personæ indigentis ad religiosum, qui est membrum talis monasterii, & propter specialem obligationem ipsiusmet religiosi, quam non debet impedire Prælatus, si commodè potest. Verùm cùm filius, licèt professus, teneatur parentibus graviter egentibus subvenire ex obligatione pietatis, quæ sub obligatione justitiæ comprehenditur; & licèt in respectu ad alterum deficiat à formalitate justitiæ, tamen strictiùs adstringit quàm obligatio justitiæ propriè sumptæ, & commutativæ, ut suprà *num.* 1294. ex eodem Soario notatum est; videtur tamen dicendum, etiam stantibus præfatis sententiis, religionem teneri religioso concedere facultatem exeundi è religione ad subveniendum parentibus, quibus alio modo non possit consuli, sicut teneretur talem licentiam concedere, si idem religiosus teneretur ex obligatione justitiæ commutativæ. Quod quoad facultatem manendi ad longum tempus extra claustra intelligendum est, accedente approbatione Sedis Apostolicæ, seu Summi Pontificis, juxta tradita suprà *num.* 1303. & ubi Religiosus professus ex causa parentibus graviter indigentibus subveniendi facultatem vivendi extra claustra obtinuisset à Sede Apostolica, Prælatus volens impedire executionem talis licentiæ injustè resisteret, & circa dubium graviter peccaret sciens eam facultatem ex vera & legitima causa concessam, ut tradunt Navarrus *d. num.* 49. Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 24. & Trullench *d. dub.* 24. *num.* 6. Secus verò si Prælatus existimaret causam non esse veram, aut professum esse talem, qui minùs cautè quàm par est, vitam extra monasterium esset ducturus, aut si intra monasterium posset commodè parentibus subvenire; tunc enim absque peccato, imò cum merito resisteret, ut tradunt Navarrus, Sanchez, & Trullench *locis citatis*. Et dicta à *num.* 1294. hucusque, versantur quoad perfectam, & exactam explicationem præfatarum sententiarum primæ, secundæ, & tertiæ, præter quas explicanda est alia sententia.

Quarta sententia absolutè affirmans, in necessitate parentum gravi, cui filius extra monasterium subvenire possit, non intra, teneri filium professum egredi, etiam invito superiore licentiam exeundi denegante.

Itaque quarta sententia, quam probabiliorem existimo, ex directo opposita secundæ sententiæ, & 1306
tertiæ quoad primam partem, ac primæ quoad secundam partem, affirmat ad sublevandam parentum gravem necessitatem evidentem, cui alio modo subveniri non potest quàm per filium professum, teneri egredi petita, & non obtenta à Superioribus licentia, sive ea necessitas antecesserit professionem, sive ea subsequuta sit; idque etiam relicto habitu, si necesse sit, & aliter filius professus parentibus indigentibus nequeat succurrere. Ita præter Henricum de Gandavo *quodlib.* 6. *quæst.* 18. Anchar. *de patr. potestate, quæst.* 5. *art.* 1. Joan. Medinam *de restit. quæst.* 3. Palacios *in* 4. *dist.* 38. *disput.* 1. Viguerium *lib. institut. cap.* 6. §. 7. Jansenium *in concord. Evang. cap.* 6. in ea verba, *Vos autem dicitis*, Cordubam *in regulam S. Francisci, cap.* 2. *quæst.* 6. *art.* 2. *parte* 4. quos Suarez *de relig. tom.* 3. *lib.* 6. *d. cap.* 9. *num.* 4. & Sanchez *lib.* 4. *Sum. cap.* 20. *num.* 15. referunt; ita, inquam ex Doctoribus suprà *n.* 1293. relatis, Valentia *d. puncto* 2. *versi. Dico secundò*, Azorius, & Gordonus locis *citato num.* 1293. allegatis, & magis probabilem sententiam tandem putat Villalobos *d. cap.* 7. *num.* 9. *fine.* Citantur etiam alii pro hac sententia, ut Alvinus, & Joan. Major *locis* à Sanchez loco citato *relatis*, qui tamen videntur loqui solùm in extrema necessitate parentum. Hanc sententiam, quando necessitas antecedit professionem, satis probare videntur tradita suprà *num.* 1294. quæ verè non enervantur per tradita suprà, *num.* 1401. In utroque autem casu, nempe sive ea necessitas præcesserit, sive sit subsequuta professionem, hæc sententia probatur ex traditis suprà *num.* 1298. & 1299. & primò quia votum solemne professionis, ex quo pendet tota obligatio status religiosi, non liberat religiosum ab obligatione præcepti naturalis, neque absolutè, neque quoad modum

modum illud implendi: ergo non extenditur ad observantiam religiosam, seu vitæ religiosæ, quoties evidenter impedit subventionem parentum graviter egentium, quæ est de præceptò naturali, & divino, nempe pietatis erga parentem: quod præceptum semper afficit filium, licèt sit religiosus, quia non desinit esse verus filius. Consequens probatur, quia alioqui talis observantia non solùm non esset melius bonum, sed nec bonum, & sic nec materia apta voti. Igitur sicut votum simplex religionis, quod est tantùm permissio assumendi statum religiosum, sine actuali traditione, includit conditionem, ita etiam votum solemne religionis continens traditionem, includit illam conditionem, *Dummodo res quæ est materia voti, aliquando præcepto alicui naturæ, vel divino non repugnet*; alioqui etiam in extrema necessitate observantiæ vitæ religiosæ impediret subventionem parentis, vel extranei extremè egentis, ubi religiosus professus non potest tali necessitati subvenire nisi egrediendo è monasterio, & deserendo ad aliquod tempus observantiam vitæ religiosæ, nec alio modo posset subveniri: quod Doctores communiter reprobant, ut constat ex traditis suprà *num.* 1293. Cùm ergo obligatio subveniendi parentibus, iam in gravi necessitate, quàm in extrema constitutis, sit præcepti naturalis, & divini, juxta Doctores communiter, votum, & simplex, & solemne religionis intelligitur, dummodo non contingat materiam promissam esse impeditivam operis ex præcepto naturali, & divino, ut est subventio parentum in gravi necessitate à filiis debita ex præcepto pietatis. Neque derogat religioni, aut perfectioni, quod traditio quæ per votum solemne in religione fit, intelligatur facta sub hac conditione, ut jus paternum, & obligatio naturalis filii illæsa serventur, atque ideo semper filius, licèt professus, subvenire teneatur parentibus ejus obsequio graviter indigentibus, dimissa observantia vitæ religiosæ, & etiam dimisso habitu, si id necesse sit ad talem subventionem. Quare etiam esto foret possibilis modus tradendi se religioni, ut etiam ob sublevandam parentum gravem necessitatem omni alio remedio carentem, filius non posset religionem, seu observantiam vitæ religiosæ deserere; cùm tamen hic modus se tradendi, & contrahendi cum religione videatur nimis durus, & parum consentaneus fini, & perfectioni religionis, quæ maximè debet esse cultrix pietatis; ideo nec censeri debet hanc esse intentionem profitentium, nec Ecclesiæ institutricis, aut approbatricis status religiosi. Secundò probatur hæc sententia ratione adducta suprà *dicto num.* 1298. quam latè prosequitur Valentia *d. puncto* 2. *versic. Potest*, scilicet quod circumstantia, quæ existens ab initio voti, reddit votum nullum, efficiendo rem promissam minùs aptam materiam voti, vel suspendit voti obligationem, idem operatur si voto emisso superveniat, neque in hoc videtur facienda differentia inter votum simplex non continens traditionem, & inter votum solemne traditionem personæ continens. Sicut ergo necessitas gravis parentum superveniens voto simplici egrediendi religionem suspendit ejus obligationem durante ea necessitate, cui non potest consuli nisi per filium manentem in sæculo: ita si superveniat voto solemni religionis, suspendet ejus obligationem, quatenus est impeditiva subventionis parentis graviter egentis.

1307 Hinc juxta hanc sententiam Prælatus, cui manifestè constet de gravi parentum religiosi necessitate, quæ aliter nequeat sublevari quàm per filium professum manentem extra religionem, tali religioso facultatem vivendi extra religionem, ut possit eisdem parentibus succurrere, concedere tenetur; & admissa hac sententia idem fatentur etiam Doctores aliarum sententiarum, præsertim Sanchez *d. cap.* 5. *num.* 25. quia nequit superior derogare juri quod parens habet in filium, ut ab eo sibi in tali necessitate provideatur, nec impedire filium professum suam implere obligationem erga parentem, qui dum professionem emisit, & se tradidit religioni, noluit esse obligatus observantiæ religiosæ in casu extremæ, vel gravis necessitatis suorum parentum, ut probatum est.

Non obstante tamen evidentia gravis necessitatis, 1308
judicio prudentum probata, & nota religioni, filius professus antequam discedat à religione ad subveniendum parentibus ejus ope graviter indigentibus, priùs tenetur per se loquendo petere licentiam à religione, seu à superiore immediato, vel provinciali, aut generali, vel à Summo Pontifice, licèt si denegetur, & eam non obtinuerit, nihilominus teneatur, secluso gravi scandalo, aut notabili religionis, seu status religiosi detrimento, deserere religionem, ut iisdem parentibus subveniat, quibus alio modo, & manendo in religione non possit consuli. Ita Doctores hujus sententiæ, & omnes alii Doctores aliarum sententiarum. Ratio necessitatis petendæ hujusmodi licentiæ, etsi ea non obstante possit filius professus in tali casu egredi è religione, est quia religiosum statum dedecet eam non petere, sicut etiam quando manens in religione potest eisdem parentibus indigentibus subvenire modis suprà *num.* 1288. explicatis, debet per se loquendo, juxta Doctores *num.* 1287. & 1288. allegatos, priùs petere licentiam subveniendi, licèt ea non obtenta adhuc posset licitè, & teneatur efficere ea, quibus salva status decentia, & secluso gravi scandalo eisdem parentibus subveniat, quia id postulat religiosus. Quod confirmatur; nam etiam Jus Canonicum, *cap. licèt, de regular.* præcipit peti licentiam ad adeundam strictiorem religionem, quamvis ea denegata is transitus sit licitus. Dixi, *per se loquendo*, quia per accidens posset excusari à petitione talis licentiæ, ut si omninò certus sit fore, ut non solùm iniquè denegetur, sed etiam ut postea nequeat egredi, & parentes maneant deserti, & necessario ac debito subsidio destituti. Deberet tamen in tali casu, si parentum necessitas permittat, & ipsi facultas sit, recurrere ad Summum Pontificem pro tali licentia, à quo etiam omninò petenda esset licentia, si manendum esset extra religionem ad longum tempus, vel ad subveniendum parentibus opus esset dimittere ad tempus habitum religiosum, ut suprà *num.* 1303. dictum est.

Non omittam etiam advertere, cùm non ita facilè, 1309
sed imò rarò contingere, vel constare possit evidenter gravem esse parentum necessitatem, aut cui non possit alia via subveniri, quàm per filium professum extra religionem, vel absque periculo salutis animæ ejusdem filii professi, vel ingenti detrimento Christianæ Reipublicæ, aut totius Ordinis, cui evitando postponi debeat parentum subventio, ex hujusmodi capitibus etiam, & ad præcludendam viam, ne sit in potestate Religiosorum, & ex colorato prætextu subveniendi eorum parentibus, exire à monasterio ad omnem eorum libitum, & sic se eximere ab obedientia superiorum, quod ut sit licitus egressus è religione causa subveniendi parentibus, regulariter loquendo, necesse est petere, & obtinuisse licentiam eorumdem superiorum, ad quos spectant religiosi subditi jura, gubernatio, & directio, quorumque judicium de prædictis spectandum est: qui idcirco in ejusmodi casibus requisiti pro tali licentia concedenda debent benè considerare, an quæ proponuntur à filio religioso, vel ejus parentibus, sint vera, & super his fideles informationes habere, an aliquo modo religio, vel aliqua alia pia persona, vel aliena opera quàm ipsius regularis, vel opera ipsius regularis in religione

ne manentis possint subvenire: an religiosus egrediendo se exponat salutis animæ morali periculo, & an ob utilitatem magnam, quam Religiosus affert Christianæ Reipublicæ, aut toti Ordini, judicio prudentum in hoc casu negligendi sint parentes. Si igitur Prælatus his omnibus consideratis licentiam concesserit, benè quidem erit; si verò negaverit, judicans vel non adesse gravem necessitatem, & talem quæ obliget filium ad subventionem, vel exitum è Religione non carere morali periculo animæ, vel gravissimo detrimento boni publici, tunc Religiosus debebit obedire in dubio, & quoties non omninò certò constaret de necessitate parentum gravi, & quod aliter non possit illi consuli, nisi ipso ad sæculum redeunte, & egredi posse absque periculo animæ, & gravi damno, ut inquit etiam Valentia *d. p.2. conclusione secunda.*

1310 Quod si prorsus evidens esset necessitatem parentum esse gravem, & filium religiosum posse in sæculo subvenire, & absque animæ periculo, prudentum judicio, nec aliàs posse illis succurri quàm per filium viventem extra Religionem, cujus quoque absentia à Religione non afferet grave detrimentum Christianæ Reipublicæ, vel toti Religioni, hoc in casu procedit quarta sententia, tanquam probabilior approbata, & posset licitè, ac teneretur filius Religiosus exire è monasterio, & vivere in sæculo ad subveniendum parentibus, petita, licèt non obtenta licentia à superiore, cujus renitentia hoc in casu non est curanda, cùm non possit liberare ab obligatione præcepti naturalis, nec ejus exequutionem impedire; & in tali casu obediendum sit magis Deo quàm hominibus. Quod tamen juxta tradita suprà *n.*1294. *fine*, intelligendum est, dummodo ex recessu à monasterio, & permanentia in sæculo, invito superiore, & absque ejus licentia, non sequatur verum, & grave scandalum; & Religiosus extra claustra vivat, & subveniat parentibus sine notabili indecentia status Religiosi.

Responsio ad fundamenta primæ, & secundæ sententiæ.

1311 Neque eidem quartæ sententiæ, prout in præcedentibus explicatæ, obstant argumenta tradita suprà *num.* 1297. ad probandam secundam sententiam. Quare

Ad primum respondetur, filium professum mortuum esse mundo, sed non carni, & juri, ac debito naturali: & sicut mors civilis sequens ex professione non tollit naturalem vitam, nec efficit ut filius non sit verè filius, ita neque intrinsecam, & naturalem obligationem omninò auferre potest.

Ad secundum, cùm in voto solemnis professionis subintelligatur illa conditio, de qua suprà *n.*1295. & 1306. negatur majorem esse obligationem voti, quàm sit obligatio naturalis alendi parentes gaviter egentes.

Ad tertium, pariter stante illa conditione ex natura sua inclusa in voto professionis, respondetur argumentum non urgere, cùm in tali casu gravis necessitatis votum non obliget ad observantiam vitæ religiosæ, ut *suprà d. num.* 1306. ostensum est. Nec obstant exempla conjugis, & servi, quia in contractu matrimonii non includitur illa conditio, sed conjux absolutè se tradit alteri; & sic etiam servus absolutè in dominium domini transit. Addi etiam potest cum Valentia *d. p.2. vers. Exemplum*, quod Deus, cui per votum solemne nos offerimus, cùm non indigeat nostris oblationibus, facilè cedit obligationi erga ipsum contractæ, quando sine detrimento gravi proximi, præsertim adeò conjuncti, ut est parens, non potest impleri. Confirmationi sumptæ ab exemplo Clerici jam satisfactum est suprà *numero* 1294.

Ad quartum respondetur, per professionem Religiosum se tradere Religioni, seu Prælato, cum tacita illa conditione se non obligandi ad observantiam vitæ Religiosæ, ubi contingat illam, & obedientiam erga Prælatum impedire opus de præcepto naturali, juxta tradita *citato num.*1306. & per prædicta manet satisfactum etiam traditis *num.*1295. ad probandam secundam partem primæ sententiæ.

Prædictis addendum, filium professum, qui sive obtenta superioris licentia, sive ea negata ob sublevandam gravem parentum necessitatem ad sæculum rediit, non posse, nec debere hoc nomine plus temporis extra religionem morari causa parentum, quàm oporteat ad succurrendum illis; finita enim necessitate tenetur redire ad monasterium, ut tradunt Doctores communiter, præsertim relati suprà *n.*1293. *fin. locis ibidem citatis*, & convincit ratio ibidem tradita, ubi etiam ostenditur, quod si Religiosus Societatis causa parentum ex licentia superioris redierit ad sæculum, & sic etiam necesse fuit dimittere habitum, ut possit succurrere, & posteà potuit cum habitu subvenire, statim debet reassumere habitum, etiamsi à Summo Pontifice obtinuisset licentiam vivendi extra Religionem, dimisso habitu: intelligitur enim licentia tantùm durante necessitate. Ita iidem Doctores communiter. 1312

§. IX.

Monasterium admittens ad professionem filium habentem parentes gravi necessitate pressos, ex quo factus est impotens ad illis subveniendum, an loco filii teneatur eisdem parentibus succurrere.

Sed numquid quando filius desertis parentibus in gravi necessitate constitutis, quibus tenebatur, & in sæculo manens poterat subvenire, ingressus est religionem, & professionem emisit, religione præsertim sciente parentum necessitatem, si ex ingressu idem filius factus sit impotens ad subveniendum iisdem parentibus; numquid, inquam, obligatum est monasterium eisdem parentibus religiosi succurrere? Si monasterium successit in bona ingredientis, certum est teneri ex prædictis bonis subvenire parentibus religiosi indigentibus, ut latè probatum est suprà *hoc opere, num.*402. & 406. & præter Doctores ibidem relatos, tradunt ex relatis suprà *num.* 1262. Sanchez *d. cap.*20. *n.*21. & Castrus Palaus *d. tract.*16. *disput.*2. *puncto secundo*, §.6. *num.*3. Difficultas procedit quando ad monasterium nulla bona ingressi devenerunt; & etiam in hoc casu monasterium, quod tempore professionis novit eorum necessitatem, & filium in religione futurum impotentem ad subveniendum, esse obligatum succurrere parentibus indigentibus, quos juvare tenebatur filius ingrediens, tradidere Angelus *verbo Religiosus*, *num.*31. & Sylvester *verbo Religiosus* 6. *quæst.*9. quia cùm monasterium parentibus injuriam intulerit in eo casu admittendo filium ad professionem, tenetur illam resarcire, damnumque reparare præbendo illis alimenta. At Sanchez *allegato num.*21. negat etiam in hoc casu teneri monasterium ad subveniendum parentibus loco filii professi; quia, inquit, cùm filius non ex justitia, sed ex solius pietatis obligatione teneatur alere, non est vera injuria contra justitiam obligans ad restituendum, admittere filium ad religionem, neglecta hac obligatione. Sed prior sententia 1313

tia videtur verior, & eam amplexus est Castrus Palaus *d. num.* 3. & colligitur ex Soario loco suprà *num.* 1294. allegato, & ex traditis ibidem, *versic. Neque obstat.* Debet enim monasterium subire filii obligationem, cùm illum in eo casu admittens ad professionem fuerit causa, ut ipse præfatæ obligationi naturali ex pietate parentibus debitæ nequeat satisfacere; & licèt per hoc non peccaverit contra justitiam rigorosè, & formaliter sumptam, peccavit tamen contra pietatem, cujus obligatio superat obligationem justitiæ formalis, arctiusque ligat, & obligat ad reparandum damnum, sicut aliæ obligationes justitiæ, ut *d. num.* 1294. *citato, vers. Neque obstat*, explicatum est. Quod si monasterium bona fide ignorans parentum necessitatem, aut probabiliter credens filium in Religione æquè benè eis posse subvenire, illum admiserit ad professionem, non erit obligatum ex suis bonis sibi necessariis eosdem parentes egentes alere, quia neque ex justitia, ut patet; neque ex charitate tenetur, quæ constitutis in gravi necessitate obligat succurrere solùm de superfluis. Hactenus quoad primum dubium.

§. X.

Ob filiorum extremam, vel gravem necessitatem pater, qui in sæculo, & non in Religione potest illis subvenire, an teneatur ad illis subveniendum omittere, seu differre ingressum in religionem.

DUbium secundum, an filiorum necessitas extrema, & etiam gravis, obliget parentem omittere, vel differre ingressum in Religionem, si manens in sæculo possit illis subvenire, nec posset in Religione.

1314 Certum est, si necessitas filii sit extrema, obligari parentem volentem ingredi Religionem, omittere, seu differre ingressum, ut subveniat filio extremè egenti. Ita omnes Doctores suprà *num.* 1262. relati, & expressè Castrus Palaus *d. §.* 5. *num.* 2. Sanchez, Suarez, Azor. Lessius, idem Paulus, & Trullench locis qui infra allegantur, & Jurisperiti suprà *eodem num.* 1262. relati, & à fortiori probant tradita suprà *num.* 1267. cùm non minùs, imò magis jure naturæ, & pietate naturali obligentur parentes alere filios egentes, quàm filii obligentur alere parentes, ut ex mox dicendis constabit. Quare cætera suprà *num.* 1268. 1269. & 1270. tradita de filio comparatione parentum, procedunt etiam in parente comparatione filii extremè egentis, & etiam comparatione cæterorum descendentium per lineam rectam, ut etiam suprà *num.* 1271. notatum est.

1315 Si etiam filii emancipati laborent gravi necessitate alimentorum, aut alia corporali, cui parens manens in sæculo consulere possit, non autem in Religione, nec alio modo eidem filiorum necessitati provideri queat, parentem ad illis subveniendum sub mortali teneri differre ingressum in Religionem, & jam ingressum adhuc novitium debere egredi, est communis resolutio Doctorum. Ita ex Doctoribus suprà *num.* 1262. relatis, S. Thomas *d. quæst.* 189. *art.* 6. *corp.* Azor. 1. *part. lib.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 8. Suarez *d. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 1. & 2. Lessius *d. cap.* 41. *num.* 34. *initio*, Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 34. & 35. Villalobos *d. difficult.* 7. *num.* 10. Bonacina *loco d. num.* 1262. *citato*, Layman *d. cap.* 4. *num.* 2. *vers. Dico tertiò*, Castrus Palaus *d. §.* 5. *num.* 11. & Trullench *d. dub.* 23. *num.* 9. & idem tradidit Rebellus *de obligat. justit. part.* 2. *lib.* 5. *quæst.* 8. *sect.* 2. *num.* 5. & ex Jurisperitis *eodem n.* 1262. relatis, idem aiunt Corduba à Lara, & Surdus locis ibidem citatis. Probatur, quia non minùs obligatur pater jure naturæ, & pietate naturali filium inopem alere, & ei in necessitate constituto subvenire, quàm filius teneatur patrem alere, & ei indigenti succurrere, juxta Doctores communiter suprà *hoc opere, num.* 6. relatos, & tradita *num.* 7. Nam cùm vinculum sanguinis inter patrem, & filium reciprocum sit, etiam obligatio debet esse reciproca, cæteris paribus, quoad statum, & quoad necessitatem. Si ergo filius quicumque, etiam emancipatus, seu extra potestatem patris existens tenetur succurrere parenti in gravi necessitate existenti, ut constat ex latè traditis præcedenti dubio: ergo etiam pater cuicumque filio, etsi emancipato, in simili necessitate existenti succurrere tenetur; & consequenter sicut filius non potest licitè ingredi Religionem deserendo patrem in necessitate gravi constitutum, ita nec pater relinquendo in simili necessitate filium, etiam emancipatum; quia per emancipationem vinculum paternum, in quo fundatur hæc obligatio specialis patris subveniendi filio in extrema, & in gravi necessitate existenti, non fuit extinctum, sed solùm liberatur pater ab obligatione providendi illi per se, & absolutè, etiamsi graviter non indigeret: qua obligatione tenetur pater erga filios sub sua potestate, & cura existentes. De quo agendum est ut sequitur.

Itaque loquendo de filiis sub paterna potestate existentibus, non solùm quando hi filii sunt in gravi necessitate constituti, sed etiam absolutè, non posse patrem ingredi Religionem, omissa eorumdem filiorum cura, nisi eis quæ necessaria sunt ad sufficientem sustentationem, & piam per alium educationem priùs providerit, tradunt S. Thom. *d. art.* 6. Turrectemata *cap.* 1. *art.* 1. *num.* 2. *dub.* 30. D. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 2. Soar. Sanchez Lessius, Layman, Castrus Palaus, Villalobos & Trullench *loco num. praced. allegat.* & esse communem sententiam testatur Suarez *d. cap.* 6. *n.* 1. Probatur ratione S. Thomæ, & adducta in prima parte hujus tractatus de effectibus matrimonii, *cap.* 10. *num.* 3. ubi de obligatione parentum piè filios educandi, scilicet quia cùm parentes filiorum sint causa, & principium, per se illis incumbit, ut eorumdem filiorum curam gerant, & illis subveniant, non ad tempus tantùm, sed per totum vitæ curriculum, & præsertim usquedum ad maturitatem, & perfectionem perducantur; cùm tamen per accidens tantùm filiis conveniat cura parentum, illisque providere, nempe ratione necessitatis, seu in quantum sunt in aliqua necessitate constituti, ut ait S. Thom. *d. art.* 6. & significavit D. Paulus 2. *ad Cor.* 3. asserens parentum esse thesaurizare filiis, non filiorum parentibus. Hanc igitur obligationem naturalem juris naturalis, & divini non potuit pater negligere propter opus consilii, vel statum non præceptum. Dixi, *nisi eis, &c.* nam si sufficienter de rebus necessariis illis provideant, & illos per alios institui, vel illorum curam geri posse providerint, vel tam pater quàm filius posset ingredi Religionem, ut ait Azorius, & post eum Villalobos, integrum illis erit Religionem ingredi, ut tradunt præallegati Doctores, & etiam Navarrus *comment.* 1. *de regul. num.* 8. quia tunc cessat ratio, & necessitas educationis filiorum. 1316

Porrò tradita duobus præcedentibus numeris procedunt etiamsi parens votum religionis emiserit, 1317 quod non potest exequi nisi providendo priùs qualiter filii graviter egentes possint sublevari, vel educari, si educatione egeant, licèt sint extra gravem necessitatem; quia illa obligatio naturalis afficiens parentes non potest tolli, aut ejus exequutio impediri voto, sicut suprà *num.* 1277. dictum est de obligatione filii erga parentes in gravi necessitate constitutos: & ita etiam in terminis Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 36. & Trullench *d. num.* 5.

Item

1318 Item procedunt in aliis ascendentibus, scilicet avis, proavis, &c. respectu nepotum, & aliorum descendentium, quando hi parentibus carent, cùm succedant loco parentum, eademque obligatione teneantur, ut suprà *num.* 1272. probatum est, & habeant rationem principii, licèt non immediatè respectu descendentium. Ita etiam Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 37. & Trullench *d. num.* 5.

§. XI.

Filius, vel pater, etiam voto castitatis, vel Religionis adstrictus, qui nisi matrimonium contrahat, accepta ab uxore dote, non potest alere patrem, vel filium graviter egentem, an teneatur matrimonium inire.

1319 VErùm, numquid parens ut possit subvenire gravi necessitati filii, & filius ut possit subvenire parentibus in simili necessitate constitutis, teneatur non solùm abstinere ab ingressu Religionis, sed etiam ducere uxorem, si tali necessitati nequiret subvenire nisi adjutus dote uxoris, quæ medio matrimonio ad ipsum perveniret. Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 27. cum S. Thoma *quodlib.* 10. *art.* 9. loquens de filio respectu patris graviter egentis respondet, teneri tale matrimonium inire, eo quòd necessitas implendi præceptum naturale, & divinum, quo filius adstringitur parentibus subvenire, præponderet consilio vitæ cœlibis, sicut & Religionis ingressui: quæ ratio militat & in parente respectu filii simili necessitate laborantis, etsi raro, ut notavit S. Thomas *loco citato*, iste casus possit accidere; eo tamen eveniente, responsio procederet, etiamsi pater, vel filius obligatus filium, vel patrem gravi necessitate laborantem juvare, castitatis, aut religionis voto ligatus esset, sive ante, sive post eam necessitatem emisso, ut ait Sanchez, cùm votum nequeat obligare contra illud præceptum subveniendi in tali necessitate parenti, vel filio. Quo tamen casu votum tantùm suspenderetur, & sic finita necessitate, & mortua uxore, votum Religionis obligaret ad ingressum Religionis, & votum castitatis ad omnimodam castitatem, & ad non contrahendum aliud matrimonium: sicut durante matrimonio obligat ad abstinendum ab omni actu venereo conjugibus non permisso, & sic eo ligatus fornicans esset sacrilegus.

§. XII.

Parens jam professus in religione an teneatur egredi, ut subveniat filiis in gravi necessitate constitutis, si vivens in Religione non possit illis succurrere.

1320 QUid verò si desertis filiis in gravi necessitate existentibus, vel ejus cura indigentibus, parens transeat ad religionem, & in ea profiteatur, vel si postquam professus est, filii ad gravem necessitatem redigantur, an ad illis subveniendum, vel ad gerendum curam de illis idem parens teneatur egredi è Religione? Resolvendum eodem prorsus modo sicut in præcedenti dubio dictum est, filium professum parentibus in gravi necessitate constitutis, sive ea necessitas antecesserit, sive subsequuta sit, debere subvenire, & teneri, vel non teneri egredi è Religione causa illis subveniendi, cùm in utroque casu eædem rationes militent, & quæ obligatio est filii erga parentem, eadem est parentis erga filium, imò major, si filius sit sub illius potestate, ejus cura egens, cui pater teneatur per se providere, ut suprà *num.* 1316. dictum est. Ita ex Doctoribus suprà *num.* 1284. & 1285. relatis, Sanchez *ad cap.* 20. *num.* 39. Soarius *d. lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 30. Castrus Palaus *d. disp.* 2. *puncto* 2. §. 6. *num.* 14. & Trullench *d. dub.* 24. *num.* 8. Quare primò juxta omnes parens professus manendo in monasterio posset, & teneretur filiorum necessitati consulere omnibus viis non prohibitis, salvaque obedientia, & status Religiosi decentia, juxta tradita suprà *num.* 1288. Secundò si necessitati filiorum aliter non posset subveniri nisi per patrem professum viventem extra claustra Religionis, eo casu juxta Doctores *num.* 1294. allegatos, & tradita *ibid.* & *num. seq.* si necessitas filiorum præcesserit professionem, tenetur exire licentiâ priùs petitâ, etsi denegatâ: si verò necessitas sit subsequuta professionem, non teneretur egredi, nec posset absque legitima licentia obtenta, sed solùm teneretur illis succurrere quantum status Religiosus patitur, juxta Doctores suprà *num.* 1296. relatos, & tradita *num.* 1297. & *quatuor sequentibus*: & parens professus ullo in casu non teneretur egredi ad subveniendum gravi filiorum necessitati, vel ad curandum de illis, sed tantùm teneretur juxta statum suum, & juxta Fagundez loco suprà *num.* 1302. allegato, petita, & non obtenta à Prælato licentia non teneretur, sed posset licitè egredi causa subveniendi filiorum necessitati gravi, & de illis curandi. At juxta Doctores relatos suprà *num.* 1306. & *ibid.* & *num.* 1310. tradita, si constet certò, & evidenter de filiorum gravi necessitate, & quod parentis ope indigeant, nec illis queat provideri nisi per patrem manentem extra Religionem, pater professus licentiâ redeundi ad sæculum à superioribus petitâ, & non obtentâ, posset licitè & teneretur egredi ad subveniendum tali filiorum necessitati, illorumve curam suscipiendam.

§. XIII.

Ob necessitatem gravem fratrum, vel sororum, vel aliorum consanguineorum transversalium, an frater, vel patruus teneatur differre ingressum in religionem, vel jam professus teneatur deserere statum Religiosum, ut illis subveniat.

DUbium tertium, an si fratres, vel sorores, aut filii consanguinei gravi necessitate alimento- 1321
rum, & vitæ corporali necessariorum premantur, ut illis subveniat, quando aliud remedium auxilii deest, quis teneatur omittere, seu differre ingressum Religionis, & jam professus teneatur, vel possit licitè redire ad sæculum? De hac difficultate expressè priùs egerunt Azor *p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 8. posteà Sanchez *lib.* 4. *Sum. d. cap.* 20. *num.* 29. & *quatuor seqq.* Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 6. & *lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 31. Lessius *lib.* 2. *de justit. cap.* 41. *num.* 34. *initio*, Bonacina *de præceptis, disput.* 6. *quæst. unica, puncto* 7. *num.* 4. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 2. *versic. Dico tertiò*, Trullench *in Decal. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 23. *num.* 10. Villalobos *p.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 7. *num.* 11. & Castrus Palaus *tom.* 2. *tract.* 16. *disp.* 1. *puncto* 7. §. 5. *num.* 12. & 13. & *disp.* 2. *puncto* 2. §. 7. *num.* 14. & procedit difficultas præcipuè de fratribus comparatione fratrum & sororum, & de sobrinis seu patruis comparatione nepotum ex fratre, vel sorore, & è contra.

Necessi

§. XIV.

Necessitas gravis fratrum & sororum est justa causa dispensandi cum fratre obstricto voto Religionis ad differendam voti exequutionem, ut ei necessitati subveniat.

1322 CONveniont præfati Doctores, necessitatem gravem fratris, vel sororis, ad quam sublevandam necessarius sit frater in sæculo, si is frater obstrictua sit voto religionis, tam absque determinato tempore ingrediendi religionem, quàm pro determinato tempore, præstare justam causam dispensationis concedendæ ad differendum ingressum pro tempore quo ea necessitas duret. Ita Sanchez *n.34.* Suarex *d.cap.6.n.5.* Palaus *d.§.5.n.13.* & Trullench *d.n.10.* Quam dispensationem in sola dilatione ingressus potest Episcopur concedere, ut dixi *in tract. de triplici jub. privil. sect.2.* & tradit Sanchez *d.n.34.* Imò etiam si frater sit jam professus, gravem necessitatem sororum, præsertim si illæ in gravi impudicitiæ periculo versentor, cuique necessitati brevi posset idem frater professus succurrere, & redire ad religionem, esse justam causam, ut à summo Pontifice cum professo dispensetur ad exeundum è religione, ut eidem necessitati succurrat, tradunt Sanchez *eodem n.34.* & Corduba *in Summa, q.141. fine*, ubi testatur se vidisse hujusmodi dispensationes à Pontifice concessas professis ad exeundum causâ succurrendi gravi sororum necessitati.

§. XV.

Necessitas gravis fratrum, & sororum an sit justa causa, ut frater voto religionis ligatus propria authoritate differat voti exequutionem.

1323 QUin etiam Sanchez *d.cap.20.n.31.* asserit ad succurrendum fratribus, vel sororibus, etsi absque periculo impudicitiæ in magna necessitate constitutis, putà pauperibus, & parvulis, & destitutis omni alio ausilio, quibus aliàs nisi per fratrem in sæculo manentem consult nequest, fratrem obstrictum voto religionis absque determinato tempore ingressui religionir præfixo, licitè posse propria authoritate differre ingressum, qoia tale votum absque determinato exequutionis tempore emissum censetur obligare solùm pro eo tempore, seu quamprimùm vovena commodè, & opportunè illud implere poterit, ut tradit idem Sanchez *d.lib.4.cap.14.n.5.* Non censetur autem opportunitas, seu commoditas adesse, quando voventis præsentia in sæculo necessaria est ad subveniendum præfatæ personarum adeò sibi conjunctarum necessitati, licèt secus sit (inquit) respectu aliorum consanguineorum transversalium, cùm non sit tanta obligatio subsidii ipsorum. Quod idem asserit Trullench, dummodo frater tali voto ligatus non cogatur per multum tempus ingressum, & voti esequutionem differre. Quod si adesset magnum periculum impudicitiæ sororis propter paupertatem, gravemque ejus necessitatem, cui necessitati, & periculo frater io sæculo succurrere posset, idem Sanchez *n.32.* addit, quod frater ligatus voto religionis, etiam pro determinato tempore, posset propria authoritate differre ultra illud tempus ingressum in religionem, eo qoòd in hoc casu cora sororum auxilio destitutarum fratri incumbens, simul cum eo impudicitiæ periculo præponderet illi obsequio divino ingrediendi statim religionem; & quilibet vir prudens judicaret ob tale opus tantæ charitatis, majoris obsequii divini fore, ut ingressus ex hac causa differatur: & hoc idem com eodem Sanchez affirmat Trullench *loco citato*. Uterque autem addit hoc non procedere respectu fratrum, aut aliarum fœminarum consanguinearum transversalium; quia fratres multò faciliùs, & cum minori periculo quàm fœminæ possunt sibi prospicere, & aliarum fœminarum consanguinearum transversalium cura ad eundem fratrem voventem non spectat.

1314 Etsi Suarez *in d.cap.6.num.5.* etiam respectu fratrum, & sororum in utroque casu, & absque ulla distinctiooe inter votum pro determinato tempore, & absqne ullo determinato tempore, negat fratrem voto religionis obstrictum, ad subveniendum fratribus, & sororibus, etiam cum periculo impudicitiæ gravi necessitate pressis, posse propria authoritate differre licitè voti exequutionem, eo quòd voti exequutio differri propris authoritate nequeat absque dispensatione, nisi voti obligatio cesset, vel quia voti materia incapax sit obligationis, vel quia voti materiæ promissæ nova mutatio supervenist, & voti obligatio certè moraliter creditur non cecidisse pro tali casu sub intentionem voventis. Io præsenti autem casu materia est capax obligationis, quia non obstante fratrum, & sororum necessitate, non est prohibitus fratri ingressus in religionem, ut tradit idem Suarex *num.4.* & asserit etiam Sanchex, ut infrà dicitur: neque etiam illa circumstantia gravis necessitatis fratrum & sororum est talis, ut per se excludat materiam illam ab intentione voventis; qnia ordinariè, inquit, homines non solent suscipere curam fratrum suorum cùm tanto onere, & detrimento suo ultra id ad quod ex præcepto naturali tenentur; ac proinde nisi adsit alia probabilis conjectura exclusionis iorentionis, votom obligat, & sic absque dispensatione non potest omitti voti exequutio. Cum Soario contra Sanchez concordat Castrus Palaus *d. §.5.n.13.* quando votum à fratre fuit actum pro determinato tempore implendum; tunc enim sit tale votom ob nullam fratrum, vel sororum gravem necessitatem posse propria authoritate, & absque dispensatione differri; quia etiam stante illa necessitate, juxta eundem Sanchez, Suarex, & alior suprà *n.1321.* relatos, ut paulò post dicitur, licitus est ingressus, & capax voti obligationis; ac proinde ex hac parte non est suspensa voti obligatio, sed neque est suspensa ob novam ingressus religionis difficultatem ex necessitate fratrum, & sororum provenientem, cùm sit voto nimis extrinseca, ut dictum est ex Suarex; & quia difficultas superveniens, excusans ab obligatione voti, debet esse ita gravis, ut prudentis arbitrio censeatur novam rem permissam constituere; quod hìc non evenit: nam sæpè (inquit Palaus) voventi difficilius erit fratres, imò amicos deserere, quàm sorores impudicitiæ periculo expositas, quibus subveniendis affectur non est. Non obstare etiam illud, quod opus subveniendi sororibus in tali pericolo sit majorir obsequii divini, quàm ingressus in religionem pro tune, ait idem Palaus; quia si id (subdit) esset verum, licitè religionis votum in tale subsidium commutari propria authoritate posset, quod dici nequit. Quando verò votum religionis est absque ulla temporir determinatiune, idem Palaus coovenit cum Sanchez; cùm enim tunc obligatio voti latitudinem habeat, ex circumstantiis extrinsecis restringi, vel ampliari tempus exequutionis potest, atque adeo ex necessitate fratrum, & à fortiori sororum, extendi tempus obligationis potest pro prudentis arbitrio.

1325 Verùm dato etiam quod frater, ot frater, ex obligatione speciali juris naturæ, pietatisque naturalis non teneretur in subsidium alere fratres & sorores pauperes extremè vel graviter egentes, sed solùm ex communi obligatione charitatis, qua tenemur erga quemcumque proximum, arctiùs tamen erga consanguineos, & conjunctos quàm erga extraneos adstringente, ut iidem Suarex, & Palaus *locis citatis* aiunt;

aiunt; hoc, inquam, etiam dato, non est recedendum à sententia Sanchez quoad utrumque ejus dictum, Tum propter illius fundamenta suprà adducta: tum etiam quia casus magnæ necessitatis fratrum, & sororum, præsertim cum impudicitiæ periculo, rationabiliter censetur exceptos in intentione voventis ob maximam conjunctionem sanguinis inter fratres, & sorores, & naturalem inclinationem ad sibi invicem subveniendum in magnis necessitatibus, & maximè ubi sorores versantur in periculo impudicitiæ, quæ in dedecus fratrum, & totius familiæ resultat: & si ob hujusmodi fratrum, & sororum necessitatem, propria authoritate, etiam ad longum tempus potest differri voti exequutio, neque ex hoc sequitur quod votum religionis propria authoritate possit commutari in eorumdem fratrum & sororum graviter egentium subsidium, ut admittit Palaus; cur etiam eadem necessitas non erit sufficiens & justa causa differendi exequutionem voti pro determinato tempore facti? Sicut enim circumstantia illa necessitatis fratrum, & sororum sufficit ad prorogandum tempus impletionis voti, quæ alioqui seclusâ illâ circumstantiâ non debuisset, nec potuisset licitè differri; ita sufficere debet ad differendam etiam exequutionem voti ultra tempus in emissione voti præfinitum; neque ex hoc, vel quia tale subsidium prudenter censeatur majoris obsequii divini, quàm ingressus in religionem in tali circumstantia, sequitur quod propria authoritate possit in illud subsidium commutari votum, quia commutatio extinguit votum in perpetuum, illud autem subsidium est temporaneum, sicut & periculum impudicitiæ sororum; & sic præstat solùm justam causam differendi ad tempus voti exequutionem.

Resolutio dubii principalis num. 1321. *propositi.*

PRæmissis prædictis, in quibus plures ex Doctoribus *n.* 1321. relatis conveniunt, deveniendo ad resolutionem dubii principalis propositi, utrum ad subveniendum fratribus, vel sororibus in gravi alimentorum, & vitæ corporali necessariorum indigentia constitutis, carentibus omni alio auxilio, frater, qui in sæculo manens potest opem ferre, teneatur differre ingressum in religionem.

1326 Azorius *loco d. n.* 1321. *citato*, quem Villalobos loco pariter *d. num.* 1321. allegato sequitur, dicit non esse idem juris in fratribus, & sororibus, quod in parentibus & filiis; nihilominus, si sorores sint teneræ ætatis, & puellæ pauperes, & destitutæ omni auxilio, & si à fratre dimittantur, vel inciderent in impudicitiam, vel pudicitiæ periculo remanerent expositæ, teneri fratrem, qui aliàs non posset illis succurrere, ex charitate differre ingressum religionis: nec distinguit Azorius, an frater sit, vel non sit voto religionis adstrictus.

1327 Sanchez *d. cap.* 10. *n.* 30. Lessius, Layman, & Bonacina locis suprà *d. num.* 1321. allegatis absolutè, & etiamsi religionis voto non sit obstrictus, negant fratrem ob sublevandam gravem necessitatem fratrum, & sororum omni alio auxilio destitutorum, teneri differre ingressum in religionem, eo quia non teneatur succurrere fratribus, & sororibus, sicut & parentibus, aut filiis, privando se tanto bono, ut illis subveniat; & non esse eandem obligationem erga fratres, & sorores graviter egentes, quæ erga parentes, & filios simili necessitate pressos, declarat magis Lessius *d. n.* 34. *initio*, quia, inquit, inter fratres, & sorores non est ulla dependentia, sicut inter parentes, & filios; parens enim filio alimenta debet jure naturæ, & quia dedit ei esse, & consequenter debet etiam conservationem, & educationem, donec se possit juvare; & quia filius est veluti pars ipsius, unde illi debet alimenta sicut sibi; filius item parenti debet alimenta, quia est principium ipsius, & radix unde accepit esse: quare lege gratitudinis tenetur; fratres autem, & sorores non habent inter se illud vinculum. Ita Lessius.

Suarez *d. cap.* 6. *num.* 3. *&* 4. Palaus *d.* §. 5. *num.* 12. 1318
Trullench *d. dub.* 23. *num.* 10. respondent ad dubium cum distinctione. Primò igitur, si fratres, & sorores sunt adhuc sub cura parentis, & ob inopiam parentis gravem patiuntur necessitatem, aiunt teneri fratrem differre ingressum, ut illis subveniat: probant, quia in hoc casu filius ex obligatione, qua parenti debet succurrere, tenetur iis fratribus sub ejus cura existentibus sic egenis providere, quia sic considerantur ut pars ejusdem parentis, & ejusdem necessitatem, & indigentiam augere censentur; & etiam sub necessitate parentum includuntur omnia quæ pertinent ad munus & statum suum, inter quæ præcipuum locum habet conveniens filiorum educatio; ideoque ratione parentis poterit obligari frater erga fratres, ita quod tunc non tam fratribus quàm parenti providet, quia obligatio in hoc casu fratribus, & sororibus succurrendi non provenit ex jure debito fratribus, sed ex jure debito parenti, cui gravem necessitatem patienti filius succurrere debet, quam ut dictum est, patitur quando non potest saltem absque gravi difficultate se, & suos filios suæ curæ commissos sustentare. Ex quibus inquiunt Suarez, & Trullench, quod si mater vidua plures filias virgines habens sub sua cura, & obligatione, haberet quidem necessaria ad suam sustentationem, non tamen ad convenientem educationem filiarum, & ad collocandas eas in decenti statu, moraliter censeretur esse in gravi necessitate, in qua non posset licitè à filio deseri propter Religionis ingressum, si alioqui posset illi necessitati providere, etiamsi frater votum Religionis emisisset, inquit Trullench. Secundò si fratres, & sorores sunt sui juris, considerenturque separati à parentibus jam defunctis, tunc iidem Suarez, Palaus, & Trullench respondent, non teneri fratrem longo tempore differre ingressum Religionis, ut illis graviter egentibus subveniat, eo quòd obligatio fraternа ad fratrem, & sororem, quoad illi in necessitate subveniendum, non sit ex justitia, vel quasi ex justitia, ut est filii ad patrem, & è contra, sed solùm ex charitate, qua quemcunque proximum diligere tenemur, & ejusdem generis cum obligatione subveniendi extraneis: & quanvis in illo genere magis, strictiusque obliget ad fratres, & sorores, & consanguineos, ob conjunctionem naturalem ad idem principium, quàm ad extraneos; non tamen ut cum tanto damno spirituali eis sicut parentibus succurrere teneatur; & sic non tenetur differre diu ingressum Religionis, etiamsi Religionis voto non sit adstrictus, sicut quis ob necessitatem extranei sublevandam non tenetur se longo tempore statu religioso privare. Dixi, *longo tempore*; nam instante fratrum, vel sororum necessitate de præsenti, vel ad breve tempus, iidem Doctores, præsertim Suarez & Trullench, asserunt posse esse aliquam obligationem subveniendi fratribus, etiam differendo ingressum in Religionem, quia moraliter illud nocumentum spirituale ex brevi dilatione ingressus, pro nihilo reputatur: ex causa autem prædicta subveniendi fratribus non potest frater (subdunt) obligari ad differendum ingressum per longum tempus, eo quòd charitas, vel misericordia per se ad hoc non obligent cum illo detrimento spirituali, quod moraliter grave reputatur.

Prædicta præfati Doctores asserunt de fratre non- 1319
dum ingresso in Religionem, qui propterea etiam affirmant fratrem jam religiosum, & professum multò minùs obligari ob fratrum vel sororum necessitatem gravem deserere statum religiosum, eo quòd frater erga fratrem in tali casu obligetur solùm ex charitate,

&

& non cum tanto rigore. Qua de causa aiunt S. Thomam, & alios anthores ferè nullam mentionem ejus obligationis inter fratres fecisse. Addunt tamen iidem Doctores, intra religionem ex charitatis lege magis & strictiùs obligari succurrere fratribus & sororibus graviter egentibus, quàm extraneis. Ita in terminis Suarez *d. lib. 6. cap. 9. num.* 31. Trullench *d. dub. 24. n. 9.* & Castrus Palaus *d. disp. 2. puncto 2. §. 6. num.* 14. quibus addo Joannem Valerum *de differentiis inter utrumque forum, verbo Alimenta, differ. 7. versic. Ego verò,* ubi etiam testatur suo tempore à Capitulo generali sui Ordinis Carthusiensis factam fuisse ordinationem prohibentem ne quis ex Ordine auderet accipere eleemosynas Missarum pro subveniendis consanguineis egentibus, nisi tantùm pro parentibus, idque cum licentia alterius Visitatorum.

Ex traditis autem in præcedentibus juxta eosdem Doctores omnes *num.* 1321. relatos, constat juxta eosdem, multò minùs teneri sobrinum, vel patruum abstinere ab ingressu in religionem, vel jam professum deserere religionem, ut subveniat gravi necessitati sobrini, vel sobrinæ, seu nepotis, vel neptis ex fratre, vel sorore. Quod etiam expressè tradunt Sanchez & Trullench locis suprà *num.* 1323. allegatis.

Iudicium authoris.

1330 QUæ omnia non improbo, supposito quod frater ut frater solùm ex generali lege charitatis & misericordiæ, qua tenemur proximis nostris, in extrema, vel gravi necessitate teneatur subvenire fratri, & sorori in simili necessitate constitutis. At supposita sententia, quod frater ut frater, quando potest, ultra obligationem charitatis generalem speciali obligatione juris naturalis, & pietatis teneatur alere fratres, & sorores inopes, quando desunt, vel inhabiles sunt alii proximiores, quam sententiam approbavi suprà hoc opere, *num.* 504. supposita, inquam, hac sententia videtur etiam debere asseri, teneri fratrem volentem ingredi religionem differre ingressum ad subveniendum gravi necessitati fratrum, & sororum omni alio auxilio destitutorum, sicut debet talis ingressus differri causa subveniendi gravi necessitati parentis, vel filii, licèt non æquè strictè obligetur frater erga fratres & sorores, sicut erga parentem, vel filium; quia obligatio juris naturalis est præferenda operi de consilio, nec etiam per votum ejus exequutio debet impediri, ut dictum est suprà agendo de obligatione filii erga parentem, & parentis erga filium graviter egentem. Et idem videtur dicendum de sobrinis, patruo, & nepote, seu nepte ex fratre, vel sorore, supposita sententia, quod ultra obligationem generalem charitatis speciali obligatione juris naturalis, & pietatis teneantur sibi invicem, dum egestate premuntur, & desunt, vel existunt inhabiles ad succurrendum consanguinei proximiores, teneantur alimenta exhibere: quam sententiam quoque sum amplexus, & probavi hoc opere, suprà *n.* 580. & 581. etsi hæc obligatio respectu sobrini, patrui, & nepotis ex fratre minor sit quàm respectu fratris, & sororis egentis, cùm vinculum, seu conjunctio naturalis respectu ejusdem principii sit remotior. Et certè sicut necessitas gravis fratrum & sororum præbet justam causam concedendæ fratri voto religionis obstricto dispensationis ad differendum ingressum, ut illis omni auxilio destitutis subveniat manens in sæculo, cùm in religione non posset, vel non æquè bene, ut suprà, *n.* 1322. dictum est: ita etiam gravis necessitas sobrinorum, nepotum, vel neptum ex fratre omni alio auxilio carentium, mihi omnino videtur sufficiens causa similis dispensationis sobrino, vel patruo eodem religionis voto obstricto concedendæ ad eisdem succurrendum, maximè si sobrinæ, seu neptes periculo impudicitiæ existerent expositæ, nisi à sobrino, vel patruo adjuventur. Quin imò esset justa causa, ut patruo jam professo à Summo Pontifice concedatur facultas ad tempus habitu retento manendi extra religionem ad subveniendum nepotibus, & neptibus ex fratre, præsertim pauperibus, & parvulis, & perditionis periculo expositis, quibus alio modo non posset subveniri: & in facti contingentia uni ex nostris Conversis, mortuo Mediolani ejus fratre sæculari, relictis nonnullis pupillis masculis & fœminis summa inopia laborantibus, & omni auxilio destitutis, & patrui professi ope indigentibus, fuit à S. Pontifice Paulo V. concessum, ut iisdem pupillis assisteret, illis provideret, eorumque curam gereret, dummodo extra unum ex nostris Collegiis Mediolanensibus non pernoctaret. Circa hanc rem tamen replico notata *sup. n.* 583. *fin.* nempe religiosos non debere esse nimis solicitos de providendis alimentis, & dotibus suis sobrinis pauperibus, ubi non constat evidenter de paupertate; & quod aliunde ullo modo honestè habere non possent.

De fratre verò, vel patruo jam professo existimo 1331 non esse obligatum deserere statum religiosum cum tanto suo spirituali detrimento, & etiam detrimento religionis, ob necessitatem fratrum, vel nepotum gravem: quia cùm longè minor sit obligatio fratris erga fratrem, vel nepotem ex fratre, quàm erga parentem, & filium, ut suprà dictum est, in hoc casu, quo dicitur de patre & filio religiosis, ut teneantur etiam petita, & non obtenta licentia à Prælato deserere observantiam vitæ religiosæ ad subveniendum filio, vel parenti graviter egenti, ubi alio modo illis non potest subveniri, non videtur id extendendum etiam ad fratrem, vel patruum religiosos, ut subveniant fratri, vel sobrino graviter egenti; sed sufficit ut conentur, salva obedientia, & decentia status religiosi, illis succurrere: nec superiores deberent illis esse impedimento, sed potiùs reddere se faciles in concedenda illis facultate subveniendi tali necessitati modis convenientibus, præsertim quando id possent præstare sine notabili detrimento monasterii, & dummodo per diligentes informationes eisdem superioribus manifestè, vel saltem valdè probabiliter constet de tali gravi necessitate. Et de his satis, remittendo me saniorum judicio.

§. XVI.

Filius, vel pater habens parentes, vel filios magna egestate pressos, peccat repudiando hæreditatem, vel nolens exercere artem quam noscit, quaque lucrari posset.

CÆterùm ex traditis suprà *n.* 1287. & 1288. infer- 1332 tur, quod filius habens parentes magna egestate pressos, nec potentes alimenta quærere, si callet artem qua possit lucrari ad eis alimenta exhibenda, & nolit ea arte lucrari, peccat mortaliter contra obligationem juris naturæ, & pietatis, qua tenetur juvare parentes graviter magna necessitate laborantes, & illos carentes alimentis alere, nec potentes quærere. Item contra eandem obligationem peccat mortaliter, si posset alimenta acquirere acceptando hæreditatem sibi relictam, si absque causa sufficienter excusante repudiaret; quia eadem lex naturalis, & pietatis, quæ obligat alere parentes, vel filios, obligat ad curandum acquirere alimenta mediis convenientibus, ut notatum est *d. num.* 1287. & *n.* 1288. & ita etiam Sanchez *de matrimon. lib. 6. disp. 4. n. 9. vers. Secundò quia.*

SUMMARIUM Capitis XXIV.

De quæstione, an filii, & uxor de suo teneantur solvere debita à patre, vel marito contracta, conversa in eorumdem, vel uxoris alimenta, qui Doctores tractent, num. 1333.

Si pater, vel maritus tempore æris contracti, quod consumpsit ad alendum filios, vel uxorem, erat dives, nec filii, nec uxor ex propriis bonis tenentur ad solutionem, n. 1334.

Item non tenentur, si pater, aut maritus tempore æris contracti inops, postea effectus est dives, n. 1335.

Nec pater inops filios, nec maritus inops uxorem alere tenetur actuali obligatione, licet in utroque semper maneat habitualis, & radicalis obligatio alendi: quod Doctores communiter dicunt, propter inopiam patris, & mariti, non tolli omnino obligationem alendi filios, & uxorem, sed suspendi pro tempore inopiæ, n. 1336.

Si pater inops, vel maritus inops mutuam pecuniam accepit, quam in alendis filiis, vel alenda uxore consumpsit, postea non est solvendo, neque in vita, neque post mortem, quia defunctus nullis relictis bonis propriis, an filii, & uxor teneantur, & cogi possint, & debeant de suo, seu ex propriis bonis talem pecuniam creditori patris solvere. Affirmativa, n. 1337. ad 1343. Negativa, n. 1344. ad 1355. Approbatur affirmativa, & fundamentis negativæ satisfit, n. 1356. ad 1363.

Quare primogeniti, qui nil aliud bonorum præter majoratum à suis majoribus institutum à patre acceperunt, tenentur in utroque foro solvere debita à patre contracta ad alendum ipsos, solvendam famulorum mercedem, locationem domus, & ad vestes, & cibaria familiæ, n. 1343.

Extenditur affirmativa, quamvis filii, & uxor tempore mutui essent inopes, n. 1364.

Quo casu tenentur pro rata alimentorum sibi correspondenti, ibid.

Si verò tempore mutui à patre, vel marito inope accepti, & filii, & uxor erant divites, tenentur solvere totum mutuum expensum in alenda tota familia, ibid.

Extenditur etiam eadem affirmativa, etiamsi filii hæreditati paternæ, & uxor hæreditati viri, & lucris ab eo constante matrimonio acquisitis renunciaverint, n. 1363.

Si res emptæ pecuniâ mutuo acceptâ à patre, vel marito, qui non est solvendo, extent apud filios, vel uxorem, an tunc filii, & uxor creditori teneantur solvere mutuum, vel dare res illas, n. 1355. & 1365. Quid si merces patri, vel marito venditæ, ab eis fuerunt revenditæ, & pretium consumptum in alimoniam filiorum, vel uxoris, & familiæ, an filii, & uxor in subsidium teneantur ei venditori mercium satisfacere, n. 1343. versic. Extenditur. *An etiam ad pensionem domus conductæ, per patrem vel maritum solvendam, in subsidium obligetur filius, aut uxor, ibid.*

Uxor soluto matrimonio an teneatur de suo solvere debita facta à marito in alimentis uxoris superfluis, illam alendo ultra debitum, vel ultra exigentiam dotis; an verò possit adhuc integram dotem repetere, licèt maritus prodigè expenderit in illa alenda, num. 1349. & 1362.

Filii, & uxor non possunt in foro externo cogi solvere pecuniam à patre, vel marito acceptam sub prætextu, seu cum expressione quod accepta sit ad alendum eos, & familiam, nisi creditor probet verè fuisse in eam causam alimentorum consumptam, n. 1366.

Ut teneantur in foro conscientiæ, satis est illos scire consumptam esse in alimenta eorum, & familiæ, ibid.

In eodem foro conscientiæ non tenentur, si ipsis constiterit in alios usus illicitos, putà in ludos, vel scortationes insumpsisse, ibid.

Qui mutuavit in talem causam, repetens mutuum debet probare pecuniam verè in eum usum fuisse expensam, ibid.

Qui cum procuratore, seu negotiorum gestore contraxit, putà ei pecuniam dedit absque mandato domini, si in rem, seu utilitatem domini pecunia versa sit, actionem habet contra dominum, si accipiens non est solvendo, n. 1338. & 1345.

Actio de in rem verso in defectum accipientis, qui non est solvendo, datur contra eum in cujus utilitatem res versa est, & cujus quasi utile negotium gessit, n. 1338.

Quid si accipiens non habuisset negotiorum actionem, num. 1345.

Quando res aliena ad aliquem pervenit ex causa lucrativa, ex qua factus est locupletior, etiamsi ipse non acceperit, contra eum in defectum accipientis, qui non est solvendo, datur actio ad eam repetendam, n. 1338. & 1345.

Intellectus ad legem his solis, ff. de condict. indeb. *dicentem jus, seu actionem repetendi competere solùm contra accipientem, non contra eum cui profecit, n. 1338.*

Ubi navis fluctuantis lucrandæ gratiâ jactus mercium factus est, detrimentum debet esse commune pro rata, etiam iis quorum merces eo jactu salvæ factæ sunt, n. 1338. fine.

Actio quanti sua interest, actori datur non solùm contra eum qui dolo fecit, quamvis reus in judicio vocatus sisteret, sed in subsidium datur etiam contra reum ipsum, qui inde lucrum fecit, n. 1339. & num. 1353.

Pater tenetur solvere mutuum à filiofamilias acceptum, si illud conversum sit in utilitatem patris, & in rem, ad quam idem pater tenebatur, n. 1340.

Quando pater est pauper, & filii divites, hi tenentur alere patrem, & totam familiam, n. 1341.

Similiter uxor dives, quando maritus est pauper, tenetur alere maritum, & familiam, ibid.

Intellectus ad legem 61. Tauri, num. 1342. 1350. 1354. & 1363.

Actio non datur contra tertium non obligatum, sed tantùm contra eum qui contrahendo se obligavit ad solvendum ei, qui mutuam pecuniam dedit, aut deposuit: non datur verò actio contra eum ad quem pecunia pervenit, sed contra mutuatarium, & depositarium, n. 1344. Declaratur id, n. 1352. & 1357.

Mutuans pecuniam ad emendam aliquam rem, habet solùm actionem personalem, & non præfertur alii habenti hypothecam, n. 1344. 1355. & 1365.

Cùm quis bona fide accepit mutuam pecuniam ad satisfaciendum suis creditoribus, quibus illam dedit, si posteà non sit solvendo posteriori creditori, primi creditores non tenentur restituere pecuniam acceptam eidem posteriori creditori, n. 1346. & 1359.

CAPUT XXIV.

An filii teneantur ex mutuo per patrem ad ipsos alendos recepto, seu solvere æs alienum, seu debita à patre ad ipsos alendos, seu pro alimentis ipsis præstitis contracta, ex propriis bonis, quando pater non est solvendo, vel decessit nullis bonis relictis, vel non sufficientibus ad solvenda dicta debita; & quando idem pater cùm mutuum accepit, seu debitum contraxit pro alendis filiis, erat inops.

HAnc difficultatem suprà *num.* 884. *fin.* ad exactiorem illius discussionem reservavi enodandam *hoc loco*; de qua (cùm utriusque sit eadem ratio, ut tradunt

tradunt Surdus, & Sanchez *locis infrà citatis,*) & simul de illa simili difficultate, an quando soluto matrimonio nulla viri suppetunt bona, uxor teneatur ex propriis bonis dotalibus, vel aliàs ad se tantùm spectantibus solvere debita contracta per eundem maritum ad ipsam, & familiam alendam, solvendam famulorum mercedem, locationem domus, & ad vestes, & cibaria familiæ? agunt Bartol. *in l.his solis, in fin. ff. de condictione indebiti*, Decius *in l.si quis à liberis, §.ex his, à n.*83. *ad* 116. *ff. de agnosc. lib.* Gama *decis.*366. Surdus *de aliment. tit.*8. *privil.*48. *& consil.*420. *per totum, vol.*3. Petr. Barbosa *ad l.si constante* 25. *num.*52. *&* 53. *ff. soluto matrim.* Joan. Baptista Costa *de subsidiariis remediis, remedio* 12. & alii Jurisperiti ab iisdem relati: & ex Theologis Ludovicus Molina *de just.tract.*2. *disp.*435. *n.*4. Sanchez *de matr. lib.*9. *disp.*4. *n.*28. *&* 29. Fagund. *in Decal. lib.*4. *cap.*2. *n.*34. *& duobus sequent. & cap.*9. *n.*8. *& tribus seqq.*

§. I.

Explicantur certa.

1334 DIxi, *quando pater debitum contraxit, &c. erat inops, scilicet non aliunde habens de suo unde posset alere filios, & solvere debitum contractum.* Nam si pater, vel maritus tempore æris contracti, & quo alimenta præstitit, erat dives, & solvendo, licèt postea lapsus sit facultatibus, tunc absque dubio nec filii, nec uxor ex propriis bonis tenentur solvere illud debitum. Ita Surd. *d.privil.*48. *n.*6. Gama *d. decis.*366. *num.*2. P.Barbosa alios allegans *d.n.*53. Costa *d. remedio* 12. *num.*5. & Sanchez *d.disp.*4. *n.*28. *&* 29. Et ratio est, quia tunc filii & uxor non possunt dici facti locupletiores, quia cùm pater, & maritus dives teneretur ad ea alimenta filiis, & uxori exhibenda, etiam cessante mutuo, seu contractione æris alieni illa præstitisset, & præstare coactus fuisset, unde nullum commodum ex eo mutuo, seu ære alieno per patrem contracto, vel maritum, habuerunt filii, aut uxor. Quare supposita sententia prædicto loco infrà adducta, filii, vel uxor non possunt in foro externo cogi ad satisfaciendum creditori, nisi creditor priùs probasset patrem vel maritum ab initio debiti contracti fuisse pauperem, ut in terminis probant Surdus & Costa.

1335 Item si pater, vel maritus priùs inops, & qui tempore inopiæ, licèt non teneretur contrahere ad eum finem, tamen contraxit debita ad alendum filios, & mulierem, postea redeat ad meliorem fortunam, & auctis facultatibus effectus sit solvendo præfata debita, certum etiam videtur filios, & uxorem non teneri, nec cogi posse ad illa debita solvenda, ut tradunt Sanchez *d.disp.*4. *n.*24. *initio*, & Fagund. *d.cap.*9. *n.*10. *initio*, & probant tradita ex Surdo *sup.n.*884. scilicet quod tunc supervenientibus divitiis resurgit obligatio debitoris, quando debitum erat formatum in persona debitoris, sed suspensa exactio, & obligatio solvendi ob paupertatem, ut patet in his qui tenentur solùm in quantum facere possunt, & in debitore qui cessit bonis. Quare cùm in præsenti casu debita contracta pro alendis filiis, & uxore à patre, aut marito inope, sint firmata in persona eorumdem, si auctis divitiis efficiantur solvendo, ipsi tenentur, non filii, nec uxor; quia illa obligatio ob paupertatem, seu inopiam non fuit omninò extincta, sed solùm ad tempus, & sub conditione reddibilitatis, sive revivescentiæ, meliore redeunte fortuna.

1336 Dixi, *Licèt non teneretur contrahere*, quia certum est, & in hac difficultate supponitur ab omnibus, patrem inopem, qui tantùm potest alere se ipsum, non teneri tunc obligatione actuali alere filium, licèt inopem, ut latè suprà *n.*643. cum nonnullis sequentibus probatum est; & similiter nec maritum inopem, & ad id ob defectum facultatum, vel industriæ necessariæ impotentem, teneri actuali obligatione alere uxorem inopem, quam alioqui jure naturali tenetur alere, sicut pater filium aliunde non habentem unde vivat; nemo enim ad impossibile obligari potest. Ita præter Doctores allegatos suprà *d. n.*643. alios allegantes, Corduba *d.l.si quis ex his, num.*17. P.Barbosa *ad d.l.si constante, n.*52. Sanchez *d.disp.*4. *num.*27. & Fagund. *d.cap.*9. *num.*6. & quoad patrem inopem habetur expressè lex *si quis à liberis*, §.*sed si filius*, & lex *non quemadmodum*, *ff. de liber. agnosc.* & quoad maritum inopem probant Doctores argumento dictæ legis *si quis à liberis*, & quia maritus non tenetur uxori ultra id quod facere potest, *l.etiam, & l.maritum, ff. solut. matr.* Dixi, *nec patrem inopem, nec maritum inopem actuali obligatione teneri alere filios, & uxorem.* Nam tam in patre, quàm in marito inope non extinguitur omnino obligatio juris naturalis alendi filios egentes, & uxorem, sed remanet semper habitualis, seu radicalis obligatio illos alendi, meliore fortuna redeunte, seu divitiis supervenientibus, quæ supervenientibus divitiis transit in obligationem naturalem, & id est quod Corduba à Lara *d.l.si quis ex his, n.*93. *&* 99. Sanchez *d.disp.*4. *n.*29. *initio*, Fagund. *d.cap.*9. *n.*10. & alii dicunt, pro tempore inopiæ, seu paupertatis patris, & mariti non extingui, & evanescere obligationem alendi filios inopes, & uxorem, sed tantùm suspendi, sicut in debitore ære alieno gravato inope, propter inopiam non extinguitur obligatio, ita ut omnino deobligetur ab ære alieno solvendo; sed ratione inopiæ tantùm suspenditur illa obligatio, & excusatur à solutione eâ inopiâ, seu impotentiâ durante. Quare dum iidem Corduba *d.n.*93. *&* 99. & Sanchez *d.n.*29. post Decium *in d.l.si eum servum, ff. si certum petatur*, aiunt patrem & maritum semper etiam tempore inopiæ manere obligatum alere filios pauperes non habentes aliunde, & uxorem, cùm jure naturæ tam pater, quàm vir teneatur alere filios, & uxorem, si loquantur de obligatione habituali, & radicali, verum dicunt; quia hæc obligatio manet etiam in patre, & marito inope: si verò de obligatione actuali, minùs verum dicunt; nam pro tempore quo pater, & maritus laborat inopia, & ob paupertatem est inhabilis ad præbenda alimenta filiis, & uxori, in eo non est obligatio alendi actualis.

§. II.

Explicantur controversa.

DIfficultas igitur proposita procedit quando pater, vel maritus inops, seu tempore inopiæ, quo actuali obligatione non tenebatur alere filios, & uxorem, mutuò accepit pecuniam, vel frumentum, vel alia ratione contraxit æs alienum, consumptum in alimentis filio, & uxori præstitis, nec rediit ad meliorem fortunam, & decessit eo debito in utilitatem filiorum, & uxoris verso, nondum soluto; an filius, & uxor ex propriis bonis, quæ neque à patre, neque à marito ad ipsos pervenerunt, ut sunt bona majoratus, adventitia, castrensia, vel quasi castrensia filiorum, dos uxoris, & bona paraphernalia, & alia uxoris propria, teneantur in utroque foro tale debitum creditori patris, vel mariti solvere, & ad illud solvendum creditore repetente in foro externo cogi possint, & debeant. Et est duplex solemnis sententia.

Prima sententia affirmativa.

1337 PRima sententia affirmat. Ira Bartolus *in d. leg. his solis, in fine, ff. de condict. indeb.* ubi licèt dicat cogitandum, non minùs tamen videtur approbare hanc sententiam: Corneos, & Angelus *ibidem*, Item Jason *ibidem*, & *in leg. si eum servum, in principio, num. 1. ff. si certum petatur*, ibidem Zasius *n. 4.* & Purpuratus *n. 5.* Joanner Plaica *in leg. uxorem, in fine, Cod. de decurionibus, lib. 10.* Ludovicus Romanus *singulari* 1200. Hyppolitus *singulari* 224. *fine*, Cæpola *cautela* 246. *notab.* 37. Joannes Lupus *in rubr. de donat. inter virum & uxorem, §. 66. n. 6. & in l. 61. Tauri*, ibidem Castillus *num.* 14. & Gomez Arias *num.* 17. quos omnes pro hac sententia refert Corduba à Lara *d. l. si quis ex his, num.* 88. idem Corduba ibidem, *n.* 101. *& seq.* P. Barbosa *ad l. si constante, num.* 53. Sordus *d. privilegio* 48. *num.* 6. *& d. consilio* 420. Gama *d. decis.* 366. *num.* 6. *&* 7. Baeza *de inope debitore, cap. 1. num.* 53. *&* 54. Costa *d. remedio* 12. *n. 1. fin.* Calvin. *de æquitate, lib. 1. cap.* 38. *num.* 6. *& seqq.* & Azevedo *lib. 5. recop. tit. 3. l. 9. n.* 30. 31. *&* 32. quos duos posteriores refert Sanchez *d. disp. 4. num.* 28. & ea Theologis idem affirmant Fagundez *d. cap. 2. num. 36. & seq. & d. cap. 9. n.* 10. Addit autem Costa, uxorem teneri citra consumptionem, aut diminutionem dotis. Ad hanc sententiam probandam plures textus, & rationes adducunt Corduba *d. §. si quis ex his, num.* 83. *ad* 89. & Sanchez *d. disp. 4. num.* 28. pono sequentes.

1338 Prima igitur raito pro hac sententia est, quia pater inops, & maritus inops actu non tenentur ad alimenta, & alia necessaria filiis, & uxori præstanda, ut *num.* 1336. dictum est: ergo quando eorum alimentorum ratione debita contraxit, quæ ad eum finem non erat obligatus contrahere, filii, & uxor, in quorum utilitatem ea debita constat esse conversa, tenentur ad eorumdem debitorum solutionem in subsidium, quando pater, vel maritus non est solvendo. Consequentia probatur primò, quia ubi res aliena in utilitatem alicujus conversa est, quanvis ille eam non acceperit, tenetur tamen in defectum accipientis, qui non est solvendo, eam solvere, ut est textus elatus *in l. si qui servo, §. fin, ff. quod cum eo*, ubi qui cum procuratore, seu negotiorum gestore contraxit, putà mutuam pecuniam dedit absque mandato domini, ejusdem procuratoris fidem respiciens, si in rem domini pecunia versa sit, actionem habet adversus dominum: ea quo textu Doctores communiter probant, actionem de in rem verso locum habere in quocumque contrahente, etiam cum negotiorum gestore, & contra dominum in cujus utilitatem est versum, & sic dominum teneri ea mutuo per procuratorem accepto, verso in ejus utilitatem, & in causam negotiationis, cui præpositus est, licèt mutuans solam personam procuratoris respexerit, ejusve fidem sequotus sit: solùm autem in subsidium, quando qui rem accepit non est solvendo, ibi permittitur, & conceditur quod possit agi contra eum qui habuit commodum rei, ut post Jasonem notat Sordus *d. privileg.* 48. *n.* 5. Barbosa *d. n.* 52. & alii communiter. Itaque in proposito cùm pecunia à parre vel marito mutuò accepta pro eorum alimento, conversa sit in illorum utilitatem, & commodum, adversus filios, & uxorem datur actio, sicque in subsidium tenentur illam solvere. Secundò probatur eadem consequentia, nam cùm res aliena ad aliquem pervenit ea causa lucrativa, ea qua factus est locupletior, licèt non ipse, sed alius à domino illius rem acceperit, si recipiens non est solvendo, ad eam rem repetendam datur actio contra eum, ad quem ea causa lucrativa pervenit, *l. si eum servum*, & *l. si & me, & Titium, ff. si certum petatur*, Glossa & Bart. *in d. l. his solis, ff. de condict. indeb.* qui quod ibidem decernitur, scilicet jus, seu actionem repetendi pecuniam competere solùm contra recipientem, seu eum cui soluta est, non contra eum cui profecit, aiunt intelligendum quando recipiens est solvendo, secus si non sit solvendo; nam tunc dicunt competere etiam contra eos quibus profecit, modò illi rem habeant, seu ad illos pervenerit ex causa non onerosa, sed lucrativa, juxta præfatam legem *eum servum*, & legem *si & me*. Cùm ergo pecuniam à patre vel marito mutuò acceptam, & in eorum alimenta consumptam, & in ipsorum utilitatem conversam habeant filii, & uxor ea causa lucrativa, lucrati enim sunt eam utilitatem, illudque commodum, non ex causa onerosa, patre, vel marito impotente ad illam pecuniam solvendam, tenentur, & cogi justè possunt. Tertiò probatur eadem consequentia: Factus ditior ex pecunia, vel re aliena, tenetur, & cogi potest restituere id, in quo factus est ditior, per textum *in l. 2. verf. æquissimum, ff. ad l. Rhod. de jactu*, ubi si navis fluctuantis levandæ gratiâ jactus mercium factus est, lex decernit detrimentum debere esse commune etiam iis, quorum res per illum jactum salvæ factæ sunt. Et decisionis rationem Paulus reddit, *Quia æquissimum est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consequuti sunt ut merces suas salvas haberent.* Itaque cùm filii, & uxor occasione mutui à patre, & marito paupere accepti, quo alimentati sunt, facti sunt ditiores, se enim ex propriis bonis, aut mutuo accepto aluissent, si pater, vel maritus non accepisset, prout non tenebatur, patre, vel marito impotente ad solvendum, tenentur solvere.

1339 Secunda ratio desumitur *ex l. fin. de eo per quem fact. erit*, ubi Ulpian. dicit dari actori quanti sua interest adversùm eum qui dolo fecit, quominus in judicio vocatus sisteret; si verò is, qui dolo facit quominus reus in judicio sistat, solvendo non sit, datur actio contra ipsum reum, æquitate suadente. Decisionis rationem addit Ulpianus, *Ne propter dolum alienum reus lucrum faciat, & alter damnum patiatur.* Hæc enim ratio in proposito locum habet, iniquum enim esset, quod ex dolo patris, vel mariti filii, aut uxor facerent lucrum; qui verò patri, vel marito pecuniam mutuam dedit, rei propriæ detrimentum patiatur. Æquum ergo, & rectum est, ut pecunia à filiis, vel uxore repeti possit, patre, vel marito non existente solvendo.

Tertia ratio est, quia etsi pater non tenetur solvere mutuum à filiofamilias acceptum, ut ea toto titulo Digestorum *ad SC. Maced.* si tamen illud mutuum conversum sit in utilitatem patris, & in rem ad quam idem pater tenebatur, solvere mutuum illud pater tenetur, & cogi potest, *l. sed Iulianus 9. §. proinde, ff. eod. tit. cap. quod quibusdam, de solut. & cap. ad hoc, eod. tit. & l. 1. ff. de in rem verso.* Quapropter suprà *hoc opere, n.* 804. cum Surdo dixi, patrem teneri solvere mutuum à filiofamilias egente in studiis acceptum ad se alendum, quia tenebatur pater ad talem impensam. Ergo licèt filii, & uxor non teneantur ex mutuo per patrem aut maritum accepto pro ipsis alendis, tenebuntur tamen quando res mutuò accepta versa est in eorum utilitatem, quia scilicet ea res mutuò accepta est in alimenta, ad quæ præstanda tunc pater, aut maritus non tenebatur.

Quarta ratio, quia quando pater est pauper, & filii sunt divites, tenentur filii alere patrem cum tota familia, & similiter quando maritus est pauper, & uxor dives, tenetur alere maritum, & familiam, ut suo loco in quarta parte hujus tractatus de effectibus contractus matrimonii probatur ex communi Doctorum. Ergo æs alienum à patre, & marito pauperibus ad alendum filios, & uxorem, & familiam contractum est verè debitum ipsorum filiorum, seu ipsius uxoris, ac proindè filii, & uxor tenentur illud solvere, & pro illo in foro externo possunt conveniri.

1340 Denique pro hac sententia facit lex 61. Tauri,

quatenus

quatenus decernit uxorem non teneri ex debito per maritum contracto, etiamsi in commodum ejus uxoris conversum fuerit in iis rebus quas maritus illi dare tenebatur, ut sunt victus, & vestitus, & hujusmodi res necessariæ. Ergo à contrario sensu lex illa vult uxorem teneri, quando conversum est in ipsius uxoris utilitatem in rebus, ad quas vir non tenebatur. Maritus autem inops non tenetur alere uxorem, sicut nec pater inops filios. Ergo juxta eandem legem, & uxor, & filii pecuniam à marito, & patre pauperibus mutuò acceptam, & in eorum alimenta consumptam obligantur, & cogi possunt solvere. Et hæc sententia procedit etiamsi filii hæreditatem paternam renuncient, ut infrà post secundam sententiam explicatur.

1343 Et per tradita Fagund. *d.cap.2. num.34. & 36. & d.cap.9.n.11.* concludit primogenitos qui nihil aliud bonorum præter primogenium, seu majoratum à suis majoribus institutum à patre acceperunt, teneri in utroque foro solvere debita à patre contracta ad alendum ipsos, & solvendam famulorum mercedem, locationem domus, & ad vestes, & cibaria familiæ; cùm talia debita à patre contracta, conversa fuerint in utilitatem eorundem filiorum primogenitorum, ad quos bona vinculata, & majoratus spectant; & consequenter defuncto patre, qui non fuit solvendo, nec ulla bona propria, & libera reliquit, tenentur ipsi primogeniti ea debita ex bonis, & redditibus majoratus solvere. Quod etiam præter rationes in præcedentibus adductas, idem Fagundez *d.cap.2.num.34. fine*, confirmat ex eo, quod alienum prorsus à ratione videatur, ut creditores amittant pecuniam suam, quam nobilibus gratis accommodarunt, de qua constat fuisse totam conversam in commodum, & utilitatem filiorum primogenitorum, majorumque natu; nam alioqui liceret (inquit) filiis majoribus natu habentibus bona vinculata furari, salvis bonis vinculatis, ad alendum parentes, & illorum familiam, cùm id perinde sit; etenim nisi creditores eam pecuniam illis accommodarent, bona majoratus minuerentur magis ac magis, ac oppignorarentur. Quare non apparet cur non debeant postea ipsi filii teneri ad hujusmodi debita.

Extenditur hæc prima sententia à Surdo *d.consil.420.* & Costa *citato num.2.* & Calvino *d.cap.38. num.8.* ut procedat etiam ubi merces, vel aliæ res essent patri venditæ, deinde ab eo revenditæ, & ex earum pretio emptum frumentum, quod sit versum in alimoniam filiorum, & familiæ, eo quòd attendatur ultima versio, & utrobique militet eadem æquitas: & sive mediatè, vel immediatè, directè, vel indirectè vertatur, semper erit verum dicere, id beneficii filios nactos esse, quod ex rei venditione provenit. Ab eodem Surdo *d.cons.420.n.9.* & eodem Costa *n.3.* extenditur hæc eadem sententia, ut pensio domus conductæ per patrem, vel maritum sit solvenda in subsidium per filios, & uxorem inhabitantes, cùm habitatio pertineat ad alimenta, juxta tradita *suprà, cap.2.* & Doctores ibidem citatos, ac proinde possunt exigi filii & uxor, quatenus commodum senserunt ex habitatione, quia hoc modo dicitur versum in eorum utilitatem, & sic pro rata pensione debent solvere pensionem, seclusa portione pensionis correspondentis habitationi ipsius patris, vel mariti inopis, cùm teneantur solùm ad id quod est versum in illorum commodum. Addit quoque Costa *num.6.* uxorem viduam ædes post viri obitum inhabitantem, teneri pro rata temporis ad pensionem judicio boni viri liquidandam, nisi jure familiaritatis habitasset ibidem, prout alio non apparente præsumi asserit, & tradidit in tractatu de portione ratæ, *quæst.25.*

Altera sententia negativa.

Altera sententia negat filios, aut uxorem æs alienum, seu debita à patre, vel marito, licèt inope, contracta, & conversa in alimenta ipsorum & familiæ, teneri solvere ex propriis bonis ipsius uxoris, & filiorum, aut ex bonis majoratus. Ita Decius *in d.l.si eum servum, ff.si certum petatur*, & ibidem Additionator *lit.A*, Alciatus in eandem legem *Si eum servum, num.7.* & ex Theologis Sanchez *d.disput.4. num.29.* qui etiam pro hac sententia allegat Gomezium Arias loco suprà *num.1337.* allegatum, quem tamen Cordoba à Lara loco *eodem num.1337.* relato allegat pro priori sententia, & Molina loco suprà *num.1333. citato*; loquens tamen tantùm de uxore, & asserens expressè uxorem non teneri solvere debita mariti ex dote propria, etiamsi facta sint ad ipsam familiam communem sustentandam, modò lucris renunciet. Et hoc idem cum eodem Molina sentit Fragosus *de Repub.Christ. p.3. lib.2.disp.5. n.60. vers. Nihilominus.*

Primò probatur hæc sententia, quia in contractibus attenditur contrahentis persona, & non tertii, *l.non adversus 15. Cod. si certum petatur, & l.cum cui, Cod.de actionibus, & obligationibus, & l.si is qui, Cod. depositi*: ubi nec ei qui mutuam pecuniam dedit, nec ei qui pecuniam deposuit datur actio adversus eum, ad quem pecunia pervenit, si consumpta sit, sed solùm contra contrahentem, qui mutuò, vel causa depositi accepit. Ex quo patet actionem mutui, vel depositi repetendi esse personalem, ac proinde contra solam personam debitoris, cui mutuum datum est; & sic extingui, nec posse redundare in tertium, extincta persona ipsius contrahentis debitoris, si nihil prorsus habeat, aut in vita sua cessionem bonorum fecerit. Quod procedere, etiamsi actio personalis contracta sit habito respectu ad rem, quæ transiverit in tertium aliquem, tradit post alios Surdus *d.privilegio 48. num. 3.* per textum *in l.quædam, §.nihil interest, ff. de edendo*, & alia jura. Quæ traditio, quod actio mutuanti competens ad mutuum repetendum sit personalis, & detur solùm adversus mutuatarium, esto res transiverit ad tertium, confirmatur ex eo, quod mutuans ad rem aliquam emendam habet solam actionem personalem, non tamen præfertur alii habenti hypothecam, putà si ea pecunia, quam quis mutuò accepit, merces comparaverit, mercibusque stantibus mortuus sit, si debito contracto persolvendo debitoris defuncti non sufficiunt, quamvis merces existant, creditor, seu mutuans pecuniam, quam credidit, privilegium exigendi non habebit, ut esse doctrinam communem Bartoli *in l.si cùm dotem, num.10. ff.solut.matr.* Alexandri *ibid. §.fin. n.5.* & aliorum testantur Cordoba à Lara *d.§.si quis ex his, n.90.* & Surdus *d.privil.48.n.4. & 7.* & plures alios Doctores latissimè referens Salgado *in Labyrintho creditorum, p.2. cap.4. n.14.* Igitur in proposito nostro, cùm creditor patris, vel mariti cum filiis, aut uxore non contraxerit, sed patri, maritóve mutuam pecuniam dederit, cujus tantùm fidem sequutus est, eidem non competit actio repetendi mutuum à filiis, vel uxore, etiamsi pater, aut maritus non sit solvendo, & nullis facultatibus relictis decesserit. Quare sibi debet imputare qui minùs idoneo debitori credidit, juxta legem *qui bona, §.de illo, ff.de damno infecto*, & *cap.damnum, de reg.jur. in 6.*

Secundò probatur *ex leg.5. §.3. ff. de in rem verso*, ubi adversùs dominum tunc solùm datur actio de in rem verso, quando ille qui negotium gessit, negotiorum gestorum haberet actionem, pater autem non quasi negotiorum filiorum, aut uxoris gestor, 1344 1345 sed

sed quia pater est, & quia maritus est, censetur filiis, & uxori alimenta exhibere, scilicet ex obligatione juris naturalis, qua pater erga filios, & maritus erga uxorem tenetur, quæ ob inopiam patris vel mariti non extinguitur, sed suspenditur tantùm, ut suprà *num.* 1336. dictum est, & sic ex natura sua est perpetua. Quare pater, etsi inops, licèt ad eum finem non teneretur se gravare ære alieno, ex pecunia mutuò accepta præstans filiis, aut uxori alimenta, ob hanc causam satisfaciendi prædictæ obligationi præcepti, sive juris naturalis, præstitisse semper intelligitur, non verò tanquam negotiorum gestor. Non igitur adversùs filios, vel uxorem, qui ex pecunia mutuò accepta à patre vel marito aliti sunt, dabitur creditori patris, aut mariti negotiorum gestorum actio, cùm ipse pater, aut maritus in hoc casu negotiorum gestorum actionem, administrationemve non habeat. Et prædicta præsertim procedunt in patre, qui regulariter, & in dubio præsumitur filiis alimenta præstitisse paterno amore, & pietatis affectu, juxta tradita suprà *hoc cap. num.* 905. & juxta ibidem allegata. Et ex prædictis etiam deducitur, in hoc casu filios, & uxorem alimenta à patre, aut marito non recepisse ex causa lucrativa, ex qua facti sint locupletiores, sed potiùs ex causa onerosa, cùm pater, & maritus præstiterint ob causam satisfaciendi prædictæ obligationi juris naturalis, & sic ipsi illa acceperint ut sibi debita. Itaque (hoc addo ex prædictis Doctoribus, præsertim Sanchez *d. num.* 29. ad hujus argumenti, seu probationis majorem declarationem) quanvis pater, aut maritus inops ratione inopiæ excusetur pro tunc ab onere alendi filios, aut uxorem, nec teneatur ære alieno se gravare, quo huic satisfaciat obligationi; nihilominus si verè se gravavit, & sic aluit, veram obligationem ratione impotentiæ suspensam adimplevit, nec dici potest pecuniam illam conversam esse in utilitatem filiorum, & uxoris, ad quam pater, aut maritus verè non tenebatur: nec filii, aut uxor verè dicuntur effecti locupletiores, & ex causa lucrativa recipientes, sed ex causa onerosa, utpote qui verè ipsis debitum receperunt. Quapropter ex consequenti illud mutuum solvere non obligantur, nec cogi possunt. Hinc

1346 Tertiò probatur à Sanchez, quia si Petrus ut suis satisfaciat creditoribus, pecuniam mutuò petat, & accipiat bona fide, putans se postea eam posse solvere, si posteà contrarium eveniat, nemo dicet creditores illos, quibus pecuniam illam solvit, teneri eam solvere posterioribus creditoribus, à quibus eam accepit; & tamen tota ea pecunia versa est in illorum utilitatem, quia nullum cum prioribus contractum iniere, & posteriores per mutuum transtulere pecuniæ dominium in Petrum, & sic Petrus tanquam verus dominus, ex ea pecunia mutuò accepta potuit suis debitis satisfacere, quanvis ab illorum solutione ratione inopiæ eximeretur. Ergo similiter quanvis pater, & maritus inopes expenderint aliquam pecuniam, quam ab aliis mutuò acceperunt, in alimenta filiorum, & uxoris, non tenebuntur filii, nec uxor ex propriis bonis ea debita solvere, quamvis in illorum commodum conversa, quia pater, & maritus illius pecuniæ habebat dominium; & licèt propter inopiam excusaretur à præstatione alimentorum, dum tamen voluntariè gravatus se ære alieno illis præstitit, veræ obligationi ratione inopiæ suspensæ satisfecit, & quod erat filiis & uxori debitum persolvit.

1347 Confirmantur tradita duabus præcedentibus probationibus, & ipsamet posterior sententia, quia filii, & uxor non tenentur ad solvendum eam pecuniam, seu æs alienum à patre, vel marito paupere contractum pro eorum alimentis, si facultates patris, aut viri postea augerentur, & essent solvendo, ut suprà *num.* 1335. notatum est: ergo non tenentur etiam quando pater aut vir est pauper, & non habet unde solvat; quia si ratione paupertatis patris, aut mariti tenerentur, postea redeunte viro ad meliorem fortunam, non resurgeret ea obligatio, nec ea deobligarentur filii, uxorve; si enim paupertate viri, & patris extingueretur illorum obligatio, auctis illorum fortunis non reviviseeret; cùm obligatio semel extincta non reviviscat, *l. cùm ex causa, Cod. de remissione pignoris.*

Quartò, licèt filii essent divites, & etiam uxor esset dives tempore quo pater pauper ad filios alendos, & maritus pauper ad uxorem, ejusque familiam alendam debita contraxit, seu mutuam pecuniam accepit, tamen nec uxor tenebatur directè ad alimenta viri, & filiorum, ac familiæ, nec filii ad alimenta pro se, ac familia paterna, sed tantùm in subsidium, scilicet marito, vel patre non quærente aliunde pecunias, quibus necessaria suppeditaret. Cùm ergo jam quæsierit mutuò accipiens, uxor, & filii ab eo onere relevati sunt, nec ipsis data mutuò pecunia est, nec illorum nomine, seu mandato recepta, unde eam solvere non tenebuntur. 1348

Quintò probatur, quia uxor potest integram dotem soluto matrimonio recuperare, licèt maritus prodigè expenderit ultra debitum illam alens, ut Gama *d. decis.* 366. *num.* 2. Navarr. *in Manuali, cap.* 27. *n.* 155. & Rodriguez *tom.* 1. *Sum. edit.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. tradunt: & similiter filius primogenitus, mortuo patre, juxta eandem doctrinam, bona sui majoratus dissipata à patre vivente in eum alendum ultra debitum potest recuperare. 1349

Sextò, & ultimò probatur à Sanchez, & Corduba à Lara, tum *ex l.* 60. *Tauri*, ubi generaliter deciditur, mulierem lucris constante matrimonio acquisitis renunciantem non teneri ad æs alienum constante matrimonio à marito conflatum: tum ex præallegata lege 6. Tauri, ubi primò statuitur, uxorem pro marito spondentem non obligari, etiamsi dictum debitum in uxoris emolumentum conversum esse: & ibi Anton. Gomez tenet id procedere, licèt manifestè probaretur verè cessisse in uxoris utilitatem. Secundò deciditur, si maritus & uxor mutuò sese obligaverint in eodem contractu, vel diversis, uxorem non teneri ad quicquam, nisi probetur debitum in ejus utilitatem fuisse conversum: & vult lex illa dici conversum in uxoris emolumentum, quando debitum contractum consumptum est in iis rebus, quas maritus uxori præstare tenebatur, secus si non tenebatur, & eas res quas maritus tenebatur uxori dare, lex dicit esse victum, vestitum, & ejusmodi res necessarias: nec lex hujusmodi intelligenda est quando maritus est dives, & defunctus reliquit facultates ad solvenda debita sufficientes; nam nihil alioqui, ait Sanchez, disponeret, cùm quicumque fidejussor solùm teneatur in subsidium, ubi principalis debitor non est solvendo. Igitur lex loquitur quando bona mariti deficiunt, & nihilominus decernit ad illa debita à viro contracta, & consumpta in uxoris commodum in iis rebus, quas maritus illi dare tenebatur, nempe in illius alimentis, & vestibus, aliisque hujusmodi necessariis, eandem uxorem non teneri ex suis bonis propriis solvenda, quo manifestè probatur hæc secunda sententia, juxta quam bis judicasse supremum Lusitaniæ Senatum refert Gama *d. decis.* 366. *num.* 6. 1350

Huic autem sententiæ non obstare rationes ad priorem sententiam probandam adductas, ait Sanch. cùm ex traditis pro hac posteriori sententia constet, inquit 1351

inquit, uxorem, & filios habere ex causa onerosa; & illud mutuum à marito, vel patre acceptum, & in eorum alimenta consumptum, non verè dici in eorundem utilitatem conversum; & etiam ex traditis *num.*1345. pateat, patrem, & maritum in accipienda mutuò pecunia, & ea consumenda in alimentis filiorum, & uxoris, non se habuisse tanquam negotiorum gestorem, seu tanquam habentem negotiorum actionem. Ad nonnullas etiam ex dictis rationibus pro prima sententia adductis Corduba à Lara *d.*§.*si quis ex his*, *à num.*93. sustinendo posteriorem Decii sententiam singillatim respondet.

1352 Ad primam enim juxta tradita *num.*1345. ad antecedens respondet, obligationem qua pater adstringitur alere filios, & maritus uxorem, esse perpetuam, utpote juris naturæ, & sic propter inopiam patris, seu mariti non extingui, sed tantùm ejus effectus suspendi; atque adeo si pater, aut maritus inops filiis, vel uxori alimenta subministret, præfatæ suæ obligationi, seu juris naturæ præcepto satisfaciet, tanquam si dives esset. Quare patet, aut maritus nunquam intelligitur quasi negotiorum gestor alimenta filiis, aut uxori præbere: ac proinde creditori patris, aut mariti non competit actio de in rem verso contra filios, aut uxorem, juxta legem 3. suprà *num.*1345. adductam, & cætera ibi tradita; neque in præsenti habet locum dispositio legis *et qui servo*, § *fin. Cod. quod cum eo*, *num.*1338. allegatæ ad probandam consequentiam: sicut neque habent locum alii textus ibidem adducti, scilicet *in l. si eum servum*, *& in l. si & me*, *& Titium*, *ff. si certum petatur*: tum quia jam probatum est, ad filios, & uxorem in præsenti specie non pervenisse quicquam ex causa lucrativa. Tum quia, inquit idem Corduba *num.*94. ex alio etiam capite præfatæ leges ad præsentem quæstionem nihil faciunt, hic enim agitur de debitore qui mutuam accepit pecuniam, & sic pecuniæ dominium adeptus, quam arbitrio suo potuit in quoscunque usus prodigere, ex textu *in l. in re mandata*, *Cod. mand.* in specie verò dictarum legum Titius errore ductus existimavit esse suam rem quam accepit, cùm esset aliena, eamque vendidit, ac cum domini detrimento lucrum fecit; quare etsi domino Titius obligatus non est, quia cum eo nullum negotium contraxit, tamen quia pretium ad eum pervenit, ex bono & æquo introducta est actio subsidiaria, quæ domino datur, ut pretium Titio condicat, cùm sine culpa domini ad Titium pervenit: at in contractu mutui diversum statutum est, cùm pecuniæ mutuò datæ permissu domini dominium in debitorem transfertur fit. Ad legem 2. *ff. ad legem Rhodiam*, ad probationem ejusdem consequentiæ adductam, Corduba *num.*98. respondet ibi, si magister navis non sit solvendo damnum jactus, detrimentum omnibus communicati ex tacita conventione eorumdem qui in eadem navi vehebantur, ne merces periret; & sic in specie ejusdem legis actionem negotiorum gestorum dari ei, cujus merces jactæ sunt, quia mercium suarum jactu utiliter gessit negotia eorum, quorum merces salvæ factæ sunt.

1353 Ad secundam rationem *num.*1339. sumptam ex lege finali, *ff. de eo per quem*, idem Corduba *num.*96. *&* 97. respondet hanc legem juxta multos Doctores loqui de eo, qui diuturna possessione dominium rei sibi quærebat; quem tel dominus, ut præscriptio interrumperetur, in judicium vocavit, & cujusdam dolo factum est, ne reus in judicio compareret, propter quod possessor cœptam præscriptionem complevit, reique dominium acquisivit; quapropter si is qui dolo fecit quo minùs reus in judicio sisteret, solvendo non sit, datur ibi actio restitutoria adversùs ipsum reum, ne propter dolum alienum reus lucrum faciat, & actor damnum patiatur: & meritò, ait Corduba, concessa est in tali casu actio restitutoria contra ipsum reum, non obstante illa longa possessione ad præscriptionem sufficiente, quia cessat ratio propter quam præscriptio introducta est, nempe odium negligentis circa rem suam, *can. placuit*, §.*hac autem*, 16. *quæst.* 3. Dominus autem rei, cùm in judicium possessorem tempore debito vocaverit, caruit negligentia, & sic non existente solvendo eo, qui dolo fecit quo minùs in judicio sisteret, æquitatis ratione, qua ipsa præscriptio introducta est, ita suadente, debuit domino dari actio contra reum ipsum.

Ad ultimam rationem *num.*1342. adductam, desumptam ex lege 61. Tauri, respondet Corduba *n.*92. talem deductionem à contrario sensu non posse ex ea lege desumi, quia maritus semper, & perpetuò tenetur alere uxorem, ut suprà *n.*1345. & in responsione ad primam rationem dictum est. 1354

Porrò Sanchez *d. disp.*4. citato *num.*29. *fine*, addit hanc secundam sententiam procedere, licèt res pecuniâ illâ à patre, vel marito emptæ extent, dicens adhuc filios, & uxorem non teneri, quamvis pater, aut maritus non sit solvendo; quia nulla est actio creditoribus contra res mutuò emptas, nec illæ subjectæ sunt hypothecæ pro mutuo, sed sola est actio personalis contra mutuatarium, ut tradunt Bartolus, Corduba, Surdus, & alii Jurisperiti suprà *num.*1344. *versic. Confirmatur*, ex eo relati, & alii quos Salgadus *allegato cap.*24. *num.*11. refert. Quare idem Sanchez subdit non esse audiendos Angelum, & Joannem Lupum locis suprà *num.*1337. citatis, asserentes eisa certum, filios, & uxorem teneri ubi res mutuò emptæ extarent. 1355

Resolutio, & sententia Authoris.

SI rationes, & authoritates pro utraque sententia adductæ rectè perpendantur, negari non potest utramque esse probabilem: primam tamen, quam etiam Sanchez *initio dicti num.*29. appellat satis probabilem, existimo probabiliorem: tum quia æquitati, & juri naturali, dictanti ne cum alterius detrimento locupletiores simus, convenit; quare Costa *d. remedio* 12. *num.*2. oppositam sententiam quicumque asseruerunt, ab æquitate declinasse dicit, sicut non videtur convenire opposita sententia à Surdo durior appellata, quæ etiam, sicut observat Fagundez *d. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 10. facilè potest esse causa multorum scandalorum in Republica, & multarum litium; Imò (addit idem Fagundez) & occasio expilandi crumenas, & res alienas; inde enim patres, præsertim filiorum, ad quos majoratus debent post eorum mortem devenire, & mariti, maximè nobiles, occasionem sumerent vivendi splendidè, & alendi filios, & uxores ex alieno mutuo, si postea nec filii, nec uxores ad id tenerentur in illorum defectum. Tum quia cùm pater, maritusve inops, seu dum eget, verè non teneatur actuali obligatione alendi filios, vel uxorem, sed solùm remaneat habitualis, seu radicalis obligatio, ob quam supervenientibus divitiis actu adstringitur alere, eo tempore inopiæ accipiens mutuò pecuniam, quam in alimentis filiorum, uxoris, & familiæ consumpsit, & ad eum finem tantùm accipit, videtur verè gessisse negotium utile filiorum, & uxoris, ad quos onus se alendi spectabat, & qui, nisi voluissent fame perire, de suo, vel contrahendo æs alienum, sibi alimenta quæsiissent, ac subministrassent: & in hoc casu stante deobligatione patris, & mariti, unà cum utriusque inopia, non potest, nec debet præsumi præfata alimenta præstita esse tantùm ex affectu paterno, vel maritali. & ex causa implendi præceptum naturale alendi filios, & uxorem, quod actu non obligat patrem, & maritum inopes, & dum egent: & quod 1356

inopia parentis excludat hujusmodi præsumptionem, ostensum est suprà hoc opere, *num.*909. Cùm ergo pater, & maritus in præsenti casu gesserint negotium utile filiorum & uxoris, patre, & marito non existente solvendo, vel nullis bonis relictis defuncto, filii ipsi, & uxor tenentur solvere debitum à patre, & marito paupere in eorum alimenta conversum, & ad id cogi possunt, & debent. Neque obstant argumenta pro posteriori sententia, *à num.*1344.*ad* 1351. adducta, ut proximè respondebitur.

Responsio ad fundamenta posterioris sententiæ.

1357 AD primum respondetur, ibi tradita, & jura allegata procedere quando res pervenit ad tertiam personam, non ex causa lucrativa, ut in nostra specie, sed ex causa onerosa, ut præsertim *in d.l.eum qui, Cod. de actionibus, & obligat.* quæ agit de ea pecunia, quæ ex mercium venditione redacta ad negotiatores pervenit, quam creditor à possessore non potest repetere: item dum dicitur, dari actionem creditori solùm contra contrahentem, nempe mutuatarium, vel depositarium, intelligitur de actione directa, secus de subsidiaria, qua is qui mutuò dedit, vel deposuit, poterit agere contra eum, in cujus utilitatem cessit pecunia mutuò alteri data, vel apud eum deposita, ut post Glossam *in l. quamvis, scholio penultimo, Cod. si certum petatur,* tradit Corduba *d.§ si quis ex his, num.*102. Licèt igitur creditor patris, & mariti solùm contra patrem, & maritum habeat actionem directam, illi tamen in specie præsenti competit actio subsidiaria contra filios, & uxorem, qui alti sunt à patre, vel marito ex pecunia mutuò illis data, dum ipse pater, aut maritus non est solvendo.

1358 Ad secundum ex traditis suprà *n.*1338. *&* 1356. respondetur patrem, & maritum in proposito nostro verè gessisse utile negotium filiorum, & uxoris, & sic cùm in eorum utilitatem versa sit pecunia mutuò per patrem, & maritum accepta, ex hacque ipsi reportaverint lucrum, ditioresque facti sint, cùm alioqui nec pater, nec maritus eos alere obligatus esset, sed alendi onus ad ipsos filios, & uxorem spectaret, ipsi ad eam creditori solvendam tenentur, patre, vel marito impotente ad eam persolvendam.

1359 Ad tertium respondetur, secundos creditores non habere jus, actionemve contra priores, quia hi licèt ea pecunia in illorum utilitatem conversa sit, tamen in rigore inde ditiores non sunt facti, cùm suum acceperint. At verò filii, & uxor ditiores facti sunt ex mutua pecunia aliena, quam pater, vel maritus ad eos, vel eam alendum mutuò accepit; quia si filii sic à patre non fuissent aliti, & uxor pariter alita à marito, tenebantur, & debebant se alere ex suo, vel mutuo accepto, ne fame perirent. Et hæc responsio maximè procedit, si tempore æris alieni pro ipsorum alimentis à patre vel marito contracti filii habebant bona propria, & similiter uxor bona dotalia, ex quibus poterant se alere. Quamvis procedat etiam si tunc fuissent inopes, ut dicitur infrà *num.*1364.

1360 Ad confirmationem ex traditis suprà *num.*1335. patet responsio; supervenientibus enim divitiis revivifcit obligatio in patre, & marito, quia debita contracta formata sunt in eorum persona; nec ratione inopiæ fuerat omninò extincta obligatio alendi, sed remanet semper habitualis, & radicalis, quæ actu obligat, meliore redeunte fortuna.

1361 Ad quartum respondetur, quamvis debita non sint contracta nomine filiorum, aut uxoris, teneri tamen ad illa in subsidium patris, aut viri, qui non est solvendo, quia conversa fuere in illorum utilitatem, indeque facti sunt ditiores.

Ad quintum respondetur primò Gamam *d. decis.*366. *num.*7. & P. Barbosam *ad d.l.si constante* 25. *in princ. num.*53. asserere contrarium, & uxorem in subsidium mariti obligari ex suis bonis dotalibus solvere debita ab eodem marito facta, & consumpta etiam in superfluis, & ultra debitum, & exigentiam dotis acceptæ præstitis, argumento legis *quæ de tota, ff. de rei vindic.* Confirmat Gama, dicens non obstare quod maritus sibi imputare debeat, si in alenda uxore majores sumptus fecit, quàm dotis quantitas exigit; quia cùm uxoris (inquit) ornatus, & moderata familiæ sustentatio ad honorem pertineat, maritus tacitè à jure licentiam habere videtur, ut honorificenter uxorem, & familiam alat secundùm suæ dignitatis, vel nobilitatis convenientiam, & secundùm regionis morem: nam cùm honor, & vita in jure æquiparentur, æquum est, ut sicut jus multa aliàs non concedenda permittit ad conservationem vitæ, ita & ad conservationem honoris multa admittat aliàs non admittenda. Ita Gama. Secundò respondetur, uxorem, & filios, marito, & patre defunctis, bona sua posse quidem repetere directè; indirectè tamen, & actione subsidiaria peti ab ipsis quoque posse alimenta, in quibus facti sunt ditiores. 1362

Ad sextum priusquam respondeatur, advertendum, supposita priori sententia, filios, & uxorem teneri solvere mutuum, seu æs alienum ad ipsos alendos contractum à patre, vel marito paupere, qui non est solvendo, quamvis filii hæreditati paternæ, & uxor hæreditati viri, & bonis seu lucris ab eo constante matrimonio acquisitis renunciaverint, ut expresè aiunt Cremensis, & Baeza locis suprà *n.*1337. citatis, Sanchez *d.disp.*24. *num.*28. & Fagundez *d.lib.*4. *cap.*2. *num.*38. *& cap.*9. *num.*10. *fin.* Et ratio est, quia præfata obligatio filiorum, & uxoris non oritur ex hæreditatis aditione, ita ut filii, & uxor tanquam hæredes teneantur patris, & mariti debita solvere; sed ex eo quod illa pecunia mutuò accepta à patre, vel marito paupere, ex qua filii, & uxor sunt aliti, versa est in illorum utilitatem, & illius occasione facti sunt ditiores, nec bona patris, aut mariti ad illam persolvendam suppetunt. Hinc ad sextum argumentum respondetur, filios ad debita patris, & uxorem ad debita mariti, si renunciaverint hæreditati paternæ, & mariti, solvenda non teneri quando ex ipsis debitis nullum commodum acceperunt, neque inde ditiores facti sunt; secus quando debita conversa sunt in eorum utilitatem, ipsique inde effecti sunt locupletiores. Lex autem Tauri 61. in hac materia nihil clarè decidit, ut constat ex variis interpretationibus ejusdem legis, datis ab ipsis Jurisperitis Hispanis, qui in eam legem scripsere; & à contrario sensu potiùs continet priorem sententiam, ut suprà *num.*1342. explicatum est: & Corduba *d.§.si quis ex his, num.*103. vult legem illam 61. Tauri, in secunda parte, in qua loquitur quando vir, & uxor sunt consponsores, & in solidum se obligarunt, intelligi hoc pacto, scilicet quod licèt debitum mutuo eorum consensu, & obligatione contractum à viro, probetur conversum in utilitatem uxoris in iis quæ uxori præstari debebant, nempe in alimentis, aut vestibus pro dignitate & conditione sua, uxor tamen non teneatur totum debitum solvere, quamvis in utilitatem, & commodum illius totum versum esset; sed quod etiam maritus debeat in partem debiti conveniri, cùm maritus uxorem alere teneatur: id quod latè prosequitur explicando obligationem plurium reorum debendi in solidum obligatorum, quando debiti contracti utilitas in eorum commodum æquis, vel inæqualibus partibus cesserit; quæ omitto videnda apud ipsum, cùm ad præsentem quæstionem non spectent. 1363

spectent. Addit Fagundez, quod si jus Castellæ *in d.l.Tauri* 61. decidit in præsenti specie oxorem non obligari, &c. id procedere solùm in foro externo, non in foro conscientiæ.

1364 Advertendum etiam, retenta prima sententia, eam procedere quamvis filii, & uxor etiam laborassent inopia tempore mutui à patre, & marito inope ad eos alendos accepti; adhuc enim supervenientibus illis bonis, & facultatibus ad solvendum sufficientibus, obligantur solvere illud debitum in subsidium; nam etiam in hujusmodi casu mutuum in eorum cessit commodum, & effecti sunt ditiores; cùm pater, & maritus inops ad ea alimenta actuali obligatione non tenerentur, & ipsi aliunde, ne fame perirent, quæsituri essent. Ita Ludovicus Romanus, Cepolla, Baëza locis suprà *num.* 1357. relatis; & idem indicarent Corduba, Surdus, & alii, cùm indistinctè, & absolutè loquantur; & tradit etiam Sanchez *d.disput.*4. *allegato num.*28. Valde tamen differt, an tunc temporis filii, & uxor essent inopes, vel divites, illisque non defuissent facultates necessariæ ad alendam familiam; si enim filii erant pauperes, sicut & pater contrahens æs alienum pro eorum alimentis, obligantur ad eam solùm partem debiti paterni solvendam, quæ cum ipsis consumpta est, cùm non tenerentur alere parentem dum erant inopes, nec alimenta patris cesserint in eorum utilitatem: si verò erant divites, & pater pauper, tenentur ad alimenta integra, quia tenebantur parentem alere, ut suprà hoc opere suo loco dictum est, & constat *ex l. si quis à liberis*, §. *si vel parens*, & §. *item si rescriptum*, *ff. de liber. agnosc.* Similiter si uxor erat pauper, supervenientibus postea ipsi divitiis, non obligatur ad solvendum æs alienum contractum pro alimentis mariti, & familiæ, cùm ad ea non teneretur, nec cesserint in ejus utilitatem; sed tantùm obligatur pro rata sibi correspondenti: si verò dives erat, obligatur integrè solvere, quia tenebatur tunc maritum pauperem, filios, & familiam alere ut est communis sententia, & suo loco in quarta parte hujus tractatus probabitur. Ita expressè Joannes Lupi loco suprà *num.*1357. citato, & colligitur ex traditis in præcedentibus ad probandam eandem primam sententiam; & stando in eadem ita sentit Sanchez *d.disp.*24. *num.*28. *fine.*

1365 Juxta eandem primam sententiam asserendum est contra Sanchez loco suprà *num.*1355. *citato*, filios, & uxorem multò magis teneri solvere mutuum acceptum à patre, & marito, qui non fuerunt solvendo, si res ex illo mutuo emptæ apud illos extent, cùm causâ lucrativâ ad ipsos pervenerint, & illis effecti sint ditiores; licèt enim creditori ex mutuo dato non detur actio contra res emptas ex mutuo, nec illæ sint subjectæ hypothecæ, nec creditor quoad res ex pecunia ab ipso mutuata emptas, extantes apud ipsum debitorem præferatur alteri habenti hypothecam, ut dictum est *num.* 1344. tamen datur actio subsidiaria contra possessorem ex causa lucrativa, ut qui iisdem rebus factus est ditior; secus si possessor haberet ex causa onerosa, juxta tradita suprà *num.*1357.

§. XIII.

Filii, & uxor in foro externo non possunt cogi ad solvendam pecuniam à patre, vel marito mutuò acceptam, etiam expresso in instrumento, quod accipiebatur ad illos, & familiam alendam, nisi creditor probaverit in eam causam fuisse consumptam.

An autem filii, & uxor in foro externo cogi possint solvere mutuum à patre, vel marito acceptum, tanquam consumptum ad eos alendum, quando pater, maritusve non est solvendo? Cepolla, & Joannes Lupus locis suprà *n.*1337. citatis dicunt sufficere, quod in instrumento ponatur expressè mutuum fieri in emptionem frumenti ad sustentationem familiæ: nihilominus videtur asserendum tanquam certum, illud non sufficere, sed teneri creditorem probare illud mutuum verè fuisse conversum, seu consumptum in alimenta & utilitatem filiorum, & uxoris, ut rectè tradit Surdus *de aliment. d.tit.*8. *citato privilegio* 48. *n.*7. & Costa *d. remed.*12. *num.*5. eo quia non sufficiat dicere, quod mutuat in talem causam, sed necesse est probare, quod pecunia sit verè in eum usum expensa, ut latè probat Negusantius *de pignoribus*, *in* 2. *membro*, 3. *part. n.*8. cùm confessio unius non noceat tertio, *l. Seia*, *in princ. ff. ad Velleian.* & *l. duobus*, §.1. *ff. de jurejur.* cum aliis à Surdo *d.privil.*48. *num.*9. allegatis. Et quando aliquid est causa producendæ actionis contra tertium, illud est plenè probandum, nec statur confessioni aliorum. Item quilibet juxta regulam communem probare tenetur id, quod est suæ intentionis fundamentum, *l.ei qui dicit*, *ff. de probat.* Cùm itaque ideo conveniri possint filii, & uxor pro debito patris, & mariti, quia contractum in eorum commodum, vel sui causâ, ut constat ex traditis pro prima sententia, id est probandum. Advertendum etiam, illam cautelam Cepollæ non efficere, ut in re ex illo mutuo empta adhuc extante creditor præferatur priori creditori, aut alii habenti hypothecam, juxta tradita suprà *num.*1344. *versic. Confirmatur ex eo*; quia mutuans ad rem emendam, vel reficiendam, non acquirit hypothecam, sed solùm actionem personalem, nisi expressè dicatur, ut tradunt Doctores ibidem citati: & licèt etiam Socinus *cons.*16. *num.*10. *vol.*3. & Graveta *cons.*91. *n.*3. voluerint sufficere, si constaret eo tempore mutui per patrem, aut maritum contracti adfuisse caristiam, quasi tunc præsumi debeat patrem, vel maritum illam pecuniam expendisse in alimenta familiæ; nihilominus idem Surdus *n.*11. rectè dicit hoc non sufficere, sed alia esse consideranda. Potuit enim pater, vel maritus habuisse tunc fructus in domo, & fuisse dives: item potuit eodem tempore exsolvisse æs alienum, vel emisse prædia, vel alias expensas fecisse. Hæc igitur, & alia sunt consideranda, ut sine errore concludatur mutuum eo tempore acceptum, in alimenta filiorum, uxoris, & familiæ fuisse expensum. Ut verò filii, & uxor in foro conscientiæ obligentur in subsidium patris, vel mariti solvere, sat est quod ipsi sciant pecuniam verè in eorum, & familiæ alimenta, fuisse conversam & expensam. Sicut è contra si ipsis constiterit patrem, vel maritum æs contractum, seu pecuniam mutuò acceptam non convertisse in eorum & familiæ alimenta & usum domus, sed in illicitos usus, ludos, &c. expendisse, in eodem foro conscientiæ ad illam in subsidium solvendam non tenerentur. Et prædicta circa propositam materiam paulò latiùs sunt tradita, quia est res valde controversa, ut lector faciliùs possit agnoscere pro qua parte magis apparcat 1366

appareat veritas, & tutiùs possit electionem habere. Hisque conclusa fit hæc secunda pars tractatus de effectibus contractus matrimonii, quoad specialem effectum obligationis parentum exhibendi alimenta filiis, & universalem tractationem de materia alimentorum. Nam quæstio, apud quos filii, præsertim impuberes, educari debeant, de qua in præsenti tractatione alimentorum plures Doctores agunt, discussa latè est in præcedenti parte 1. hujus tractatus, *cap.*10. Nonnulla etiam de obligatione filiorum exhibendi parentibus alimenta, quæ hoc capite non sunt expresse tradita, facilè possunt colligi ex natura correlativorum; & quæ videbuntur indigere speciali declaratione, tradentur in tertia parte hujus tractatus de effectibus matrimonii, ubi latè de obligatione filiorum erga parentes. In sequenti autem tomo, qui erit tertius de effectibus contractus matrimonii, prosequentes eandem secundam partem juxta distributionem factam in prima parte, agemus de obligatione parentum dotandi filias, & dandi, seu relinquendi filiis legitimis, & naturalibus legitimam.

Deo, & Beatissimæ Virgini Laus.

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIUM, QUÆ IN CAPITIBUS OPERIS COMPREHENDUNTUR.

P. paginam denotat, N. verò numerum marginalem.

Negligere

Charitatis Ordo.

Filio

Alimenta quoad locum ubi præstanda, vel alimentarius ea accipere debet.

Nobilis,

Art.

Negligere

Charitatis Ordo.

idem

F

Facere, Factum.

H

Habitare, Habitatio.

Ratio

Alimenta,

Locus alimentorum præstandorum.

M

Majoratus possessor, successor.

Maleficus.

Maritus.

Martyres.

Masculinum.

Mater.

Mater quoad obligationem alendi filios, & ablactandi filios primo triennio.

O

Obligatio, obligatio alendi, & alimentorum: obligatio antidoralis.

P

Pactum super alimentis.

Religiosus professus quoad obligationem subveniendi parentibus, vel filiis, aut aliis consanguineis extremè, vel graviter egentibus.

non

ſe

F I N I S.